

F

R.

C

Conc

Opus a

vi

Ope

SERMONES

FVNEBRES

R. F. IOANNIS DE SANCTO GEMINIANO, ORDINIS Prædicatorum eruditissimi Theologi.

Concionatoribus, & animarum Pastoribus non solùm perutiles, verùm etiam summoperè necessarij.

Opus ab innumeris mendis, & fastidiosis breuiationibus vindicatum, ac multis erroribus expurgatum.

Opera & Studio R. P. RICHARDI GIBBONI Societatis IESV Theologi.



Opus non vulgare
donat A. Rendo D.
Alberto Silicofski
Paulus Pozonka
amicus 1669. Ab
obitu Eius Collegij Man-
sionariorum S. Ioan-
nis Baptistæ Varsa-
viensis.

ANTVERPIÆ,
Apud IOANNEM BELLERVM,
ANNO CIↃ IↃ C. XXX.



TABVLA DISTINCTIONVM ET SERMONVM OMNIVM QVÆ HOC OPERE continentur.

Distinctionis tertiæ sunt octo sermones.

Distinctionis quartæ sunt decem sermones.

Distinctionis quintæ sunt 48. sermones.

Distinctionis sextæ sunt nouem sermones.

FINIS.





INDEX
RERVM QVÆ
IN HOC OPERE
Continentur.

E

H

I

L

Militis

N

Pau-

Q


R

Velo-



SERMORVM FVNEBRIVM FRATRIS IOANNIS DE S. GEMINIANO Ordinis Prædicatorum S. THEOLOG. DOCTORIS CLARISSIMI

PROEMIVM.



Onsidera Israel pro his qui mortui sunt, 2. Re. 1. Quia in locis & ciuitatibus plurimis, consueuerunt in defunctorum funeribus prędicationes ad populum fieri, quæ etsi pro mortuis occasionaliter fiant, id est, occasione ipsorum; magis tamen pro consolatione viuentium, & doctrina audientium eas fieri est credendum: oportet in prædicationibus talibus, quæ scilicet ad funera fiunt, prædicatorem ad tria præcipuè intentionem habere; quæ in verbis propositis breuiter innuuntur. Et primò quidem ad eruditionem populi; secundò ad honorem Dei; tertiò quoque, si possit, ad commendationem defuncti.

A Propter primum ad considerãdum inducitur; quia dicitur ei, *Considera:* vt videlicet antequam prædicet quæ dicere possit vel debeat, magis vtilia populo diligenti consideratione disponat. Huiuscemodi autẽ esse videntur, quæ ipsius auditores ad mundi contemptum inducunt, prædicando videlicet eis & labores & dolores mundana diligentia; secundum illud Psalm. *Tu laborem & dolorem consideras.* (Psal. 9.) *Laborem*, scilicet viuentium & mundana quærentium: & *dolorem*, morientium & ea deserentium. Item talia esse videntur, quæ debet etiã considerare vt prædicet, quæ peccatores ad compũctionem inducunt, siue exaggerando peccatorum iniquitatem. Iob 11. *Videns iniquitatem, nonne considerat?* scilicet, quàm sit increpanda, siue ostendendo peccati vilitatem; de qua ex persona animæ peccatricis dicitur Threnor. *Vide Domine, & considera quoniam vilis facta sum.* Siue etiam declarãdo peccati sterilitatem, propter quam peccatores inutiles nec mittunt semina operum, nec recolligunt manipulos fructuum. Vnde Lucæ 12. *Considerate coruos*, id est in peccatis denigratos: *quia non seminant*, scilicet merita: *neque metunt*, scilicet præmia. Siue etiam prædicando retributionis calamitatem. Ps. *Oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.* Sunt etiam in prædicationibus talibus non modicum vtilia populo, quæ diuini iudicij peccatoribus timorem incutiunt, quia scilicet ex tali timore ad contritionem & pęnitentiam magis sollicitãtur. Iob. *Considerans eum*, scilicet diem iudicij, *timore sollicitor.*

(Iob 11. — Thren. 1 — Luc. 12. — Psal. 90. — Iob 23.)

Propter secundum: vt Dei scilicet honorem intendat qui prædicat seu docet, sub nomine Israël

 sci-

scriptura proposita prædicantem alloquitur: *Considera* (inquiens) *Israël. Israël* enim videns Deum interpretatur. Et talis debet esse quilibet prædicator: vt contemplationis & intentionis suæ oculis Deum iugiter intueatur & videat. Intentionis quippe oculo prædicator ad Deum aspicit, quãdo in suis sermonibus non laudẽ vel gloriam propriam, sed honorem Dei tantummodo per doctrinæ proiectum intendit. Alioquin si gloriam propriam quæreret, non Deum sed semetipsum aspiceret, & tunc æterna bona, quæ sunt facto prædicatori promissa, minimè obtineret. De quibus videlicet bonis dicitur Num.
Nu. 10. 10. *Dominus bona promisit Israëli*, id est, recta intentione prædicanti. Debet quoque Deum videre qui prædicat, oculo contemplationis internæ. Sed sicut beatus
Augu. Augustinus testatur: Humanæ mentis acies inualida, in tam excellenti luce nõ figitur, nisi prius per iustitiam fidei emũdetur. Vnde si prædicator in fide errãs Deũ contempletur, quasi corrupto, & non sano oculo Deum intuetur, & tunc verè non cognoscit eum,
Isa. 1. secundùm illud. *Israel autem me non cognouit.* Et de hæretico præ-
Rom. 11 dicatore scriptum est Romanor. *Cæcitas ex parte contigit in Israël.* Ex parte quidem dicit, quia plerunque doctor hęreticus licèt erret in vno articulo, in alio tamẽ non errat. Verè quoque & Israël poterit prædicator vocari, nisi fuerit sanctus & mundus in cor-
Iere. 2. de, secundùm illud Ierem. 2. *Sanctus Israël Domino.* Item si fortis & laboriosus in opere, secundùm
Nu. 24. illud Num. *Israël verò fortiter aget.* Rursus si sit verax & non dolosus
Ioan. 1. in sermone, secũdum illud Ioan. *Ecce vir Israëlita in quo dolus non est.* Item etiamsi sit fertilis, id est multum faciens fructum in peccatorum conuersione, secundùm illud Oseæ. 10. *Vitis frondosa Israël, fructus adaquatus est ei*, scilicet quia Ose. 10
sicut præcedunt frondes verborum, ita quoque sequitur fructus in profectu auditorum.

Tertiò autem in prędicatore re- C
1. quiritur, vt scilicet in funeribus prędicet pro his, qui mortui sunt, scilicet commendandis, vt videli-
2. cet si bene vixerunt, eorum laudata opera sint aliis in exemplũ. Et tutiùs quidem est laudare bonos viros mortuos, quàm viuentes, secundùm illud Eccle. 4. *Lau-* Eccle. 4
3. *daui magis mortuos quàm viuentes.* Duplici enim ex causa, vt dicit Maximus in quodam sermone,
1. vtilius est hominem mortuũ laudare quàm viuentem, vt illo potissimum tempore laudem sanctitatis extollas, quando nec lau-
2. dantis adulatio nocet, nec lauda-
3. tum tentat elatio. Lauda post periculum, prædica securum. Lauda nauigantis fœlicitatem, sed cùm peruenerit ad portum. Lauda ducis virtutes, sed cùm perductus est ad triumphum. Si verò qui mortuus fuerit, homo non extiterit claræ vitæ vel famæ, magis est doctrinę viuentium, quàm talis defuncti laudibus insistendũ, imò si vitæ detestabilis fuerit, omnino est silendum à laude, ne apud eos, qui eius vitam nouerunt, scandalum potiùs quàm ædificatio oriatur. Nisi fortè de recõciliatione, & finali eius pœnitentia clarum & notum testimonium habeatur. Quod certè ad consolationem suorum, & ad pœnitentię aliorum exemplum, non reprehensibile erit populo recitare. Sed siue laudare, siue vituperare oporteat, obseruandum est quod Seneca dicit: *Lauda parcè, vitupera parciùs.* Seneca.

Sed vt quæ de sermonibus fu- D
nerum generaliter dicta sunt magis particulariter, & clariùs elucescant,

cescant, visum est mihi fratri Io-
anni, post sermones quos feci de
tempore, & etiam festiuos, de
mortuorum quoque sermonibus
præsens opusculū edere, ad mul-
torum instātiam fratrum. In quo
1. primo ponentur sermones de sta-
tu viuentium & morientium, seu
de vita & morte hominis gene-
2. raliter loquēdo. Secūdo verò ser-
mones dignitatum & statuum,
aut officia seu ætates, vel euentus
fortunæ & modus mortis varios
hominum, de quibus prædicabi-
3. tur specialiter exprimentes Vlti-
mo verò ponentur sermones ad
consolationem remanentium, &
mortuos suos lugentium perti-
1. nentes. Sed primo omnium po-
nentur sermones, qui loquuntur
generaliter de miseria humanæ
2. vitæ. Secundo subduntur & alij,
in quibus tractatur de mortuis, &
3. mortis cōditione. Tertio sequū-
tur alij qui simul siue mixtim lo-
quuntur de vtroque. Quarto ve-
rò ponentur nonnulli, qui loquū-
tur de statu post mortē. Ita quod
erit facile fratribus, qui ad funera
prædicare debuerint, sermonem, prout eis videbitur, vel generaliter, vel specialiter, vel etiam singulariter pro quocunque defuncto assumere congruentem. Studui autem sermones hos etiam multùm breues facere, sed diffusos, per plures tamen partes singulos eorum distinctos, vt ex ipsa prolixitate sermonis, prædicator, si necessarium fuerit, possit prædicare prolixiùs, & ex ipsa distinctione membrorum, de vnoquoque sermone quantum sibi videbitur assumendo, possit & cùm voluerit etiā breuius prædicare. Pluralitas autem partium vniuscuiusque sermonis ad hoc valere poterit prædicandi, quod de vno eodemque sermone si breuiter prædicare voluerit, plures poterit prædicationes assumere. Ad laudem scilicet illius & gloriam, in cuius manu sumus, vt in libr. Sapien. cap. 7. dicitur, nos & sermones nostri: qui cùm sit Dominus vitæ & mortis, nos in vita per gratiam dirigat, & ad gloriā post mortem perducat, qui viuit & regnat Deus in sæcula benedictus, & super sidera gloriosus. Amen.

Explicatum est procemium venerabilis patris fratris Ioannis de S. Geminiano, in sermones suos funebres, siue de mortuis.

DISTINCTIO PRIMA,

CONTINENS SERMONES SEPTEM DE MVNDI Contemptu & præſentis vitæ.

SERMO I.

De breuitate humanæ vitæ.



REVES dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt: cōſtituiſti terminos eius qui præterire non poterunt, Iob 14.

A Diuina ſcriptura humano more loquens, quædam eorum quæ ſunt, dicit habere dies æternos, ſicut ea quæ ſemper fuerunt, ſunt & erunt. Et huiuſmodi dicimus omnia, quæ pertinent ad diuinam naturam. Propterea de filio Dei, & æterna eius generatione dicitur Michæ. *Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis*: qui
Mich. 5.
videlicet dies ſicut nunquam inceperunt, ita & nunquam deficient. Dicuntur autem dies à dyan, quod eſt claritas, quia ſcilicet in æternitate Dei non eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio. Quædam alia ſunt, quę dicuntur habere dies longos, ſicut ſpiritualia, qui ex quo inceperunt, nunquam deficient. Vnde Prouer. *Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.* Vbi manifeſtè oſtenditur, quod ſicut per ſiniſtram intelliguntur temporalia, vt diuitiæ & gloria mundi, ita per dexteram intelligūtur bona ſpiritualia, quæ ſcilicet nunquam deficiunt. Et idcirco longitudinem dierum dicit eſſe in eis. Quædam verò ſunt,
Prou. 3.
quæ dicuntur habere dies breues vel paucos, ſicut ſunt naturalia quædā corporalia. Quia igitur in homine eſt & vita ſpiritualis ex gratia, & vita etiam corporalis ex natura, hinc eſt quod homini quandoque promittūtur dies lōgi ex gratia: & quandoque dicuntur dies eius breues ex natura. De quo expreſſa figura habetur Iſaiæ 38. vbi dicitur quod in diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem. Et venit ad eum Iſaias filius Amos Propheta dicens: Diſpone domui tuæ quia morieris tu, & non viues. Sed poſt orationem eius & lachrymas ſubditur quod Iſaias iterum dixit ei: *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos.* Et iſtud fuit de gratia. Sic ergo ex natura vel ex culpa habere debebat dies breuiores, ſed habuit ex gratia dies longiores. Beatus ergo Iob loquens de homine in verbis propoſitis, ſecundum vitam naturalem & corporalem, ipſius dies dicit eſſe breues. *Breues* (inquit) *dies hominis ſunt, &c.* In quibus verbis tria oſtendit de vita hominis corporali.
Iſa 38.

Primò deſcribit eam vt notabiliter decurtatam; *quia breues dies, &c.*

Secundò inſinuat ſtabiliter mēſuratam; *quia numerus menſium, &c.* id eſt, ſtabilitus & certus.

Tertiò eam oſtendit immutabiliter

biliter limitatam; *quia constituisti terminos eius, &c.*

B OSTENDITVR ergo primò humana vita notabiliter breuiata seu decurtata: cum dicit, *Breues dies, &c.* Cuius quidem ratio est, quia ante peccatum primorũ parentum, ſicut dicit Aug. lib. de. q. veteris & noui teſtamẽti: Deus hominem fecit, qui quamdiu nõ peccaret immortalitate vigeret, vt ipſe ſibi auctor eſſet ſiue ad vitã, ſiue ad mortem. Non autem corpus hominis erat indiſſolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo exiſtentem, ſe inerat animæ vis quædam ſupernaturaliter data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſeruare, quamdiu ipſa Deo ſubiecta manſiſſet Et hoc fuit rationabiliter factum, quia ipſa anima rationalis excedit proportionem materiæ corporalis. Conueniens igitur fuit, vt à principio virtus ei daretur, per quam corpus conſeruare poſſet ſupra naturam materiæ corporalis. Sed poſtea propter peccatum talis virtus ſupernaturalis homini ſubtracta eſt, & relictum eſt corpus eius ſuæ naturæ mortali. Et propterea Apoſtolus
Rom. 5. dicit Roman. Per peccatum intrauit mors; per quam ſcilicet vita hominis quæ ſemper manere potuiſſet, breuiata fuit & decurtata. Et ex hoc proculdubio accidit, quod vt verba propoſita dicunt: *Breues dies hominis ſunt.*

C In quo profecto, homini peccanti miſericorditer, & vtiliter eſt prouiſum. Miſericorditer quidem, vt aduerſa quibus vita humana frequenter in præſenti percutitur, conſiderata vitæ breuitate facilius tolerentur Nam ſicut dicit Tullius: Omnia breuia tolerabilia eſſe debent, etiamſi magna ſint. Et hinc eſt quod perſecutionis vltimæ, quæ futura eſſe dicitur tempore Antichriſti, in quâ mala & aduerſa abundabunt vehementiſſimè: vt electi nõ deficiant, dies breuiabuntur, ſecundum illud Matthæi: *Erit tunc tribulatio* mundi *magna, qualis non fuit ab initio vſque modo: neque fiet. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Mat. 24. Ex qua etiam nunc miſericorditer accidit quod Deus quoſdam, nimia calamitate oppreſſos, per mortem feſtinet ſubtrahere. Narrat enim Valerius Maximus lib. 2. cap. 6. quod in ciuitate Marſilienſium tenebatur antiquitus in cuſtodia publica venenum quoddam cicuta temperatum, quod abſumere vt ſibi mortem inferrent licebat, vel iis qui eſsẽt in nimia aduerſitate, vel qui vixiſſent & eſſent in multum magna proſperitate. Primi quidẽ faciebant, vt per mortem aduerſitatem finirent. Secundi verò ne ante mortem proſperitatẽ amitterent, & in calamitatem inciderent. Erant tamen poſiti iudices ad iudicandum ſuper hoc. Et iſta cõſuetudo proceſſit à Græcis. Sed tamen quia nõ licet homini propter quamcunque aduerſitatem occidere ſeipſum; Sancti & fideles viri propter quaſcunque calamitates, quas habeant, non ſibi mortem inferunt, licèt aliquando optent mortem, & petant à Deo eam ſibi dari: ſicut Helias anguſtiatus petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam,* 3. Reg. 19. 3. Re. 19 Item in hoc quod dies hominis ſunt breues prouiſum eſt vtilitati eius: vt videlicet proſpera & delectabilia mundi, quæ animam ligant ne ad cœleſtia tendat, ex ipſa vitæ breuitate deſpiciat, conſiderando ſcilicet illud Iob 20. Iob. 20. *Hoc ſcio à principio ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum breuis ſit: & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit*

vsque cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit quasi sterquilinium in fine perdetur. Et qui viderant eum dicent. Vbi est?

D Sed notandum, quod dies hominis dicuntur esse breues ratione paucitatis, ex eo scilicet quod paucis diebus vita humana protenditur. Sunt enim quædam viuentia quorum vita longissimo tempore durat, sicut plantæ, vel animalia quædam. Nam cerui vt
Plin. dicit Plinius nunquam patiuntur febrem, & diutissimè viuunt. Vnde & quidam cerui Alexandri viui capti sunt per centum annos post mortem eius, habentes adhuc annulos aureos, quos eis Alexander fecerat innecti. De palma
Aristo. autem Aristot. refert in libro de causis longitudinis & breuitatis vitæ quod viuit quingẽtis annis. Vnde huiusmodi tandiu viuẽtia, dicuntur viuere per multos dies, sicut ponitur exemplum de ipsa
Iob 29. palma Iob 29. *Sicut palma* (inquit) *multiplicabo dies.* Sed homo natus de muliere, breui viuens tempore, dicitur habere dies breues, id
Iob 10. est paucos, secũdùm illud, *Paucitas dierum meorum finietur breui.*

E In quibus quidem verbis, de tẽpore humanæ vitæ tres conditiones tanguntur.

Prima quidẽ, quia est valde modicũ ideo vocatur paucitas dierũ.

Secunda est, quia habens terminum, ideo dicitur finietur.

Tertio est, quia valde curtum, ideo dicitur breui, scilicet spatio temporis.

¶ Sed circa primum attendendũ est, quod licet illi, qui perveniunt ad decrepitam ætatem, dicantur in rei veritate habere plurimos dies, sicut dicitur 3. Re-
3. Re. 1. gum 1. *Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies.* Nihilominus ex duobus contingit quod etiam plurimi dies temporis videantur hominibus pauci. Quandoque enim contingit ex vehementi passione: quandoque verò ex cõparatione. Ex passione quidẽ & præcipuè amoris: Nam quãdo aliquis ex vehemẽti amore afficitur ad aliquã rẽ, propter quam assequendam, oporteat eũ multis diebus laborare, illi multi dies laboris sibi vidẽtur pauci ad tolerandum, propter vehementiam amoris, & sic amatoribus cælestis gloriæ, plurunque ex vehementia affectus, etiam magnum tempus, quo eos oportet affligi, vt illam assequantur, videtur esse modicum & punctale. Sciunt enim quod in paucis vexati in multis bene disponentur, Vnde 1. Pet. 1. 1. Pet. 1
Modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus. De hoc autem habetur figura Genes. 29. vbi Gen. 29
dicitur, quod *seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine.* Nam Rachel, quæ interpretatur videns principium, vitam æternã significat, quæ in Dei visione cõsistit, qui est primum principium omniũ. Cuius amore Iacob, electus scilicet quilibet, de quo dicitur in Psal. *Quoniam Iacob elegit* Psal. 13
Dominus, pro ea assequenda Dei seruituti se subiecit, in qua quãtocunque dierum spacio laboret & affligatur, dies tamen ei pauci videntur præ magnitudine amoris illius. Nam sicut dicit beatus Augusti. *Omnia sæua & immania,* Augu.
tolerabilia & prope nulla efficit amor.

Quandoque verò contingit, F
quod multi dicuntur esse pauci, vel parui, ex aliorum cõparatione, sicut illi qui fuerunt post primam ætatem mundi, scilicet post diluuium, seu in principio mundi. Et propterea Iacob Genes. 47. Gen. 47
interrogatus à Pharaone: *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? Respõdit: Dies peregrinationis vitæ meæ centum viginti annorum sunt parui & mali; & non peruenerunt vs-*

que

que ad dies Patrum meorum. Vbi primò aduerte quod loquens de vita sua tãquam de vita humana, vocauit eã peregrinationẽ, quia scilicet solius hominis, dum viuit, proprium est peregrinari seu peregrè proficisci. Angeli enim non peregrinantur neque peregrè proficiscuntur, quia termino sunt coniuncti, scilicet Deo. Nec beati, cum non sunt in via, sed in patria, quæ est terminus viæ. Dãnati verò non possunt, quia sunt perpetuo exilio relegati. Bruta verò non possunt, quia totum bonum eorũ est in appetitu sensitiuo, qui inferiùs terminatur, vnde totum bonum eorũ est hic inferius. Et ideo solus homo viator est & peregrinus inter omnes creaturas, quia non est vltimo fini coniũctus, siue bono siue malo. Propter quod viatori homini dici potest, tanquam toti humanæ naturæ hìc inferius existenti. *Tu solus peregrinus es in Hierusalem*, id est vt tendat in Hierusalẽ, quæ interpretatur visio pacis, quia tũc in vidẽdo Deum appetitus pacificabitur. Secundò nota, quod Iacob dies suos dicit fuisse malos, siue propter euentum malorum, quæ sibi in eis acciderant, siue etiam propter peccata, quæ homo viuens in eis quotidie perpetrat. Tertiò dies suos dixit fuisse paruos, non respectu sui, quia cẽtum & viginti annis vixerat, sed potius respectu patrum antiquorum, ad quorum dies nondum peruenerat: Nam illorum antiquorum patrum, qui fuerunt saltem ante diluuium, quasi nullus legitur in scriptura, qui nõ vixerit vltra septingentos annos, vt habetur Gene. vbi plures eorum vltra nongẽtos annos vixisse referuntur. Et ideo Iacob dixit, quod dies sui respectu illorum, erant parui. id est pauci.

Gen. 5

G Secundò ostenditur in auctoritate inducta, quod vita humana est habens terminum. Et ideo dicit finietur, scilicet morte. Et hic finis, scilicet mortis, est multum præuidendus & formidãdus. Nã quãdo est aliquod periculum vbi pauci periclitantur, & multi etiã euadunt, non est mirum si homines audaces & fortes, non timeant, nec præuideant sibi. Sed quãdo est talis passus, per quem nullus transit quin dimittat robam, id est rem, seu vestem & pellem, tunc est stultitia magna si non prouideat sibi vt transeat tutus. Ita certè, si finis noster esset talis, quod aliquis per vim, vel per pacem posset euadere, nõ esset mirum quod homo curaret non de fine. Sed est talis passus, quẽ nullus potest euadere, vnde iste est finis omnium, scilicet mors. Quæ sic habet potentiam in Anglia, sicut in Francia, sic in senibus, sicut in iuuenibus, sic in pauperibus, sicut in diuitibus. Et frequẽtius occiditur porcus pinguis, quã macer. Sic moritur bos, sicut vitulus, sic asinus, sicut asellus, & frequenter portat asina corium aselli ad forum. Et iuuenis portatur à parentibus & amicis ad sepulchrum. Licèt autem contra istum finem non possit homo sibi prouidere, vt possit ipsum euadere quoad corpus, debet tamen, & prudenter potest sibi, quoad animam prouidere, ne vadat ad perditionem, propter quod dicitur Petri. *Finis omnium appropinquauit*, scilicet mors. *Estote itaque prudentes, & vigilate.* Item iste finis est formidandus cum sit periculosus, est etiam incertus & propinquus. Videmus enim quod quando latro est in carcere adiudicatus morti, nunquam est securus, quia quandocunque audit ostiũ aperiri, credit quod debeat extrahi & duci ad suspendium. In hoc affliguntur miseri peccatores,

1. Pet. 4.

ttes, qui nolunt dimittere peccatum, quia sciunt quod quando anima exibit de corpore, tūc suspendetur in inferno, vnde Rom. 6. *Finis illorum mors est.*

H Tertiò quoque ostenditur in auctoritate inducta quod tempus humanę vitę est valde modicum, quia finietur in breui. Tēpus enim hominis ante mortem valde breue est. Aristot. autem in libr. de causis longitudinis & breuitatis vitæ, ponit tres causas breuitatis vitæ, non solum in homine, sed etiam in animalibus aliis. Et prima causa est nimius vsus veneris, quia emittit nutrimentum iam dispositum, vt cōuertatur in corpus. Propter quam causam dicit, quod passeres masculi parum viuunt, quia sunt nimis luxuriosi. Et è contrario castitas confert ad diutius viuendum, propter quod dicit, quod muli diutius viuunt quàm equi. Secūda causa est propter nimium exercitium laboris, quia labor excitat calidum, & facit ipsum exhalare simul cum humido. Et sic animalia exiccantur & infrigidantur, quod pertinet ad senectutem. Licet labor conferat habētibus humidum super fluum, & extraneum, & paucum calidum; quia tunc calor per laborem excitatus, consumit tale humidum. Tertia causa est propter defectum nutritionis. Et ista est causa accidentalis. Nam calor digerens, non inueniens nutrimentum, conuertit se super humidum subiectum sibi, & consumens ipsum, etiam per cōsequens & ipse deficit. Et sic per accidens consumit seipsum, sicut maior flamma consumens humidum, quod esset subiectum minoris flammæ, per accidens consumit etiam se. Quicunque igitur his tribus grauatur, potest dicere illud Iob. 17. *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur.* Et sic etiam est de vita spirituali, quia Veneris vsus indebitus est ex luxuria, labor inordinatus frequenter est ex auaritia, defectus spiritualis nutrimenti frequenter est ex accidia, quę retrahit à spiritualib operibus, quib. vita spiritualis nutritur. Sene. Generosos animos labor nutrit, à quo retrahit accidia. Vnde ista tria prędicta vitia spiritualiter faciunt deficere spiritualem vitam, & dies virtutum.

Aristo.

Iob 17.

I SECVNDO ostendit in auctoritate principali, quomodo vita humana est stabiliter mensurata; quia numerus mensium eius apud te est, scilicet tibi notus, & à te stabilitus, sicut numerus aliquorum dicitur esse apud eos, à quibus est stabilitus. Sed licèt talis numerus sit notus apud Deū, non tamen notus est homini hic viuenti. Nam sicut Deus quędam reseruauit suæ potentiæ, vt solus ipse possit ea facere, vt creare, miracula vera facere, & huiusmodi, Sic etiam quædam reseruauit suæ scientiæ, vt ipse solus sciat, sicut sibi soli cognitus est electorū numerus in superna fœlicitate locandus. Item sicut dies futuri iudicii. Vnde Dominus dicit Matt. 24. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Nec propterea excluditur filius quia, quæcunque nouit Pater, nouit & Filius. Nec obstat quod dicitur Mar. 13. quod *de die illa vel hora nemo scit, neq; Angeli autē in cœlo neque filius, nisi Pater,* quia dicitur filius illud nescire, in quantum scire illud non fecit. Posset tamen Deus si vellet ista reuelare. Et simile est de fine, id est de morte hominis, quia horā, & modum mortis futuræ vniuscuiusque hominis, Deus scit. Homo autem mortis suæ tēpus, nec numerum dierum vitæ suæ scit, nisi Deus ei reuelet. Quod considerans Dauid, à Deo sibi reuelari pete-

Senec.

Mat. 24.

Mar. 13.

Psal. 58. petebat dicens Psalm. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.* In quibus quidem verbis de tribus à Deo certificari petebat.

Primo de mortis suæ qualitate, cùm dicit: *Notum fac mihi Domine finem meum.*

Secundo de vitæ quantitate, cũ subdit: *Et numerum dierum meorum quis est.*

Tertiò de sui defectus necessitate: cùm dicit: *Ut sciam quid desit mihi.*

¶ Circa primum attendendum est, quod homo de fine suo, & de morte, habet quadruplicẽ ignorãtiam. Quia de morte sunt quatuor sibi ignota, scilicet status, tẽpus, locus, & modus. Status, quia nescit homo in quo statu morietur, bono scilicet an malo. Et qualem mors inueniet, talem in perpetuum stabiliet hominem. Item tempus, quia nescit homo qua hora moriturus sit. Et ideo omnis hora debet esse ei suspecta, vt semper sit paratus, sicut seruus expectans Dominum, & nesciens qua hora debeat venire. Auis quando videt arcum tensum, & sagittam paratam, nõ differt auolare. Et sic homo cũ sagitta mortis, id est Dei hora sit parata, debet volare ad pœnitentiam, & non facere sicut auis stulta, quæ differt auolare quousque sit percussa, & tunc nõ potest. Et sic qui non conuertitur ante mortem, postea non poterit. Tertio est ignota quoad locum, quia nescit in quo loco mori debeat, siue in terra siue in mari, siue in flumine, propter quod dicit Seneca. *Mors mihi insidiatur in omni loco, mors vbique te expectat, tu quod si sapiens fueris, vbique eam expectabis.* Quarto autem est ignotus mortis modus, quia nescit homo vtrũ morte naturali, an violenta moriturus sit, id est, vtrum mori debeat senio, an ægritudine: & si ægritudine, an ægritudine febris, an apostematis, an alia, vel vtrum debeat mori gladio, an suspendio, an combustione ignis, an submersione aquæ, an quauis alia morte, propter quod dicitur Ecclesiast. *Nescit homo finem suum,* id est, in quo statu, vel tempore, vel loco, vel modo finire debeat dies suos. Aliquando tamen Deo specialiter volente, vel concedente reuelatur homini finis vitæ suæ per aliquem spiritum angelicum, vel humanum apparentẽ, sicuti apparuit Sauli Samuel, qui iam mortuus fuerat, & resuscitatus per phitonissam, & reuelauit ei finem suum, sicut patet Eccli. 46. vbi de Samuele loquẽs dicit: *Post hoc dormiuit. Et notũ fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ. Et exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem Gentis.* Et sicut dicit Augustin. in epistola ad Simplicianum. Illa suscitatio Samuelis non absurdè potest intelligi esse facta miro modo, vt scilicet non dominante arte magica vel potentia, sed potius dispositione Dei occulta, quę & phitonissam & Samuelem forte latuerit, se ostenderet spiritus iusti Samuelis defuncti aspectibus Saulis Regis viuentis, diuina sententia dicens eum à Deo percussum esse. Alio modo, vt non verè spiritus iusti Samuelis à requie sua fuerit excitatus, sed per operationem dæmonis aliquod fantasma, vel visio, illusiove imaginaria fuerit facta, quam scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari. Et si obiiciatur, quia dæmones nesciunt futura cõtingentia. Dicendũ secundùm Augustinum lib. de cura pro mortuis agenda, quod Deus ad vtilitatem Ecclesiæ, non solùm vtitur bonis

Senec. Mat. 24. Mar. 13. Seneca. Eccle. 9. Eccl. 46. Augu. Augu.

Angelis & ministris; sed etiam malis, sicut patet de Balaam per quem Deus multa vera prædixit, cùm tamen esset diuinus & magnus, sicut habetur ibidem ca. 24.

Nu. 23.

L Secundo petebat Dauid certificari de vitæ suæ quantitate cùm dicebat: *Et numerum dierum meorum qui est*, supple notum fac mihi. Fuerunt autem quidam dicentes, quod numerus dierũ vitæ cuiuscunque hominis poterat sciri per astrologiam. Quia quantum est ex virtute cœlestium corporum, quantum est tempus profectus rei generatæ, tantum est tempus defectus eius, & è conuerso. Et hoc patet in illo pisce, qui dicitur ephymera, in quo tempus diei est tempus profectus eius, quia scilicet in spacio 24. horarum moritur, scilicet post diem & noctem, & simile dicunt esse in aliis. Vnde si periodus, id est mensura durationis profectus alicuius rei sunt 30. anni, totidem erunt anni defectus, & ita naturaliter viuet 40. annis tantùm. Causa autem, quare periodus vnius est maior vel minor quàm periodus alterius, est, quia non solus accessus vel recessus solis, & stellarum, facit periodũ, quia sic nullius vita protenderetur vltra annum, in quo sol accedit & recedit per 12. signa Zodiaci. Sed periodum facit relatio signi ascendẽtis super horizontem ad omnia alia signa & stellas in hora conceptus & natiuitatis rei: hoc enim modo periodus vnius est maior vel minor, secundũ effectus & fortitudines stellarum in signis positarum; quia planetæ cùm sunt in suis fortitudinibus, dant periodũ fortiorem. Et profectus rei computatur à primo signo ascendente vsque ad 7. signum eiusdẽ circuli, & à 7. vsque ad primũ cõputarũt defectus. Et ideo septimum signũ dicitur domus mortis, & ascendens domus vitæ, & sic tempus profectus & defectus æquantur. Et sic dicunt, quod qui sciret vires planetarum in hora natiuitatis alicuius, prænosticaret de tota vita eius. Sed istud quod dicunt non est necessitatis, imò frequenter talis prænosticatio inuenitur falsa, eo quod potest multipliciter impediri, scilicet propter inæqualitatem materiæ, id est, propter accidentia dietæ, scilicet cibi, vel per mortem violentam, & alia huiusmodi. Ideò diuersimode moriuntur homines, citius vel tardius, quam per naturam depẽdentem à cælo mortales sint. Itẽ notandũ quod scriptura videtur alicui determinare numerũ dierum vitæ hominis, dicens Eccli. *Numerus dierum vitæ hominis vt multum centum anni*. Sed tamen ex hoc dicto non notificatur numerus dierum cuiuscunque hominis particularis, quia licet quidam peruenerint ad ætatem centum annorum, sicut Genesis dixit Sara de Abraham: *Putásne centenario nascetur filius?* Tamen non omnes, sed pauciores perueniunt ad illam ætatẽ. Sed quidam reperiuntur, qui etiam centenarium trãscendunt. Sed vult scriptura dicere, quod si qui homines ad hunc numerum dierum peruenerunt, certè multum est, licèt in conspectu Dei, & in comparatione æternitatis eius, quasi nihil sit, vel exiguum quid. Et ideo pro appetitu æternæ vitæ videtur Sãctis viris vita ista præsens exigua, & tædiosa, secundum illud Sapi. *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ*.

Eccl. 18

Gen. 17.

Sap. 2.

M Tertio in auctoritate inducta petebat etiam Dauid habere notitiam de sui defectus necessitate, cùm addidit, *Vt sciam quid desit mihi*. Glossa, id est, quantum desit de pœnitentia peragenda ad plenam satisfactionem & remissionem

nem peccatorum. Hoc enim esset vtile scire vt suppleretur hic, quia post hanc vitam quicquid minus fuerit satisfactum, supplebitur in ignis purgatorij pœna. De cuius magnitudine dicit Augustinus in quodam sermone, quod quamuis non sit æternus; tamẽ durior erit quam quicquid in hoc seculo pœnarum, aut sentire, aut videre, aut cogitare quis potest. Et ideo deberent pœnitentes in hac vita multum conari ad plenam satisfactionem, vt non oporteret postea illa pœna cruciari. Et quia præcipuè per eleemosynas fit satisfactio, & peccatorum remissio, dixit Dominus cuidam iuueni diuiti Luc. 18. *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Sed notandum quod generaliter loquẽdo, ad hoc quod aliquid non desit alicui, oportet quod habeat omnia. Tunc autem habet omnia, quando habet illum, in quo continẽtur omnia, scilicet Christum Deũ. Et ideo illo habito per gratiam, habentur in illo omnia quę expediunt saluti humanæ, ita vt nihil desit. Et hinc est quod exeuntibus ex hac vita, datur pro viatico ipse Christus sub sacramento, vt nihil desit in vita, & in transitu mortis. Vnde dixit Apostolus Paulus. *In omnibus diuites facti estis in illo*, id est, in Christo. Et subditur. Ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.

Aug.

Luc. 18.

1. Co. 13.

N TERTIO in auctoritate principali ostenditur vita humana immutabiliter limitata siue terminata, cùm dicitur: *Constituisti terminos eius qui præterire non poterũt*, scilicet in plus, nec in minus, vt exponit sanctus Tho. de Aquino. Dicit autem cõstituisti terminos eius scilicet hominis. Quoniam vita humana habet terminos naturales, casuales, & prouidẽtiales. Termini naturales sunt ex naturali complexione, & sunt varii, quia secundùm varias cõplexiones hominum, quidam citius, & quidam tardius moriuntur. Sed casuales termini sunt ex fortuitu accidente, & isti sunt quasi infiniti, quia quasi ex infinitis casibus & accidentibus contingere potest, quod homines moriantur, & terminetur vita eorũ. Sed prouidentiales termini sunt ex diuinæ prouidentiæ dispositione, & isti sunt finiti, quia scilicet vita humana nec vlterius protẽdi potest, nec etiam citius deficere, quã sit ex diuina dispositione, stabilitum, & determinatũ. Psal. *Terminum posuisti quem non transgredientur.* Sed notandum, quòd in morte vita hominis peccatoris terminatur in magna amaritudine, siue ex eo quod derelinquit, scilicet mundum, siue ex eo ad quod tendit, scilicet infernum, siue ex eo quod metuit, scilicet diuinum iudicium. Vnde Iosue. Mare magnum, id est amaritudo magna terminus eius, sed iustus moriens habet duos terminos gloriosos & firmos, id est æternos. Vnum in glorificatione animæ, scilicet post mortem; alium in glorificatione corporis in resurrectione. Propter quod dicitur Prouerb. *Domum superborum demolietur Dominus, & firmos faciet terminos viduæ*, scilicet in æterna gloria. Ad quam nos perducat Deus, &c.

Ps. 103.

Iosu. 15.

Prou. 15.

SERMO II.

De multiplici defectu humanæ vitæ.

HOMO *natus de muliere, &c.* vsq; *& adducere eum tecum in indicium*, Iob 14. Sicut homo bonum non diligit, nisi aliqualiter cognoscat, quia inuisa diligere possumus, incognita nequaquam, vt dicit August. sic nec malum vitat aut spernit, nisi cognoscendo

Augu.

cendo aduertat. Et hinc est quod vitam æternam, quæ summum bonum est, sicut homo hic debiliter agnoscit, ita & debiliter diligit. Consimiliter ergo vitam mundi, quæ miserrima est & maligna, ideo non spernit, quia eius miserias & angustias non attendit. Sicut si aliquis in rosario aspiceret intantum ad rosas, quod non attenderet spinas, & ideo magis pungeretur. Vnde beatus Iob vt hanc vitam despiciamus, & de eius amissione per mortem minus doleamus generales ipsius miserias describit nobis in verbis propositis dicens: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, &c.* In quibus verbis vitam humanam tripliciter describit.

Primo quantum ad sui principium, ostendit quod ipsa est debilis & fastidiosa, cum dicit: *Homo natus, &c.*

Secundo quantum ad medium, ostendit quod est flebilis, & calamitosa, quia *breui viuens tempore, &c.*

Tertio quantum ad exitum est terribilis & formidolosa, cùm additur: *Et dignum ducis, &c.*

A DICO ergo quòd primum ostenditur humanæ vitæ principiũ esse debile & putridum, quia homo natus de muliere, quæ est res fragilis & debilis. Et concipitur ex eius menstruali materia, quæ est putrida, & abominabilis Et dixerunt quidã hoc propter peccatum primorum parentum homini euenire, quia in statu innocentiæ, si homo non peccasset, nõ fuisset generatio hominis ex viro & muliere. Vnde Grego Nezianzenus in libr. quem fecit de homine dicit, quod in paradiso aliter fuisset multiplicatum genus humanum, sicut multiplicati sunt Angeli absque concubitu, per operationem diuinæ virtutis. Et dicit quod Deus ante peccatũ fecit masculum & fœminam, respiciens ad modum generationis qui futurus erat post peccatum, cuius ipse erat præscius. Sed hoc dictum, sicut dicit sanctus Thomas, non rationablie est: quia ea quæ sunt naturalia homini, non subtrahuntur, neque dantur homini per peccatum. Manifestum est autem quod homini secundũ animalem vitam quam habebat, etiam ante peccatum, naturale est generari ex viro & muliere. Nam in omni generatione naturali requiritur virtus actiua & passiua Vnde cùm in omnibus in quibus est distinctio sexus, virtus actiua sit in mare, virtus verò passiua in fœmina; naturalis ordo exigit vt coniungantur masculus & fœmina. Et ideo etiamsi homo non peccasset fuisset generatio hominis ex viro & muliere. Et ideo Gene. 2. legitur fuisse facta mulier in adiutorium; sed non ad aliud, nisi ad generationem; quia ad quodlibet aliud opus, conuenientius adiuuari potuisset per virum, quàm per mulierem. Sed non fuisset in statu innocentiæ deformitas inordinatæ concupiscentiæ, quæ nunc est in actu generationis, quia inferiores vires omnino rationi subdebantur, sicut dicit B. Aug. 14. de ciuit. Dei. Et ideo nõ ex culpa, sed potius ex animali natura, conuenit homini quod sit natus ex principio fragili, scilicet ex muliere; & etiã ex materia corruptioni & putredini apta, ex eo quod corruptio vnius est generatio alterius. Et ideo nõ est mirum si vita humani corporis, ex tali generata principio, fragilitatem & immundiciam habeat, & de hac fragilitate & immundicia humani principii dicitur Iob 25. *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo? Aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna*

Greg. Naz.

Gen. 2.

Augu.

Iob 25.

luna etiam non splendet , & stella non sunt mundæ in conspectu eius , quanto magis homo putredo , & filius hominis vermis?

B In quibus quidem verbis exprimuntur quinque humanæ & fragilis vitæ defectus.

Primus , quia est ad malum procliuis & iniusta , ideo dicit: *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo ?*

Secundus , quia est coinquinabilis & impura ; ideo dicit, *aut apparere mundus.*

Tertius , quia est fragilis & infirma, ideo additur: *Natus de muliere?*

Quartus quia est eclipsabilis & obscura;propter quod subiunxit: *Ecce luna etiam non splendet,&c.*

Quintus verò est , quia est putrefactibilis & corrupta; ideo dicit : *Quanto magis homo putredo? &c.*

¶ Primo ergò ostenditur humamana vita esse procliuis ad malum, & iniusta , cùm dicitur: *Nunquid potest homo, &c.* Iustitia enim humana in duobus deficit à iustitia diuina. Primo,quia tanta est rectitudo diuinæ iustitiæ,quod nullo modo potest flecti ad malum. Sed homo è contrario est flexibilis ad malum. Nam sicut Gene.8. dicitur Gen. 8. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Secundo, quia tāta est diuinæ iustitiæ virtus , quod nullo modo potest deficere à bono. Sed homo è contrario difficilis est ad bonum. Et propterea nō est qui faciat bonum non est vsq; ad vnum, scilicet Christū Deum Et propter ista duo cōtingit,quod humana iustititia diuinæ iustitiæ comparata,iniustitia videtur , sicut baculus qui ad oculum videtur rectus, appositus ad rectissimam regulam videtur curuus. Et hinc est quod etiam sancti viri timent venire ad regulam, & ad rectitudinem diuini iudicij. Quia sicut dicit August. loquens Deo. Augu. *Væ etiam laudabili vitæ hominum , si remota misericordia discutias eam* , scilicet ex sola iustitia : ideo dicit Psal. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Ps.142. *Si ergo iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt*, 1. Pet. 4. quasi dicat. 1.Pet.4. Si ille qui fuit iustus, id est, purus sibi , & innocens aliis , vix saluabitur in conspectu diuini iudicij,ille,qui fuit impius aliis , vt raptor vsurarius , vel homicida, vel huiusmodi,vbi parebit, scilicet impunè. Omnis enim locus, & omnis creatura cōtra eum erit.

Secundò,cùm dicit beatus Iob, C *Aut apparere mundus* , vult ostendere, quod vita humana est coinquinabilis & immunda , scilicet inquinamento & immundicia peccati. Et hoc dupliciter,scilicet respectu Dei & respectu sui. Respectu Dei sunt immūdi etiam illi qui videntur sancti. Nam frequenter pānus, qui oculo hominis intuentis ipsum solum videtur albus: si ponatur iuxta rem albissimā videtur niger & immundus. Sic est de mundicitia cuiuscunque hominis respectu diuinæ puritatis. Vnde Isa.64. *Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* Isa 64. Quia omnis puritas siue corporalis, siue spiritualis , nihil est respectu puritatis diuinæ: & ideo dicit Iob 15. Ecce inter sanctos Iob 15. eius nemo immutabilis , & cœli non sunt mundi in conspectu eius , quanto magis abominabilis & inutilis homo ? Ex quo patet, quod nec spiritualis munditia Sanctorū, id est Angelorū , vt exponit sanctus Thomas,nec mun- D. Tho. ditia corporalis cœlorum,est aliquid respectu diuinæ puritatis. Nam cœlum habet materiam , & Angeli,& Sancti habuerūt à principio saltem, possibilitatem ad

culpam, quæ quidem in Deo non est, vnde est omnino mundus ab impuritate materiæ, & ab impuritate culpæ. Sed homo est abominabilis propter corruptionem mali, & inutilis propter defectũ boni.

D Tertiò, cùm dicitur in auctoritate inducta, *Natus de muliere*, vult ostendere, quod vita humana est fragilis & infirma. Et ratio est, quia vnumquodque principatũ, sapit naturam sui principij. Sed principium ex quo nascitur homo, est fragile & debile, quia nascitur ex muliere. Et iterum est putridum, & abominabile, quia nascitur ex menstruo. Ioan. *Quod natum est ex carne caro est*, scilicet fragilis & putrefactibilis. Et inde est quod corpus hominis est valde fragile & debile. Vnde Boëtius: Porrò si corpus spectes, quid imbecillius homine reperire queas, quem sæpe morsus interfecit muscularum? Augetur etiã debilitas generationis hominis, eo quod viri & mulieres hodie in nimis tenera & debili ætate quãdoque contrahunt matrimoniũ, & ideo generant filios debiles, & parum viuentes. Propter quod dicit Aristot. quod mulier quæ nubit debet esse perfectæ ætatis, & virtutis, scilicet 18. annorum. Vir autem vt sit perfectæ virtutis ad generandum filios, debet habere duplũ tempus, videlicet 26. annos, vt ipse dicit, tunc generarent filios fortes & vtiles. Et ideo in prima ætate mundi tardè filios genuisse legũtur, sicut patet Gen. 5. vbi legitur quod Seth post cẽtum quinque annos ætatis, genuit Enos, ante quem non legitur aliũ genuisse, sed postea plures. Et vixit Enos nongẽtis quinque annis, Seth verò nongentis duodecim annis. Enos post 90. annos genuit Cainã, & post plures: & Cainan cœpit generare post septuaginta annos ætatis: tunc enim genuit Malalehel, & vixit postquam genuit octingentis 40. annis genuitque filios & filias, & facti sunt omnes dies Cainã nongẽti decem anni, & mortuus est. Et simile habetur ibidẽ de multis aliis. Sed Christi Ecclesia magis attendens ad ætatem animæ quàm corporis, & magis curans de salute animæ quàm de duratione vitæ corporalis, ordinauit quod tempus matrimonii possit esse in ætate dilectionis & pubertatis, sicut est in puella 12. annorum, & in masculo 14. quia tunc communiter incipit ratio vtriusque vigere, & incipiunt insurgere motus, & stimuli carnis. Propter quod non vxorati frequenter incidunt in peccata carnis.

Ioan. 3. — Boëtius — Aristo. — Gene. 5.

E Est autem aduertendum quod in natis ex muliere inuenitur triplex malum. Primum est infectionis subiecti, ratione scilicet horribilis, vtpote originalis peccati. Cùm enim duplex sit natiuitas, scilicet in vtero, & ex vtero, Quantum ad primam natiuitatẽ, scilicet in vtero, solus Christus natus est sine infectione originalis peccati. Luc 1. dixit Angelus Virgini Mariæ: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Sed quod quidam alii sancti ex speciali priuilegio gratiæ, fuerunt sanctificati in vtero, & à peccato originali gratiæ, in quo fuerunt concepti, tales quantum ad secundam natiuitatem ex vtero, nati sunt sine peccato, sicut legitur de Hieremia Propheta, & de beata virgine Maria. Etiam tenet Ecclesia de beato Iohanne Baptista, qui Spiritu sancto repletus fuit ex vtero matris suæ, vt dicitur Luc. 1. Et de quo etiam Dominus Matth. 11. dicit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Secundò quidam ex mulieribus nati subduntur priuationi,

Luc. 1. — Mat. 11.

tioni, & istud est secundum malum. Cuiusmodi sunt illigitimè nati, vt sunt nati quorum quidam sunt illegitimi & naturales, vt nati ex simplici fornicatione. Alii illegitimi nõ naturales, sicut spurii, ex adulterio nati vel stupro. Omnes enim sic illegitimi priuati sunt legitimis actibus, quia nõ admittuntur ad officia, vel dignitates, quæ requirunt quandam honestatem in illis qui hæc exercent. Item sunt priuati successionibus, quia non succedunt in hæreditate paterna. Naturales tamẽ filii succedere possunt in sexta parte, spurii autem in nulla parte. quamuis de iure naturali parentes eis in necessariis prouidere teneantur. Vnde pertinet ad solicitudinẽ Episcopi, vt vtrosque parentes cogat ad hac vt eis prouideant. Talium ergo spuriorum generatio, vocatur natio iniqua
Sap.3. Sapi. 3. vbi dicitur, *Filij adulterorum consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longa vita erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum.* Et sequitur: *Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.* Tertium malum est, quia quidam ex mulieribus nati sunt obnoxii subiectioni, scilicet seruitutis, sicut ille qui nascitur ex serua muliere, seruus est: quia scilicet secundùm leges humanas partus sequitur ventrem. Et hoc rationabiliter, quia filius habet à patre complementum formale, sed à matre substantiam corporis. Seruitus autem corporalis conditio est, cùm seruus sit quasi instrumentum Domini in operãdo. Et ideo proles in libertate & seruitute sequitur matrem. Sed in his quæ pertinent ad dignitatem scilicet quæ est forma rei, sequitur patrem, sicut in honoribus & municipiis, & hæreditate, & aliis huiusmodi. Et huic concordant Canones, & lex Moysi, vt patet Exodi 21, quamuis in quibusdam locis de consuetudine aliud seruetur, sed nõ irrationabiliter. Figura huius rei habetur in Ismaële, qui fuit natus de ancilla, id est de serua. *Qui de ancilla secundum carnem natus est.* De qua postea Gala. 4.
subdit: *In seruitutem generans, quæ est Agar.*

F Quartus defectus humanæ naturæ & vitæ est, scilicet quia est eclipsabilis & obscura. Et tangitur cùm dicitur in auctoritate superius inducta. *Et luna non splendet in conspectu eius, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* Per lunam enim intelligitur natura humana, quia habet lumen scientiæ cũ defectu ignorantiæ vel obliuionis, & cum vmbra alicuius obscuritatis, sicut patet de fide. Sed per stellas intelliguntur Angeli, cum lumine scientiæ creati, quia scientes creati sunt, quod tamen habent à sole, id est à Deo. Vnde
Apoc. 1. *Septem stellæ Angeli sunt.* Apo. 1.
Luna ergo in conspectu eius, id est Dei non splendet, quia scilicet in conspectu charitatis diuini iudicij, omnis humanæ scientiæ splendor sunt tenebræ. Vnde coram Deo iudicante tacebunt, & nihil valebunt sillogismi logicorum, persuasiones rhetorum, rationes Philosophorum, & omnes etiam allegationes aduocatorũ.
Et tunc etiam sicut dicit Hieron. Hieron.
adducetur & stultus Plato cũ suis discipulis, Aristotili argumenta
non proderunt. Vnde Mar. 13. *Luna non dabit splendorẽ suum.* Sequitur: Mar. 13
Et stellæ, id est Angeli non sunt mundi, à peccato, scilicet vel errore. Quia licèt à principio fuerint creati cum lumine scientiæ & gratiæ, tamen quidã eorũ peccauerũt. Et propterea dicitur Iob
4. *In Angelis suis reperit prauitatem.* Iob 4.
Et sic à vero lumine auersi obtenebrati sunt. Iob. 3. *Obtenebrentur* Iob 3.

stella caligine eius, scilicet pecati.

G Quintus humanæ vitę defectus, scilicet quod est putrefactibilis & immunda ostenditur, cùm dicitur: *Homo putredo & filius hominis vermis.* Homo enim dicitur putredo propter tria. Primò quidē, quia ex putredine generatur, siue quantum ad id quod cōcurrit ad generationem ex parte patris, vt est semen, siue quantum ad illud, quod est ex parte matris, vt est menstrualis materia, quorum vtrunque est putrefactioni propin-
Iob 17. quum. Vnde Iob 17. *Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, &c.* Secundò dicitur homo putredo, quia viuēs putredine repletur, siue putredine infirmitatum, siue putredine ferculi, ex nutrimēto-
Iob 7. rum superfluitatibus. Iob: *Induta est caro mea putredine.* Tertiò dicitur putredo, quia corpus eius per mortem in putredinem resolui-
Iob 13. tur. Iob: *Quasi putredo consumendus sum.* Sequitur & subditur. *Et filius hominis vermis*, quia scilicet vermis ex putredine generatur. Si ergo filius hominis ex homine generatur, & homo est putredo, & vermis generatur ex putredine, sequitur quod filius hominis sit vermis. Vnde corpus hominis & viuens à vermibus comeditur, & post mortem etiā vermibus ope-
Isa. 14. ritur, secundùm illud Isa. *Subter te sternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* Ita vt possit ex persona mortui veraciter dici illud
Psal. 21. Psal. *Ego autem sum vermis, & non homo, &c.*

H SECVNDO principaliter in iisdem verbis includuntur quinque pertinentia ad humanæ vitæ calamitatem & miseriam.

Primum est ipsius vitæ modicitas, cùm dicitur: *Breui viuēs tempore.*

Secundum est multiplex ipsius calamitas, quia *repletur multis miserijs.*

Tertiū est ipsius fragilitas, quia *quasi flos egreditur & conteritur.*

Quartum est ipsius vanitas, quia *fugit velut vmbra.*

Quintum est ipsius mutabilitas, quia *nunquam in eodem statu permanet.*

¶ Primò ergo ponitur humanæ vitæ modicitas, quia *breui viuens tempore.* Notādum est enim quod non solùm tempus, quo homo viuit, sed etiam totum tempus dicitur esse breue. Licèt enim Philosophus ponat primum motum esse sempiternum, & per consequens etiàm tempus, quod est mensura ipsius: tamen veritas fidei tenet, quod motus cœli cessabit, scilicet post diem iudicij, & per consequens tempus amplius non erit, secundum illud Apocal. Apo. 10.
10. *Iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in eo sunt: & terram, & ea quæ in ea sunt: & mare, & ea quæ in eo sunt, quia tempus non erit amplius.* Vnde tempus sicuti habuit initium, ita habebit & finē. Et quia breue est omne quod fine clauditur, vt dicit Augu. Sequitur quod totum tempus sit breue. 1. Corin. 7. *Tempus breue est*, & præcipuè respectu ęternitatis, quę infinita est, & tota simul absque successione, vel motu. Vnde cùm totum tempus sit finitum, sequitur quod sit quasi momentum respectu æternitatis. Vnde Psalm. *Mile anni* Psal. 89.
ante oculos tuos, quorum scilicet intuitus est æternus & vnicus, *Tanquam dies hesterna quæ præterijt.* Cùm ergo tempus, quo quisque homo viuit, sit parua portio temporis totius, sequitur quod tempus humanæ vitæ multo magis debeat dici breue. Assignatur autem triplex ratio à quibusdam, quare Deus vult hominē viuere breui tempore. Primò quidem ad puniendam culpam. Nam in humana natura vt ipsi dicunt, sicut

aug-

augmentata est culpa, ita decurtata est vita. Nam in prima ætate mundi, videlicet ante diluuium, quia nondum erat peccatũ multiplicatum vt postea fuit, homines diuitissimè viuebant. Nam vt
Gen. 5. habetur Genes. Adam vixit nongentis triginta annis. Malalehel, qui fuit diu postea, in eadem ętate vixit octingentis 95. Lamech, qui fuit pater Noë, & quasi finis illius primæ ætatis, vixit septingentis 77. annis. Tempore autem Noë, quia peccatum erat nimis multiplicatum, volens Deus amplius abbreuiare tẽpus humanæ
Gen. 6. vitæ, dicit ad Noë: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntq́ dies illorum centum viginti annorum.* Diu autem postea, scilicet tempore Dauid, quia multùm increuerat idolatria & alia peccata, adhuc magis breuiata est vita hominis, ita
Psal. 89. vt diceret Dauid: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, &c.*
Iob 17. Iob: *Dies mei breuiabuntur, & spiritus meus attenuabitur.* Quanto enim peccatum in humana natura magis augmentatur, tantò spiritus, id est spiritualis vita magis attenuatur, scilicet deiiciẽdo, & ad punitionem culpæ secundũ augmẽtũ eius dies humanæ vitæ breuiantur. Sed S. Thomas dicit, quod ista decurtatio humanæ vitæ non est propter augmentum peccati, aut propter debilitatem naturæ, quia nunc non minori tempore viuunt homines, quàm tempore Dauid. Sed illa diuturnitas vitæ fuit à principio à diuina virtute, vt genus humanum multiplicaretur. Secunda ratio ponitur propter finiendam miseriam. Nam si homo est in magna miseria, bonum est ei quod vita bre-
Eccl. 30 uietur, quia *melior est mors quàm vita amara*, vt dicitur Eccl. Et ideò etiam sancti viri, videntes quod *exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ*, vt dicitur Sapien. Sap. 2. Optant exire de vita, siue de corpore mortali, sicut Paulus: *Desiderium habens dissolui.* Phil. 1. Et Roman. dicebat Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Et Propheta Ps. 119. Dauid: *Heu me quia incolatus meus prolongatus est.* Si verò homo sit in vitæ prosperitate, adhuc potest in miseriam cadere, quia est secundum Boëtium summum infęlicitatis genus, aliquando fuisse fælicem. Sicut refert Valerius Maximus li. 6. cap. 11. Valer. Max. de Polycrate Samiorum tyranno, quamdiu vixit in magna fælicitate, quia fuit cõspicuus abundantissimis bonis, quia omnes conatus eius prosperum processum & exitum habebant. Spes eius de re quam cuperet nunquã frustrabatur, quod omnia vota sua, statim vt exprimebat ea, implebãtur, quod velle & posse æque erãt in eo, semel tantùm, & ad breue tempus passus est aliquod damnum, quando scilicet minimum annulum, sibi valdè gratum, ex industria proiecit in mare, ne scilicet omnis intus incommodi expers esset, sed continuò recuperauit ipsum, capto pisce qui vorauerat illum. Et tamen post tantam vitæ fælicitatem, ignominiosam mortem recepit, quia in summitate Myrelenensis montis ab Oronthe præfecto Regis Darij fuit crucifixus. Et tandiu stetit in cruce, quod mẽbra eius omnia, tabido cruore manantia, putrida facta sunt. Vndè quidam antiquorũ elegerunt sponte mori, venenum bibendo sani, aut propter aduersitatem quam habebant, aut quam timebant. Sed viri sancti non inferunt sibi mortem propter tædium vitæ, quantumcunque calamitosæ. Sed vt dicit August. Augus. habent vitam in patientia, & mortem in desiderio. Deus autem ex

sua singulari gratia,quãdoq;quosdam festinè subtrahit ex hac vita,ne à sua bonitate recedant, & in miseriam & malitia peccati corruant. Et ideò dicitur Sap.
Sap.4. *Raptus est ne malitia mutaret intel lectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Etpaulo post: *Consumatus in breui expleuit tẽpora multa. Placita enim erat Deo anima illius. Propter hoc festinauit educere illum de medio iniquitatum.* Tertia ratio breuitatis vitæ hominis ponitur propter reprimendã superbiam,quia homines propter modicam potestatẽ in superbiã eleuantur. Ad quam superbiã reprimendã, præcipuè eos qui sunt in maiori potestate,facit breui tempore viuere, sicut patet in Alexãdro magno, qui breui tẽpore vixit in dominij sui potestate,secũdùm illud:
1.Ma.1. Regnauit Alexander duodecim annis,& post hæc decidit in lectũ, & cognouit quia moriretur. Vndè etiã summi Pontifices,qui sunt in summa potentia spirituali & temporali, communiter videmus quod non multo tempore viuunt. Ideo dicitur
Eccl. 10 Eccl. *Omnis potentatus breuis vita.*

I Secundò describitur humanæ vitæ multiplex calamitas.quia repletur multis miseriis. Miseria enim importat defectum boni,& abundantiã mali. Vndè beatitudo Sanctorũ dicitur ab omni miseria esse immunis;quia habet carentiam omnis mali, & abundãtiam omnis boni. Vndè illi qui sunt in cælo,sunt totaliter beati, sed qui in inferno propter abundantiam malorum, & defectum bonorum, sicut omninò miseri. Nos qui in mundo viuimus,quia deficimus in multis bonis, & abundamus in multis malis; ideò
Psal.68. replemur multis miseriis. Psalm. *Improperium expectauit cor meum, & miseria.* Improperium propter defectum bonorum; Miseriam propter multitudinem malorũ. Sed aduertendũ, quod illi qui in vita ista minus habent de miseria, siue de defectu,sicut homines diuites, in alia vita futura habebunt plus de miseria. Et è contrario boni & patientes pauperes,vt patet in Lazaro paupere,& diuite epulone,cui dicit Abrahã:
Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, &c. Lue.16. Propterea Iacobi: Iaco 1.
Agite nunc diuites vlulantes,plorate in miserijs vestris, quæ superuenient vobis.

K Tertiò describitur hominis fragilitas: quia *quasi flos egreditur & conteritur.* Flos enim licèt cùm decore egrediatur, cum olore progrediatur,& gratiose colligatur,& cum honore in sertis ponatur; tamen finaliter & citò marcessit, & in terram cum despectu proiicitur. Sic homo quãuis habeat in pueritia pulchritudinis decorem, in iuuentute aliquando bonæ famæ odorem, & quandoque in virilitate gratiosam conuersationem,& quandoque etiam ponatur in alicuius dignitatis honore;citò tamẽ post mortem marcessit,& in terræ humilitate tanquam quid despectum absconditur. Egreditur ergo vt flos nascendo,& conteritur moriendo. Vndè Pet. *Omnis caro* 1.Pet. 1.
fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Psalm. *Manè sicut herba* Psal. 89.
trãseat: manè floreat & trãseat, &c.

L Quartò describitur humanæ vitę vanitas;quia dicitur: *Fugit velut vmbra.* Vmbra enim est insequentium fugitiua, & fugientium se insecutiua. Et sic est de vita humana. Illi enim fugiunt vmbrã, id est vitam,qui mori desiderant. Sed illi sequuntur eam,qui mori fugiunt, & viuere cupiunt. Frequenter autem accidit, quod illi qui plus mori desiderant,diutius viuant,secundùm illud Apoc. Apo. 9.
Desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.

ris. Et è contra illi qui plus viuere cupiunt, citius moriuntur. Propterea dicitur Sap. *Vmbra trãsitus est tempus nostrum*. Psal. *Dies mei sicut umbra declinauerunt*. Sap. 2. Ps. 101.

M Quintò ponitur humanæ vitæ instabilitas; quia *nunquam in eodẽ statu permanet*. Nam sicut fluuius continuè decurrit ad mare, nec aliqua hora desistit; sic vita hominis continuè ad mortem. Et est subiecta humani corporis cõtinuæ varietati. Et hæc varietas aliquando est in homine ex causa interiori, aliquãdo ex exteriori. Ex interiori quidem aliquãdo ex causa spirituali, sicut ex accidentibus animæ. Nam aliam dispositionem habet homo quando est iratus, quia in ira mouetur calor ab interiori parte ad superficiem exteriorem cum impetu. Et aliam habet homo dispositionem, quando est amans, aut concupiscens, quia tales passiones ad se caliditatem contrahunt & cælant. Et aliam dispositionem habet timens, vel territus, vel angustiatus; quia trahunt hæ passiones ad se impetuosè calorem. Et aliam etiam habet homo dispositionem quando est tristis, quia tristitia commouet naturalem virtutem intus & extra. Quandoque verò accidit varietas in homine ex causa intrinseca corporali, puta ex humore, vel cholera, vel sanguine, vel phlegmate; vnde variæ ægritudines in corpore generantur, & eorum contemperamentum efficit sanitatem. Aliquando verò accidit varietas corporalis in homine ex causis exterioribus, siue ex varietate temporum, siue ex varietate ætatum, siue ex varietate aëris & locorũ, siue ex varietate somni & vigiliarum, siue ex varietate ocij & exercitiorum, siue ex varietate repletionum & exinanitionum. Hæc omnia si moderata sint quãtitate, qualitate, opere, tempore, & ordine, faciunt ad custodiam sanitatis, scilicet si contrarium fuerit, accidunt infirmitates. Nihilominus siue in sanitate, siue in ægretudine, tanta est varietas vt dicit Philosophus, quod non est eadem sanitas in homine vespere, quæ fuit manè. Iob: *Innitetur super domum suã*, scilicet corporis, quod non est vt domus animæ, *& non stabit*, supple in eodem statu permanens. Sed post resurrectionem gloriosum manebit corpus, & vita hominis semper in eodem statu, quia erunt corpora gloriosa sicut stellæ in perpetuas æternitates. Iob. 8.

N TERTIO In auctoritate principali ostenditur vita hominis quantum ad exitum, scilicet mortis, esse terribilis & formidola, scilicet propter iudicium. Vnde dicit: *Et dignum ducis*, exigente supple iustitia tua, *super huiuscemodi*, scilicet hominem, *aperire oculos tuos*, scilicet eius facta omnia denudando & manifestando, sicut in aspectu solis latebræ illustrantur. Hebræor. *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius*. Boëtius: *Magna est vobis, si dissimulare non vultis, indictæ probitatis necessitas, cùm omnia agatis ante oculos iudicis cuncta cernentis*. Sequitur: *Et adducere eum tecum in iudicium*, scilicet disceptando, vt cùm dicet illud Matth. *Esuriui enim & non dedistis mihi manducare*, &c. in iudicium, scilicet retributionis Ecclesiastes: *Cuncta quæ sunt adducet Deus in iudicium pro omni errato siue bonum siue malum sit*. Et tunc sicut dicitur Ioann. *Ibunt qui bona egerunt in resurrectionem vitæ*, supple æternæ. Ad quam nos perducat æquissimus & iustissimus iudex Iesus. Amen. Hebr. 4. Boëtius Mat. 25. Eccl. 12. Ioan. 5.

SERMO III.

De vanitate & mutabilitate humanæ vitæ.

HOMO vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt, Psalm. 134.

Naturaliter videmus quod vna magna infirmitas, in tantũ quandoque immutat corpus & faciẽ, quod persona quæ erat pinguis & pulchra, efficitur macilẽta & deformis, ita vt quasi amisisse videatur imaginem vel effigiem pristinã. Et talis infirmitas est in anima peccatum; quia ita transmutat animam & faciem eius, id est conscientiam, quod illa quæ erat pinguis, id est plena pinguedine gratiæ, & colorata colore virtutũ, eis per peccatum amissis efficitur turpis, & macilenta, & discolorata, & quasi in aliam imaginem & similitudinem transmutata. Et de hoc habetur figura in Nabuchodonosor Rege, super quem, propter peccata sua, venit sententia Dei, ita vt cor eius ab humano commutaretur, & daretur ei cor feræ, id est bestiæ, quia scilicet videbatur ei, quod ipse haberet figuram & imaginem sicut vnius bestiæ monstruosæ, scilicet vt in parte anteriori esset factus sicut bos, & in posteriori sicut leo, vnde dicitur ibidem quod sermo, id est sententia, *completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.* Vbi attende malas mutationes, quas facit peccatum mortale in homine. Nam primò ab hominibus eiicitur, id est à viris iustis, qui sunt vera membra Ecclesiæ separatur, quia scilicet tollit ei charitatem, quæ vnit membra Ecclesiæ. Secundò vt bos fœno vescitur, quia per luxuriæ vitium & gulæ, carnalibus delectationibus pascitur. *Nam omnis caro fœnum,* vt dicitur Isa. Tertiò rore cæli inficitur i. suggestione diaboli decipitur, qui facit eũ in tantum errare, vt bona videantur ei mala, & mala bona. Quartò semper in capillis, id est in cogitationibus & ambitionibus augetur. Quintò per rapacitatem auaritiæ, vngues quasi rapaciũ auium habere videtur, & sic patet quomodo homo per peccatum, quasi in aliam figurã seu effigiem spiritualiter immutatur. Et ista etiam facta est in homine, id est in humana natura, deformis & pessima mutatio, per peccatum primorũ parentum, quia homo, qui creatus fuerat similis veritati, id est Deo, qui est prima & pura veritas, factus est per peccatum similis vanitati, & hoc est quod dicitur in verbo proposito. *Homo vanitati similis factus est,* scilicet per peccatum, qui primò vt dicit glo. similis erat veritati. In quibus quidem verbis hominis, per peccatum corrupti, conditio ex tribus declaratur.

Dan. 4.

Isa. 40.

Primò quidem ex materiæ vilitate, cùm dicitur: *Homo.*

Secundò ex culpæ mutabilitate, cùm subditur: *Vanitati similis factus est.*

Tertiò ex vitæ instabilitate, quia, *dies eius sicut vmbra prætereunt.*

A Innuitur ergo primò vtilitas materiæ, de qua secundùm corpus homo formatus est, in eo quod dicitur homo, quia homo dicitur ab humo, id est à terra humida, de quo, scilicet primò à Deo corpus primi hominis est formatũ. Licèt enim homo creatus & formatus sit à nobilissimo artifice Deo, tamen corpus hominis formatũ fuisse dicitur de vili & infima materia, scilicet de limo terræ, vt per hoc inducatur homo

ad

ad cordis humilitatẽ. Deus enim sicut dicit Apostolus, temperauit, quia ex vna parte dedit ei nobilissimam formam, scilicet animam rationalem, per quam etiã præfertur cælesti corpori; inquãtum cæleste corpus est inanimatum. Et ideo etiam supra cœlum locabitur, ex gloria animæ eius post resurrectionem. Sed ex alia parte Deus fecit hominem de vilissima materia, scilicet de terra, vt ex nobilitate animæ spretis infimis, ad superna tendat, & ex vilitate corporis ab humilitate non recedat. Et ideò dicitur Gen.

Gen. 2. *Formauit Deus hominem de limo terra.* In quibus verbis tria considerare debemus.

Primò artificis bonitatem, quia *formauit Deus.*

Secundò operis proprietatem, quia *hominem.*

Tertiò materiæ vilitatem, quia *de limo terra.*

Circa primũ attendendum est, quod cùm omne agens agat sibi simile, & Deus bonus sit, imò sũmè bonus, non potest ab eo procedere vel formari opus nisi bonũ. Vnde dicitur Gen. *Vidit Deus cuncta qua fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. & hoc est contra illos hæreticos, qui dixerunt corpus hominis, vel quodcunque aliud corpus esse malum. Origines autem, licèt diceret corpus hominis esse formatum à vero, & bono Deo, tamen posuit ipsum, & omnem naturam corporalem esse malam, & à Deo creatam, non quia bona sit, sed in pœnam creauræ spiritualis. Posuit enim Origines non solùm animam primi hominis, sed etiam animas omnium hominum ante corpora simul cũ Angelis creatas. Propter hoc quod credidit omnes spirituales substãtias, tam Angelos quàm animas, esse æquales secũdum naturæ suæ conditionem; sed solùm distare merito, vt quædam earum corporibus alligentur, quæ sunt animæ hominum vel cælestium corporum, quædam verò in sua puritate, secundũ diuersos ordines remaneãt Et sic quod anima sit immissa corpori, secundùm eũ, fuit in pœnam eius. Sed ista positio est erronia, quia contrariatur sacræ scripturæ, quæ enarrata productione cuiuslibet speciei creatæ, subiungit: *Vidit Deus quod esset bonum,* quasi dicat quod vnumquodque ideò factum est, quia bonũ est ipsum esse & fore, sed secundùm Originem, creatura corporalis est facta, non quia bonum sit ipsam esse, sed in pœnam alterius. Et ita patet quod contrariatur sacræ scripturę. Item contrariatur veræ philosophiæ Arist. secundùm cuius opinionem, impossibile videtur animã esse ante corpus, vel è contra, quia secũdùm eum anima vnitur corpori vt forma, & est naturaliter pars humanæ naturæ; & manifestũ est, quod Deus primo eas instituit in perfecto statu naturæ suæ, secundùm quod vniuscuiusque rei species exigebat. Anima autem, cùm sit pars humanæ naturæ, non habet naturaliter perfectionem, nisi secundum quod est corpori vnita. Vnde non fuisset conueniens animam sine corpore creari. Et ideò cum dicitur: *Formauit Deus hominem*, intelligitur, vt dicũt quidam, productio corporis simul cũ anima. Vndè quod postea subdit scriptura. *Spirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, est expositiuũ eius quod dixit, *Formauit*, quia per spiraculum vitæ intelligitur anima, quæ forma corporis est, Et dicitur spirare, spiritum facere. Et quia facies hominis est id, in quo operationes vitæ magis manifestantur, propter sensus ibi existẽtes, propterea in faciem hominis dicitur esse spiratum spiraculum

Orig.

Aristo.

 vitæ

vitæ. Sic ergo, quia corpus hominis fuit à Deo productum, & anima informatum, patet quod corpus non in malum animæ, sed in bonum suum sibi est iunctum. Et hinc est quod creauit, id est formauit hominē, id est corpus hominis de terra. Eccli. *Deus de terra creauit hominem*, quia terra est elementum fructiferum, vt per hoc ipsum daretur intelligi, quod corpus non in malum, sed in fructū & vtilitatem animæ datum est. (Eccl. 17.) Acquirit enim anima cognitionis augmentum, per sensus corporis, & etiam meriti, per corporis actus. Sed sicut terra non fructificat bona sine cultura & custodia; ita nec terra corporis animæ sine cultura pœnitentiæ vel boni operis, & sine custodia rationis vel temperantiæ. Sed primus homo tale corpus habebat antequā peccaret, quod erat animæ non solū ad auxilium, sed etiam ad solatiū, quia tale corpus dederat Deus ei, vt esset obtemperans sine rebellione, esset propagabile sine libidine, esset vegetabile sine mortalitate, esset cōplexionabile quantum ad proportionē æqualem, esset etiam animæ cōforme, vt sicut anima erat innocens, & tamen poterat peccare; sic corpus taliter esset impassibile, quod tamen posset mortalitatem incurrere. Et ideò poterat mori, & non mori: poterat habere sufficientiam & indigentiam: poterat obtemperare & rebellare; & hoc fuit ratione defectiuæ naturæ ex nihilo creatæ. nec per gloriā gratiamque confirmatæ. De dicta ergò formatione hominis dicitur Sap. *Hæc*, scilicet sapientia, *illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo.* (Sap. 10.)

C Secundò debemus in auctoritate inducta cōsiderare operis proprietatem, quia formauit, id est produxit, hominem, id est partē hominis, quæ est corpus, sub forma sua, quæ est anima, quam scilicet creando infudit, & infundēdo creauit. Sed de homine notandum, quod secundus Philosophus interrogatus ab Adriano Imperatore quid esset homo, talem descriptionem dedit: Homo quid est, mancipium mortis, hospes loci, viator transiēs? Vbi breuiter tangit tr'a, quæ pertinēt ad vitam hominis corporalem. Primò corruptionis necessitatē, propter quam dicitur mancipium, id est seruus mortis, quam videlicet seruitutē mortis, id est moriendi necessitatem, nullus effugere potest. Vnde Ps. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* Hanc etiam moriendi necessitatem incurrit homo propter tres causas. (Psal. 88.) Vna est ex parte naturæ, quia scilicet omnis homo ex ipsa natura corporis est mortalis Propter quod dicit Sen. quod mors est homini natura non pœna Nam omne compositum ex contrariis necesse est resolui & corrumpi, sicut sunt corpora mixta, quæ constant ex quatuor elementis, quæ non habent eandem virtutem, sed cōtrarias qualitates, & ideo sunt causa corruptionis illis, quę ex eis constant. (Seneca) Corpus autem humanū est corpus mixtum ex quatuor elementis contrariis, quare oportet ipsum necessariò corrūpi per mortē. Secūda ratio est ex parte culpæ, quia sicut dicit Apostolus: *Per vnum hominē peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* (Rom. 5) Vnde sicut peccatum, ita & mors regnat in omnes. Licèt enim homo, vt dictum est, esset ex natura mortalis: tamen Deus dederat ei ex gratia remedium, quo poterat non mori, si non peccasset. Et hoc remedium erat ex tribus. Primò secundùm August. in (Aug.) q. ve-

q. veteris & noui testamenti, ex diuina gratia, virtutē animæ cōferente, per quam posset corpus à corruptione seruare, quādiu ipsi Deo subiecta mansisset. Secūdò ex esu ligni vitæ virtutem speciei conseruante, & senectutem prohibente. Et ideo Aug. 14. de ciuitate Dei cap. 26. dicit, quod cibus aderat homini ne esuriret; potus ne sitiret; lignum autē vitæ ne illum senectus dissolueret. Tertiò ex esu aliorum pomorum in deperditionem humedi radicalis à calido restituente. Sed peccato superueniente huiusmodi remediis, quæ erant ex gratia, est priuatus, & suæ naturæ mortali derelictus. Tertia causa necessitatis mortis est ex parte diuinæ iustitiæ. Nam sicut nos videmus, quod in ciuitatibus fiunt statuta & leges municipales quibus postea ciues iudicātur à rectoribus ciuitatis; ita Deus mundo dedit statuta & leges suas, quę suam iustitiam continent, secundū quas homines ab eo iudicantur. Inter quæ statuta vnum est generale & immobile, scilicet statutum de morte, de quo Apostolus Paulus dicit: *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autē iudicium.* Vbi aduerte quod est statutū ita generale, quod nullus homo ab ipso eximitur. Vndè ab eo eximi non potuerunt, neque Alexander per suam potentiam, imò *decidit in lectulū, & cognouit quia moreretur*, Machab. Neq; Salomon vel alius quicumque Philosophus propter suam sapientiā *quia moritur doctus similiter vt indoctus*, Eccle. Neque Samson propter fortitudinem nimiam: imò dixit cùm se occidit, *Moriatur anima mea cum Philistiim*, Iudic. Neque diues epulo propter abundātiam suam, imò *mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Vnde nullus homo cuiuscunque conditionis aut status fuerit, eximitur à morte; ideo dicit Ps. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* Et secundùm istud statutum omnis homo iudicabitur, quia qualisquisq; hinc egreditur, talis in iudicio præsentatur, vt Grego. dicit. Ergo vt dicit Eccl. *Ante iudicium para iustitiam*, scilicet in vita ante mortem, vt videlicet, ad modum citati ad iudicium, instrumenta tecum habeas, id est pœnitentiæ partes, vt testes pro te deponentes inuenias, & conscientiæ bonæ attestationes, aduocatum sapientem tecum ducas, scilicet Christum, suscipiēdo ipsum dignè & purè in fine communicando, & sic inuenies propitiationem. Insuper dicit secundus Philosophus in supradicta responsione, quod homo est hospes loci, in quo voluit ostendere durationis breuitatem, quia sicut hospes manet paruo tempore in hospitij loco, ita quoque modico tempore viuit homo in mundo. Vnde Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, &c.* Et Eccli. *Transi hospes*, quasi dicat, Non hîc sistas, quia hîc non est patria, sed via. Vndè dicitur, quod patres primæ ætatis nolebant ædificare domos, sed habitabant sub arboribus; quia videbatur eis quod modico tempore haberent hîc viuere, cùm tamē respectu nostri diutiissime viuerent, quidem vltra septingentos, & quidam vltra 900. annos. Heb. *Confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram: qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.* Item dicit dictus Philosophus, quod homo est viator transiens. Stultus autē esset ille viator, qui haberet facere longam viam in modico tempore, si ad quolibet hospitium vellet declinare ad manendū ibi. Hic viator est homo, qui habet facere longam viam, secundū illud

Margin notes: August. — Psal. 88. — Seneca — Heb. 9. — 1. Mac. 1 — Rom. 5 — Eccle. 2. — Iudi. 16 — Luc. 16 — Augu. — Ps. 88. — Gregor. — Eccl. 18. — Iob. 14. — Eccl. 29 — Heb. 11.

Luc. 19. Luc. *Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum.* Nam competit nobilitati hominis, vt à temporalibus abeat in regionem lōginquam, vbi bona æterna sunt, tendant, vt regnū cælorum acquirat. Sed quādo infœlix homo ad istas creaturas declinat, vt in eis per affectū maneat, tunc est viator stultus. Hier.
Iere. 14. *Quasi viator declinans ad manendum.*

D Tertiò in auctoritate inducta cōsiderare debemus materiæ vilitatem, quia *formauit hominem de limo terræ.* Vbi aduerte, quod formauit Deus corpus hominis de limo terræ multiplici ratione. Primò ratione sensibilitatis, quia scriptura sacra, loquēs de principio productionis mundi, non facit mentionem nisi de illis elementis quæ magis percipiuntur sensu, scilicet de terra & aqua. Vnde quamuis corpus hominis compositum sit ex quatuor elementis, tamen vt ostendatur esse ex istis elemētis magis sensibilibus, dicit ipsum esse de limo terræ, in quo est mixtio aquæ & terræ. De aëre autem & igne nō facit scriptura mentionem; quia ipsa non percipiuntur à rudibus, quia ipsa scriptura à principio rudi populo tradebatur. In rei tamē veritate, corpus humanū ex omnibus quatuor constat elementis, scilicet terra, aqua, aëre, & igne; quorum virtutes & proprietates manifestantur in quatuor humoribus. Nā virtus ignis manifestatur in cholera, quæ ad modum ignis calida est & sicca. Virtus aquæ manifestatur in phlegmate, quod frigidum & humidū est. Sed aëris proprietas manifestatur in sanguine, qui calidus & humidus est. Sed terræ proprietatem tenet melancholia, quæ frigida & sicca est. Hæc autem quæ data sunt corpori, faciunt ad instructionem animæ, vt scilicet discat anima habere elemēta sua, scilicet prudentiæ claritatem pro aëre, temperantiæ mediocritatē pro aqua, iustitiæ puritatem pro igne, fortitudinis stabilitatē pro terra. Vel sicut alij dicunt, vt iru mens hominis pro igne, intellectus subtilitate: pro aëre, cōscientiæ puritate: pro aqua, ingenij volubilitate: pro terra, animi stabilitate. Debet etiam mens humana ad similitudinem corporis habere humores suos: vt pro sanguine vtatur dulcedine: pro cholera rubea amaritudine: pro cholera nigra, quæ melancholia dicitur cōtristatione: pro phlegmate mentis compositione. Dicunt enim physici sanguineos esse dulces: cholericos auaros, melancholicos tristes: & phlegmaticos corpore compositos. Vt sit dulcedo in cōtemplatione: amaritudo de peccati recordatione: tristitia pro cō- Psal. 68.
passione: compositio pro enendatione. Secūda ratio, quare corpus humanum dicitur de limo terræ formatum, plusquam de aliis elementis, est propter æqualitatem complexionis, propter quā in corpore hominis alia elementa minus abundant in compositione corporis humani, secūdùm substantiam. Nam corpus humanum inter omnia alia corpora est magis reductum ad medium, & ad æqualitatem complexionis. Et necessarium est, quia homo cognitionem animæ colligit à sensibus, quorum omnium fundamētum est sensus tactus, cuius organum oportet esse remotū à contrarietate qualitatiua elementorum quorum est perceptiuus, inquantū sc. potest per reductionē ad medium, & per æqualitatem complexionis, per quam est quasi in potētia ad extremitates dictarum qualitatum, vt possit esse ipsarum perceptiuum. Et ideò corpus

Sap. 1[...]

pus hominis oportet quod habeat æqualitatem complexionis. Ad quam constituendam, superiora elementa, scilicet ignis & aër, prædominantur in eo secundùm virtutē: quia vita præcipuè consistit in calido, quod est ignis, & humido, quod est aëris. Inferiora verò elementa, scilicet aqua & terra, abundant in ipso secundùm substantiam, aliàs non posset ibi esse dicta æqualitas mixtionis, nisi ipsa inferiora elementa, quæ sunt minoris virtutis, secundùm substantiam in ipso abundauerint. Et propterea dicitur corpus hominis de limo terræ formatum; quia limus, vt dictū est, terra est aquæ permixta, vt scilicet ex his anima discat, quod si ex terra corporis aliqua immunditia contrahitur, per aquam pœnitentiæ continuè abluatur. Vnde Psalm. postquam dixit: *Infixus sum in limo profundi*, scilicet per peccati coinquinationem, statim addidit. *Veni in altitudinem maris*, scilicet per ablutionem. Tertia ratio propter quam formatus dicitur homo de limo terræ, est propter conformitatem limosæ terræ ad hominem. Nam terra limosa est immunda. Et sic ipsum corpus de limo formatū, & cum libidine conceptum, inducit animæ peccati originalis coinquinationem. Item terra limosa est lubrica, & corpus ex ipso limo terræ formatum, inducit animæ peccandi lubricitatem, id est pronitatem & inclinationem, in quo proni sunt sensus hominis ab adolescentia sua ad malū. Item terra limosa est infectiua propter exhalationes corruptas, sicut patet in paludibus. Et sic corpus inficit animam multiplici passione. Et ex omnibus his habet homo humilitatis materiam. Et propter hoc dicitur Sapientiæ *Deus eduxit illum*, scilicet hominem de limo terræ. E

Psal. 68.

Sap. 10.

SECVNDO In auctoritate principali describitur cōditio hominis ex culpæ mutabilitate, quia *vanitati similis factus est*, supple, per peccatum. Et ratio est, quia vanum propriè dicitur, quod non pertingit ad finem suum, sicut medicina, quæ non valet ad sanitatem, dicitur data in vanū, quia scilicet sanitas est finis ad quem medicina datur. Finis autem propter quem homo conditus est, est vita æterna. Tob. *Vitam illam expectamus*, scilicet tanquam finē nostrum, quam Deus daturus est his, qui finē suam nunquam mutant ab eo. Sed ab isto fine assequēdo, impeditur homo per peccatum, quia nihil inquinatū peccato intrabit in illam, scilicet vitam beatam. Et ideò per peccatū efficitur homo similis vanitati, id est rei omninò inutili, quantum ad vltimum finem. Vnde homini in peccato viuenti, nihil quod facit valet ad illum finem consequendum. Sed iterum aduertendum est, quia vanitas plerumque in sacra scriptura pro mutabilitate accipitur, sicut patet Rom. vbi dicit Apostolus, quod *vanitati creatura subiecta est non volens*, id est mutabilitati, secundùm Glos. cùm omnis homo hîc viuens, sit subiectus mutabilitati secundùm omnes species motus, quæ sunt generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, & secundū locum mutatio & alteratio; ideò omnis homo hîc viuens dicitur esse vniuersa vanitas. Psalm. *Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuēs*, quia scilicet in omni homine hîc viuente, inuenitur omnis modus vanitatis, id est mutabilitatis.

Tob. 2.

Rom. 8.

Psal. 38.

Consueuit etiam distingui quadruplex modus vanitatis, in quibus comprehēdi videtur vniuersa vanitas mundi huius. Nam vt dicit Hugo de sancto Victore. F

Est vanitas
Mutabilitatis.
Mortalitatis.
Curiositatis.
Iniquitatis.

Vanitas mutabilitatis inuenitur in omnibus rebus naturalibus; quia sunt in eis mutationes cõtrariæ. Et illud quod per vnã mutationem proficit, per aliam mutationem cõtrariam inanescit, sicut quod acquiritur rei per generationẽ, inanescit per eius corruptionem. Et quod per augmentum proficit, per diminutionem contrariam deficit & inanescit. Et quod per vnam alterationem acquiritur, puta per calefactionem per aliam contrariam tollitur, scilicet per frigefactionẽ. Et similiter accidit in motu locali; quia sicut res per accessum ad locum connaturalem conualescit, si accidens ad locum contrariũ deficit. Vnde vapores aliqui, qui hîc inferius multiplicantur, ad regionem ignis vel ætheris ascendentes, deficiunt & consumuntur. Quia ergo huiusmodi vanitatis mutabilitatis cõtrarietas in omnibus corporibus naturalibus reperitur, quæ sunt sub
Eccl. 2. cælo ideò dicitur Eccl. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionẽ animi, & nihil permanere sub sole.* Vnde quia homo hîc viuẽs sub sole, multũ habet ne ista vanitate mutabilitatis, dicitur esse vniuersa vanitas, id est pertinere ad vniuersam vanitatem, quia scilicet participat illã vanitatẽ, id est mutabilitatem, quæ in vniuersis reperitur rebus sub sole. Sed aduertendũ est hîc, quod homo nõ solum secundũ vitam naturalem subiicitur huic vanitati, id est mutabilitati & contrarietati, sed etiam quodãmodo quoad vitam spiritualem. Quia sicut generatur per baptismi gratiã; ita corrũpitur per mortalẽ culpã, per quam scilicet inanescit omnis gratia, quæ est per baptismũ acquisita. Vnde ille, qui post baptismum se conseruat innocentem à peccato mortali, siue cordis siue operis, dicitur nõ accipere in vanũ animã suã, secundũ illud. Ps. *Innocens* Psal. 23.
manibus, & mũdo corde, qui non accepit in vano animã suam, &c. Hic accipiet benedictionẽ à Domino, & misericordiã à Deo salutari suo. Itẽ sicut vita spiritualis augetur per profectum bonorũ operũ, & perseuerantiã, ita immutatur & inanescit per ociositatẽ & negligentiam. Vndè in via Dei nõ progre- Bernar.
di regredi est, sicut Bern. dicit. Et ideo de ociosis & negligentibus Psal. 77.
dicitur in Ps. *Defecerũt in vanitate,* scilicet ociositatis, *dies eorũ.* Item sicut vita spiritualis, alteratur in bonum per pænitentiã: ita in malum per recidiuam in culpam, & tũc inanescit quicquid boni homo fecit, scilicet quantum ad ipsum. Sed tamẽ nõ propterea perditur, sed relinquitur aliis iustis. quamuis nõ laborauerint in illo,
Vndè dicitur Eccl. 2. *Homini otioso quæsita dimittit, & hoc ergo vanitas, & magnũ malum.* Similiter, Eccl. 2.
quantũ ad similitudinem motus localis, de quibusdam dicitur. Ps. Ps. 106.
quod *ascendũt vsque ad cælos, & descendũt vsque ad abyssos. Ascẽdũt ad cælos,* scilicet per superbiam se inaniter extollẽdo. sed *descendunt vsque ad abyssos,* scilicet in maximam abiectionẽ vel infernalem damnationẽ cadẽdo. Vnde dicere Neem. 1.
posũt illud Neem. *Vanitate,* supple superbiæ, *seducti sumus.* Secũda vanitas est mortalitatis, & hæc inuenitur in omnibus animalibus, quorum scilicet vita finaliter per mortem inanescit & deficit. Vndè hæc vanitas est in homine, quia est animal non solùm rationale, sed etiam mortale. Et ideò quantũ ad mortem corporis non differt homo ab animalibus cæteris. Vndè dicitur Eccl. *Sicut moritur* Eccle. 3.

ritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius. Cuncta scilicet animalia subiacent vanitati, id est mortalitati, quia quantum ad vitam istam, omnia inanescere facit, scilicet & fortitudinem, & pulchritudinem, & diuitias, & cætera temporalia omnia. Tertia est vanitas curiositatis, & ista specialiter inuenitur in hominibus, & hoc tripliciter. Primò quoad scientiæ studium, sicut quando per studium minus vtile retrahuntur à studio, quod eis de necessitate incumbit; sicut de quibusdam dicit Hieronymus: *Sacerdotes* (inquit) *dimissis Euangelijs & Prophetijs videmus comedias legere & amatoria Bucolicorum versuum verba cantare.* Item quando studet homo discere ab eo, à quo non licet: sicut patet de his qui aliqua futura à dæmonibus perquirunt, quæ est non solùm vana, sed etiam superstitiosa curiositas, de qua dicit Augustinus libro de vera religione: *Nescio an Philosophi impedirentur à fide, vitio curiositatis in perscrutandis dæmonibus.* Item quando appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei. Vndè etiam Augustinus dicit in libro de vera religione: In consideratione creaturarum non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper manentia faciendus. Item quando aliquis studet ad cognoscendum veritatem, supra proprij ingenij facultatem; quia per hoc homines de facili in errores labuntur. Vndè dicitur Ecclesiastici: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Sequitur: *Et in pluribus operibus eius non eris curiosus.* Et subdit *Multos enim supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.*

Hieron. — August. — August. — Eccli. 3.

Secundò inuenitur vanitas curiositatis in hominibus, quoad delectationem sensuum, sicut patet præcipuè in visu. Et hæc curiositas aspiciendi delectabilia non solùm frequenter est vana & inutilis, imò etiam est noxia, quia facit perdere tempus, & impedit etiam à melioribus. Vndè Augustinus in libro confessionum: *Canem currentem post leporem iam non specto, cùm in circo sit aut in agro, si casu transeam, abstrahit me fortaßis ab alia magna cogitatione, aut ad se conuertit illa venatio. Et nisi iam mihi demonstrata infirmitate mea citò amouear, vanus abscedo.* Et simile est de his qui diutius stant ad aspiciendum ludum cartarum, vel alearum, & similia. Sed maximè noxia est curiositas aspicientium mulieres ornatas & pulchras: quia *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*, Matth. Et etiam vana & nociua est curiositas in inspectione spectaculorum, inquantum per hanc homo fit pronus ad vitia, vel lasciuiæ, vel crudelitatis, per ea, quæ ibi repræsentantur. Vnde Ioannes Chrysostomus dicit, quod adulteris & inuerecundis constituuntur tales inspectiones. Item vana & vitiosa curiositas est, quod aliquis intendat ad consideranda vitia proximorum, ad despiciendum, vel detrahendum, vel saltem inutiliter inquietando. Augustinus: *Curiosum genus ad discutiendum vitia aliena, & desidiosum ad corrigendum sua.* De omnibus ergo talibus curiosis dici potest illud Hieremiæ capite secundo: *Ambulauerunt post vanitatem, & va-*

August. — Matt. 5. — Ioan. Chrys. — August. — Hier. 2.

ni

Ps. 118. *ni facti sunt.* Cōtra quod petebat Psalmista dicens: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Tertia vanitas curiositatis est circa cultum ornatus corporis, & curiosarum vestium, sicut faciunt mulieres vt appareant pulchriores, cùm tamen dicatur Prouer. *Fallax gratia & vana est pulchritudo.* Quarta vanitas est vanitas iniquitatis, quæ inuenitur in peccatoribus, siue in cogitationibus, secundū illud Ps. *Dominus scit cogitationes hominū quoniam vanæ sunt.* Siue in affectionibus, vt quando quis inordinatè diligit temporalia, quæ vana sunt. Quod patet, quia illud dicitur vanum, quod non præbet præmium laboranti, quod nō dat fulcimentum innitenti, & quod non præstat plenitudinem continenti. Et huiusmodi sunt temporalia, pro quibus acquirēdis multum laborat auarus, & tamē nullum bonum præmium assequitur ex eis. Et de hac vanitate dicitur Eccli. *Quid proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole creatus est? Cuncti dies eius laboribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit, & hoc nonne est vanitas?* Et iterum in eodem cap. 4. *Vnus est & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamē laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicēs: Cui laboro & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque est vanitas, & afflictio pessima.* Secundò vana sunt temporalia, quia non dant fulcimentum innitenti. Vnde Prou. *Qui confidit in diuitijs suis corruet.* Et ratio est, quia sicut dicit Greg. *Qui labēti innititur, necesse vt cum labente labatur.* Vndè temporalia decipiunt, quia eo tempore hominem deserunt, quo maximo indiget fulcimento. Psal. *Vt quid diligitis vanitatem* supple temporalium, *& quæritis mendacium*, scilicet deceptionis eorum, sicut decipitur dormiens in somno. Iob: *Diues cùm dormierit, nihil secum afferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Tertiò temporalia vana sunt, quia non præstant plenitudinem continenti, siue habenti ea. Vnde Eccl. *Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias fructum non capiet ex eis, & hoc ergo vanitas est.* Item vani sunt peccatores in suis locutionibus. Psalm. *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum.* Item habent vanitatem in suis operibus, secundùm illud Hierem. 51. *Opera eorū vana sunt, & risu digna.* Quia ergo omnes supradictæ vanitates reperiuntur in hominibus hic viuētibus, rectè Propheta dixit Psal. quod *vniuersa vanitas omnis homo viuens*, non quia in quolibet viuente sint vniuersæ vanitates, sed quia in omnibus, id est, inter omnes sunt vniuersæ vanitates.

Prou. 31
Psal. 93.
Eccli. 2.
Prou. 11
Gregor.
Psal. 4.
Iob. 27.
Eccle. 5.
Psal. 11.
Hier. 51.
Psal. 38.

TERTIO, in auctoritate principali describitur humana cōditio, ex instabilitate; cū dicitur: *Dies eius sicut vmbra prætereunt.* Notandum quod quantò dies est maior, tanto vmbra corporis est minor. Quod fit, quia tunc sol est in cęlo altior, & capitibus nostris proximior: vnde corpus minus lumini opponitur, & ita fit vmbra minor; & si sol supra nos directè esset, nulla vmbra penitus appareret. E cōtra autē quantò dies est minor, tantò fit vmbra maior. Quod fit, quia tunc sol est à nobis remotior; sicut quando est in Oriente, vel in Occidente. Sic etiā in hominibus accidit; quod quanto dies prosperitatis vel dignitatis est altior, tātò vmbra vitæ fit breuior, secundùm illud Eccl. *Omnis potētatus breuis vita.* Quod accidit vel ex inuidia ambitiosorum, quia plures inuident magnis quàm paruis, & ideò frequētius inuaduntur, & occidūtur ab æmulis,

Eccl. 10

æmulis. Vel ex immoderantia quia scilicet aliis immoderatius diuitiis perfruuntur, quib. abundare poscunt, propter quod citius infirmantur & moriuntur. Vel etiam hoc contingit ex diuina prouidentia, vt ostendat dignitates & potentias mundi plus esse contemnendas quàm appetendas, sicut dicit Petrus Rauennas de breui vita summorũ Pontificum, reddens rationem quare parum viuunt communiter, cùm sint in summo gradu dignitatis.
Sap. 2. Vndè tales præcipuè dicere possunt illud Sap. *Vmbra transitus est tempus nostrum.* E contrario autem quibus deficit dies prosperitatis temporalis, prolixior vmbra videtur. Et tales dicere possunt illud Hier. *Væ nobis, quia declinauit dies*
Hier. 6. *quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi.* Sed tam incessabilis & breuis est communiter humanæ vitæ decursus, quod omnes dicere pos-
Iob 8. sunt illud Iob: *Sicut vmbra dies nostri sunt super terram.* Sed tamen illi, qui benè & virtuosè vixerunt, cùm de ista vmbra exeũt, ad æternæ vitæ lucem, Domino
Iob 12. perducente, perueniunt, secũndùm illud, Iob: *Producit in lucem vmbram mortis.* Ad quam lucem nos perducat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Christus Iesus benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO IIII.

De calamitate humanæ vitæ, & præsentis sæculi.

ANtequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus, Iob. 3. Nullius sit melius deplorare, vel enarrare calamitates, vel dolores alicuius, quam sciat ipse qui sustinet. Et ratio est, quia ille scit melius, & efficacius aliqua enarrare, qui magis expertus est, illa. Ille enim qui solùm audiuit vel legit, & non per experientiam sensit, non ita plenè vel efficaciter narrat. Vndè dicitur Eccli. *Qui nauigant mare, enarrant* Eccl. 1.
pericula eius, scilicet tanquam experti de illis. Quia ergo beatus Iob expertus est maximas huius vitæ miserias, & dolores, optimè sciuit eas enarrare, sicut patet in verbis propositis; vbi enarrans amaritudines, & miserias proprias, totius tamen humanæ vitæ communes calamitates describit, cùm dicit: *Antequam comedam suspiro, &c.* Quod fecit ille Iob beatus, vt & nos huius vitæ miserias exẽplo suo patienter feramus, & vt de amissione tã calamitosæ vitæ minus doleamus. Ostendit ergo B. Iob, quod quantum ad se, pœna sua citò incipiebat, scilicet manè antequam comederet, & quod amaritudinem animæ suæ ingerebat, ideò dicit suspiro. Quia sicut risus est signum gaudij; sic suspirum est signum amaritudinis, sicut dicit Sãctus Thomas super loco isto Iob. Sed quia ista pena sua continuè augebatur, assimilauit eam aquæ inundanti. Et quia finaliter vehementissima erat, faciebat eum rugire. Et ideò dicit, sic rugitus meus.

Ostenditur ergo ex his verbis, quod præsens vita hominis ex tribus causis est multum calamitosa.

Primò propter defectum rei desideratæ, cùm dicitur, *Antequam comedam.*

Secundò propter affectum rei expectatæ; cum additur, *Suspiro.*

Tertiò propter recessum rei peramatæ; cum additur, *Et quasi inundantes aquæ.*

Circa primum notandum, quod sicut nos videmus, homo ieiunus, vel habens defectum cibi, antequam comedat fame cruciatur,

ciatur. Comestio autem totaliter in vita præsenti satiatiua non est. Vbi non satiatur oculis visu; nec auris impletur auditu, & vbi auarus non impletur pecunia. Erit autem in vita futura scilicet in gloria vitæ æternæ, secundùm il-
Psal.16. lud Psal. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Et ideo in vita ista præsenti, est homo quasi famelicus, & vt patiens sibi defectum. Cuius figura habetur in illo filio prodigo, qui existens in aliena regione egens, & famescens, & defectum sibi patiens, sicut patet
Luc. 15. Luc. Dixit intra se, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, &c.* Mercenarij isti sunt Sancti, qui pro adipiscenda mercede æterna multum laborauerunt, quia vnusquisque propriam mercedem accipiet secundũ suũ laborem. Et isti nunc existentes in domo patris, vbi mansiones multæ sunt, id est diuersi beatitudinis gradus, abundãt panibus, id est refectione & fruitione bono-
Luc.14. rum æternorum. Vndè Luc. dicitur: *Beatus vir qui manducabit panem in regno Dei.* Sed illi qui hîc viuunt, antequam ad illam refectionem perueniant, quasi fame perire dicũtur, quia scilicet desideriis æstuant, quæ minimè adim-
Osee 4. plentur, secundùm illud Ose. *Comedent, & non saturabuntur*, scilicet in præsenti Sed aduertendũ, quod licèt in præsenti vita non possit haberi refectio ad satietatẽ, quæ erit refectio gloriæ: haberi tamen potest refectio, quę est ad necessitatem, quæ est refectio gratiæ. Et in prima parte propositi thematis adhuc notantur duo. Quia primo ponitur præuentio necessitatis, cùm dicitur: *Antequam.* Secundò subditur refectio satietatis, cùm dicitur: *Comedam.* Refectio ergo gratiæ, quæ potest
Eccl.24 haberi in præsenti, licèt non totaliter satiet, quia *qui edunt me, adhuc esurient*, vt dicitur Eccli. 24. tamen benè reficit animã, quantum sufficit ad salutem. Et hæc refectio desideranda & procuranda est, antequam homo moriatur. Et ad hoc referri potest illud quod dicitur Luc. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Luc.22.

B

In quibus quidem verbis ostenditur, quod refectio spiritualis gratiæ, quæ nobis est necessaria in præsenti, quatuor requirit in nobis.

Primò exigit appetitus aviditatem, cùm dicit: *Desiderio desideraui.*

Secundò præsupponit puritatis sinceritatem, cùm dicit: *Hoc pascha,*

Tertiò requirit pietatis communitatem, cùm dicit, *Manducare vobiscum.*

Quartò expetit temporis celeritatem, ideò subiungit, *Antequã patiar*, id est moriar.

Requirit ergo primò appetitus auiditatem, id est, vt cum magna auiditate appetatur. Ad quod insinuandum ingeminat desideriũ dicens, *Desiderio desideraui.* Hoc enim exprimit desiderium, ad insinuandum quod duplicem gratiã debet homo desiderare, plusquam famelicus desideret refectionem, scilicet gratiam benè viuendi, & gratiam benè moriendi, & vnum desiderium debet esse propter alterum. Vndè debet quilibet dicere: Desiderio, scilicèt benè moriendi, desidraui gratiam benè viuẽdi. Sed quãtum ad desideriũ benè moriendi, notandum quod ille dicitur benè mori, cuius mors bonum terminum habet. Est enim triplex terminus mortis. Vnus est ad pœnam inferni, & talis est mors pessima, vt vsurariorum, & aliorum, qui se non benè disponunt in fine, sicut dicitur de di-

vite

Luc. 16. uite epulone: *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Tunc enim miser de palatio mundi ducitur ad carcerem diaboli, & de diuitiarum abundãtia venit ad æternam penuriam:& de delitijs carnis ad crudelia tormenta tortoris. Alius & secundus terminus mortis est ad pœnam purgatorij, & ita est mors bona, quia licèt purgatorij pena secundùm August.& S.Thom. Excedat omnes pænas huius vitæ;tamen punitur homo in statu securo, vt scilicet perdi non possit,aut debeat,,sed habere vitam æternam cùm sit in gratia & charitate,licèt miro modo crucietur. Tertius terminus est ad gloriam Paradisi, & ista est mors optima & maximè à nobis desideranda. Vndè Apostolus dicit ad Philip. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Hoc enim est esse cum Christo, esse in gloria vitæ æternæ,quia *cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cũ Christo in gloria,* Coloss. Vbi videlicet est abundãtia omnis boni, & carentia omnis mali Sed quantum ad desiderium secundum, scilicet benè viuendi, sciendum quod sicut dicit B.Berna Tunc enim homo benè viuit,quãdo viuit humiliter Deo, ordinabiliter sibi, & sociabiliter proximò. Per hæc enim tria prohibetur triplex peccatũ, scilicet in Deum,in proximũ, & in seipsum. Vndè & ab hoc triplici peccato,omnem hominem, qui vult benè viuere, oportet esse iustificatum. Et ideo hoc dicit primò desiderare, qui vult benè viuere, scilicet iustificationes, id est illa per quę apud Deum fit à peccato iustificatus. Et ideò Psal. dicebat: *Cõcupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tẽpore.* Vbi dicit gl. Cõcupiscentia est semper rei habitæ, sed desideriũ potest etiam esse rei non habitæ.

Luc. 23.

B

August.

D. Tho.

Phil. 1.

Colo. 3.

Ps. 118.

Ostendit ergò glo. quod quadruplex est gradus tẽdentium ad iustificationes. Nam quidam valdè benè per rationem considerant, & cognoscunt, quomodo esset vtile & honestum facere iustificationes,id est facere iusta,& delectari in eis faciendis, sed non procedunt vlterius, vt habeãt affectum vel propositum faciendi. Vndè in talibus præualet intellectus, & sequitur tardus aut nullus effectus. Quidam autem alij sunt, qui licèt nõ desiderent, aut proponant bona facere;tamen de hoc ipso dolent,quod voluntatẽ, id est desiderium non habent. Et concupiscunt, & vellent habere desiderium & voluntatem bona faciendi, vt parcẽdi inimico suo, vel dimittendi concubinam, vel restituendi vsuras,& aliorum huiusmodi, ad quæ homines difficulter perueniunt & in hoc gradu erat qui dixit: *Cõcupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, &c.* Sed tertius gradus est eorum, qui habent desiderium & propositum bona faciendi, sed si non vlterius procederent, similes essent illis,qui concipiunt sed non pariunt, aborsum vel abortũ patientes. Sed istud nõ sufficit Deo: quia deus opera desiderat,id est, vt bonum desiderium opere cõpleatur. Est ergo quadruplex gradus eorum, qui habent desiderium, Scilicet qui opere implent, iusta videlicet opera, feruenter, & perseueranter, & cum delectatione animi faciendo, Prouerb. *Desiderium si compleatur, delectat animam;* & tunc est signum quod homo est iustificatus. Sed aduertendum,quod nõ dicit Propheta iustificationes meas,sed tuas. Est enim quædam iustificatio falsa, quæ scilicet quæritur secundùm iudicium hominum, sicut hypocritæ quærunt. De qua dicitur Luc. *Vos estis qui iustificatis vos coram*

Pro. 13.

Luc. 16.

ram hominibus. Et est alia iustificatio dubia, quæ est secundùm iudicium propriū. De qua Apo-
1.Cor. 4 stolus: *Nihil mihi conscius sum, sed nō in hoc iustificatus sum.* Sed tertia est iustificatio vera, quæ est secundum iudicium diuinū, quam scilicet assequitur homo ex fide, & bonis operibus. Vndè Apo-
Galat. 3. stolus Paul. *Ex fide iustificat Deus gentes.* Et intelligitur de fide
Iacob. 2. cum operibus. Vndè Iacob. *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo.* Et hæc iustificatio nō ad tempus esse debet, sicut peccatores ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt; sed debet esse omni tempore.
Ps 105. Vndè Psalm. *Beati qui faciunt iustitiam in omni tempore.*

C Secundò notatur in auctoritate inducta, quod refectio spiritualis gratiæ, præsupponit puritatem & sinceritatem, in hoc quod dicit, *Hoc Pascha*, quia hoc pascha de quo loquebatur Christus, agnus paschalis erat, quod quidem propter innocentiam agni, qui scilicet manducabatur cum azymis, puritatem mentis, & sinceritatem designat, quæ scilicet debet esse in nobis, vt cibo gratiæ refici valeamus. Et vt istam sinceritatem & puritatem, id est, munditiam à peccato habere valeamus, pro nobis in cruce immolatus est Christus, secundū illud Apostoli Paul. *Pascha nostrum im-*
1.Cor. 5 *molatus est Christus. Itaque epulemur, &c. sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

D Tertiò quoque gratiæ spiritualis refectio requirit in nobis puritatis, communicationē, ad quod notandum dicitur in auctoritate inducta. *Manducare vobiscum.* Sūt enim quidam ita auari, qui communicare cum aliis non volunt bona sua, ita quod etiam cibum corporalem nolunt cum aliis sumere, sed soli manducare. Neque aliquid de his quæ manducant volunt pauperibus erogare, sicut diues epulo, qui etiam micas quæ de mensa cadebant, Lazaro pauperi negabat, sed tamen postea in morte, velint nolint, ea relinquent, & tunc frequenter pauperibus erogantur. Vndè accidit sicut de porco, de quo dicitur, quod nullus homo habet de eo bonum, nisi postquam occisus est. Vndè Eccli. *Est qui locupletatur parce agēdo, & hæc est pars mercedis illius, in eo quod dicit: Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus. Et nescit quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis & moriatur.* Sed notandum, quod etiam peccatori indigenti non debet eleemosyna subtrahi, maximè de necessariis cibis. Vndè dicitur de Christo. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Eccl. 11 Hier. 16 Luc. 15.

E Quartò refectio spiritualis gratiæ requirit temporis celeritatē, vndè dicit in auctoritate inducta. *antequam patiar*, scilicet mortem. Notandum quod quilibet Christianus, antequam veniat ad mortē, debet generaliter confiteri, & recipere corpus Christi, quia per pœnitentiam & confessionē, à peccato purificatur; sed per Eucharistiæ perceptionem, quæ est cibus spiritualis gratiæ, confortatur & roboratur contra pugnam mortis. Hoc figuratū est in Isaac senescēte, qui dixit filio suo: *Affer mihi de venatione tua, & comedam antequam moriar.* Vbi per Isaac senescentē, intelligere possumus hominem morti appropinquantem; quia vt dicitur Hebr. *Quod antiquatur & senescit, propè interitum est.* Hic antequam moriatur refici desiderat de cibis ex venatione factis. Per quam refectionem intelligitur sacra communio, quam, præmissa pœnitentia, debet moriens ante mortem F Gen. 27 Hebr. 8. 1.Co. 15

requi-

requirere, tanquam socium & viaticum terribilis itineris sui. Et rectè dicitur cibus de venatione factus, quia scilicet ibi assumitur corpus Christi, quod Dei verbum suscepit, vt in hunc mundum exiret ad venationem animalium, id est peccatorũ irrationabiliter viuentium. Ad cuius venationis complementum misit Christus, qui fuit venator robustus coram Domino, alios venatores, id est prędicatores multos, sicut promi serat Hierem. Hier. 16 *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos.* Sed dicit cibos in plurali; quia licèt in Sacramento Eucharistiæ ex vi sacramenti sit tantum Christi corpus, quod est cibus viatorum; tamen ex reali concomitantia, est etiam ibi Dei verbum, quod est cibus Beatorum in cœlo; sed tunc factum est verbum Dei etiam cibus hominum in mundo existentium, quando verbum caro factũ est, & habitauit in nobis.

F Secundo adhuc in prima parte principalis auctoritatis, post pręuentionem necessitatis, tangitur refectio satietatis, in eo scilicet quod sequitur: *Comedam.* Vbi aduertendum, quod illa comestio est satietatis, quæ famem totaliter expellit. Inuenitur autem in homine triplex fames. Vna secundũ mentem. Et hæc est secundùm intellectum vehemens desiderium sciendi, ex eo quod omnes homines natura scire desiderant; prout Philosophus dicit in principio metaphi. Et ideò desiderat homo panem vitæ & intellectus, scilicet comedere, id est scientiam addiscere. Sed quantumcunque homo studeat ad sciendum; in vita tamẽ præsenti non poterit satiari, propter defectum cognitionis. Ex eo quod dicit Themist. Ea quæ scimus minima pars sunt eorũ quæ ignoramus, cũ ipse intellectus desideret alia scire. Et ideo dicit Pau. 1.Co. 13 *Nunc ex parte cognoscimus.* Cùm enim omnis nostra cognitio à sẽsu oriatur, non possumus in hac vita per intellectum cognoscere nisi naturas eorum, quæ sensibus sunt subiecta. Ea autem quæ sunt supra sensibilia, naturali cognitione cognoscere non valemus; propter quod secundũ Philosophum ita se habet intellectus noster ad ea quę sunt manifestissima secũdùm naturam suã, sicut sunt per se intelligibilia: sicut se habet oculus nicticoracis ad lumen solis. Et licèt talia aliquo modo per fidem cognoscamus, secundũ illud Eccl. Eccli. 3. *Plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi:* tamen etiam cognitio fidei est imperfecta & obscura. Et propterea etiam cibus scientię hominem in hac vita non satiat, & tamen aliquos inflat, secundùm illud Pauli: 1.Co. 8. *Scientia inflat,* scilicet eos, qui de sua scientia superbiunt & intumescunt. Et tales sunt similes dæmonibus, qui de sua scientia superbierunt. Aliquos verò cruciat & fatigat, sicut eos, qui quęrunt scire vt lucrẽtur, sicut Medici & Iuristæ, & alij huiusmodi. Et quantò plus sciunt, tantò plus requiruntur, & ampliùs oportet eos laborare, & studere die ac nocte, propter lucrum temporalium. Et propter hoc dicitur Eccl. Eccli. 1. *Qui addit scientiam, addit & laborem,* vel dolorem secundùm aliam litterã. quia dum de scientia sua illicitè lucrantur, dolorem sibi acquirũt æternæ damnationis. Nec tamen etiam in hac vita eorum desiderium satiatur, siue de lucrando, siue de sciendo, ita quod possit ad eos referri illud Leui. Leui. 26. *Comeditis, & non saturabimini,* id est quantumcunque agatis ea, quę cupitis, nõ tamen eritis satiati, vt non amplius appetatis. Secũda est fames, id est desiderium pertinens ad carnem, quæ scilicet appetit & de-

desiderat suam delectationẽ, scilicet gulæ vel luxuriæ. Et iste appetitus est insatiabilis, quia licet de cibo possit impleri stomachus; nõ tamẽ propterea cessat gulosæ delectationis appetitus: propter quod dicitur Prou. *Venter impiorũ insatiabilis.* Et simile est de luxurioso, qui licet lassetur in actu, non tamen satiatur in appetitu. Sicut legitur de Messalina vxore Imperatoris Tiberii, quæ tãtæ libidinis fuit, quod aliquando ad prostubula ibat, vt õnibus se supponeret, & inde redibat potius lassata quã satiata. Propter quod differentia est inter delectationes carnis & spiritus. Quia delectationes spiritus animam impinguant: sicut cùm homo delactatur facere, quæ sunt verè bona. Vndè Isa. *Comedite bonum, & delectabitur in craßitudine anima vestra.* Sed delectationes carnis euacuant animam, & non satiant animæ appetitum. Vndè Isaias: *Comedet ad sinistram, & non satiabitur.* Ille comedit ad sinistram, qui pascitur delectatione carnali & temporali. Et ille qui pascitur delectatione spirituali, comedit ad dexteram, & iste impinguatur. Est etiam tertia fames, quæ pertinet ad vtrumque, scilicet ad carnem & spiritum, & hæc est appetitus pacis & quietis. Sed iste etiam appetitus in vita ista satiari non potest: quia hîc homo semper est in guerra, quia licet non habeat guerram cum alio, habet tamen guerram à seipso & propriam, & continuam, scilicet repugnantiam corporis & spiritus, quia *caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem*, vt dicit Paul. ad Galatas. Et Matth. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Habet etiam præter hæc multas alias interminabiles discordias & lites, & interdum etiam in domo sua, sicut frequenter vir cum vxore, pater cum filio, frater cum fratre, socrus cum nuru, & ciuis cum ciue. Propter quę omnia non est hîc pax neque requies, imò propter hæc mordent se inuicem & quasi comedunt homines. Vndè Ga. *Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Quod quidem dicit, quia vnus mordebat alium detrahendo, & comedebat alium de damno & nocumento eius delectabiliter se pascendo. Istæ ergo sunt malæ comestiones, quę non satiant, sed potiùs cruciant. Vndè Agg. *Comedistis & non estis satiati.* Sed è contra in vita beata erit comestio, omnem famem, id est inordinatum appetitum & defectum excludens, quia non esurient neque sitient amplius. Apocalyp. Et erit omne desiderium implens, secundùm illud Psalm. *Qui replet in bonis desiderium.* Et Psalm. *Replebimur in bonis domus tuæ, &c.* Tunc ergo, edent pauperes & saturabuntur.

Prou. 13 · Isa. 55. · Isa. 9. · Galat. 5 · Mar. 26. · Galat. 5 · Agg. 1. · Apoc. 7 · Ps. 102 · Psal. 64

G SECVNDO, in auctoritate principali ostẽditur calamitas vitæ hominis per affectum siue desiderium rei expectatæ, cùm dicitur: *Suspiro.* Nam absentia & longa & incerta expectatio rei, ad quam homo afficitur multum, & vehementer desiderat, & affligit, & suspirare facit. Vndè iustus in hac vita existens, ex longa expectatione & magno desiderio patrię cælestis, vehementer & frequenter suspirat. Vbi sciendum, quod ex duplici passione suspiriũ consueuit procedere, scilicet ex dolore & ex amore. Homo ergo si benè cõsiderat calamitates, & mala vitæ præsentis, prouocatur ad suspirium doloris. Sed si considerat gaudia & præmia cælestis patriæ, prouocatur & accenditur ad suspirium amoris. Et de hoc habetur figura Iudic. Quod Axa *cùm*

Iudic. 1.

suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleb pater suus? Quid habes? At ille respondit: Da mihi benedictionẽ, quia terram arentem dedisti mihi, iunge & irreguũ aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguũ superius, & irriguum inferius. Axa significat animam, quæ sedet in asino, id est in corpore. Hæc compuncta suspirat, scilicet præ dolore præsentis miseriæ, & præ amore cælestis patriæ. Et petit à patre benedictionem, scilicet misericordiæ & gratiæ, sciens suis meritis non posse vel mala præsentia euadere, vel bona cælestia possidere. Vnde & primo conqueritur de incolatu præsentis miseriæ dicens: *Terram arentem dedisti mihi*, id est posuisti me in mundo, qui est vt terra arens præ modicitate aquæ, id est, paucitate gratiæ. Et hæc ariditas præcipuè accidit propter multam ingratitudinem hominum: quia *ingratitudo*, secundùm Bernardum, *est ventus vrens exsic-*

Bernar. *cans fontem pietatis diuinæ, rorem misericorbiæ & fluenta gratiæ.* Sunt enim hodie homines, secundùm Apostolum, seipsos amantes, ingrati, scelesti, sine fœdere, sine misericordia. Hæc ariditas gignit sterilitatem, id est defectum bonorum operum, quia non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Deinde petit à Deo patre abundantiam cælestis gloriæ, dicens, *Iunge & irriguã aquis.* Quia enim terra firma est ipsa cælestis patria, vbi non est generatio; neque corruptio, sicut est in ista in qua habitamus. Vndè Eccli. *Gene-*

Eccli. 1. *ratio præterit, & generatio aduenit, terra autẽ in æternũ stat.* Vndè hanc terram Dauid petebat dicens:

Ps. 141. *Portio mea Domine sit in terra uiuentiũ:* hæc est irrigua aquis, id est abundans bonis. Genes. *Vniuersa*

Gen. 13. *irrigabatur sicut paradisus Domini.* Sed pater, scilicet Deus, dedit ei, scilicet in fine, irriguum superius & irriguum inferius, id est gloriam & perfectionem animæ & corporis.

K TERTIO, in auctoritate principali ostenditur vita humana esse calamitosa, propter recessum rei peramatæ, id est valdè amatæ, cùm dicitur: *Et quasi inundantes aquæ sic rugitus meus.* Nam quando homo moritur & recedit de ista vita, illi qui multum amabant eum, remanent in calamitate luctus & tristitiæ. Vbi notandum, quod in luctu, qui fit super mortuos. Primò videmus humidarum lacrymarum fletus, & ideo dicit, *Quasi inundantes aquæ*, scilicet lacrymarum. Item auditur lamentantium rugitus, ideò subditur: *Sic rugitus meus*, id est qui pro me moriente aut mortuo fiet, ad ostendendum interiorem gemitum & dolorem, secundùm illud Psal. *Ru-* Psal. 37.
giebam à gemitu cordis mei. Vbi sciendum quod aliqui antiquorum dixerũt, quod pro morte hominis non debet fieri luctus; sed gaudij solennitas, sicut narrat Valerius libro 2. quod gens Thraciæ Valer.
Prouinciæ celebrat diem natiuitatis hominis cum fletu, & diem mortis cum hilaritate. Et hoc vt dicit sapienter faciebant, quia remota dulcedine mundi quæ multa cogit homines turpiter facere & pati, beatior inuenitur finis vitæ hominis quàm eius initium. Nam initium est venire ad miseriam, sed finis exire de miseria. Sed diuina scriptura indulget & concedit, quod fiat luctus pro mortuis. Vndè Hieremias dicit:
Quis dabit capiti meo aquã, & ocu- Hier. 9.
lis meis fontem lachrymarũ? Et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei. Et conceditur rationabiliter iste fletus. Primò quidem, ad mitigationem doloris, ex eo quod lachrymarum effusio mitigat interiorem dolorem. Nam

dolor interiùs clausus, magis augetur & cruciat, sed dum exteriùs exhalatur per lacrymas, magis mitigatur. Vndè beatus August. de se refert, quod cùm esset de morte amici sui valdè contristatus, in solis lacrymis inueniebat aliquantulam requiem. Secundò conceditur lacrymarum fletus ad ostensionem compassionis, sicut Dominus fleuit super Lazarum mortuum, siue pro compassione sororũ eius flentiũ, siue fortè pro cõpassione ipsius Lazari, cuius anima in inferno erat, vt quidã dicũt. Vult tamẽ scriptura quod fletus iste siue luctus, debeat esse tẽperatus, vndè dicitur Eccl. *Modicũ plora supra mortuum.* Vndè etiam
Eccl. 22
Valer.
narrat Valerius vbi suprà, quod Lycij, id est illi de prouincia Lyciæ, quando debebant facere luctum pro mortuo, etiam viri induebant vestes muliebres, vt ex deformitate habitus commoti, citius vellent deponere stultũ mœrorem. Sed maximè potest, & debet dolor & luctus tẽperari, quando ille qui mortuus est, benè dispositus obiit, & de quo sperari possit, quod benè secundùm Deũ mortuus sit. Tunc enim secundũ rationem potius esset de eo gaudendum, quàm lugendum. Vndè
Ioan. 14
Dominus ad passionem vadẽs dixit discipulis: *Si diligeritis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem,* scilicet æternæ vitæ gaudia & gloriam possessurus. Quam nobis cõcedat, qui in altis habitat, Iesus Dominus benedictus. Amen.

SERMO V.

De tædiositate humanæ vitæ præsentis sæculi.

T*Ædet animam meã vitæ meæ.* (vsque ibi) *Indica mihi curme ita iudices?* Iob 10.

Triplex opinio fuit apud antiquos de humanę vitæ prolongatione. Et prima opinio fuit Græcorum, qui dixerũt, quòd vita humana prolõgabatur ratione amoris. Et ratio eorum erat talis: Nisi homo amaret, nunquam operaretur, & si nõ operaretur, deficeret, ex quo concludebant, quod amor est causa prolongationis vitæ. Secunda opinio fuit Ægyptiorum, qui dixerunt, quòd vita prolõgabatur ratione delectationis. Et ratio eorum erat talis: Quia homo non potest viuere sine delectatione, sicut patet in melancholicis, qui nullam delectationem habẽtes, interdum occidunt seipsos. Tertia opinio est Christianorum, qui dicunt, quòd vita prolõgatur ratione concordiæ & pacis, siue sit concordia naturalis, ex temperãtia elementorum, & humorum in corpore, quantum ad vitam humanam naturalem; siue sit concordia ciuilis, ex vnitate ciuium in ciuitate, quantum ad vitam ciuilem; siue sit pax & concordia charitatis, quantum ad vitam spiritualem. Patet quod in omnibus his, concordia est causa conseruationis, & prolongationis vitæ: & discordia est causa contrarij. Vndè quantum ad vitam corporalẽ videmus, quod in bellis & prælijs & guerris plurimi occidũtur ante tempus & terminum vitæ naturalis. Vndè Christus mandauit discipulis suis: *In quamcunque domum intraueritis, primum offerte pacẽ.* Petrus: *Qui enim vult diligere vitam, & videre dies bonos, &c.* I. Pet. 3.
Sequitur: *Inquirat pacem & sequatur eam.* Plerumque tamen videmus, quod hominibus accidit, quod habent conditiones ita cõtrarias his prædictis, quod vitę prolongatio non est eis amabilis, sed potius eam optant quàm citius finiri. Et hoc in verbis propositis, exemplo sui, beatus Iob ostẽdit de vita sua dicens: *Tædet animam*

mam meam vitæ meæ, &c.

¶ Et ostendit primò, quod vita sua non erat sibi amabilis, sed odiosa propter tædium; & ideò dicit: *Tædet animam vitæ meæ.*

Secundò, quod non erat ei delectabilis, sed pœnosa propter dolorem intrinsecum; ideò dicit: *Loquar in amaritudine, &c.*

Tertiò, quod non erat placabilis, sed timorosa, scilicet propter diuinum iudicium, ideò dicit: *Noli me condemnare.*

Et quia hic raro inuenitur viuens, qui non experiatur similia: potest hic viuens communiter dicere: *Tædet animam meam vitæ meæ.*

A Et breuiter in his verbis ostenditur quod præsens vita hominis habet quatuor conditiones, propter quas magis contemptibilis quàm diligibilis esse videtur, & magis esse appetendum, quod citò finiatur, quàm quod diu conseruetur.

Prima, quia propter miseriam est onerosa, ideò dicit: *Tædet animam meam, &c.*

Secunda quia propter culpam est querelosa, ideo subdit: *Dimittam aduersum me eloquium meum.*

Tertia, quia propter pœnam est dolorosa, ideo subiungit: *Loquar in amaritudine, &c.*

Quarta, quia propter iustitiam est formidolosa, ideo subinfert: *Dicam Deo, noli me condemnare.*

CIRCA primum aduertendũ, quod frequenter accidere videmus, quod illud, quod per se est appetibile & amabile, efficitur per accidens aliquibus tædiosum & odibile, scilicet propter aliquid annexum. Sicut appetibile & amabile est hominibus discere & scire, ex eo quod omnes homines natura scire desiderant, vt dicit Philosophus: & tamen pigri propter laborem studii, sine quo discere non possunt, contemnunt & refugiunt scientiam atque doctrinam. Vndè Prouerb. *Sapientiam*, aliàs sciententiã, *atque doctrinam stulti despiciunt.* Et meritò vocantur stulti, qui propter modicum laborem refugiunt tantum bonum, quantum est scientia. Item gulosus quandoque cibum sibi appetibilem & de se delectabilẽ refugit, & dimittit ratione proprietatis & infirmitatis quam talis cibus induceret. Vndè Iob: *Nũquid potest aliquis gustare quod gustatum affert mortẽ?* & sic de multis aliis. Similiter ergo, quamuis vita sit non solùm hominibus, sed etiam omnibus animalibus chara & amabilis. Propter quod Boëtius dicit, quod omne animal vitam tueri laborat, mortem perniciemque deuitat, propter miserias tamen, quas habet plerumque annexas, efficitur sapientibus veris contemptibilis & tædiosa propter quod dicitur Sap. *Exiguũ & cum tædio est tempus vitæ nostræ.* Prou. 1. Iob 6. Boëtius Sap. 2.

In quibus quidem verbis ostenditur, quod tempus humanæ vitæ quadruplici ratione ipsam vitam contemptibilem reddit.

Et primò quidem ratione breuitatis, quia *exiguum est.*

Secundò ratione grauitatis, quia *cum tædio est.*

Tertiò ratione varietatis, quia *tempus est.*

Quartò ratione paupertatis, quia *vitæ nostræ est.*

Habet ergo tempus vitæ nostræ breuitatem quia exiguum est. Tẽpus enim aliquorum fiendorum, etiam si in se esset longum, tamẽ dicitur esse breue & exiguum, respectu multorum & magnorum, quæ fieri oportet in ipso. Et ita tempus humanæ vitæ, quantumcunque ostendatur esse longum, exiguum tamen est respectu quatuor.

Primò, respectu peragendi itineris.

Secundò, respectu diluendi criminis.

Tertiò, respectu expectanni muneris.

Quartò respectu vitandæ pigritudinis.

Quæ omnia concurrunt, vel expedienda sunt in ipso decursu humanæ vitæ.

B Primò dico respectu itineris, quia cùm aliquis habet facere longum iter, & assignatur ei terminus breuis, dicitur habere tēpus exiguum, id est modicum. Iter autem quod habet homo facere, longissimum est. quia de terra infima ad cœlum supremum, id est de vita temporali ad æternā eum peruenire oportet. Cuius itineris tanta est longitudo, quanta est distantia meritorum temporalium ad præmia æterna. De qua claret quod maxima est, *quia non sunt*

Rom. 8. *condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in*

2. Re. 19 *nobis*, Roman. Propterea etiā dictum est Heliæ: *Grandis tibi restat via*, Terminus autem assignatus huic itineri valdè breuis est: quia vsque ad finem vitæ hominis, quæ breui tēpore finitur. Iuxta illud

Iob. 14. Iob. *Breues dies hominis sunt*. Vnde

Seneca. Seneca dicit, quod tempus est punctum, quo viuimus, respectu æternitatis, ad quam pergimus.

Eccl. 18 Eccli. *Numerus dierum hominum vt multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt*. Et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui. Ex quo ergo tam breuis est terminus & tam longum iter, non est per negligentiam seu per otium standum, sed soliçitè per gressum boni operis sine intermissione currendū. *Sic currite vt*

1. Cor. 9 *comprehendatis*, inquit Apostolus. Secundò, tempus hominis est exiguum, respectu diluēdi criminis. Nam quandò aliquis homo ex aliquo crimine vnum magnū dominum offendit, per longū tempus nititur eum placare per amicos, vel consanguineos, cum multis precibus, & cum multis muneribus, & vix potest eum placare, etiamsi solum semel ipsum offenderit. Vndè Absalon post occisionem fratris sui Amnō, post longum tempus vix potuit placare 2. Re. 14

Regem Dauid per Ioab. Et per mulierem Thecuitem, vt habetur Reg. Quantò ergo magis requiritur magnum tempus, & multum studium, & multa solicitudo ad placandum illum, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, & quem toties, & tā grauiter, & in persona propria blasphemando ipsum, & peierando, & in seruis suis eum lædendo, scilicet detrahendo, & in amicis suis, scilicet sanctis; eorum festiuitates non colendo, & quod peius est ipsos blasphemando, & in Ecclesiis offendēdo, & in aliis locis notis & sacramentum sui corporis & sanguinis indignè & irreuerenter suspiciendo. Et tamen tanta est stultitia nostra, quod neç vnam diem integram volumus mittere vel expendere ad satisfaciendum, vel ad pacandum de tot offensis, & tam grauibus. Et nullū studium & nulla solicitudo nobis est ad hoc faciendū: sed semper expectamus horam mortis. Et illud quod nos ligauimus in multis annis, soluere volumus in ictu oculi. Et ideò qui hæc faciūt, omnes sunt vel cæci, vel stulti; & nullo modo ex re sua habēt aliquid; per quod veniam impetrare vel saluari possint, nisi abundantia diuinæ pietatis & misericordiæ suppleat. Quæ quidem diuina misericordia tātò facilius adest, quātò quis humilius pænitet, & magis miserum & exiguum se fatetur & recognoscit. Et propterea Sap. 6.

dicitur Sap. quod *exiguo*, & humili, *cōceditur misericordia*. Tertiò dicitur tempus hominis esse breue

ue siue exiguum, respectu expectandi muneris; si consideremus altitudinem muneris, id est remunerationis cælestis. Videmus enim tẽporaliter, quod si aliquis vult vnam modicam præbendã, vel reditum ab aliquo Prælato, vel Domino impetrare, multo tẽpore seruit, & per se, & per amicos, & per consanguineos: & aliquando exponit se morti, vt possit seruire illi, & vt inclinet eum ad dãdum sibi, quod petit & quærit, & tamen etiamsi obtineat, nescit quanto tempore debeat possidere, quia frequenter homo huiusmodi, postquam multum laborauit, & multas expẽsas fecit ad habendam vnam præbendam, accepta vna possessione subito moritur, & sic perdit laborem & expẽsas. Si ergo mittit homo multum tempus ad habendam vnam præbendam vel reditum sic transitoria; nos quanto magis oportet quod mittamus multum tempus, ad habendam præbendã cęlestẽ, in qua sunt omnia bona, & quę est perpetua & æterna, quæ nunquam deficit, nec perdi potest? Vndè aliter facit Deus quàm Domini temporales; quia quandoque pro longo seruitio dant exigua

Eccl. 20 præmia. Et sic dicitur Eccli. *Exigua dabit, & multa improperabit.* Sed Deus è contrario, etiam pro seruitio exigui temporis, sicut di-

Iacob. 1. citur Iacob. *Dat omnibus affluenter & non improperat.* Quartò, dicitur tempus hominis exiguũ, ratione vitãdæ pigritudinis, id est, propter pigritiam & negligentiam nostram, quia homini negligenti & pigro, etiam multum tempus ad operandũ videtur esse exiguum. Nos autem pigri & negligentes sumus ad operandum benè, & ambulandum in via Dei, & ad proficiendum de virtute in virtutem, sicut oportet facere volentẽ ad regnum Dei peruenire. Et talis negligentia accidit in nobis quãdoque ex infidelitate, & quandoque ex tepiditate siue frigiditate, quandoque ex cupiditate, quandoque ex malignitate seu infirmitate, quandoque ex nostra sto- Sap. 8.

liditate. Et ideo dicitur Sap. *Homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum.* Et dicitur homo infirmus propter fragilitatẽ; & minor ad intellectum, propter stoliditatem, & exigui temporis, siue respectu itineris, siue respectu criminis, siue respectu muneris, siue respectu pigritudinis.

Secundò, vita humana ostenditur esse contemptibilis, ratione, G grauitatis, quia cum tędio est. Quia possunt assignari quatuor causæ, quare scilicet vita hominũ est eis pœnosa & tædiosa. Sicut corporaliter videmus, quod quatuor genera hominum videntur affici tædio siue pœna. Primò quidem murmur vel clamorem inuitum, vel stridorem audientes, sicut dicit gloss. super Matth. 15. quod discipuli dixerunt Christo, scilicet de muliere Cananęa. *Dimitte eam, quia clamat post nos,* tanquam tædio clamoris eius carere cupientes. Sic spiritualiter tædio afficimur, quia vndique murmur audimus. Nam si homo bonus esse appetit, vel benè viuere conatur; audit murmur, & sentit rebellionem à mundo, à carne, & à dæmone. Si verò malus & peccator, remurmurat conscientia sua. Et frequenter etiam de se audit homines murmurãtes. Et omnes huiusmodi murmurationes ingerunt tædia hominibus. Eccli. *Lo-* Eccl. 29.
quetur verba tædij & murmurationum, scilicet mundus, vel dæmon, vel caro, quoad bonos, vel conscientia, siue proximus, quoad malos. Secundò, afficiuntur tędio multa aduersa & cõtraria patientes: sed homini quasi toto tẽpore vitæ suæ contingunt aduersa, siue

contraria, siue sint infirmitates corporales, siue sint filiorum vel consanguineorum mortes, siue sint hostium persecutiones, vel tyrannorum compressiones, siue sint alii euentus infortunati vel casuales, vt de perditionibus rerum suarum & huiusmodi. Quia hæc aduersa ita grauant animam, vt non videatur ei possibile, tot & talia tolerare. Vndè etiam Apostolus sic grauatus dicebat: *Supra modum grauati sumus supra virtutem nostram: ita vt tæderet nos etiā viuere.* Tertiò afficiuntur tædio nimis longum laborem tolerantes; siue sit labor longi ieiunii, siue longi exercitii, vel longæ expectationis, siue etiam sit longi itineris. Et significat spiritualiter tædium acediosi in labore pœnitentiæ. Cuius figura habetur Numer. vbi dicitur, quod *tædere cepit populum itineris ac laboris, locutusq; contra Dominum & Moysen ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine, deest panis, nō sūt aquæ.* Sed ad subleuationem huiusmodi tædij valet consideratio laborum, quos patiuntur mundani, pro assequenda aliqua mercede, aut lucro tēporali. Vndè Chrysostomus: *Sequi viam laboriosam si existimat, suæ desidiæ est accusatio. Si enim tēpestates pelagi nautis, vulnera militibus, glacies & frigora agricultoribus, leuia & portabilia sunt propter spem præmij tēporalis: multò magis cùm cælum placet, nullum debet sentiri periculū. Maximè enim laborem mitigat, ad benignum finem venire. Ne aspicias ergo quod via aspera est, sed quò ducit, nec aliam aliquando quod lata est, sed vbi desinit*, hæc Chrysostomus. Quartò, afficiuntur tædio multa displicētia videntes; sicut vir iustus, quādo videt fieri iniustitiam, & non potest obuiare: & vir castus, quādo sentit fieri turpia & inhonesta, & tamen non valet cohibere. & vir sanctus, quando videt fieri multa peccata, & non potest corrigere vel impedire: & vir sapiēs, quando videt multos errantes, & non potest eos dirigere. Huius figura habetur in Salomone, qui dicit Eccle. *Tæduit me vitæ meæ videntem vniuersa mala esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus.* Sic attædiātur sancti viri & zelatores animarum, considerantes vniuersa mala & vitia clericorum, & cunctam vanitatē secularium laicorum, & afflictionem spiritus hypocritarum hominum.

2. Co. 1. | Nu. 21. | Chrys. | Eccli. 2.

Tertiò ostenditur in auctoritate inducta, quod vita humana cōtemptibilis est ratione varietatis. Et hoc propter tempus, cui scilicet subiecta est, quod scilicet tempus continuè & successiuè variatur. Et sic etiam ipsa vita humana variatur per quatuor tempora, quæ sunt quatuor tempora ætatum ipsius hominis.

Prima est ætas puerilis.
Secunda virilis.
Tertia senectus.
Quarta decrepita ætas.

¶ Et in qualibet harum ætatum sunt multæ varietates, & etiam multæ miseriæ accidunt. Sed aduertendum, quod tempus datum est homini ad exercitium virtutum. Et ad hoc nos vidētur inducere etiam ipsius temporis qualitates. Inducit enim nos tēpus ad exercitiū iustitiæ ex sua communitate. Pertinet enim ad iustitiā, communitatem seruare sine personarum acceptione. Hanc autem communitatem iustitiæ tempus præcipuè seruat, quia nihil est eo communius, in omnibus æqualiter est commune. Vndè nequissimi sunt vsurarij: quia illud quod Deus fecit commune, vsurpare nituntur, dum tempus aliis vēdunt. Sunt autem quidam, qui nihil commune esse vellent, vt cupidi.

Alii verò, etsi communia quandoque distribuunt, tamen amore pecuniæ vel personæ, distributionis & iustitiæ æqualitatem non seruant. Quos omnes redarguit temporis communitas & æqualitas. Et ideo contra eos, qui iustitias non seruant, dicit Dominus in Psal. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Et è contra de his, qui iustitiam faciunt, ipse Ps. dicit: *Beati qui custodiunt iudiciũ, & faciunt iustitiam in omni tempore.* Eccli. 3. Psal. 74. Ps. 105.

¶ Secundò, inducit nos tẽpus ad actus fortitudinis. Pertinet enim ad virum fortem, non ocio vel ignauia torpescere, nec propter difficultatem aliquam ab opere virtutis desistere. Sed etsi aliquando remitti contingat, continuè reuiuiscere. Quæ omnia tempus ostendit. Nam tempus nunquam quiescit, sed cõtinuè & vicissim cursum suum peragit. In quo scilicet docet nos, pigritiam & otiositatem vitare. Ad quam etiam nos solicitat temporis præciositas. Nam sicut dicit August. *Nihil est tẽpore pretiosius.* Quia ex omni possessione simul duo haberi possunt, sed duo momenta temporis simul haberi non possunt, vnde tempus recuperationẽ non recipit. Et ideo perdi à nobis per otium non debet. Vnde Apostolus ad Gal. *Dum tempus habemus operemur bonum,* Ad quod etiã solicitat nos ipsius temporis breuitas, quia licèt de se sit longum, nobis tamẽ est valdè curtum. Vnde Paul: *Tempus breue est.* Et ideo solicitè & non pigrè operandum est. Item tempus si in hyeme senescit, vere reuiuiscit. Vt si homo quandoque remittitur, continuo renouetur. Ephes. *Redimentes tempus, &c.* August. Gal. 6. 1. Co. 7. Ephe. 5.

¶ Tertiò, tempus nos inducit ad actus prudentiæ. Est enim prudẽtia, vt in 6. Ethicorum dicitur, recta ratio agibilium. Pertinet enim ad prudentem, ea quæ agit, agere mensuratè, secundùm mensuram debitæ rationis. Et hoc instruit tempus, quia tempus est mensura rerum mutabilium, vt vult doctrina Philosophorũ. Vndè quia omnis actio hominis est cum motu & tempore, debet prudens in operibus suis se tempori conformare, vt scilicet omnia faciat cum debita mensura. Ad quod significandum dicitur Luc. *Fidelis seruus & prudens, quẽ constituit Dominus super familiam suam, &c.* Item prudens videtur ille, qui tempora bene scit dispensare. Vndè Seneca: Si prudens sit animus tuus, tribus temporibus dispensetur. Præsentia ordina, futura prouide, præterita recordare. Item ex longæuitate temporis videtur prudẽtia causari: quia in multo tempore homo multa videt & experitur, ex quibus prudens efficitur. Vndè Iob: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Quartò, tempus inducit nos ad vsum tẽperantiæ, quæ maximè necessaria est ad conseruationem salutis & gratiæ spiritualis. Quod etiã tempus inducat, quia moderato tempore in suis qualitatibus, temperato corpori nihil est salubrius. Vndè dicit Hyppocrat. in Aphorismis: Temporibus moderatis, si tempora temporaliter se habuerint, boni erunt status, & maximè bonæ enunciationis fiunt ægritudines, & hoc quidem corporaliter & spiritualiter accidit, de medio temperamento delectationum, quia confert temperantia ad salutem animæ & corporis, & intẽperantia nocet. Vndè dicitur Eccle. *Tempus sanandi,* scilicet per temperantiam, *& tempus occidendi,* scilicet per intemperantiam. Luc. 12. Iob 12. Hyppo. Eccl. 3.

Quartò, ostenditur in auctoritate inducta, vita humana esse contemptibilis ratione paupertatis, vnde

vndè ſubditur: *Vitæ noſtræ.* Pauperes enim in hoc mundo ſunt cõtemptibiles. Sed vita noſtra hîc pauperrima eſt. Nam multũ pauper eſt, qui nihil à ſe habet, ſed totum expectat ab alio Homo autẽ à ſe nullum bonum habet, nec temporale nec ſpirituale. Vndè
1. Ti. 6. Paulus: *Nihil enim intulimus in hũc mundum: haud dubium quia nec auferre quid poſſumus*, ſcilicet de tẽporalibus Vndè homo tam temporale, quàm ſpirituale recipit à Deo, nec eſt ſuum, ſed Dei. Stultus autem eſt, qui ſuperbit vel gloriatur de eo, quod non eſt ſuũ.
1. Co. 4. Vndè Apoſt. Pa. *Quid habes homo quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi nõ acceperis?* Sed nota quod multi pauperes, ſi poſſent, libenter fierent diuites Sed homo, quantumcunque habeat vitam pauperculam, poteſt ſi vult, effici diues ſcilicet ſi timeat Deum abſtinendo videlicet ab eius offenſis, & obediendo ipſius
Tob. 4. mandatis Vndè Tobias dicit: *Pauperem quidem vitam gerimus: ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.*

F SECVNDO in auctoritate principali oſtendit, quod vita humana propter culpam eſt querulоſa, vnde ait: *Dimittam aduerſum me eloquiũ meũ.* Ille enim qui ex culpa ſua patitur, de ſeipſo conqueritur. Et ſic homo, qui ex peccato ſuo incidit in paſſiones & tribulationes, debet dimittere aduerſum ſe eloquium ſuum, id eſt conqueri, id eſt de ſeipſo, & ſeipſum accuſare, id eſt culpam ſuã. Sed nota, quod in iudicio mundi, qui ſeipſum accuſat, & culpam ſuam confitetur, damnatur. Sed in iudicio Dei, qui culpam ſuam confitetur, abſoluitur, & liberatur, quia ſcilicet apud piiſſimum iudicem eſt impetratio veniæ, ipſa recognitio culpæ. Vndè debet homo rupto fræno verecundiæ, dimittere aduerſum ſe eloquium ſuum, ſcilicet in confeſſione, de omnibus ſe accuſando, & remittetur ei, & abſoluetur à Deo, ſe-
cundùm illud Pſal. *Dixi confitebor* Pſal. 31.
aduerſum me iniuſtitiam meã Domino, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei. In quibus verbis aduerte quinque conditiones, quas debet habere confeſſio, antequam conſequatur quis remiſſionem peccatorum à Deo.

Prima eſt, vt ſit præmediata; vndè præmittit. *Dixi,* ſcilicet in corde meo, *confitebor,* ſcilicet ore. Vnde debet homo primò confeſſionem dicere in corde, ſcilicet præmeditando & rememorando peccata, quæ debet confiteri. Vndè Iſa. ſecundùm aliam literam. *Dic* Iſa 43.
tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris.

Secundò eſt, quod ſit patula, videlicet alteri, ſcilicet ſacerdoti Et hoc eſt quando confitetur verbo,
& ideo dicit, *Confitebor.* Iacob. *Con-* Iaco. 5.
fitemini alterutrum peccata veſtra, &c.

Tertia eſt, quod ſit accuſatoria, & non excuſatoria, ideo dicit,
Aduerſum me, id eſt contra me. Pſal. 50.
Pſal. *Peccatum meum contra me eſt ſemper.*

Quarta eſt, vt ſit propria, & ideo dicit, *Iniuſtitiam meam*, non alienam Et debet narrare iniuſtitiam non iuſtitiam ſuam, iactando ſe
de ea. Pſal. *Iniuſtitiam meam non* Pſal. 31.
abſcondi.

Quinta eſt, vt ſit ſecreta: quia debet fieri Domino, id eſt vicario Domini. Vnde Sacerdos, qui per confeſſionem ſcit, non ſcit vt homo, ſed vt Deus. Vel debet fieri Domino ad ſatisfactionem, non
mundo ad oſtentationem. Pſalm. Pſ. 108.
Confitebor Domino nimis in ore meo.

G TERTIO, in auctoritate principali oſtenditur, quod vita humana propter pœnam eſt doloroſa,

roſa,

rosa, vnde subditur: *Loquar in amaritudine animæ meæ.* Et notanter dicit *Loquar*, quia ille qui est in amaritudine animæ, debet loqui Deo per deuotam orationem, & sic conuertet ei amaritudinem in dulcedinem. Cuius figura apparet
1.Re. 1. in Anna, *quæ cum esset amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter.* Et postea exaudita fuit & dulcorata, vt ibi patet. Multum etiã valet ad dulcorandum amaritudinem animæ, memoria crucis & passionis Domini. Cuius figura
Exod. 15 patet Exod. vbi dicitur, quod *Dominus ostendit illi*, scilicet Moysi, *lignum, quod cùm misisset in aquas amaras, in dulcedinem versæ sunt.* Istud lignum præfigurabat crucẽ
Bernar. Christi. Bernar. *Videtes amaritudines Domini nostri, facilius portabitis vestras.* Item nota, quod anima in vita ista tantò plus sentit de mũdi amaritudine, quãtò plus habet de terrena affectione. Et è contra tantò plus percipit de cælesti dulcedine, quantò plus est purgata à terreno amore. Cuius exemplum est in aqua. Nam aqua marina quæ mixta est grosso terreo & combusto, amara est & salsa. Sed aqua dulcis mixta est aëreo, & purgata magis à puluere terreo. Quasi autem grossum terrenum & combustum; est amor terrenorum, qui animam reddit terream per assimilationem. Quia anima, vt dicit Hugo de sancto Victore, in illius rei similitudinem, quam diligit, transformatur. Item reddit eam grossam & hebetem, quoad contemplationem spiritualium, & combustam, quoad affectionem temporalium, vt scilicet tẽporalia nimis ardenter diligat. Hoc ergo amore dũ anima respergitur, afflictione multiplici frequenter amaricatur. Sed si fuerit anima aëri id est spirituali amori coniuncta, & à terreni amoris puluere purgata, tunc cælesti & spirituali dulcedine quam pluris erit plena. Et propterea dicitur Prouerb. Prou. 27
Anima saturata, scilicet terreno amore repleta, *calcabit fauũ*, id est spiritualium rerum dulcedinem. *Anima* vero *esuriens*, scilicet iustitiam, vel vehementer appetẽs cælestia, *etiam amarum*, scilicet huius mundi cursum, *pro dulci sumet.*

QVARTO, in auctoritate principali ostenditur vita humana esse formidolosa, præcipuè propter diuinam iustitiam, cùm dicitur, *Dicam Deo, noli me condẽnare.* In quibus verbis tanguntur duo, quæ sunt etiam viris sanctis maximè formidabilia. H

Scilicet sententia damnationis.

Et iudicium stricti examinis.

¶ Quantum autem ad primum, dicit: *Dicam Deo*, scilicet non me excusando, non exceptiones opponẽdo, sed humiliter & piè supplicando, *Noli me condemnare.* Est autem sententia vltimæ damnationis metuenda: quia postquam data esset, nullo posset iuris remedio releuari aut remoueri. Non enim poterit per appellationem, quia ibi locum non habebit, quia crimen cuiuslibet notorium erit, scilicet per confessionem propriam, quia cuiuslibet consciẽtia confitebitur proprium scelus. Itẽ per euidentiam facti, quia omnia facta hominis, vt dicit Hieron. Hieron.
quasi in quadam tabula picta demonstrabuntur. Item erunt notoria per præsumptionem violentam, quia scilicet eo ipso quod stabunt ad sinistram. Ex hoc enim præsumetur quod sint damnandi, sicut de bonis è conuerso, eo ipso quod erunt ad dexteram, præsumetur quod sint saluandi Non etiam poterit subleuari per supplicationem. In humanis enim iudiciis, cùm sentẽtia fertur à principe, non licet appellare, sed supplicare Sed Supplicationes ibi & preces non valerent, etiamsi bea-

ta

ta Virgo, Apostoli, & Martyres, Confessores, Virgines, & omnes Sancti cælestis curiæ, intercederent. Prouer. *Non acquiescet cuiusquam precibus.* Item non poterit remoueri per querelam falsi, vt si dicatur, quod illa sententia est lata per falsa instrumenta, iudice circumuento; quia ille iudex non poterit decepi, neque circumueniri, cùm sit veritas & sapientia Dei. Vndè côtra ipsius sapientiã, nihil valebũt loquacitates aduocatorum, aut sophismata Philosophorum, aut argutia versutorum. Non etiam poterit releuari per integrum restitutionem, vt scilicet per pristinum statũ restituantur. Hebræor. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiã, &c.* prolapsi scilicet per finalem impœnitentiam. Ibi enim concludit aduersus impios æternæ damnationis sententiã. Vndè ibi nullus homo damnatus poterit se iustificare, aut diffiteri quod dãnatio sua non sit iusta. Vndè Iob: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Secundũ autem, quod est valdè formidabile, est discussio districti examinis, quæ ipsam sententiam præcedit. De qua subditur: *Indica mihi, cur me ita iudices,* id est, fac mihi notam culpam, pro qua debeo iudicari, vt possim ea corrigere ante examen. Nam illa discussio, quæ ibidem fiet, erit ita exacta, & de tot & talibus, quod nullus apparebit iustus; propter quod Dauid præueniens rogabat Deum dicens: *Non intres in iudicium cũ seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Augustinus in libro confessionum: Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eã. Rogabimus ergo, &c.

Prou. 6. Heb. 6. Iob 9. Ps. 142. August.

SERMO VI.

De fragilitate humana vita.

QVÆ est vita vestra, vapor ad modicum parens, Iacobi 4.

Sicut dicit Valerius Maximus l. 2. c. 1. Naturalis dulcedo vitæ, multa homines turpiter facere & pati cogit. Et intelligit de dulcedine vitæ corporalis & carnalis. Propter cuius scilicet amorem, homines inordinatè appetũt delectabilia carnis, & refugiunt etiã difficilia & pœnosa. Et ideo propter appetitum delectabilium cadunt in peccata luxuriæ & gulæ. In quibus homines multa turpiter agunt & patiuntur, & sic propter dulcedinem vitæ corporalis, refugiunt homines difficilia & pœnosa. Et quia etiam virtutes circa ardua & difficilia sunt; ideò etiam per hoc retrahuntur ab operibus virtuosis. Et propterea talis dulcedo, licèt delectabilis videatur dum habetur, tamen citò transit, & ad amaritudinem in fine perducit. Cuius figura habetur Apoc. vbi dicitur: *Accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum, & erat in ore meo tanquã mel dulce: & cùm deuorassem, amaricatus est venter meus.* Iste liber est vita carnalis siue voluptas carnis, & in hoc libro scripta est lex concupiscentiæ, quæ suadet delectabilia carnis, vnde primò dulcedinem, & post amaritudinem, & ideò est illa meretrix, de qua dicitur Prou. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem eius amara quasi absinthium.* Volens ergo beatus Iacobus nos à fallaci dulcedine carnalis vitæ retrahere, & eam nobis contemptibilem reddere, describit nobis ipsius vilitatem & fragilitatem in verbis propositis dicens: *Quæ est vita vestra, &c.*

Valer. Max. Apo. 10. Prou. 5.

In quibus quidem verbis tria facit.

Nam primò inquirit humanæ vitæ proprietatem, cùm petit: *Quæ*, id est qualis, *est vita vestra.*

Secundò ostendit ipsius fragilitatem, quia *vapor* est, id est vapori similis.

Tertiò subiungit ipsius breuitatem, quia *ad modicum parens*, id est apparens.

CIRCA primum aduertendum est, quod non intendit inquirere de qualitate, siue de proprietate vitæ spiritualis gratiæ vel gloriæ: quia illa, sicut est à nobili & glorioso principio, scilicet à Christo; ita etiam ipsa facit nos apparere & nobiles, & gloriosos, secundùm illud Col. *Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tūc & vos apparebitis cum ipso in gloria, Vita vestra*, id est causa vitæ vestræ, *apparebitis in gloria*, sicut apparente sole, qui est causa illuminationis, apparent simul cum eo, quæcunque ab ipso illuminata sunt. Intendit ergò beatus Iacobus inquirere de qualitate vitæ nostræ corporalis. Hoc ergo quod beatus Iacobus inquirit, scilicet quod talis sit vita nostra corporalis, inueniemus quod beatus Iob per quandam similitudinem propriam ostendit dicens: *Memento quia ventus est vita mea.* In quibus verbis facit tria.

Col. 3.

Iob. 7.

Primò implorat diuinam benignitatem, quia loquens Deo dicit, *Memento.*

Secundò allegat vitæ breuitatē, *quia ventus est*, id est, vento similis.

Tertiò insinuit mortalitatem, cùm addit: *Vita mea.*

¶ Circa primum notandū, quod quamuis in Deo non sit obliuio, nihilominus dicitur memorari alicuius, quandò eum benignè respicit, faciendo ei misericordiam, & ei indulgendo commissa peccata. Vndè Gloss. exponit hìc. *Memento*, id est me transeuntem benignè respice, quasi dicat, ex quo vita mea est ventus, id est velociter transit vt ventus, ergo benignè respice me transeuntem, quia post transitum vitæ non erit amplius locus veniæ.

¶ Duobus enim modis necessarium est homini ante transitum huius vitæ, quod Dominus memor sit eius, & benignè respiciat ipsum. Primò, ad remouendum malum, scilicet dimittendo culpam, & relaxando pœnam. Quorum primum pertinet ad Dei misericordiam, scilicet peccata dimittere. Secundum verò ad Dei bonitatem & clementiam, scilicet pœnas relaxare. Sed post huius vitæ transitum, quantum ad eos qui ad infernum vadunt, non habet locum misericordia. Vndè de damnato homine dicitur Iob: *Obliuiscar eius misericordia.* Et de omnibus dānatis dicitur ex parte Dei Ose. *Obliuione obliuiscar eorum*, scilicet non faciendo misericordiam, vt remittatur culpa, neque mortalis, neque venialis; quia venialis culpa, quādo est cū mortali, nunquam dimittitur sine ea. Et ideò ita punientur damnati in æternum pro peccatis venialibus, sicut pro mortalibus quoad temporis durationē, licèt non quoad pœnę æqualitatem, & acerbitatem. Similiter in inferno non habet locum bonitatis Dei clementia, per quam illa pœna aliquādo alleuietur, vel interpoletur, vel terminetur. Et ideo nunc petendum est, sicut petebat Dauid dicens: *Secundùm misericordiam tuā memento mei tu, propter bonitatem tuā Domine.* Nam secundùm misericordiā volebat sibi indulgeri peccata. Et propter bonitatem eius petebat sibi relaxari tormēta. Secūdo modo est necessarium homini, quod Dominus memor sit eius, & benignè respiciat ipsum, ad conferendum ei bonum,

Iob 24.

Ose. 1.

Psal. 24.

siue

siue gratiæ siue gloriæ. Vndè dicendum est Deo illud Neem. *Memento mei Deus meus in bonum.* Et posset etiam exponi *in bonum*, scilicet quod est necessarium ad sustentationem vitæ, & quod etiam est necessarium ad salutem animæ. Itē adhuc debet petere quod Dominus memor sit eius, ad perducendum ipsum ad bonum gloriæ, scilicet ad regnum cælorum. Ad quod nullus perduci potuit ante ipsius Christi ascensionē. Et ideò vnus ex latronibus petiuit à Christo dicens: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*, scilicet vt perducas me ad ipsum, cùm ascenderis illuc.

Neem. 5

Luc. 23.

B Secundò B. Iob allegat in auctoritate inducta vitę breuitatem, cū dicit: *Ventus est vita mea*, id est vēto similis, quasi dicat, sicut ventus citò transit & desinit, sic & vita mea. Attendendum tamen est, quod vita humana assimilatur vento in quatuor. Primò quoad motum, quia motus venti nō est rectus, sed tortuosus, vel per modum ascensus vel descensus Nam vna sufflatio ascendit, & alia descendit, & ideò non est motus cōtinuus, sed interruptus: quia in omni motu reflexo oportet intercedere quietem, sicut probat Philosophus in libro Phisicorum. Item vna sufflatio est fortior, scilicet descendens; & alia debilior, scilicet ascendens. Et hæc omnia competunt humanæ vitæ. Nam homo in corpore viuens, nunc ascendit per augmentū, scilicet in iuuentute, nunc descendit per diminutionem naturæ, & virtutis, sicut in senectute. Et fortior est homo in iuuentute, quàm in senectute. Nam istæ duæ ætates inuicem non continuantur, quia intercedit ætas virilis. Item homo in corpore viuens, nunc ascendit per prosperitatem; nunc descendit per aduersitatem, nunc ascendit per honorem & gloriam, nunc descendit per humiliationem & ignominiam. Item nunc ascendit viuens, nunc descendit moriens. Et idcirco, non debet homo, nec de suæ iuuentutis flore, nec de suæ prosperitatis fauore, nec de suæ exaltationis honore, nec de suæ vitæ rigore vel gloriari vel superbire. Sed debet post ascensum, semper timere fortiorem descensum, & vitæ & fortunæ. Hunc motum varium & contrarium ad modum venti, expertus erat Iob qui dixit: *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valdè.* Secundò assimilatur humana vita vento quoad defectum. Sunt enim tres causæ defectus siue abcissionis venti, quæ etiam suo modo vitam humanam abscindunt. Prima est intensum frigus, quia terra vehementer constringens vaporem, eleuari ventum non finit. Secunda est intensus calor, qui vaporem eleuatum consumit. Tertia est magna pluuia, quæ aërem infrigidans, vaporem generat, & tantum descendere facit, quod non potest subitò à calido eleuari. Item terram & poros constringit superficiei, vt non possit alius vapor eleuari ad augendam venti materiam, quæ est vapor siccus terrestris, & omnis vapor citò deficit, nisi continuò aggeneretur. In istis autem significantur tres causæ etiam mortis hominis, quia in intenso frigore intelligitur malitia trāsgressionis, quia frigus significat malitiā peccati, vndè assimilatur vento frigido, qui dicitur aquilo, de quo Eccl. *Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit crystallus.* Nā quasi flatus venti frigidi aquilonaris, est vita hominis malè operantis, in quo malitia frigiditatē inducit, dum calorem charitatis excludit. Vndè Hierem. *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic fri-*

Iob 30

Eccl. 43

Hier. 6.

frigida fecit malitia suam. Et ab hoc frigore crystallus gelatur; quia peccati malitia anima induratur. Hoc ergo frigus est peccati malitia quod mortem induxit, secundùm illud Apostoli Pauli. *Per vnũ hominem peccatum in hunc mundũ intrauit, & per peccatũ mors.* In intenso vero calore accipitur distemperantia complexionis, quæ est naturalis causa humanæ infirmitatis & mortis, ficut patet præcipuè in febribus. Vndè vita hominis sic distemperati, assimilatur vento vrenti. Iob: *Tollet eum ventus vrens*, id est vita distemperata, per febrem ardentem, vel aliam infirmitatem; tollet eum, scilicet hominem, de numero viuentium per mortem. Sed per pluuiam desuper cadentem, intelligitur iustitia diuinæ ordinationis. Propter quam dicit Apostolus ad Hebręos quod *statutum est omnibus hominibus semel mori.* Et hoc est pondus, scilicet corruptionis corporis: quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, quod pondus Deus imposuit ventis, id est in hac vita viuentibus, secundùm illud Iob: *Qui fecit ventis pondus.* Vndè huic statuto Dei oportet quod omnes obediant, secundùm illud Matth. *Venti & mare obediunt ei*, vt per ventos intelligamus vitam iustorum, & per mare vitam peccatorum; quia vtrique finaliter obediunt legi mortis. Vndè Marc. *Cõminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus.* Vel per pluuiam desuper percutientem terram, intellige occisionem hominis violentam, dum vnus ab alio superatus percutitur & occiditur. Quod etiam ex diuino iudicio, licèt occulto, multoties accidere probatur. Vndè ipse Deus dixit Hieremiæ: *Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimico.*

Rom. 5. Iob 27. Hebr. 9. Iob. 28. Matt. 8. Mar. 4. Hier. 18.

Tertiò, in auctoritate inducta ostendit beatus Iob suam mortalitatem, cum dicit: *Vita mea*, scilicet mortalis. Vndè vita nihil est, nisi continuus cursus ad mortem. Et ideò rectè assimilatur telæ, quæ teritur, in qua filum filo additur, vt post texturam succidatur. Et sic in vita hominis dies diei additur, vt postea moriatur. Et quantò magis textura procedit, tantò succisioni propinquior existit. Et sic etiam quantò vita vlterius procedit, tantò plus appropinquat morti. Vndè Isaias, *Præcisa est velut à texente vita mea.* Et tamen in hoc differt, quia tela non succiditur, antequam textura compleatur, sed vita frequenter in ipso principio tollitur. Et ideò subiunxit: *Dum adhuc ordirer, succidit me.* Isa. 38.

SECVNDO, In auctoritate principali ostendit B. Iacobus humanæ vitę fragilitatẽ. in eo quod dicit, *Vapor est*, id est vapori similis. Vapor enim res fragilis est. Sed attendendum, quod vita humana etiam corporalis, si consideretur ex parte materiæ, id est corporis est valdè fragilis, sed si consideretur ex parte formæ, id est ex parte animæ, aut ex parte suæ efficientis causæ, res est valde nobilis. Et ad ista duo potest referri, quod dicitur Sapientiæ: *Vapor* (inquit) *est virtutis omnipotentis Dei.* Vbi quidem consideranda sunt tria, quæ faciunt ad vitam humanam. Apparet quidem in homine. Sap. 7.

Primò quidem vaporis typus in corporis conditione, ideo dicit, quod *vapor est.*

Secundò ostenditur Dei virtus in animę creatione, vnde subdit *Virtutis Dei.*

Tertiò manifestatur omnipotẽtiæ effectus, in vtriusque vnione, ideo subiungit: *Omnipotentis Dei.*

¶ Quantum ad primum sciendum,

dum, quod vita ex parte corporis assimilatur vapori triplici ratione. Et primò ratione durationis; quia vapores parum durant in aëre, & citò resoluuntur: sicut apparent præcipuè in vaporibus nebulæ. Item homines parum viuunt in mundo, & citò moriuntur. Ezech. *Vapor nebulæ de thure consurgebat.* Per thus, quod Deo offertur, intelligitur cor hominis, quod Deo dari debet. Prouerb. *Præbe mihi cor tuũ.* De hoc cõsurgit vapor nebulæ, id est profectus vitæ. Proue. *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Sed tamẽ vapor nebulæ faciliter & citò resoluitur, quia scilicet vita hominis faciliter finitur. Vndè Sa. *Trãsiet vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebulæ dissoluitur, quæ fugata est à radijs solis.* Et isti diuersi radii solis sunt diuersæ occasiones mortis. Secundò assimilatur vita humana vapori, ratione eleuationis. Sicut enim probatur in libro de crepusculis. Vapores non ascendũt in aëre vltra tria miliaria. vel saltem distinguuntur tres regiones aëris, in quibus eleuantur vapores. Quarum vna est calidissima, scilicet suprema, propter ignis vicinitatem: alia frigidissima, scilicet media: tertia temperata, scilicet infima. Tales autem sunt tres ætates, quibus humana vita deducitur. Quarum prima est augmentatiua, quæ scilicet durat vsque ad 21. annum secundum augmentum longitudinis, simpliciter ad vsque 25, & hæc secundũ quosdam est calidissima. Secunda ætas est statiua, & hæc est à 21. vel 25. anno vsque ad 35. vel 40. annum, si sit homo bonæ complexionis. Et hæc secundum aliquos est magis temperata ætas quàm prima, quidquid aliqui in contrarium dicant. Tertia est ætas defectiua, scilicet senectus, abinde vsque in finem, & hæc ætas est frigida. Sed sicut quidã vapores resoluuntur quandoque in principio suæ eleuationis, sicut in principio aëris, scilicet in temperato, sicut patet in nebulis; quãdoque in medio, sicut patet in nubibus, & aliis vaporibus humidis; quandoque verò in supremo, sicut patet in vaporibus siccis. Ita etiam de hominibus accidit, quod quidam moriuntur in adolescentia, quidam in virili ætate, quidam verò in senectute, vndè mors ætati non parcit: & ideò Ambr. dicit, quod *mors in senibus est in ianuis, iuuenibus in solijs.* Vndè dictæ tres ætates, velut tres bestiæ, vaporem igneum sperantes sunt, id est cõsumptibilitatẽ vitæ. Sap. *Ignotas bestias vaporem igneum spirantes.* Tertiò assimilatur vapori ratione distinctionis. Distinguitur enim triplex vapor, scilicet siccus & terreus, humidus & aqueus, & tertius ex vtroque mixtus. Solum enim terra & aqua sunt vaporabilia elementa. In his igitur tribus vaporibus, tres modos accipere possumus hominum malè viuentium. Quorum scilicet quidã sunt terrei per auaritiam, quidã aquei per luxuriam, & quidam ex vtroque permixti per superbiã. Nam multi superbi sunt, qui idcircò status & dignitates quærunt, vt terram possideant, & etiam voluptatibus affluant. Et hinc est quod in sacra scriptura tria genera vaporum commemorantur, scilicet, vapor ignis, qui significat carnis luxuriam. Eccli. *Vapor ignis vret carnes eius,* scilicet per accensionẽ libidinis. Itẽ vapor fumi, qui designat superbiam: quia vapor fumi ab igne citò ascendit, & citò deficit, sic superbus ab igne ambitionis ascendit in altum dignitatis, sed tamen citò deficit per mortem, vel per deiectionem. Ioël. *Dabo,* id est dari permittam, *ignem,* scilicet ambitionis, *& va-*

Ezec. 8. Prou. 23 Prou. 4. Sap. 2. Ambr. Sap. 11 Eccl. 38. Ioël. 2.

porem fumi, id est ascensum superbiæ citò deficientem. Vnde Ps. Psal. 36. *Inimici verò Domini, mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Item vapor nebulæ, qui parum à terra eleuatur, & terræ continuatus auaritiã significat, & cupiditatem terrenorum, quæ multum mentem hominis occupat, & retrahit à diuinis. In cuius figura Leui. 16 Leuit. *Nebula & vapor eorum operiebat oraculum.* Oraculũ est mens humana, quæ orationibus & diuinis cõtemplationibus debet mãcipari, sed aliquando in tantum operitur & offuscatur ab auaritia & cupiditate terrenorum, vt à diuinis & spiritualibus totaliter retrahatur. Quartò, vita humana assimilatur vapori ratione resolutionis. Diuersi enim vapores diuersimodè resoluuntur, & similiter diuersi homines diuersimodè moriuntur, vel etiam spiritualiter à vitiis diuersis absorbentur. Nã quidã vapores sunt, qui resoluũtur & conuertuntur in ignem, sicut illi, qui ascendunt ad supremam aëris regionem quæ dicitur regio æstus & ibi incenduntur & ab igne consumuntur. Tales sunt multum ad statum dignitatis eleuati, qui vel incenduntur igne & iracundiæ & sæuitiæ, sicut Nero, qui fuit crudelissimus & iracundus; Vel igne auaritiæ, sicut de Antigono Seneca dicit, quod fuit Seneca Rex auarissimus: Vel igne concupiscentiæ, & luxuriæ, sicut de Sardanapalo narrat Orosius, quod Orosius fuit Rex Assyriorum luxuriosissimus. Quidam verò vapores sunt, qui resoluuntur in aërem, siue ventum. Et iste ventus quandoque eleuatur in altum, & generat in aëre vel in mari tempestatem. Et talis est vita quorundam inquietorum, qui semper in iurgiis & litigiis, & seditionibus delectãtur, & pacem videntur odio habere. Sicut dicitur quod Alexander cuidam quærenti quare mundum ita infestaret, & in pace stare non posset? Respondit, Quoniam pax esset sibi guerra, si adesset. Quandoque verò ventus per foramina & cauernas terræ ingressus facit terræmotus, qui faciunt terram tremere. Et sic quorundã vita aliquando ita tyrannica est & terribilis, quod faciunt alios tremere, & se timere. Et in hoc quasi ponunt beatitudinem suam, vt potentes reputentur, & terrori habeantur: sicut dicit Seneca de Seneca. Alexandro in libro de beneficiis, quod summum bonum ducebat terrori esse, ignorans quod ignaua quoque animalia terrori habentur ob virus malum, sicut scorpiones & serpẽtes & huiusmodi. Alij autem sunt vapores, qui in altum eleuati efficiuntur nubes. Et talibus assimilatur vita iustorũ, qui à terrenis sunt per affectum eleuati & separati. Et ideo ad velociter eundũ ad Deum apti sunt & Isa. 60. expediti. Vndè Isaias: *Qui sunt isti qui vt nubes volant, &c.* Et ideo sicut ex nubibus sunt pluuiæ & fulgura siue sagittæ & tonitrua; ita ex talibus sunt doctrinæ, correptiones asperæ, & quandoque manifesta miracula. Tales enim nubes habent intus igneum vaporem, id est feruorem spiritus, ex quo proueniunt talia. Sed aduertendum, quod quidam vapores nubium sunt, qui quando eleuãtur, tragunt quandoque secum paleas, pilos, ligna, vel lapides. Propter quod postea quando talia pluunt, non est, quia hæc fuerint in nubibus generata, sed cum eis eleuata. Et similiter sunt quidam cupidi, qui volunt omnia rapere, & secum trahere. Sed sicut nubibus resolutis, omnia talia cadunt, ita quando huiusmodi homines per mortem resoluuntur, necesse est hæc omnia decidere,

& hic remanere. Sed iterum notandum, quod vita sancti viri assimilatur vapori odorifero, qualis est vapor incensi, quia Deo reddit odorē deuotionis, & hominibus dat odorē bonæ opinionis. Vndè Eccli. *Quasi libanus non incisus vaporaui habitationem meam.* Libanus Græcè vocatur arbor thuris, quæ aliquando per vim non incisa, sed sponte ex seipsa incensum siue thus emittit. Et tale thus colligitur in vere, & tale thus habet vaporem magis odoriferum. Et ideò Libanus nō incisus significat animam sancti viri & deuoti, qui non coactè, sed spontè vult benè viuere, & virtuosè operari. Hic ergo animam, id est habitationem corporis sui vaporat, id est viuificat vapore odorifero, id est vita laudabili à Deo & hominibus.

Eccl. 14

F Secundò ostenditur in auctoritate inducta, quod humana vita est ex virtute Dei, vnde dicitur esse *vapor virtutis Dei.* Nam ipsa vita corporis est ab anima, quæ sola virtute Dei creatur. Anima enim rationalis non est forma ex materia, virtute generantis educta, sed potius virtute diuina creata & infusa. Vndè etiam Philosophus dicit, quod intellectus fit in homine iussu Dei, id est anima intellectiua in corpore. Et ideò Ezec. dixit Deus: *Omnes animæ meæ sunt,* scilicet iure creationis: & subdit: *Vt anima patris, ita & anima filij.* Ad ostendendum videlicet, quod filius nō habet animam rationalem à patre generante, sed à Deo creāte. & sicut anima rationalis à solo Deo creatur, in vita naturali, ita & à solo Deo saluatur, in vita spirituali, quæ inchoatur per fidē, ideo Paulus: *His qui salui fiunt,* id est *nobis virtus Dei est.* Tertiò ostēditur in auctoritate inducta, quod in humana vita apparet opus omnipotentiæ Dei, ideò dicitur esse *vapor omnipotentis Dei.* Nā vita humana resultat ex vnione animę & corporis, in qua videlicet vnione manifestatur omnipotentia Dei, id est quod super omnem naturā Deus possit. Nā eo ipso quod naturas tam distantes coiunxit, scilicet animæ nobilis & rationalis, & corporis vilissimi & corruptibilis, ostenditur Deus esse omnipotens, id est super omnem naturam potentiam habens, tam scilicet spiritualem, cuiusmodi est natura animæ rationalis, quàm etiā corporalem, sicut est natura humani corporis. Vndè sicut dicitur Iob: *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam,* quæ corpori vnitur vt forma. Vndè ipse Deus omnipotens est, de quo dicitur Gen. *Formauit igitur Dominus Deus hominē de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, factus est homo in animam viuentem,* quia vtrumque habet ab omnipotente Deo, scilicet animam & corpus. Sicut mater illorum septem fratrum piè confessa est dicens: *Filij, nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed est mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem.* Patet ergò quod de vtroque debet omnipotenti Deo seruire, vt eum ex tota anima diligat, & corpus hostiam à Deo viuentē exhibeat. Sed heu multi è contrario, & animam per malitiam, & corpus per luxuriam, potius exhibent diabolo, quàm velint dare ei, qui potest & corpus & animam perdere in gehēnam.

Ezec. 18

1. Co. 1.

Iob 32.

Gen. 2.

1. Ma. 7.

G TERTIO, in auctoritate principali ostendit beatus Iacobus humanæ vitę breuitatē, quia est *ad modicum parens.* Vbi aduertendum est, quod est quædā vita in homine, quæ non est apparens & ista est vita animæ præcipuè post corporis mortem. Vndè Apostol. Colos.

Mortui

Mortui enim estis, & vita vestra abs-
1.Re.16 *condita est*, & ratio est, quia sicut
dicitur 1.Regum. *Homines vident,*
qui foris apparent, id est, quæ ap-
parent exterioribus sensibus; quia
omnis nostra cognitio oritur à
sensu; sed anima, præcipuè separa-
ta, nō subiicitur sensibus exterio-
ribus, & ideò non est apparens.
Vndè sicut dicitur in prima cano.
Ioannis: *Nondum apparuit quid*
1.Io.3. *erimus*, scilicet post separationem
animæ à corpore. Sed alia est vita,
scilicet corporis, & ista est parēs,
id est apparens exterioribus sensi-
bus Et differunt istæ duæ vitę,
quia prima est perpetua, secun-
Sap.5. dum illud Sapient. *Iusti autem in*
perpetuum viuent. Sed alia scilicet
corporalis, durat ad modicum tē-
pus, ita vt potius debeat dici ap-
parens quàm existēs. Nam homo
breui viuens tempore, ad modi-
cum tempus videtur, & postea
moritur, & vita eius amplius non
Ioan.14 apparet. Vndè Ioan. *Adhuc mo-*
dicum, & mundus me iam nō videt.
Hypocritæ etiam qui viuunt so-
lùm ad apparentiā qui extermi-
nant facies suas, vt hominibus ap-
pareant ieiunantes, & omnia o-
pera sua faciunt vt videantur ab
hominibus, & qui similes sunt
sepulcris dealbatis, quæ foris ap-
parent hominibus speciosa, & in
tus sunt plena cadaueribus mor-
tuorum, secundùm illud Matth.
Mat. 23. Tales, inquam, quantumcunque
eleuentur in mundo, in honori-
bus vel dignitatibus; modico ta-
men tempore durant, secundùm
Iob 14. illud Iob: *Eleuati sunt ad modicum,*
& non subsistent. Sed notandum,
quod quamuis vita humana ad
modicum tempus appareat, tamē
Dei iuuāte gratia, in isto modico
tempore potest homo sic labora-
re, quod habebit æternam quietē.
Formica enim modico tempore
in æstate congregat tantum, quod
hyeme inde pascitur & viuit. Et
sic debet homo facere in isto mo-
dico tēpore, quo viuit; ita vt pos-
sit faciliter dicere illud Eccl. *Mo-* Eccl.51
dicum laboraui, & inueni mihi mul-
tam requiem, scilicet in vitā æter-
nam. Ad quam nos perducat piis-
simus Iesus, &c.

SERMO VII.

De labilitate eorum, quæ pertinent ad humanam vitam.

Transierunt omnia illa tanquam
vmbra, & tanquā nuncius præ-
currēs, & tanquā nauis quæ pertran-
sit fluctuante aquā, cuius cū præte-
rierit, nō est vestigiū inuenire, Sap. 5
Seneca in quadam episto. dicit,
quod nihil est quod intrāsitu pro-
sit Et ponit de hac tria exempla.
Primum in cibis, quia nō prodest
cibus nec accedit corpori, qui sta-
tim sumptus emittitur. Secun-
dum exemplum ponit in plantis,
quia non conualescit planta quæ
sæpè & citò transfertur. Tertium
exemplū in libris, quia ille scho-
laris qui nunc istum librum, nunc
illum legere vult, & in nullo in-
genium figit, parum, vel nihil,
& cum difficultate addiscit. Sic
bona præsentia & temporalia,
quæ transitoria bona sunt, vt deli-
tiæ, diuitiæ & honores, & similia,
ad æternam beatitudinem conse-
quendam homini non prosunt,
imò frequenter impediunt. Vndè
Dominus de diuitiis dicit Matth.
quod *facilius est camelum per fora-* Mat.19.
men acus transire, quàm diuitem in-
trare in regnum cœlorum. De deli-
tiis verò dicit Luc. *Væ vobis diui-* Luc.6.
tibus, qui habetis consolationem ve-
stram. De honoribus verò dicit
Luc. *Qui se exaltat, humiliabitur.* Luc. 12.
Et ideo volens nos sapiens ad eo-
rum contemptum inducere, dixit
& ostendit in verbis propositis,
quomodo transitoria sunt, & pæ-
nè, nulla dicens: *Transierunt om-*

nia illa, scilicet temporalia bona, *tanquam vmbra, &c.*

A In quibus quidem verbis ostenditur triplex humanæ vitæ defectus secundùm tres circumstantias, quas homines communiter appetunt circa vitam suam. Appetunt quidem communiter homines habere

Vitam quietam,

Vitam lætam,

Et vitam plenam, id est abundantem bonis.

Sed ostenditur in verbis propositis quod è contrario contingit.

Primò quidem habent homines de bonis temporalibus nullam quietem, ideò dicit: *Transierunt omnia illa tanquam vmbra.*

Secundò lætitiam modicam, quia *tanquam nuncius præcurrens.*

Tertiò abundantiam nociuam siue periculosam, quia *tanquam nauis, &c.*

PRIMO dico quod appetunt homines habere vitam quietam; propter hoc enim conantur homines adimplere appetitos suos, quia appetitus quamdiu non impletur, impellit & inquietat animum. Et ideo satiato & impleto appetitu, credunt homines in animo habere quietem. Sed ista bona præsentia non possunt satiare, neque quietare appetitum, quantumcunque habeantur, propter duas rationes, quæ tanguntur in verbis propositis. Primò quidem, quia sunt trāsitoria; ideò dicit, *Trāsierunt omnia illa.* Secūdò, quia sunt vana, quia *tanquam vmbra* quæ cùm sit res vana, non potest satiare. Manifestum est enim quod cibus, qui non maneret in stomacho vel corpore, sed statim emitteretur, non satiaret appetitum famis. Et sic ista bona cùm non maneant sed transeant, omnia non satiant appetitum cordis; quia appetit homo illa nō solùm attingere, sed tenere & possidere. Item cū motus opponatur quieti in re mota & transeunte non potest esse quies. Sed posses dicere, verum est, quod ipsa res, quæ mouetur & transit, non potest quiescere, dum transit vel mouetur, sed benè potest aliquis in ea quiescere, sicut patet de homine dormiēte in naui, semper eūte, & de puero dormiente in cunabilis exagitatis. Sic etiam, quamquam ista bona sint transitoria, tamen potest nihilominus habere homo quietem in illis. Sed dicendum, quod illud quod est in re mota, per seipsum mouetur, sed si per se mouetur, non quiescit, sicut si homo ambularet per nauem, tunc enim non quiesceret, non tātùm propter motum nauis, sed etiam propter proprium motum. Sic etiam est in proposito, quia scilicet vita hominis in istis tēporalibus quieta esse non potest, nō solùm quia ista transitoria sunt, & sicut vmbra, sed etiam quia vita transitoria est, & velut vmbra. Et hoc ratione temporis, cui subijcitur, sicut & cætera naturalia, quia scilicet ipsum vitæ humanæ tempus transitorium est velut vmbra. Et hoc est quod dicitur Sap. *Vmbra transitus est tempus nostrum.* Sap. 2.

B In quibus quidem verbis ostenditur, quod vita nostra propter tempus, cui subijcitur, habet tres defectus.

Primò defectum vanitatis, ratione vmbræ, quia *vmbra est.*

Secundò defectum instabilitatis, ratione transitus, quia *transitus est.*

Tertiò defectum breuitatis, propter tempus, quia breue est, scilicet *tempus nostrum*

¶ Habet ergo primò humana vita vanitatem ad modum vmbræ, quia vmbra habet apparentiam, & non existentiam. Vmbra enim transiens dum mouetur & transit, videtur quasi esse quædam res viua, &

na,& tamen in rei veritate est res
mortua, imò nihil est nisi defe-
ctus luminis ex obstaculo corpo-
ris. Sic vita humana, licèt dicatur
vita, tamen potiùs est mors quàm
vita, quia plus est illud, quod deest
de vita, puta præteritum vel futu-
rum, quàm illud quod adest, scili-
cet præsens momentum. Et dicit
Ecclesia: Media vita in morte su-
mus, quia cùm mors sit priuatio
vitæ, illud præsens quod habemus
de vita est mediū inter duas pri-
uationes vitæ scilicet præteritæ, &
nondum habitæ, scilicet futuræ:
Ps. 143. ideo dicit Dauid: *Homo vanitati
similis factus est, dies eius sicut vm-
bra prætereunt.* Potest etiam assig-
nari alia quadruplex ratio, quare
scilicet vita humana vmbræ assi-
milatur. Prima quidem est, quia
vmbra facit hominem timidum.
Nam videmus quod homines, qui
sunt in obscuritate, naturaliter ti-
ment. Et ita contingit de vita ho
minis, dum est in mūdo isto; quia
quantumcūque homo sit despe-
ratus, & peccator, timet tamen
mortem & sententiam diuinam.
Prou. 10 Et ideò dicitur Prou. *Pauor his qui
operantur malum.* Item si homo sit
iustus & sanctus, dum viuit, sem-
per timet ne perdat gratiam quā
habebat. Et ideò dicebat Prophe-
Psal. 54. ta Dauid: *Timor & tremor venerunt
super me, & contexerunt me tenebræ.*
Vndè timor talis assimilatur vm
bræ noctis; quia de nocte timet
homo de modica vmbra, quæ ap-
paret. Et sic sancti viri de modica
Isa. 16. culpa timent, ne perdāt gratiam.
Isa. *Pone quasi noctem vmbram.* Se-
cunda ratio est, quia vmbra facit
hominem frigidum. Vndè vide-
mus quod de nocte homo sentit
maius frigus quàm de die, quia in
die lucet sol, qui est causa caloris.
Item in ardore æstatis ponit se
homo sub vmbra, vt refrigescat.
Isa. 4. Isa. *Erit in vmbraculum diei ab æstu.*
Vnde vmbra infrigidat. Et ita cō-
tingit spiritualiter de homine in
vita ista præsenti, quia habet parū
de calore amoris diuini. Et hoc
est, quia ponit nimis amorem suū
in mundo isto. *Et qui diligit mun-* 1. Io. 2.
dum, non est charitas patris in ipso,
sicut dicitur 1. Ioann. & ideò est
totus frigidus. Huius figura habe-
tur in Iona, quia Ionas quamdiu Iona. 4.
fuit sub vmbra hederæ, non sen-
tiebat æstum. Et sic homo infri-
gidatus amore huius vitę nō sen-
tit æstum, id est feruorem chari-
tatis diuinæ. Tertia ratio, quare
vita præsēs assimilatur vmbræ est,
quia facit hominem somnolen-
tū, quia in vmbra facilius homi-
nes dormiunt. Iob: *Sub vmbra dor-* Iob. 4.
mit. Sic homines in vita ista sunt
somnolenti, id est negligentes &
pigri, & tardi ad spiritualia opera.
De hoc habetur figura in Helia, 3. Re. 19
*Qui obdormiuit in vmbra iuniperi.
Et aparuit ei Angelus Domini di-
cens: Surge, comede, grandis enim re-
stat tibi via, Et surrexit, comedit, &
bibit, & ambulauit in fortitudine ci-
bi illius vsque ad montem Dei Ho-
reb.* Helias ergo qui dormit sub
vmbra iuniperi, significat hominē
negligentem, pigrū, & remissum,
qui dormit, quiescit, & delectatur
in vmbra rerum temporaliū, quæ
non refrigerant ab ardore auari-
tiæ, seu à seueritate diuinæ iusti-
tiæ; sed mentem pungunt, & la-
cerant eam. Arbor enim illa vm-
bram quasi nullam habet, & sic
refrigerium non præstat, sed est
pūgitiua. Sed tali homini sic dor-
mienti, sic pigro, sic negligenti,
tunc apparet Angelus, & excitat,
& solicitat eum vt ambulet, quan-
do inspirat, & dat ei bonum pro-
positum, vt recedat à malo, & in-
cipiat facere bonum, & prosequa-
tur. & sic tandem peruenit ad
montem Dei Horeb, id est ad al-
titudinem paradisi, & cęlestis re-
gni. Quarta ratio, quare vita præ-
sens assimilatur vmbræ est, quia

vmbra facit hominem ignarum. Sicut videmus quod in vmbrositate noctis non videt homo, nec discernit colores, nec personas agnoscit. Ita etiã spiritualiter homo viuens in mundo isto, quia de Deo vel de aliis rebus cognitionẽ non habet, saltem perfectam, sed nec de statu suo proprio, quia
Eccle.9 *nescit homo vtrũ amore an odio dignus sit*, vt dicit Eccle. *Et nescit homo finem suum*, vt ibidem dicitur quã dura est & terribilis, cæcitas hominis, & tenebrositas, quod quantumcunque homo sit bonus, nescit tamen propter hoc an debeat ire ad paradisum. Et è cõtra quãtumcunque homo sit desperatus & malus, nescit tamen propter hoc, an sit iturus ad infernũ. Propter hoc etiã peccator habet obliuionem, & ignorantiam sui ipsius, & non confitetur, & ita vadit ad infernum. Vndè sapiens loco præallegato subiũxit: *Vndè & corda filiorum hominum replentur malitia, & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* Et
Grego. Gregor. *Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei.* Et hæ sunt tenebræ & vmbra
Iob 3. mortis, de qua dicitur Iob: *Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis.*

C Secundus defectus humanæ vitæ, qui tangitur in auctoritate inducta, est defectus instabilitatis, ratione scil. transitus, quia dicitur quod est *vmbræ transitus*. Trãsitus enim temporis vitæ nostræ velox est, & continuus. Et quia tempus datũ est nobis ad bene operandũ, ideò iste transitus temporis monet nos ad continuè & solicitè benè operandum. Consueuerunt enim tria genera hominũ continuè & solicitè transire: videlicet,

Cursores, quousque veniant ad terminum.

Hostem fugientes, quousque inueniant tutũ locum, in quo possent recepi securè.

Poma in naui portantes, quia scilicet festinant transire, antequã poma incurrant putrefactionis detrimentum.

¶ Est autem homo in mundo, vt cursor in via, vt ad patriam tẽdat cælestem. Sicut ergo cursor ad terminum intentum tendens, morã in via non facit, sic & nos facere debemus. Ille enim velociter currit, qui feruenter Deum diligit, quia dicit Bernar. *Qui amat vehementius, currit velocius, & peruenit citius.* Sed ille in via moram facit, qui inordinatè in istis temporalibus affectum ponit: & tunc non vadit, quia Deum non diligit. Bern.
Ioann. *Qui diligit mundum, non est charitas patris in eo.* Ambros. *Sicut* 1.Io.2.
nullus sine via peruenit, ad quod tendit? ita sine charitate, quæ via dicta est, ambulare non possunt homines, sed errare. Cursor etiam cum magno desiderio expectatur ab his, qui sperant bona noua recipere. Sic illi qui sunt in patria, desiderant bona noua audire de nobis, qui sumus in mundo. Et quando aliquis præcurrit, & præuenit alios ad vitam æternam, quia cum magno desiderio expectabatur, cum magno gaudio recipitur. Non vt dicat noua de nobis, quia ipsi omnia sciunt, quæcunque scire volunt: quamuis enim Augustin. dicat in lib. de cura pro mortuis agenda, quid nesciunt mortui, quid faciunt viui, & eorum filij. Intelligendum est hoc de cognitione naturali animarum separatarum. Sed beati cognoscunt ea in verbo, in quo cognoscunt omnia, quæ pertinent ad perfectionem beatitudinis eorum. Et ideò necessariũ est, quod omnia, quæ desiderant scire, cognoscant, sed recipiunt ad se venientes cum gaudio, vt quiescant & lætentur cum eis. Ergo festinemus

mus ingredi in illam requiem. Secundo, qui fugit hostem persequentem, quamdiu nō videt bonum præsidium, vel locum securum & tutum, in quo recipiatur, vt sit defensus & tutus ab hoste; omnia alia loca fugit, & habet ea suspecta, nec sistit in eis. Nos autem habemus hostes crudeliter nos persequentes, scilicet dæmones, qui nulli volunt parcere, sed omnes quos ceperint volunt æternaliter perdere; & non videmus in mundo aliquod bonum refugium, in quo possimus esse securi. Quia in omnibus bonis temporalibus diabolus conatur nos capere, scilicet in diuitiis, per auaritiam: in delitiis, per luxuriā, in honoribus & potentiis, per superbiam. Et ideò non debemus in eis figere pedes affectionum: sed potius fugere ad loca cæli tutiora. Exemplo Dauid: qui licèt esset in locis firmissimis in monte Ziph, qui mons opacus erat, vt habetur 1. Reg. tamen fugiens Saul, ascendit de monte Ziph, & habitauit in locis tutissimis Engaddi: vt habetur in eodem libro capit 24. 1. Re. 23.
Tertiò illi, qui portant poma in mari in naui, festinant transire, antequam poma corrumpantur, vel putrescant. Naues sunt animæ nostræ. Poma quæ portant sunt bona proposita, & bonæ voluntates, quæ citò deficiunt, nisi velociter transeant ad complementum operis. Et istas tres similitudines prædictas ponit beatus Iob dicens: *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt & non viderūt bonum, pertransierunt quasi naues poma portantes.* Sed videte, quia delatores pomorum raro ex ipsis comedunt, sic de multis habentibus bona proposita & voluntates, &c. Dicuntur autem dies vitæ hominis esse velociores cursore, quia cursor aliquando sistit, Iob 9.

& aliquando quietem interponit, puta quando quiescit vel dormit, vel quando sistit in aliis locis ad comedendum vel bibendum. Sed tempus vitæ nostræ sine interpolatione alicuius moræ, continuè labitur. Sanctus Iob: *Dies mei velocius transierunt quam à texente tela succiditur.* In succisione enim telæ filum post filum succiditur. Et in decursu vitæ, dies post diem elabitur. Et quandoque tota vita succiditur, & ideo velocius. Fugiunt autem dies pręcipuè hominibus ociosis, qui nihil operatur boni. Et ideò de diebus suis non vident aliquod bonum, licèt etiam multo tempore vixerint ociosi, nullum tamen bonum indè consequuntur. Vndè talium vita assimilatur terræ stereli, quæ nullū bonum fructum gignit; ideò apud Hieremiā Prophetam dicitur: *Erit quasi miricæ in deserto, & non videbit cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate in terra salsuginis.* Naues autem poma portantes reddūt quidem & circunfundunt odorem exterius, sed tamen intus leue pōdus portant, & ideò à vento vel fluctubus iactantur facilius. Vndè significant vitam hypocritarum, qui foris odorem quidem sanctitatis emittunt: sed intus carent pondere virtutis & veritatis. Et ideò à vento superbiæ & fluctubus vanitatum variè iactantur. Matthæ. *Nauicula in medio maris iactabatur fluctibus.* Iob. 7. Hier. 17 Mat. 14.

Tertius defectus est, quia humana vita in auctoritate inducta ostenditur habere breuitatem propter tempus, quia scilicet tempus nostrum, id est tempus vitæ nostræ, breue est. Et hoc fecit Deus misericorditer, & ex compassione quadam hominis. Quia quando aliquis est in multis miseriis, vt paupertatis, infirmitatis, & D

& aliarum aduersitatum, magna gratia quod citò transeant. Vnde Tullius dicit, quod omnia breuia tolerabilia esse debent, etiamsi magna sint. Sed vita hominis in mũdo isto est subiecta multis miseriis malorum, vt manifestũ est. Et ideò de gratia Dei est, quod breui tempore duret, secundùm illud Iob: *Homo natus de muliere,*
Iob 14. *breui viuens tempore, repletur multis*
Sap.2. *miseriis.* Sap. *Exiguum & cum tedio est tempus vitæ nostræ.*

E SECVNDO ostenditur in auctoritate principali, quod homo in bonis vitæ præsentis habet lætitiam modicam, quia bona tẽporalia sunt tanquam nuncius præcurrens. Appetunt enim homines habere vitam lætam, quia si homo viueret cum tristitia & melancholia, vita eius neque esset bona neque perfecta. Vndè sicut dicit sapiens: Homo sine delectatione & lætitia viuere non potest, alioquin melior est mors quã vita amara. Vndè videmus, quod homines tristes & melancholici desiderant multoties mortem, & nonnulli præ tristitia occidunt se-
Prou.17 ipsos. Et propterea dicitur Prou. quod *animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exiccat ossa.* Sed sapiens in auctoritate proposita assimilat lætitiam mundi nuncio præcurrenti, id est cursori velociter transeunti. Et ratio est, quia quando homo expectat bona noua de aliqua causa, expectat ea cum gaudio magno. Et quando iam cursor rediit, & dicit sibi illa noua quæ expectabat, tunc indè aliquod gaudium & delectamentum recipit. Sed postea illud gaudium & delectamentum, superuenientibus aliis negotiis, citò transit. Ita est de lætitia mundi. Vndè
August. August loquens de lætitia mundi dicit, quod *non habita & expectata animum cruciat, habita non satiat, & perdita non delectat.* Item lætitia mundi habet admixtionem pœnæ & tristitiæ: vnde non minus cruciat quàm delectet. Sicut appetens delectationem carnis antequam assequatur desiderio affligitur, & labore habendi fatigatur. Et dato quod assequatur, non satiat, sed amplius desiderat, & quãdoque ex zelotypia alterius habentis eam plurimũ torquetur. Et præter hæc, postquam delectatio transit, habet remorsum conscientiæ, & multoties timorem verecundiæ si sciretur. Et ideò dicit Boëtius: *Humanæ fœlicitatis dulcedo multis amaritudinibus re-* Boëtius
spersa est. Huius figura habetur 2. Reg. quando scilicet occiso Absa- 2.Re.18
lone, & debellato exercitu suo, Achimaas præcurrens ante Chusi, fuit nuncius primus. Vndè speculator ait: *Contemplor cursum prioris quasi cursum Achimaas filij Sadoc. Et ait Rex: Vir bonus est, & bonum nunciũ portans venit.* Et postea veniẽs ait: *Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui eleuauerunt manus suas contra Dominum meum Regem Dauid.* Sed post lætitiam de victoria, secutus est Chusi qui annuntiata morte Absalonis, conuertit Regem ad luctum & tristitiam magnam. Vndè postea subditur ibi, quod *contristatus Rex ascendit cœnaculum portæ, & fleuit.* Sic verè accidit de lætitia mundi sicut dicitur Prouer.
Risus dolore miscebitur, & extrema Prou.14
gaudij luctus occupat.

TERTIO, in auctoritate F
principali ostenditur, quòd vita humana habet quandoque abundantiam noxiam & periculosam. Desiderant enim homines in hoc mundo habere abundantiam diuitiarum, & propterea faciũt vsuras furta, & rapinas, & alia lucra illicita; de quibus contingit sicut de naui in fluctibus & tempestate magna posita, quæ si sit nimis onerata, nisi alleuietur, ex ipso one-

re submergitur. Sic etiam homo oneratus multis diuitijs & lucris, nisi alleuietur per restitutionem, & eleemosynarum largitionem, submergitur in infernum. Vndè dicitur in auctoritate principali, quod est *tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cũ pertransierit, non est inuenire vestigium.* Vbi

In vase scilicet nauis, potes notare paupertatem, quia *tanquam nauis.*

In itinere contrarietatem, quia *pertransit fluctuantem aquam.*

In fine obliuiositatem, quia *cũ pertransierit, non est inuenire vestigium.*

A Circa primum notandum est, quod quia quædã regiones sunt, quæ habent penuriam de quibusdam rebus necessariis & preciosis quæ abundant in transmarinis partibus Contra huiusmodi paupertatem & indigentiam, inuentæ sunt naues, in quibus huiusmodi res possint per aquam, id est mare intermedium deferri. Regio ergò abundans rebus necessariis & pretiosis est vita Sanctorũ; sed regio penuriosa & deficiens est vita peccatorum & imperfectorum. Res autem preciosæ sunt virtutes & merita Sanctorũ, quas virtutes per studium sanctæ contemplationis & imitationis trãsferre debemus ad nos, in nauibus operum nostrorum, vt abundet eis nostra regio, id est nostra vita defectuosa. Huius figura habetur 2. Paralip. vbi legitur, quod naues
2.Par.9. Regis Salomonis ibãt in Tharsis, & deferebant inde aurũ & argentum, & ebur, & simias, & pauos. Naues Regis Christi sunt animæ nostræ. Tharsis autem interpretatur exploratio gaudii, & significat contemplationem gaudij, quam habent Sancti in cælo, pro merito suarum virtutum, quas virtutes contemplando & considerando deferunt. Deferunt etiã inde aurum id est exemplum charitatis, quemadmodum enim aurum, omne aliud metallum in virtute excedit, ita charitas omnẽ aliam virtutem. Et aurũ terræ illius, id est charitas Sanctorum qui sunt in cælo, optimum est, quia in summo gradu amoris diligunt Deum, & se inuicem, & propter hoc sunt ipsi in summa pace: quia charitas, quæ est inter Beatos non permittit aliquam discordiam, nec aliquam iram, vel aliud mortale vitium. Et cùm sit amor purè spiritualis, excludit omnem amorem immundum concupiscentiæ carnalis, luxuriæ, vel gulæ: vndè excludit omnem causam discordiæ. Hoc aurum Apostolo Paulo ita charum fuit, quod potiùs voluisset omne malũ sustinere, quã ipsum perdere. Et ideò dicit ad Rom.8.
Rom *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, &c.* Et meritò, quia quicunque non habet de isto auro, est pauper & miser, & quicunque habet, est diues, quia de omnibus lucratur, *diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.* Propter quod in Apoc.3.
Apocalyp. dixit Christus animæ fideli, *Suadeo tibi emere à me*, dando scilicet quicquid habes, & exteriora pro charitate proximi; & interiora pro charitate Dei à me, inquam, in quo habes perfectæ & consummatæ charitatis exemplũ, *aurum ignitum*, id est charitatem feruentem, *vt locuples fias*, id est plenus omnibus virtutibus & bonis spiritualibus: quia *charitas patiens est, benigna est, &c.* ait Paulus. 1.Co.13
Secundo deferunt indè argentũ, id est exemplũ patientiæ. Quemadmodum enim argentum inter omnia alia metalla, id est inter omnes virtutes hoc habet, quod percussum dulcius sonat: Sic homo Patiens, afflictus & percussus dulciter sonat tantum laudes

Deo, & dulcia verba proximo, quia verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Item ad modum argenti, quantò asperius tractatur, tantò magis resplẽdet, scilicet splendore virtutis, quia virtus in infirmitate perficitur. Vndè istud est argentum igne
Psal. 11. tribulationis examinatũ, vt dicit Dauid: *Argentum igne exam. &c.* Tertiò deferunt indè ebur, id est exemplum castitatis. Nam elephas, de cuius ossibus est ebur, dicitur quasi concupiscentiam non habere. Et pannus superpositus denti elephantis, dicitur non cõburi si ab igne tãgatur. Et ita cõtinentiæ virtus conseruat animã ab ardore libidinis, quæ accẽditur in carne. Et nota, quod per continentiæ mundiciam efficitur anima thronus Dei. In cuius figura Salomon fecit thronum de ebore
2.Re.10 grandẽ. Quartò deferunt simias, quæ imitantur non solùm figuram, sed etiam opera hominum, gesticulando ea. Vndè significant imitationem operum Christi vel Sanctorum, qui secuti sunt eum
1.Co.11 sicut Apostolus Paulus, qui dicebat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quintò deferunt indè pauones, id est exempla prudẽtię. Pauo enim, præcipuè fœmina, prudenter occultat oua sua, vt nõ dissipentur ei, Sic debet homo prudenter occultare bona sua, ne à superbia vel vana gloria dissipentur. Item Christus est pauo, qui habet terribilem vocem in comminationibus peccatorum dicens Matth. *Væ vobis Scribæ &*
Matt.23 *Pharisei hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum, &c.* Item, *Væ vobis*
Luc.6. *diuitibus, qui habetis consolationem vestram*, Luc. Et terribiliorem habebit in iudicio, quando dicet il-
Matt.25 lud Euangelistæ Matth. *Discedite à me maledicti, &c.* Huius pauonis penna est pulcherrima, præcipuè in cauda, scilicet eius conuersatio virtuosa, quam scilicet imitari debemus. Vndè Ezech. dicitur: *Omne corpus eorum*, id est omnis vita Ezec 10
Sanctorum, *ad modum caudæ pauonis*, id est ad modum exempli conuersationis Christi, quod nobis post se imitandum reliquit. Sic ergo debemus nauigare in cælum, debemus nauem bonis mercibus onerare, id est de quolibet Sanctorum aliquid accipere, vt ab Apostolis exemplum patientiæ, à Martyribus exemplum fortitudinis, à Doctoribus exemplũ prudẽtiæ, & à Christo, & suis imitatoribus, exemplum conuersationis gratiosæ. Secundò, in itinere nauis possumus considerare contrarietatem, quam patitur humana vita in decursu præsentis vitæ, quia *pertransit fluctuantem aquam.* Tanquam aqua fluctuans est huius mundi decursus, per quam oportet transire nauem nostram, id est vitam vel animam nostram. Assimilatur autem mundus aquæ fluctuanti. Primò, quia in tali aqua fluctus mutuò se collidũt. Et sic in isto mundo superbi homines, & potentes, mutuò se inuadunt & lædunt. Et hæc est diuina sententia, vt mutuò se eiiciãt
& expellant. Ecclesiastic. *Commouit illos quasi fluctus maris. Viros* Eccl. 19
potentes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in Gentibus alienis. Sicut multoties accidit in plerisque locis propter partialitates, &c. Secundò, in tali aqua fluctus nunc sursum, nunc deorsum mutuò se impellunt. Quia in mundo aliquando homines exaltantur,
secundùm illud Psalm. *Exaltati* Ps. 106.
sunt fluctus eius. Alii verò deiiciuntur. Psalm. eodem *Ascendunt vsque ad cælos, & descendũt vsque ad abyssos.* Et aliquando confrin-
guntur. Iob. *Ibi confringes tumen-* Iob. 38.
tes fluctus tuos. Quasi enim mare fluctus suos confringit, cùm mũdus

dus ipse sæuiens potentes & superbos opprimit. Tertiò, aqua maris fluctuans spumã & ventum gignit. Et similiter mũdus gignit spumam iniquitatis & ventum vanitatis. Vnde dicitur in epistola Iudæ. *Hi sunt fluctus ferri maris: despumantes suas confusiones.* Et Iacobus: *Similis est fluctui maris qui à vento*, scilicet vanitatis, *mouetur & circumfertur.* Quartò, quia talis aquæ fluctus naues in periculo ponit. Nauis enim vitæ nostræ vel animæ non sine magno periculo transit per fluctus tentationum, & tribulationum. Iob. *Pedes meos subuerterunt, & oppresserũt*, scilicet dæmones, vel homines persecutores, vel casus infortunati, *quasi fluctibus*, tentationum scilicet vel persecutionum, vel infortuniorum, *semitis suis*, id est, subtilibus viis. *Dissipauerunt itinera mea*, &c. Sed nota, quod naui, inter tales fluctus periclitanti, succurrẽdum est. Primò per oneris peccatorum depositionem: quod fit in vera contritione. Apostolus ad Hebr. *Deponẽtes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus:* sed multi miseri potius volunt submergi quam deponere onus aut põdus peccati Sed contra hoc dicitur Ionæ: *Miserunt vasa quæ erant in naui in mare, vt alleuiaretur ab eis.* Hæc sunt vasa iniquitatis, quæ proiicere oportet. Secũdo, succurrendũ: est per aquæ proiectionem: quia aliquandò fluctus proiiciũt aquam in nauim, quã euacuare & eiicere oportet, & hæc est peccatorum confessio Threnor: *Effunde sicut aquam cor tuum*, ita quod non remaneat in vase cordis neque color: sicut fit quandò effunditur lac. Color peccati est similitudo peccati: & hoc est cogitatio peccati. Item neque odor: sicut quandò effunditur vinum: & hic odor est memoria peccati Neque sapor de substantia, id est de actu peccati: sicut remanet de oleo, secundum illud Psalmus. *Effundite coram illo corda vestra.* Sequitur effectus bonus: *Deus adiutor noster in æternũ.* Tertiò, succurrendũ est per anchoræ fixionẽ, per firmam scilicet spem de diuino auxilio, vel de cælesti præmio. Hæbreor. *Firmissimum solatium habemus qui confugemus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Hæc enim spes est, quæ facit Deum per orationem excitari dicendo. *Quare obdormis Domine?* Et hominem periclitantem à mundi fluctibus liberari, sicut dicitur Matthæi capite octauo. Quod *motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipse vero*, scilicet Christus, *dormiebat. Et cùm accessissent ad eum discipuli, suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos, perimus. Et tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

Iacobi 1. — Iob 30. — Hebr. 12 — Ionæ 1. — Thre. 2. — Psal. 61. — Hebr. 6. — Matt. 8.

G Tertiò, in fine nauigationis nota obliuiscitatem: quia scilicet cùm præterierit nauis vitæ nostræ non est inuenire vestigium. id est memoriam Nam postquam homo mortuus est, cito obliuioni traditur. Psalm. *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Ecclesiast. *Non est priorum memoria*, scilicet per historias & scripturas, quæ narrant gesta eorum. Sed dicendum, quod prædictæ illæ auctoritates loquuntur, secundùm quod communiter illud accidit: quia scilicet mortui communiter citò obliuioni traduntur. Et hoc accidit ob hominum infidelitatem & dilectionis fictionem, & propter vehementem cupiditatem ad ea, quæ præsentia sunt, quia ob vehementiam cupiditatis præsentium obliuiscuntur absentium. Sapien. *Tunquam*

Psal. 30. — Eccl. 1. — Sap. 5.

quam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Item accidit propter operum illorum, qui mortui sunt, vanitatem, & vitæ breuitatē, Sap. *Nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum.* Psal. *Perijt memoria eorum cum sonitu.* Et sic ergo communiter accidit. Vndè illi mortui, de quibus habetur memoria per scripturas, paucissimi sunt, & quasi nulli respectu eorum, de quorum operibus non est memoria. Vel dicendum est quod non est inuenire vestigium, id est memoriam vel nomen de eis, quorum vita prætereit, scilicet quod eis prosit vel obsit. Nam quamdiu viuebant in mundo, memoria vel nomen bonum poterat eis prodesse, vel malum obesse, vt dicit Philosophus 1. Ethicorum; nunc autem è conuerso. Nā quicquid dicatur de ipsis, siue bonum siue malum, eorum status vel conditio propterea in nullo mutatur, quia non redundat ad eos prout sunt in seipsis, sed solùm prout viuunt in memoriis hominum. Vndè siue in bonum siue in malum eorum habeatur memoria, propterea conditio eorū circa fœlicitatem non mutatur, vt scilicet propterea fœlices sint, vel infœlices, vel è conuerso. Vel possemus intelligere, quod vestigium vitæ hominis sit occupatio vitæ suæ. Et istud vestigium inuenitur & apparet dum homo viuit, quia apparet in quo homo occupat vitam suam, siue in faciendo egregiè aliquam artem, siue in docendo excellenter aliquam scientiā, siue in acquirendo lucra copiosa, & cætera talia. Sed postquam præteriit nauis, id est homo, vel vita eius, nihil amplius apparet, quia omnis eius operatio cessat circa talia. Vndè amplius non inuenitur in cathedra docēs, vel in apotheca operans, vel mercationes vendens aut emens. Ita vt ei morienti veraciter dici possit illud Prophetæ: *Vestigia tua non cognoscentur,* scilicet post mortem. Vel posset intelligi de vestigio Dei, quod est creatura corporalis, vel temporalis, in qua vestigium Dei, id est quædam imperfecta eius repræsentatio inuenitur. Sed in creaturis spiritualibus & intellectualibus, vbi est repræsētatio Dei perfectior, dicitur esse similitudo vel imago diuina. Dum ergò homo manet in vita corporali, vestigium Dei, id est creatura corporalis & temporalis inuenitur apud eum, inquantū ipse habet & possidet de bonis temporalibus. Sed postquam præteriit nauis, id est vita hominis nihil talium apud se inueniet. Vndè est homo similis dormienti, qui somniat se inuenire diuitias. Iob. *Diues cùm dormierit nihil secum afferet, aperiet oculos suos, & nihil inueniet,* scilicet post mortem. Et Psal. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Sed secundùm sententiam beati Grego. Si diues res suas, dum viuebat, dedisset misericorditer pauperibus, etiam postquā per mortem præterit, earum vestigia, scilicet æterna prœmia inuenisset in cœlo, secundùm illud Matthæi: *Da pauperibus, & thesaurum habebis in cœlo.* Ad quē thesaurū nos perducat piissimus Iesus Christus qui diues est in misericordia. Amen.

[Margin: Sap. 2. — Psal. 9. — Arist. — Iob 27. — Psal. 75. — Gregor. — Mat. 19.]

EXPLICIT DISTINCTIO PRIMA, quæ egit de contemptu præsentis vitæ.

DISTINCTIO SECVNDA, CONTINENS SERMONES NOVEM DE MORTE; SIVE DE MORIENTIBUS, & de mortis conditionibus.

SERMO I.

De mortis necessitate.

Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium. Apostoli Pauli Doctoris Gentium ad Heb. 9. sunt verba.

Videmus in ciuilibus, quod diuersæ ciuitates habēt diuersa statuta, quæ leges municipales dicũtur. Deus autem tres principales ciuitates dicitur habere in vniuerso. Vna est in supremo, quæ ciuitas cælestis nũcupatur, quæ sub
Galat. 4 nomine Hierusalem in scriptura significatur. De qua Paul. ad Galat. ait. *Illa autem quæ sursum est Hierusalem.* Alia verò est in infimo, scilicet infernalis, quæ nomine
Apo. 18. Babylonis designatur, vndè Apocalyp. *Væ væ væ ciuitas illa magna Babylon.* Tertia est media, scilicet
Heb. 14 terrestris, quæ est viatorũ & peregrinantium. Ad Heb. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* In istis ergò ciuitatibus Deus diuersa statuta posuit. Nam in ciuitate cælesti posuit statutũ vitæ, vt scilicet ciues eius semper viuant, & nunquam moriantur, ita scilicet quòd vita eorum sit gaudiosa & perpetua. Et ratio est, quia videmus naturaliter, quod illud quod esset coniunctum soli, nunquam haberet defectum luminis. Et illud quod esset coniunctum igni, nunquam haberet defectum caloris. Et illud quod semper esset coniunctum venæ, vel fonti, nunquam haberet defectum humoris. Similiter etiã in Sanctis & bonis, qui sunt in ciuitate cælesti: quia enim semper coniuncti sunt Deo, qui est fons & principium vitæ & gaudij, & nunquam possunt separari ab ipso, non potest in eis vitæ & gaudij Psal. 35.
vnquam esse defectus. Vnde Psal. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniã apud te est fons vitæ.* Et quia talis fons est filius Dei, scilicet Christus, ideo ipse dixit de anima Ioan. 10
bus beatis. Ioan. *Ego vitam æternã do eis.* Est ergò illa ciuitas æterna & gaudiosa, quia est solũ iustorum & amicorum, & familiarium, scilicet Angelorum & hominum. Sed in ciuitate infernali, quæ est ciuitas rebellium, id est dæmonũ, & proditorum, id est malorum Christianorum, non seruantium fidem baptismi, & publicorum hostium, scilicet infidelium & paganorum; est aliud statutum à Deo, scilicet vt semper viuant, & semper moriantur. Semper enim viuũt vita naturæ, & semper mo- Psal. 42.
riuntur morte gehennæ. Vnde Ps. *Sicut oues in inferno positi sũt, mors depascet eos,* quasi dicat, sicut oues pascuntur herba, & herba pasta iterum reuiuiscit, vt iterum pascatur; sic pœna damnatorum mortaliter eos affliget, & afflicti adhuc semper viuent, vt iterum affligantur. In ista verò ciuitate terrestri est aliud statutum, scilicet vt omnes homines, qui hanc vitam ingrediuntur, saltem semel moriantur. Et de hoc statuto siue lege loquitur Apostolus in verbis pro-

propositis dicens, *Statutū est, &c.*

A In quibus verbis de morte hominum quatuor insinuantur, & ostenduntur.

Primum, quod mors est quędam punitio legalis, notatur cùm dicitur, *Statutum est.*

Secundum quod mors est quædam corruptio naturalis, quæ scilicet euenit *hominibus.*

Tertium, quod mors est quædam priuatio irreiterabilis, ideò dicit, *Semel mori*, i. priuari vita.

Quartum, quod mors est quædam citatio iudicialis, ideò subditur, *Et post hoc iudicium.*

OSTENDITVR ergò primò, quod mors est quædam punitio, siue pœna legalis; quia inflicta est à statuto, siue à lege diuina. Nā diuina lex seu constitutio, quam Deus hominibus statuit, fuit illa lex seu constitutio præceptiua, quam scilicet primo homini promulgauit in paradiso, de qua dicitur Gen. quia *Præcepit ei dicēs: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem sciētiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* In ista lege Gen. 2. siue statuto duo continebantur præcepta. Vnum naturæ, quod pertinebat ad conuersationem naturalem indiuidui, cùm dicit: *Ex omni ligno paradisi comedi.* Aliud verò est præceptum disciplinę ad promerendam gloriam paradisi, quia hanc non poterat melius mereri, quàm per meram obedientiam, quia tunc mera est, quando præceptum ex se solùm obligat, & nō ex alia causa. Et dicitur præceptum disciplinæ, quia per ipsum discitur quanta sit virtus obedientiæ. Indè ergò pręceptum dicitur disciplinæ, quia vitare lignum scientiæ non suadebat natura, sed disciplina. Et nota, quod aliquid à Deo prohibetur, quia malum, sicut patet Exod. Exo. 22. *Non furtum facies.* Aliquid verò quia occasio mali, vt Matth. *Nolite iurare omninò.* Et sic prælatus Matt. 5 multa prohibere potest, quæ non sunt expressa in regula, ad probationem obedientiæ, & tale fuit præceptum de ligno vetito. Quia ergo Adam in quo adhuc tota natura humana continebatur, prædictam legem transgressus est, diabolo scilicet & vxore suadente, comedendo de vetito ligno: ideò non tantū ipse cum muliere, sed & omnes posteri eius pœnam dictæ legis incurrerūt, scilicet moriendi necessitatem. Ita quod ex tunc, sicut dicit Apostolus, *Statutum est hominibus semel mori*, statuto scilicet personæ destitutæ. Nā antequam prædicta transgrederētur statuta, quandam immortalitatem habebant, id est possibilitatem nō moriendi, quamdiu Deo obedirēt. Et hæc possibilitas principaliter erat ab anima, sicut ab influente, quia sicut ipsa erat subiecta Deo, ita & corpus eius. Item erat à corporis æqualitate, sicut à disponente, à ligno verò vitæ, sicut à vegetante, & senectutē prohibente, à regimine verò diuinæ prouidentiæ, sicut ab interius cōseruante, & exterius protegente. Sed transgrediente homine diuinum præceptum destituta est natura talibus auxiliis: & statutum est hominibus semel mori. Et illud est statutum nō solùm generale, sed etiam immobile. Vndè potest ad ipsum referri quod dicitur Daniel. 6. *Non immutetur quod statutum est, nec prauaricari cuiquam liceat.* In quibus verbis de Dan. 6. mortis statuto ostenduntur breuiter tria.

Primum est, quod habet stabilissimam firmitatem, ita vt nō immutetur.

Secundum est, quod habet iustissimam æqualitatem, quia statutum est, scilicet iustissimum.

Tertium est, quod habet immo-

mobilissimam obseruabilitatem, ita vt non præuaricari cuiquam liceat.

B Circa primum est aduertẽdum, quod constitutiones vel statuta humana faciliter immutãtur, scilicet, vel quia remouentur ab his qui potestatem habent leges condendi & tollendi. Quæque enim res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur, extrà de regul. iur. Vel quia tolluntur per legem, vel constitutionem nouam sequentem & contrariã. Sed tamen distinguendum est de statutis. Quia scilicet sunt statuta localia, & continent ius commune, aut sunt singularia, & in facto consistunt. Si continent ius commune, tunc, sicut sublatum est ius commune per nouum ius contrarium, ita & illud statutum: quia simpliciter continebat ius commune, vt habetur in decretali, de ętate & qualitate ordinandorum. Præterea, quæ scilicet decretalis, quantùm ad repræsentationem patronorum, est hodie reuocata per decretalem de constitutionibus, cap. 2. libro 6. Similiter & statutum Episcopi alicuius, quo illud simpliciter cauebatur, est etiam reuocatum, & idem de omnibus similibus. Sed si sint statuta singularia, & in facto consistant, & sint rationabilia, nec expresse reuocentur, nõ derogantur per constitutionem nouam editam. Noua ergo constitutio Principis, tollit quidem primam contrariam, etiamsi illud nõ exprimat extra de constitut. Licèt Rom. lib. sexto. Possunt etiam statuta, seu iura positiua, per consuetudines contrarias abrogari; dummodò tales consuetudines rationabiles sint, & legitimè præscriptæ, extra de constitut. Consuetudines. Par. licèt etiam longæuæ. Sed diuinum statutum prædictum, scilicet de morte humana, nullatenus immutari potest. Cum enim inferior non possit legem superioris remouere, & illud sit statutum Dei, quo omnis creatura inferior est, mutari non potest per aliquam rem creatam, vel fieri quod homo non moriatur. Vndè nec Helias, nec Enoch, qui in Paradiso terrestri tamdiu vixerunt, & adhuc permansuri sunt in vita vsque ad tempus Antichristi: finaliter tamen statutum non euadent, quia morientur, sicut patet in Apocalypsi, vbi dicitur, quòd bestia, quæ ascendit de abysso, facit aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Apo. 13. Vndè potest dicere quælibet creatura illud Numer. *Non mutare potero verbum Domini.* Nu. 22. Deus etiam, cuius est statutum illud, non immutabit, quia vt ibidem capite tertio dicitur: *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt immutetur.* Secũdò ostenditur, quòd ista lex moriendi habet iustitiæ æquitatem, quia statutum est, scilicet iustissimum & æquissimum. Statutum enim non obligat nisi sit iustum & æquum. Ostenditur autem statutum esse iustum ex tribus. Primò ex finis vtilitate, scilicet si ordinatur ad bonum cõmune. Vndè si in ciuitate vel regno fuerint statuta honesta, non tamen pertinẽtia ad vtilitatẽ communẽ, sed magis ad cupiditatem vel gloriã alicuius vel aliquorũ, nõ essent iusta statuta, & magis essent violentiæ quã leges. Secũdò ostenditur statutum esse iustum ex autoris potestate, puta quando non excedit potestatem auctoris. Vndè si condentes statuta vltra potestatẽ sibi commissam facerent, illa non essent statuta iusta. Tertiò quoque cognoscitur statutum esse iustum ex proportionis æqualitate & communitate, quod pertinet ad formam statuti, vt scilicet ta-

lis

lia sint statuta, vt propriè secundùm æqualitatem proportionis, imponant subditis onera in ordine ad bonum commune. Cùm enim vnusquisq; homo pars multitudinis sit, quilibet homo hoc ipsum quod est, & quod habet, est multitudinis; sicut quælibet pars illius, quod est totius. Vnde natura vt saluet totum, nonnunquam parti infert aliquod detrimentū. Vndè leges communes aut munipales quæ onera proportionabiliter inferunt, iustæ censentur. Sed si inæqualiter & improportionabiliter, etiamsi ad bonum commune ordinari viderentur, iniustæ profectò essent, & ideo non veræ leges, quia secundum Augustin. in libro de libero arbitrio: *Lex esse non videtur, quæ iusta non fuerit.* Vndè leges iniustæ non obligant in foro conscientiæ. Lex autem & statutum diuinum, de quo agimus, omnimodè est iustū & æquum. Primò quidem ex parte finis: quia facit ad bonum cōmune. Primò quidem totius vniuersi, ad cuius scilicet perfectionē pertinet, quod omnis creaturarū gradus inueniatur in eo, & non solùm extremi, sed etiam medij. Cùm ergo inueniātur in eo quædam substantiæ penitus incorruptibiles, vt sunt substantiæ spirituales, vt Angeli, siue corporales vt cœli, & quędam è cōtrario penitus corruptibiles, vt videlicet corpora mixta, & ex contrariis composita, restat ad perfectionē ipsius, vt etiam inueniantur aliquæ habentes esse completum in specie, quæ sint partim corruptibiles, & partim incorruptibiles, & tales profectò sunt homines, quorum licèt per mortē corpora corrumpantur, non tamen animæ, cū quibus communicant cum substantiis separatis. Facit etiam hoc mortis statutum ad cōmune bonum humanæ naturæ, quæ ex peccato primorum parentum exspoliata originali iustitia, dum in hac vita manet, multis miseriis est subiecta, secundùm illud Iob: *Homo natus est, &c. repletur multis miserijs.* Sed ab istis miseriis per mortē eripitur, & ad æternę vitæ stabilitatem perducitur. Aduertendum tamen est, quod licet statutū mortis omnibus hominibus sit cōmune, prædictus tamē trāsitus, scilicet de miseria huius vitæ ad fœlicitatem beatitudinis, nō omnibus est cōmunis, sed solùm iustis & bonis. Et hoc in die iudicij ex ipsa differentia positionis bonorum à dextris, & malorum à sinistris, clarius apparebit. Quia tunc vt dicitur Matth. statuet rex oues quidem, per quas iusti significantur à dextris, & isti saluabūtur: hædos verò, per quos peccatores, à sinistris, & isti damnabūtur. Et hoc non erit ex culpa huius statuti, quod magis inducit ad correctionem; sed ex malæ vitæ corruptione ipsorum peccatorū, vel ex ignorātia cæcitatis & infidelitatis, scilicet eorum, de quibus dicitur Roma. *Ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Secundò ostenditur esse iustum exponente statutum siue condente, cuius potestas super omnes est; & qui est Dominus mortis & vitæ 1. Reg. *Dominus mortificat & viuificat.* Vndè benè potuit facere statutum de morte. Nec obstat, quod dicitur Sap. quòd *Deus non fecit mortem.* Vndè videtur quod nec debuerit facere legem de morte; quia scilicet mors dupliciter potest considerari. Vno modo, secūdùm quod est quoddam malum humanæ naturæ, & sic non est à Deo, sed est quidem defectus incidens humanæ naturę ex culpa sua propria. Alio modo potest cōsiderari secundū quod habet aliquam rationem boni, prout scilicet

Marginalia: August. — Iob 14 — Mat. 25 — Ro. 10 — 1. Re. 2. — Sap. 1.

cet,eſt quædam iuſta pœna ſic eſt
August. à Deo. Vndè Auguſt.dicit in li-
bro retractationum, quod Deus
nō eſt author mortis, niſi in quā-
tum eſt pœna. Et ſecundùm hoc
includitur in lege & ſtatuto, om-
nino vt pœna, ſcilicet tranſgreſ-
ſionis peccati. Et propterea dicit
Rom.2. Paulus ad Roma.quòd *per vnū ho-
minem peccatum intrauit in mun-
dum, & per peccatum mors.* Sed
hanc rationem huius legis ſiue
ſtatuti, infideles quidam Philoſo-
phi deſtruere volunt, quia non
credunt animam viuere poſt cor-
pus & ipſam mortem non ex
tranſgreſſione culpæ, ſed ex ne-
ceſſitate tantum procedere natu-
ræ; vndè mortem nullo modo
bonam, ſed ſimpliciter malam eſ-
ſe dicunt. Nos autem, qui fidem
habemus è contrario iſtam ratio-
nem & legem diuinæ iuſtitiæ ap-
Rom.3. probamus. Vndè Paulus ad Ro-
man. *Legem deſtruimus per fidem?
Abſit. Sed legem ſtatuimus*, id eſt
ſtatutum approbamus ex eo, quod
animas Beatorum poſt mortem,
ad fœlicem vitam tendere credi-
mus, & in ipſa etiam mortis pœ-
na, diuinam iuſtitiam commen-
damus. Tertiò, iſtud ſtatutum oſ-
tenditur eſſe iuſtum ex forma, id
eſt ex æqualitate proportionis.
Seruatur enim in morte æquali-
tas, in quantum ſcilicet omnes
2.Re.14 moriuntur, ſecundùm illud ſe-
cundi Regum: *Omnes morimur, &
quaſi aqua delabimur, &c.* Seruatur
tamen quædam proportionis di-
uerſitas in eo, quod quidam ci-
tius, & quidam tardius, quidam
acerbius, & quidam dulcius mo-
riuntur. Sed iſta proportio non
attenditur penes quantitatem
culpæ, quia quantum ad peccatū
originale, non videtur eſſe diffe-
rentia, quæ contrahitur à primo
parente, à quo omnes æqualiter
deſcenderunt, & ſic omnes æqua-
liter & conſimiliter mori debēt.

Quantum verò ad peccatū actua-
le, quod eſt peccatum proprium
perſonę, nō attēditur ratio iſtius
diuerſitatis, quia ſecundùm hoc,
qui plus eſſent peccatores, citius
& acerbius morerentur, quod nō
eſt verum, ſicut patet in morte
Martyrum & peccatorum. Item
non videtur poſſe accipi ſecun-
dùm quantitatē naturæ virtutis
vniuſcuiuſque hominis, niſi fortè
quantum ad illos, qui moriuntur
morte naturali, quorum quidam
citius, vel tardius, vel acerbius
fortè, aut dulcius moriuntur ſe-
cundùm fortitudinem aut debi-
litatem complexionis naturalis.
Sed multi non moriuntur morte
naturali ſed violenta, vel caſuali,
& diuerſimodè, & diuerſis cau-
ſis vel euentibus. Videtur ergò
potius accepi ratio proportionis
diuerſorum temporum, & mo-
dorum mortis hominum, ex be-
neplacito diuinæ voluntatis, quæ
ſic diſpoſuit, vt omnes homines
moriantur; ſicut & quo tempore
vel modo quiſque moriatur pro-
ut melius & decentius eſſe nouit,
ſiue ad ſalutem ipſius morientis,
ſecundùm illud Sapient. *Placita*
erat Deo anima illius. Propterea fe- Sap.4.
*ſtinauit educere, ne malitia immu-
taret animū illius.* Siue ad oſtenſio-
nem ſuæ iuſtitiæ; ſicut dicitur in
Gene. *Fuit Her primogenitus Iuda* Gen. 38
*nequā in conſpectū Domini, & ideò
ab eo occiſus eſt.* Vel ad oſtenſio-
nem ſuæ reuerentiæ: ſicut patet
de Oza, qui irreuerenter tetige-
rat arcam Dei. 2. Regum, vbi dici- 2.Re.6.
tur: *Iratus eſt indignatione Dominus
contra Ozam, & percuſſit eum ſuper
temeritate, qui mortuus eſt ibi iuxta
arcam Dei.* Quandoque verò ad
oſtenſionem ſuæ miſericordiæ, ſi-
cut Ezechiæ flenti, & rogāti quin- Iſa.38.
decim annos vitę donauit vt dicit
Iſaias. Iſtæ tamen cauſæ, quibus
Deus vult quoſdam citius, quoſ-
dam tardius, vel hoc, vel il-

lo modo mori, nobis quidem frequenter ſunt occultæ. Patet ergò quod Deus iuſtè & immutabiliter ſicut ſtatuit quod omnes homines moriantur, ita etiam iuſtè & immobiliter ſtatuit, quo tempore vel qua morte vnuſquiſque moriatur. Et hoc eſt quod dicit
Iob 14. Iob, *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri nō poterunt.* Tertiò in auctoritate inducta oſtēditur, quod iſtud ſtatutū in morte habet inuiolabilem obſeruabilitatem, ita vt nec cuiquam præterire liceat. Vbi aduertendum eſt, quod ſtatuta humana quandò iuſta ſunt, nō licet præterire de iure: quia lex iuſta obligat, non ſolùm quantū ad forum iudiciale, ſed etiā quantum ad forum conſcientiæ. Et ideò de tali lege nihil licet præter-
Matt. 5. ire, ſecundùm illud Matth. *Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant,* Tamen de facto tam diuinæ leges quàm humanæ, & ſtatuta quantumcunque iuſta, prætereuntur, prcipuè à potentibus & magnis. Vndè Ana-
Valer. charſis, ſicut refert Valerius lib. 3. dixit leges humanas ſimiles eſſe telis arenearum, quia ſicut illæ infirmiora animalia retinent, & valentiora tranſmittunt, ita humanę leges humiles, & pauperes conſtringunt, diuites verò & potentes non alligant, neque retinent. Sed iſtam legem ſiue ſtatutum de morte nec diuitem de iure præterire licèt, cùm ſit ex iuſtitia Dei poſitum, nec etiam de facto, cùm ſit Dei potentia vallatū. Et ea de cauſa benè dicit Pro-
Pſ. 148. pheta Dauid; *Præceptum poſuit & non præteribit.* Pręceptum quidem de morte poſuit commune diuiti & pauperi. Et non præteribit nec pauper nec diues, nec de iure nec de facto.

C SECVNDO quoque datur intelligi in auctoritate principali quod mors eſt quædam corruptio naturalis in eo quod dicit Apoſtolus hominibus. De natura enim hominis eſt, quod corrumpatur & moriatur, quod quidem patet ex hoc, quod corpus hominis ex contrariis componitur. Eſt ergò homo ex ſua natura corruptibilis & mortalis, non quidem ex parte formæ, id eſt animæ rationalis, quæ de ſe immortalis eſt: ſed ex parte ſuæ materiæ, quæ eſt corpus tale compoſitum ex contrariis, ad quod ſequitur ex neceſſitate corruptibilitas. Oportebat enim corpus hominis eſſe tale, vt ſentire poſſet tangibilia, vt aliquando dictum eſt. Hinc Seneca dicit, quod mors eſt homini natura, non pœna. Et hoc poteſt dupliciter intelligi. Vno modo, quia non inferat pœnam ipſi morienti. Et hoc videtur eſſe verum, quia quando adeſt mors, homo non ſentit, & ſic mors non affligit. Sed aduertendum circa hoc quod mors dupliciter accipi poteſt. Vno modo pro ipſa priuatione vitæ. Et ſic mors ſentiri non poteſt, cùm ſit priuatio vitæ & ſenſus, & ſic non eſt pœna ſenſus, ſed pœna damni. Alio modo ſecundùm quod nominat ipſam corruptionem, quæ terminatur ad priuationem prædictam. Et ſic adhuc dupliciter accipitur. Vno modo, vt dicatur corruptio, ſecūdùm quod eſt terminus alterationis. Et ſic in ipſo inſtāti, quo primo priuatur, dicitur ineſſe mors. Et ſecundùm hoc etiam mors nō pœna ſenſus. Alio modo corruptio poteſt accepi cum alteratione præcedente, prout dicitur aliquis mori dum mouetur in mortem, ſicut dicitur generari, dum mouetur ingeneratum eſſe. Et ſic mors poteſt eſſe pœnalis & afflictiua. Alio modo poteſt intelligi, quòd mors non ſit pœna, ſed ex peccato ſequens, & hoc falſum eſt, quia licet ex natura ma-

teriæ suæ homo esset corruptibilis & mortalis, tamen Deus, qui est omnipotens, ademerat ab homine primitùs instituto necessitatem moriendi ex tali materia consequentem. Fuit enim primò homini collatum à Deo vt quamdiu mens eius esset subiecta Deo, inferiores vires animæ subiicerétur menti, & corpus subiiceretur animæ. Et quia vita & incolumitas corporis consistit in hoc, quòd subiiciatur animæ, sicut perfectibile suæ perfectioni, ideò quamdiu sic mansisset homo, absque morte & ægretudine permansisset. Sed quia mens hominis per peccatū à diuina subiectione recessit, consecutum est, vt nec inferiores vires totaliter ratione subiicerētur. vndè facta est rebellio carnalis appetitus ad rationē. Et factum est etiam ex hoc, quod nec corpus totaliter subiiceretur animæ. Et inde cōsecuta est mors, & alij corporales defectus; quia & mors & egretudo, & quilibet corporalis defectus pertinet ad defectum corporalis subiectionis ad animam. Et ideo patet ex prædictis quod mors est natura, id est naturalis propter conditionem materiæ, & etiam est pœna, id est pænalis propter amissionem diuini beneficij præseruātis à morte. Et ideò non tantùm ex diuino statuto, sed etiam ex natura contingit, quòd nullus homo euadere potest finaliter corruptionē corporis. Vndè Psalm. *Quis est homo* Psal. 88. *qui viuit, &c.* Eccle. *Nemo est qui* Eccle. 9 *semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam.*

D TERTIO quoque in auctoritate principali ostēditur, quod lex de morte posita est irreiterabilis, & ideò dicit. *Semel mori*, scilicet secundùm corpus. Nam secundùm animam, homo pluries mori & resurgere potest, quia pluries potest peccare mortaliter. *Et anima quæ peccauerit ipsa morietur*, ait Ezech. Et pluries etiā potest per pœnitentiam resurgere, quia, *septies in die cadet iustus & resurgit*, vt dicitur Prouerb. secūdum autem corpus homo tantū semel moritur. Vndè de Christo homine Apostolus dicit, *quod enim mortuus est peccato*, nō suo sed nostro; *mortuus est semel.* Nec obstat de Lazaro, quia mortuus est bis, quia illud fuit ex speciali causa, & dispensatione. Et priuilegia specialia non faciunt legem communem nec frangunt; sed ex communi statuto est, quod semel homo moriatur. Ezec. 81 Prou. 14 Rom. 6.

E QVARTO ostenditur in auctoritate principali, quod mors est quædā citatio iudicialis. Vndè dicit: *Et post hoc iudiciū*, scilicet post mortem. Nā sicut post mortem omnium hominum sequetur iudicium generale, ita post mortem cuiusslibet hominis particularis sequitur etiam iudiciū particulare. Sed generale quidem iudicium præcedet primò citatio monitoria. Secundò citatio præceptoria. Tertio perēptoria. Paul. *Ipse Dominus in iussu.* Ecce citatio 1. The 4 præceptoria, de qua Dauid: *Exurge* Psalm. 8 *Domine Deus meus in præcepto quod mandasti, & synagoga populorum circundabit te. Et propter hāc in altū, &c.* Sequitur. *In voce Archāgeli.* Ecce citatio monitoria, de qua apud Ioël dicitur: *Consurgant & ascendunt Gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo vt iudicem omnes Gentes.* Et sequitur in auctoritate Apostoli: *Et in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in ipso sunt resurgent primi.* Ecce citatio Ioël. 3. peremptoria; de hac dicit Ioan. in Apocalyp. *Angelus quem vidi stantem supra mare, & supra terram, leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in eo sunt, & terram, & ea quæ* Apo. 10.

in ea sunt, & mare, & ea quæ in eo sunt, quia tempus non erit amplius: sed in diebus vocis septimi Angeli, cùm cæperit tuba canere, consummabitur misteriũ Dei. Hæc etiam triplex citatio præcedit iudiciũ particulare, cuiuscunque particularis hominis. Citatio monitoria fit per prædicationes. Præceptoria per prælatos, vel per scripturas, præcepta diuina continentes, sed peremptoria per mortem, per quam homo ad iudicium vocatur. Sed aduertendum, quod iudicium secundùm quod scribunt Iuristæ, est actus legitimus trium personarum, scilicet iudicis, qui reddit in inuitum actoris, & rei, vt sic differat ab arbitrio, vt extrà de verbor. significat. Forus. Sed si factum negetur, quarta persona inducitur, scilicet testis, vt habetur 4. q. 4. c. Nullus vnquam præsumat accusator simul esse, & iudex. vel testis, quoniam in omni iudicio quatuor personas semper necesse est esse, id est iudices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, atque testes legitimos, & cap. Nullus introducatur. Et hæc secundùm quandam similitudinem in vtroque iudicio concurrunt, quia iudex est
Act. 10. Christus, quia vt dicitur Actorũ: *Constitutus est à Deo iudex viuorũ & mortuorum.* Actor diabolus, rei peccatores, testes Angeli, instrumenta conscientiæ, vel diuinæ scripturæ, argumenta peccata patientia, vel in finali iudicio ipsæ creaturæ contra peccatores com-
Eccl. 11. motæ. Vndè Ecclesiastes dicit: *Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum. Et scito, quod pro omnibus his adducet*
Eccl. 12. *te Deus in iudicium.* Et dicit Eccl. vltimo. *Cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato siue bonum siue malum fuerit.* Si inueniatur malum, punietur pœna æterna, si inueniatur bonum, prœmiabitur æterna gloria. Ad quam nos perducat IESVS misericordiæ iudex piissimus. Amen.

SERMO II.

De communitate & vniuersitate mortis.

COmmunionem mortis scito, Eccli. 9. Philosophus dicit, quod in cognitione humana, tam sensitiua quàm intellectiua, primò occurrit quod est magis commune, & postea descendendo gradatim deuenitur ad ea, quæ sunt magis specialia. Ponit exemplum Philosophus primo Physicorum de illo, quem quis intuetur à longè. Prius enim cognoscit quod est animal, quàm hoc animal. Et aliud exemplum de pueris. Et quidem pueri omnem hominem patrem appellant primitùs, postea verò singularius discernunt. Hinc est quod sapiens, vt homo facilius inducatur ad considerationem suæ propriæ mortis, primò admonet eum, vt considerare & scire studeat mortis communitatem. Vndè ait in verbis propositis: *Communionem mortis scito.*

In quibus quidem verbis tanguntur tria. A

Primò, illud quod est magnæ generalitatis, cùm dicit: *Communionem.*

Secundò, illud quod est magnæ æquitatis, cùm dicit: *Mortis.*

Tertiò, illud quod est magnæ vtilitatis, cùm additur: *Scito.*

PRIMO ergò tangitur illud, quod est multum generale, scilicet communio mortis, quia scilicet in moriendo communicant omnes homines. Nam sicut dicitur Eccle. *Nemo est qui semper viuat.* Ex quo sequitur, quod quili- Eccl. 9.
bet

bet homo aliquando morietur, imò etiam quod generalius eſt, in moriendo communicant omnia animalia. Propter quod dicitur
Eccle. 3. Eccle. *Vnus eſt interitus hominum & iumentorum, & æqualis vtriuſque conditio, quia ſicut homo moritur, ſic & illa moriuntur, &c.* Sed aduertendum eſt, quod iſta ſimilitudo hominis ad alia animalia attenditur, quantum ad conditionem materiæ, id eſt quantum ad corpus ex contrariis compoſitum. Non autem quãtum ad formam. Nam anima hominis, quæ eſt forma eius immortalis eſt. Brutorum verò animalium animæ ſunt mortales. Vndè moritur homo ſecundùm corpus, non autē ſecundùm animã. Iſtius ergò communionem mortis nullus debet obliuiſci, vt nullus ſuper aliũ ſe extollat, ex quo quilibet pariter cum altero ſe agnoſcit moriturum, imò etiam quod vilius eſt, pariter cum iumentis. Vndè illud quod Apoſtolus dicit de alia cõmunione: pro noſtra tamen inſtructione, etiam ad iſtam mortis communionem referri poteſt, de
Hebr. 13 qua habet Pau. ad Heb. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci.*

B In quibus verbis, ſi referantur ad mortem, tria breuiter Apoſtolus facit.

A Primò commemorat moriendi profectum, cùm dicit: *Beneficentiæ.*

Secundò commemorat mortis amplexum, quia communiter omnes amplectitur cùm ait: *Communionis.*

Tertiò excludit reminiſcendi defectum, cùm dicit: *Nolite obliuiſci.*

¶ Circa primum aduertendum eſt, quod mors tanquam iuſta regina, quibuſdam eſt malefica, id eſt quaſi mala faciens, & quibuſdam benefica, id eſt bona faciens. Malefica quidem eſt peccatoribus, qui ſcilicet malè vixerunt; & moriuntur impœnitentes. Nã tales priuat bonis præſentibus & futuris, & ad æterna mala inducit. Psal. 33.
Propter quod Dauid in Pſ. dicit: *Mors peccatorum peßima.* Mala profectò, quia expoliat temporalibus bonis; peior, quia copulat æternis ſuppliciis; ſed peſſima, quia priuat æternis bonis. Ex quo profectò apparet, quod magna beneficentia eſt ſiue [illegible]num beneficium, quod ho[illegible] ante mortem de ſuis malis puniatur, ita quod non poſt mortem ad illa æterna ſupplicia ſeruetur. Vndè dicitur
2 Machabæor. Multo tempore nõ 2. Ma26
ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficii eſt indicium. Non enim, ſicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, vt eas cùm dies iudicii aduenerit in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis ſtatuit, vt peccatis noſtris in finem deuolutis, ita demũ & in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem miſericordiã ſuam amouet; corripiēs verò in aduerſis, populũ ſuum nõ derelinquit. Sed iuſtis, qui benè vixerunt, mors valdè benefica eſt, quia eripit eos à præſentibus malis, ſeparat ipſos ab inferni ſuppliciis, & copulat illos æternis bonis. Tunc enim ex perſona hominis iuſti gaudenter dici poteſt il-
lud Dauidis: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Sed inter alios, quibus mors eſt benefica, ſunt præcipuè homines miſericordes, quia ſcilicet iſti ſpiritualiter in morte, & poſt mortem, pro beneficentia beneficentiam recipiunt, ſcilicet vt in morte per impœnitentiam non pereant, ſecundùm illud Pſ. 114.
Ambroſii dictum: *Summa chriſtianæ religionis perfectio eſt miſericordia, quam qui ſecutus fuerit, etiã ſi carnis lubricum patiatur, vapulabit* Ambro.

bit quidem, sed non peribit. Et vt etiam pro tẽporalibus bonis, quæ proximis viuẽtes fecerunt, æterna bona recipiant post mortem. Vndè Prouerb. *Benefacit animæ suæ vir misericors.* Prou.11. C

Secundò ostendit Apostolus in auctoritate inducta mortis amplexũ: quia mors omnes amplectitur homines, & omnibus est communis, & ideò dicitur: *Communionis.* Sed n[illegible]ndum, quod est aliqua commu[illegible] siue cõmunicatio, quam debemus vitare; quia non debemus habere communionem cum excommunicatis. Propterea enim dicitur excommunicatus, quia extra cõmunicationem fideliũ est adiudicatus. Vndè non debet aliquis fideliũ participare cum excommunicato. Primò quidem in locutione, nec debet ei loqui, nisi iam loqueretur ei de salute animæ suæ, etiam si alia verba interponeret, vt magis traheret, non peccaret. Item, non debet cõmunicare cũ eo in oratione, quia non debet stare cum eo ad orandum, nec ad audiendũ, vel dicendum officium. Ideo si manifestè excommunicatus intrat Ecclesiam omnes debẽt exire, vel procurare quod ipse exeat; imò etiam sacerdos dicens Missam, debet eum dimittere viso eo, vel sciens quod ibi sit, & exire non velit, si non inchoauit canonem, sed si inchoauit, debet perficere. item non debet eũ salutare; nec verbo, nec litera. Vndè cũ quis salutatur ab excommunicato debet dicere: Deus emendet vos. Nec licet ei scribere, nisi in casu in quo licet ei loqui, & tunc loco orationis, debet ei scribere spiritum consilij sanioris. Itẽ non debet aliquis ei dare osculum pacis, nec participare cum eo in sacramentis. Item nõ debet aliquis comedere cum eo. Et ideò si publicè excommunicatus ingerat se ad mensam, in quo sedeo: surgere teneor de mẽsa, non obstante scandalo eius vel alterius. Sed si esset occultè excommunicatus, teneor non surgere, si non possum surgere sine nota eius. Et de prædictis casibus dãtur versus tales: *Si pro delictis anathema quis efficiatur. Os, orare, vale, communio, mensa negatur.* Quandocunque ergò quis participat cum excõmunicato, in aliquo dictorũ casuum, incurrit excommunicationẽ minorem, sed non peccat mortaliter, nisi quando in crimine secum participat, vel in diuinis, vel in contemptũ Ecclesiæ, vt dicit sanctus Thomas. Ista est ergò communio, quæ nobis prohibetur in secũda cano. Ioan. *Nec aue ei dixeritis,* scilicet excommunicato vel hæretico: *Qui enim dicit aue, communicat operibus eius malignis.* 2.Ioa.2. Eccli. *Quæ cõmunicatio sancto homini ad canem?* id est excõmunicatum qui est de Ecclesia expellendus vt canis, secundùm illud Apoc. *Foris canes & venefici.* Eccli.13. Apo.22. Sed quædam est alia cõmunio, quæ vitari non potest. Et ista est communio mortis, quia omnes morimur. Et ista communio potest commendari ex eo, quod per eam triplex mala singularitas remouetur. Nam primò communio mortis tollit singularitatem superbiæ. Superbus enim vult esse singularis, quia vellet esse omnibus maior & excellentior. Vndè August. diffinit superbiam, quod est peruersæ certitudinis appetitus. August. Sed cõmunio mortis omnes pacificat & adæquat; quia ita potentior sicut infirmior. Vndè quidã metricè dicit: *Est cõmune mori, mors nulli parcit honori. Debilis & fortis, veniunt ad limina mortis.* Vnde licèt qui maior est, excedat minorem in altitudine dignitatis: communicat tamen ei, & parificatur illi humilitate mortis. Et licèt maior

quan-

quandoque possit occidere minorem : tamen etiam quandoque contingit, quod minor occidit maiorem. Et ideò dicitur in Ec-
Eccl. 13. clesiast. *Quid communicabit cacabus ad ollam,* id est minor ad maiorem Et posset responderi, quod mortem. Et postea subditur: *Quando enim se colliserint confringetur,* scilicet cacabus, tanquam scilicet minor & debilior, sed aliquando è contrario confringitur olla à cacabo, id est superbus ab humili. Vndè sicut Poëta dicit: *A cane non magno sæpe tenetur aper.* Secundò, communio mortis remouet singularitatem auaritiæ. Auarus enim vult esse singularis, quia vult omnia sibi soli appropriare, & nollet aliis communicare. Vnde differt à liberalitate, quæ faciliter & libenter facit hominem sua tribuere, & commu-
1.Ti. 6. nicare. Paulus ad Timoth. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, benè agere, diuites fieri in omnibus, pauperibus facilè tribuere & communicare, thesaurizare sibi fundamentum in bonum futurum, vt apprehendant vitam bonam.* Differt etiam à charitate, quia auaritia vult omnia facere propria, sed charitas è conuerso propria facit communia. Vndè de primis fidelibus Christi, qui fuerunt in charitate feruentes dicitur Actuum
Act. 2. 2. quod omnes qui credebat erāt pariter, & erant illis omnia communia. Sed istam proprietatem & singularitatem auari, congregantis & retinentis sibi soli, tollit communio mortis; quia quandò auarus moritur, ea quæ sibi congregauerat dispergunter, & aliis communicantur, & distri-
Seneca. buuntur. Vndè Senea dicit, quod auarus nihil benè facit, nisi quandò moritur, dum enim auarus viuit, nec sibi de bonis quæ habet, nec aliis benè facit. Tertiò, communio mortis fugat tristitiam & dolorem inuidiæ. Inuidus enim tristatur & dolet alium excedere se bonis, quæ ipse appetit & diligit. Et è conuerso, ipse inuidus gaudet, quando alium videt sua excellentia priuari, & sibi parificari. Sed communio mortis hoc excludit, quia omnem huius mundi excellentiam tollit, & ad paritatem quandam reducit. Vndè mors, in se communicando,
facit sicut sapiens; ex cuius per- Sap.7.
sona dicitur Sapientiæ septimo capite: *Sine inudia communico.*

Tertiò, Apostolus in auctoritate D inducta, cùm reminiscendi defectum, cùm dicit: *Nolite obliuisci,* eius scilicet, cuius memoria est sibi maximè vtilis & necessaria. Et talis est memoria mortis, quæ vtilis valdè est. Primò quidem ad pœnitentiæ conuersio-
nem. Quod probatur Isaiæ, vbi Isa. 38.
legitur, quod cùm audisset Rex Ezechias: *Morieris tu & non viues,* statim conuersus est ad fletum & pœnitentiam. Et Niniuitæ audientes: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Ad quam conuersionem sequebatur mors ipsorum solum, ex ista comminatione ad pœnitentiam sunt conuersi, sicut patet Ionæ per totum. Secundò, valet memoria mortis, quia prouocat ad eleemosynarum largitionem. Cuius
figura habetur 1. Machabæorum. 1.Mac.1
Vbi legitur, quod Alexander, vt cognouit quod moreretur, diuisit regnum pueris suis. Sic multi timore mortis condunt testamenta, & eleemosynas distribuendas relinquunt. Quia dicit beatus Hieronymus, quod *non sunt bo-*
na hominis: quæ secum portare Hieron.
non potest, sola misericordia comes

mes est defunctorum. Vndè si homo in morte obliuiscitur operũ misericordiæ, & misericordia Dei
Iob 24. dicitur obliuisci illius, secũdũ illud Iob: *Obliuiscatur illius misericordia.* Tertiò, valet memoria mortis ad totius vitæ directionẽ. Aues enim in volatu suo, & pisces dirigunt se cauda sua, sic homines dirigunt vitam suam, & tentationes excutiunt cauda, id est mortis memoria. Ait sanctus Iob: *In-*
Iob 12. *terroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris.* Insuper qui vult nauem suam benè gubernare, debet se ponere in fine nauis, id est vitæ suæ finem & mortem considerare, vt possit ad bonum
Seneca. exitum nauem suam, id est vitam dirigere. Seneca: Considera quàm pulchra sit res ante mortem vitam consummare, deindè expectare securè reliquam temporis partem. O quã solicitè longè antè nautæ sibi prouident de nauis directione, quandò habent malum passum transire. Sic quilibet debet sibi prouidere longè antè, quomodò possit periculosum mortis passum transire. Da-
Ps. 106 uid: *Illic naues pertransibunt,* scilicet per arctum foramen mortis. Quia ergò tam vtilis est mortis memoria: multum debet homo cauere, ne ipsius obliuiscatur.
Deut. 25 Deutero. dicitur: *Caue ne obliuiscaris eius.*

E SECVNDO, in auctoritate principali tangitur illud, quod est magnæ iustitiæ & æquitatis, scilicet mors, vndè sequitur: *Mortis.* Omnis enim Rex in regno suo ad hoc quod nihil inordinatum remaneat, habet iustitiariũ suum ad puniendũ malos, & remunerandum bonos. Pertinet autẽ ad æquitatem iustitiæ nullius personam accipere in iudicio suo. Et hanc æquitatẽ mors seruat, ex eo quod nemini parcit in die vindictæ, nec acquiescit cuiusquam precibus, nec recepit pro redemptione dona plurima. Prouerb. 6. Prou. 6.
Talis iustitiarius æterni iudicis est mors. Et talis iustitiarius, qui nemini parcit, consueuit multum timeri; ideò mors est multum timenda. Ideò ait Psalmist: *Formido* Psal 54.
mortis cecidit super me: timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et dicitur formido propter recessum, timor propter occursum, & tremor propter iudicium. Primò enim homo formidat mortem, quia cõpellit eum recedere ab omnibus, de quibus magis confidebat, & quæ magis diligebat, siue fuerint diuitiæ, siue delitiæ, siue honores, & potentiæ, siue mundanæ amicitiæ, vel quæcunque alia tẽporalia, quia mors educit eum ab omnibus tẽporalibus, & om- Psal. 88.
nibus eum expoliat. Ideò ait Dauid: *Posuisti firmamentum eius formidinem.* Firmamentum dicitur illud, in quo homo magis confidit, quod homo maximè formidat amittere. Vndè non mirũ si mors formidatur, quæ omne mundi firmamentum tollit, siue sit firmamentum diuitiarum, siue amicorum, siue consanguineorum, totũ tollitur per mortem; & ideò relinquitur homo omni humano auxilio destitutus. Secundò homo habet timorem mortis propter occursum, scilicet peccatorum & dæmonum. Peccatorum quidem, quia sicut iusti confidunt in morte, ex memoria bonorum quæ egerunt, sic impiis venient ad memoriam mala, quæ egerunt, diabolo procurante vt desperent, sicut accidit Iudæ, vt patet in Matt. Vndè dicitur in Matt. 25
Deuter. *Occurrent vobis mala in ex-* Deut. 31
tremo tempore, à quibus non poteritis exire. Vndè contingit peccatori morienti, sicut ait Tullius

con-

contra Catilinam, *Scelera tua quasi quædam furiæ occurrent tibi*. De occursu dæmonum dicit beatus Berna 1. Bernar. *O anima mea qualis erit illic pauor, cùm tibi cateruatim terrentia illa dæmonia occurrēt teterrima monstra videbis?* Sicut venatores irruunt super feram comprehensam quæ non potest effugere, sic dæmones super animas in morte. Vndè & in morte beati Martini legūtur dæmones affuisse. Chryso. Chrysost. *Quis te tuebitur, anima mea, à rugientibus præparatis ad escam? quis tibi in die tantæ necessitatis succurret? quis consolabitur? quis deducet?* Tunc ergo erunt maximę angustiæ, quia ex vna parte non permittetur anima remanere in corpore, & ex alia, paries peccatorum non permittet eam fugere ad Deum. Thre. 1. Threnorum. *Omnes persecutores eius comprehenderunt eum inter angustias*. Sic ergò erunt peccata terrentia ab interiori: & dæmonia impugnātia ab exteriori. 2.Cor.7. 2 Corinth. *Foris pugnæ, intus timores*. Tertiò habebit homo tremorem propter iudiciū, quia statim anima egressa ducitur ad iudiciū, & tremens & pauens statuitur coram iudice, vt pro meritis suis sententiam recipiat, sicut tremit malefactor, quādò de carcere ductus venit ad audiendum sententiam. Si enim Paulus audita voce iudicis redarguentis, & interrogantis: *Saule, Saule, quid me persequeris?* tremens ac stupens dixit: *Domine quid me vis facere?* Quanto tremore ac stupore concutietur homo audiēdo vocem Christi condemnantis. Ergò illi, qui sciunt se offendisse iudicem Deū, cum magno tremore apparent antè eum, secūdùm illud Iudith. Iud. 11. *Quoniam sciunt se offendisse Dominum Deum suum, tremor eius super ipsos est*.

TERTIO quoque ostenditur in auctoritate principali aliquid, quod est magnæ vtilitatis, scilicet illud quod potest sciri de morte, ideò dicit: *Scito*. Vbi aduertendum est, quod de morte quædam sunt, quæ homo certitudinaliter scire non potest. Et hæc sunt quatuor, scilicet status, locus, tempus, & modus. Status quidem, quia nescit homo in quo statu morietur, bono an malo, & tamen qualem mors te inueniet, talem tu inuenies eam. Vndè dicitur in Psalm. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, Ps. 115. quia eos pretiosos inuenit. Et *mors peccatorum pessima*, Psal. Quia Psal. 33. eos pessimos inuenit. Eccles. *Sunt* Eccl. 9. *iusti atq; sapiētes*: Et post. *Et nescit homo, an amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum reseruantur incerta*. Item locus, quia nescit homo in quo loco morietur. Seneca. *Insidiatur tibi mors in omni* Seneca. *loco. Nescis enim quo loco mors te exspectet. Tu quoque si sapiens fueris vbique eam exspectabis*. Item tempus mortis voluit Dominus incertū esse, vt omnis hora habeatur suspecta. Luc. *Si sciret pater-fa-* Luc. 12. *milias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, &c.* Vsque filius hominis veniet, s. ad educendum de vita. Item nescit homo modo vel genus mortis, vtrùm gladio, vel aqua, vel igni moriatur. Ecclesiast. Eccle. 9. *Nescit homo finem suum, sed quemadmodum capiuntur pisces hamo, sic homines capiuntur tempore malo*. De his etiam superius dictum est distinct. 1. ser. 7. Sunt autem præcipuè tria, ad quæ sciēda debet homo studium adhibere, scilicet

Suam vtilitatem,
Suam mortalitatem,
Suam felicitatem.

¶ Et de his tribus dicitur 2. Cor. 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis*, ecce corporis vilitas, quia vocatur domus terrestris, dissoluatur, scilicet per mortem, ecce mortalitas; *quod adifi-*

*ædificationem ex Deo habemus, domũ
non manufactã, sed æternã in cælis,*
ecce fælicitas. Sed quoad primũ,
nota vilitatem humani corporis.
Primò ex parte materiæ, quæ est
terra, à qua dicitur terrestris do-
Gen. 1. mus. Fuit enim terra, sicut patet
Gen. 1. primordialis materia cor
2. Co. 15 poris humani. Et ideò dicit Apo-
stolus 1. Corinth. *Primus homo de
terra terrenus.* Non mirum si su-
perbiuit Angelus, cuius natura est
purissima ab omni corporeitate
& materialitate separata. Sed mi-
rum potiùs quod superbiat homo
de immunda & vili re formatus,
& mox in cinerem & puluerem
Eccl. 10 redigendus. Vndè Eccli. *Quid su-
perbis terra & cinis?* Secundò ex
parte figuræ, quia configuratur
domui. Habet enim corpus homi-
nis inferius pedes quasi ad modũ
fundamenti, & crura & tibias ad
modum columnarum super quas
ędificium corporis sustentatur, &
superius caput ad modum tecti &
fumarij. Sed ista domus est rui-
nosa, quia quotidie aliquid de ea
ruit, quousque totaliter per mor-
Prou. 2, tem subuertatur. Prouer. *Inclina-
ta est ad mortem domus eius.* Nam
ea die qua homo nascitur incipit
Sap. 5. vita diminui, ideò dicitur Sapien.
Nati cotinuò desinimus esse. Et quia
citò tempus vitæ dilabitur, cuili-
bet dici potest. Citò subuertetur
domus tua. Item est domus ærũ-
Seneca. nosa, quia ærumnis & infirmitati-
bus est plena. Vndè Seneca ait:
*Multa nos incõmada exagitant, quã
malè nobis conueniat hoc corpus. Nũc
de capite, nunc verò de ventre, nunc
de pectore, nunc de faucibus conque-
rimur. Aliquandò nerui, aliquando
pedes nos vexant, aliquando distra-
ctio, aliquando distillatio, aliquando
superest sanguis, aliquando deest, hinc
atque illinc tentamur. Hoc euenire
solet in alieno habitantibus, hoc enim
corpus non domus sed hospitium.*
Hæc Seneca. Sed cum etiã hospi-
tium sit domus, si hospitium est,
quare dicit quod non domus. Di-
cendum quod hospitium est quę-
dam domus, sed non propria, imò
verius aliena, de qua debet homo
cito exire: nec habet ibi homo
cõmoditates, quas quidẽ in domo
propria habere cõsueuit, ideò di-
citur Eccli. *Vita nequã hospitãdi de* Eccl. 29
*domo in domũ, & vbi hospitabitur
nõ fiducia iter aget, nec aperiet os.* Et
sic corpus dicitur hospitiũ animę
& non domus propria. Tùm pro-
pter multas incõmoditates quas
homo patitur in corpore. Tùm e-
tiam quia anima post modicũ vi-
tæ tempus à corpore est exitura,
sed post resurrectionem corporũ,
quandò scilicet corruptibile hoc
induet incorruptionẽ, & immor-
talitatem; tunc erit corpus animę
quasi sua propria domus, & tunc
prior ęrumna conuertetur in glo-
riam, & penuria in abundantiã se Ps. 111.
cundùm illud Ps. *Gloria & diuitiæ
in domo eius.* Itẽ est domus animæ
vt domus angustiosa, quia est do-
mus carceris eius. In isto carcere
anima est conclusa quantum ad
essentiam, quia anima secundùm
suam essentiã est in toto corpo-
re tota & in qualibet parte tota,
& ideò est vbilibet in ipsa cõclu-
sa. Itẽ est in ea ligata propter im-
potentiam quia impediente cor-
pore nõ potest spiritus facere quæ
vellet. Vndè Matth. *Spiritus quidẽ* Matt. 26
promptus est, caro autẽ infirma. Itẽ
est ibi anima tenebrosa quantum
ad intellectũ, quia patitur in cor-
pore tenebras multiplicis ignorã-
tiæ. Nam ea quæ scimus, sicut di-
cit Themistius, minima pars est
eorũ quę ignoramus. Et quantum
etiã ad conscientiam multi ma-
nent in tenebris culpæ, propter
quod deberet esse gratum animæ
quod Deus educeret eam de isto
carcere. Esa. *Educes de conclusione,* Esai. 24.
scilicet corporis, *vinctum,* scilicet
spiritum, *de domo carceris sedentem
in*

tenebris. Tertiò ostenditur vilitas hominis ex parte habitationis infimæ: vndè dicitur in actoritate inducta, *Huius habitationis*, quæ scilicet est in infimo elemento, scilicet in terra, vbi est multiplex miseria. Apoc. *Væ væ væ, habitantibus in terra.* Primò væ propter defectum naturæ, secũdò væ propter excessum culpæ, tertiò væ propter tormentum pœnæ. Apoc.8.

G Secundò ostenditur in auctoritate inducta, quod homo debet scire & attendere suam mortalitatem, quia oportet quod dissoluatur per mortem, quia in morte soluitur colligatio, siue vnio corporis & animæ, quæ vnio faciliter soluitur propter corporis passibilitatem, propter quam etiam in scriptura vita corporis assimilatur nebulæ, quæ faciliter & citò soluitur à radijs solis. Sa. *Transibit vita nostra tanquã vestigiũ nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radijs solis, & à calore illius aggrauata.* Tertiò debet homo scire suã felicitatem, quæ ostenditur in auctoritate Apostoli inducta, cũ additur: *Ædificationẽ ex Deo habemus domum non manu factã.* Vbi cœlestis beatitudo sub metaphora domus describitur, & commendatur ex quinque. Primò ex parte principij scilicet actiui, id est ex artifice qui est Deus. Solus enim Deus est, qui nos beatos facit, & ideò dicit, quod ædificationem ex Deo habemus. Et dicit ædificationem, quia constat ex duplici genere lapidum, id est ex duplici natura, scilicet hominũ & angelorũ, quia solum istæ duæ naturæ beatificãtur, & connectuntur ibi ad inuicem mediãte glutino validissimæ charitatis. Ephes. *In quo & vos coedificamini tabernaculũ Dei, in spiritu sancto.* Secũdò commendatur ex parte commodi, quia *domum.* Domus enim fit, vt protegat à frigoribus, & imbribus, & caloribus. Sap.2. Ephes.2

Sic ibi homo protegitur ab omni contrario, & excluditur omne incommodum. Propter quod Psalmista dicebat: *Beati qui habitãt in domo tua Domine, &c.* Tertiò commendatur ex parte doni, quia nõ datur ex merito operum, scilicet ex condigno, & ideò dicitur *non manu factam.* Præmiat enim Deus vltra condignum, sicuti citra condignum impios punit. *Non enim sunt condignæ passiones huius tẽporis, ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis,* sicut Apostolus dicit ad Rom. Et ideò ex dono Dei, magis quam ex nostris meritis, nobis ædificatur. Vndè Psal. *Nisi Dominus ædificauerit domũ, in vanum laborauerunt qui ædificant eã.* Hebræ. *Tabernaculũ non manu factũ.* Quartò ex duratione ædificii, quia æterna à qua eius habitator nunquã eiicietur. Eccle. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Quintò ex parte loci, quia in cælis, vbi scilicet cũ angelis faciem Dei videbunt, quia *Angeli in cœlis semper vident faciẽ Patris.* Matth. Et in hac visione, vt dicit Doctor Angelicus S. Thom. habet perfectissimam beatitudinem. Ad quam nos, &c. Psal.83. Rom.8 Ps.126. Hebr.9. Eccl.12. Matt.18

SERMO III.

De mortis terribilitate & horrore.

F*ormido mortis cecidit supe me.* Psalm.54.

Naturale in omnibus animalibus est quod videndo contra se venire aliquid multum terribile, & perniciosum terreantur & timeant, sicut ouis terretur, quando videt contra se venire lupum. Figura huius quantum ad homines habetur Genes. vbi habetur, quod cùm nuncii Iacob retulissent ei de Esau fratre suo, quem scilicet existimabãt sibi esse terribilem inimicũ. Et quoniam dixe- Gen.32

dixerūt ei, Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat in occursum tuum cum quadringentis viris, timuit Iacob valdè, & perterritus diuisit populum qui secum erat. Sed nihil est homini terribilius naturaliter ipsa morte. Vndè dicit Philosophus in tertio Ethi. Quod *terribilissimum omnium terribilium est mors*. Et rationem assignat, quia mors est terminus præsentis vitæ, & nihil, vt dicit, videtur hominem post mortem esse vel bonum vel malum de his, quæ pertinent ad præsentē vitam, quæ nobis sunt nota. Ea enim quæ pertinent ad statum animarum post mortem, non sunt visibilia nobis, sed homo certissimè videt contra se continuè venire mortem, per continuum trāsitum vitæ, qui cito terminandus est per mortē. Et ideò ipsam mortem sic contra se venire considerans Dauid, magna formidine terrebatur dicens. *Formido mortis cecidit super me.*

A In quibus verbis tria dat intelligere de morte.

Primò ipsius potestatem, scilicet ex formidine, cùm dicit, *formido.*

Secundò ipsius mordacitatem, ex nomine, scilicet *mortis*, quia dicitur mors à mordendo, vel morsu.

Tertiò ipsius ineuitabilitatem, cùm additur, *cecidit super me*, scilicet qui vitare non possum.

QVANTVM ergò ad primum, videmus quod aduersarius tantò magis timetur, quantò potentior est, vndè aduersarij potestas formidabilis est. Tanta autem est potestas mortis, quod nullus eam potest effugere, nec ab eius se virtute defendere. Et huius ratio est, quia mors velut quoddam iaculum siue telum est, emissum à fortissimo brachio Dei; cuius ictum nullus potest effugere. Si enim in aliqua acie aduersariorū esset aliquis iaculator fortissimus, qui modo telum ipsum emitteret contra vnum, modo cōtra alium, & nullus quem vellet perfodere, posset eius ictum effugere, quilibet timeret de eo, & de fortitudine brachij sui. Talis iaculator est Deus: qui telum seu iaculum mortis, modo contra istum, modo contra illum emittit, nec aliquis effugere potest, quin quando voluerit, perfodiatur ab eo. Propterea dicitur Exo. de hominibus. *Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachij tui.* Exod.15 Vbi aduertendum est, quod tempore mortis, tria valdè terribilia concurrunt, ex quibus tres effectus eueniunt, qui innuuntur in verbis prædictis inductis.

¶ Primum est destructio naturæ, scilicet per mortem. Et hoc inducit formidinem; ideò dicitur primò, *irruat super eos formido.*

¶ Secundum est destructio iustitiæ, quia statim ducitur anima ad diuinam iustitiam, vbi ex diuina iustitia strictissimè iudicatur, hoc inducit pauorem, ideò subdit *& pauor.*

¶ Tertium est ostensio potentiæ, quia in morte ostenditur insuperabilitas diuinæ potētiæ, cui nemo resistere potest. Et hoc designatur, cùm dicitur *in magnitudine brachij tui*, vndè glo. exponit, id est insuperabili potentia. Et hoc inducit non tantum terrorem, sed etiam desperationem effugiendi mortem.

¶ Sed quoad formidinem mortis notandum est, quod sicut homo multum formidaret, si occurreret ei vnum animal sæuum, & magnum, & multum monstruosum, ita debet etiā formidare de morte. Potest enim mors cōgrue assimilari cuidam animali valdè feroci, & monstruoso, quod dicitur

tur hyena. De hoc enim ab auctoribus fertur, quod habet viperæ collum elephantis dorsum, fingit vocem hominum, in quantitate & voracitate repræsentat lupum, in pillis colli æquum, & variat vt dicitur sexum, quia nunc masculus nunc fæmina eadem inuenitur. Sic mors assimilatur viperæ propter celeritatē, quia frequenter homines moriuntur inopinatè & antè tempus, præcipuè per mortes violentas, sicut accidit viperæ, cui cùm tempus pariendi aduenerit, filij concepti non exspectantes naturæ operationem, eius latera rodunt, & cum matris interitu exeunt. Et ideò dicitur vipera quasi vi pariēs. Sic & multi disrumpūtur propter mortem antè tempus senectutis, vel mortis naturalis Elephanti verò assimilatur propter bellicositatem, quia elephantes ducuntur ad bella, sed bellum vel pugna mortis est maxima. Est enim ibi pugna naturæ quæ per morbum dissoluitur, Est ibi pugna animæ, quæ exire de domo proprio & in regionem sibi ignotam ingredi cōpellitur. Est ibi pugna conscientiæ, quæ contra se habet iudicem iratum, si sit homo peccator, & intra se peccatorum remorsum, & sub se infernum præparatum, & iuxta se aduersarium truculentū: certè formidabile valdè est ad talem pugnam venire. Vocem autem hominis fingit propter fallacitatem, fallit enim mors hominem propter incertitudinem. *Nescit enim homo finem suum*, vt
Eccl.9. dicitur Eccles. Lupo verò assimilatur propter voracitatem, omnes enim homines deuorat, & nunquam saniatur. Collū equi habet propter frænabilitatem, quia ponit frænum & terminum nequitiæ humanæ. Sexum variat, quia nunc masculos nunc fæminos asportat. Propter illa sex prædicta, mors communiter hominibus & maximè peccatoribus est in formidine & horrore maximo. Vn- Ezec.32.
dè Ezech. *Horrore nimio formidabunt.*

Secundò debet inesse homini- B
bus tempore mortis pauor ex sæueritate diuinæ iustitiæ, quia quilibet iudicatur post mortē. Quandò aliquis est captus, & ad iudicium seueri iudicis tractus, si se sentit omninò innocētem, minus timet sed si sentit se malefactorē, maximè pauet. Sic aliquādò aliquis est captus per mortem, & trahitur ad Dei iudicium Prouer. Pro. 22.
Pauor operantibus iniquitatem. Tamen nullus inuenitur omninò innocens, & secundò quilibet debet timere & pauere venire ad tale iudiciū. Dicit Plinius, quod gallus timens aquilā & vulturum prædones terretur, & cùm sit acuti visus vnum oculum ad victum inferius deprimit, & alterum in aëra dirigit, vt aduentum aquilæ & vulturis scire possit. Aquila significat Christū: vulturem significat mortem. Et vtriusq; aduentum, scilicet mortis interitum, & Christi ad iudicium, vir sanctus debet timere, qui in gallo significatur. Vndè etiam escam capiens, mortē corporis debet timere, & ad ipsius corporis destructionem, futuram per mortem, debet oculum mentis intendere, & aduentum etiam districti iudicis pauida consideratione respicere. Dura est ergò mortis conditio; cui mors vastat corpus exterius, & pauor diuini iudicij animam perturbat interius, secundùm illud Deut.32.
Deuteron. *Foris*, scilicet in corpore, *vastabit eos gladius*. id est mors diuidens animam à corpore, *& intus pauor*, diuini iudicij animam condemnatis.

¶ Tertiò apparet in morte magnituo diuini brachij, id est secundū glossam insuperabilitas di-

uinæ

uinę virtutis, quæ maximè manifestatur in morte, quam nullius rei virtus superare vel impedire potest, quando Deus vult hominē mori. Apparet ergò in morte potentia brachij Dei, id est diuinæ virtutis, ex eo, quod per mortem omnis superbia dispergitur, sicut

Psal. 1. cumulus pulueris dispergitur ad flatum venti Psalm. *Sicut puluis quem proiecit ventus à facie terræ.*

¶ Item omni potentia deiicitur, sicut celsitudo tecti per ruinā ædificii. Vndè beata Maria virgo dixit in cantico suo: *Fecit potentiā in brachio suo, &c.* Et ita fit in morte.

C SECVNDO in auctoritate principali ostenditur ipsius mortis mordacitas ex nomine ipsius, quia vocatur mors scilicet à morsu, mordet enim mors hominem, quia quasi ad modum mordentis cibum partem aufert & partem relinquit: aufert enim vitam corporis, sed vitā animę derelinquit. Vndè per mortem corporis non moritur anima hominis, sicut moritur anima cum corpore cuiuslibet iumenti. Nec obstat quod

Eccl. 3. dicitur Eccle. 3. Quia *vnus est interitus hominū & iumentorū, & æqua vtriusque cōditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius.* Primò quidem quia ibidem loquitur ex persona insipientium, qui ita existimant, sed non est ita in rei veritate, nisi quantum ad corpus tantum, non autem quantum ad animam, quæ non moritur, sed remanet viuēs.

Eccl. 12 Vndè Eccles. vlt. vbi loquitur ex persona sapientū, dicitur: *Reuertatur puluis in terrā suā, vndè erat, & spiritus redeat ad Deū, qui dedit illū.* Vndè anima humana immortalis & incorruptibilis est. Vndè & de animabus in inferno existētibus

Apoc. 5 exponi potest illud Apoc. *Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Vbi duo dat intelligere de animabus damnatis.

Primò supplicij acerbitatem, propter quam *desiderabunt mori.*

Secundò deficiendi impossibilitatem, quia *fugiet mors ab eis.*

¶ Circa primum aduertendum est, quod cùm mors sit corruptio quædam, siue priuatio vitæ, & viuere viuentibus sit esse, vt dicit Philosophus, animam desiderare mori, est desiderare priuationem sui esse. Tale autem desideriū non est impossibile inesse animæ in miseria damnationis existenti, licèt enim non esse secundū se nullo modo sit appetibile, cum non habeat aliquam rationem boni, & sit pura boni priuatio, tamē si cōsideretur vt est ablatiuū pœnalis vel miserię vitę, sic nō esse accipit ratione boni, quia carere malo est quoddam bonum, vt dicit Philosophus 5. Ethi. Et per hunc modū damnatorū animæ appetunt non esse, quia sic melius est eis nō esse quam in tanta miseria esse. Vndè

Matth. dicitur de Iuda damnato. *Benū erat ei si natus non fuisset homo ille.* Et Hierem. *Maledicta dies in qua natus sum.* Vbi dicit glos. Matt 26 Hier. 20

Hiero. *Melius est non esse quā malè esse.* Vndè secundùm hoc damnati, secundùm deliberatiuā rationem possunt præeligere non esse. Et propterea damnatorum miseria, omnem mūdi huius miseriam excedit, sed ad vitandam miseriā huius mundi, appetibile est aliquibus mori, vndè dicitur Eccli. O mors bonum est iudicium tuū Eccl. 41

homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili, qui perdit sapientiam, quia si tali mors appetitur, ergò multò fortius est damnatis appetibile non esse, etiam secundum rationem deliberatiuam.

Se-

D Secūdò eſt in damnatis impoſſibilitas moriendi, vndè additur in auctoritate inducta, quia *fugiet mors ab eis*, quia ſcilicèt impoſſibile eſt animam hominis mori, vel corrumpi. Non enim inuenitur corruptio, niſi vbi eſt contrarietas, generationes enim & corruptiones ex contrariis & in contraria ſunt. Vndè corpora cæleſtia, quia non habent materiam contrarietati ſubiectam, incorruptibilia ſunt. In anima autē intellectiua, cuiuſmodi eſt anima hominis, non poteſt eſſe aliqua cōtrarietas, recepit enim ſecundū modum ſui eſſe. Ea verò quæ in ipſa recipiuntur, ſunt abſque contrarietate, quia etiam rationes contrariorum, prout ſunt in intellectu, non ſunt contrariæ, ſed eſt vna ſcientia contrariorum. Impoſſibile eſt ergò quod anima intellectiua ſit corruptibilis, vndè nūquam ſuum eſſe ſine ſua vita cōſumitur in tormentis. Vndè beatus Dionyſ. dicit 9. cap. de diuino. quod animæ humanæ ex bonitate diuina habent quod ſint intellectuales, & quod habeant ſubſtantialē vitam & inconſumptibilem. Et ideò etiam dicitur de animabus damnatorum. Apo. *Quærent mortem, & non inuenient eam.* Apoc.9.

E TERTIO in auctoritate principali inuenitur mortis ineuitabilitas, in eo quod dicit, *cecidit ſuper me*, qui ſcilicet ſum homo mortalis, & ideo eam vitare non poſſum. Sed aduertendum, quod alia formido mortis cadit ſuper eum, qui moritur benè, & alia ſuper eum qui moritur malè. Nam ille qui moritur benè, id eſt benè diſpoſitus ſecundùm Deum, licèt non ſine aliqua formidine vadat ad diuinam iuſtitiam, tamē multùm confidit, & ſperat de diuina miſericordia, quòd ſaltem nō dānabit eum ad pœnam inferni, & ſi fortè credat purgari pœna purgatorii, quę pęnalis eſt. Vndè ex perſona illius, qui ita moritur, dicit Propheta in Pſal. *Miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animā meam ex inferno inferiori*, quaſi dicat ex perſona hominis qui benè mortuus eſt. Miſericordia tua magna eſt, quia non ſolum eruiſti me à tranſitoriis malis quæ ſunt in mundo, ſed etiam ab æternis ſuppliciis quæ ſunt in inferno. Et quia quamuis non eripueris me ab inferno ſuperiori, vbi eſt locus purgandorum, tamen eruiſti me ab inferno inferiori, vbi eſt pœna damnatorum. Et magna profectò Dei miſericordia eſt, quod pœna æterna in tranſitoriam commutetur. Sed illi qui malè & impœnitentes moriuntur, terrentur à mortis inſtantia, & formidant de diuina iuſtitia, & deſperant de diuina miſericordia, & ideò poſt mortem mittuntur ad æterna ſupplicia. Vndè ex perſona taliter mortui, & iam in inferno locati, dicit Pſalm. *Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Pſal.89. Pſal.87.

F In quibus quidem verbis poſſumus notare de homine damnato, quod tria circa ſe deplorat.

Primò, ſuam infœlicitatem, cùm dicit, *ſuper me*, ſupple infœlicem.

Secundò, ſuæ pœnæ irremediabilitatem, cùm dicit, *Confirmatus eſt furor tuus.*

Tertiò, pœnarum multiplicitatem, ſiue generalitatem, quia *omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.*

Circa primū aduerte, quod tota infœlicitas hominis dānati eſt ex eius impœnitētia finali, ſcilicet propter defectum contritionis & contemptum veræ confeſſionis, aut neglectū plenæ ſatisfactionis, pro-

propter hoc enim est super eum æterna indignatio Dei. Vnde potest dicere talis illud Iob. *Nonne dissimulaui*, scilicet peccata mea, scilicet ipsa non attendendo, neque de eis dolendo per contritionem. *Nonne silui*, scilicet à confessione peccati. *Et* ideò supple *venit super me indignatio tua*, scilicet Dei implacabilis, Secundò innuit pœnę irremediabilitatem, cum dicit. *Cõfirmatus est furor tuus*, id est furiosa pœna à te inflicta, sic cõfirmata est, vt nunquã à me valeat remoueri, & ideo irremediabilis, quia nullo remedio potest remoueri. Sicut ergo beati sunt in æternum confirmati in gloria, ita damnati in pœna & miseria. Psal. *Confirmasti super me manũ tuam*, id est virtutem tuam punitiuam, de qua Iob: *Manũ tuã longe fac à me.* Et vocatur pœna inferni furor, ratione immẽsi ardoris. Isai. *Ardẽs furor eius*. Vel propter seueritatẽ quia est iustitia sine misericordia. Prou. *Ira non habet misericordiam, nec erũpens furor.* Tertiò innuitur in eadem auctoritate inducta pœnarum generalitas, quia *omnes fluctus tuos induxisti super me*, id est omnes passus pœnarum, &c. Octo enim genera pœnarũ in legibus esse scripsit Tullius, quæ omnia possunt pœnis infernalibus adaptari. Quarũ prima est damnum, siue pœna damni, quæ est, quia damnati amiserũt triplex bonũ, & ideo patiuntur triplex damnũ. Est enim bonum superius, quod est species boni æterni, quam scilicet ipsi damnati æternaliter amiserunt, quia scilicet sentiunt se esse priuatos æternaliter gloria æternæ beatitudinis, quam consecuti fuissent, si nõ fuisset culpa sua. Aliud est bonum exterius, sicut omnia ista tẽporalia quibus iuuamur; quo bono carent damnati, quia vident se priuatos adiutorio & vtilitate omnium creaturarum, sine eorum refrigerio. Aliud est bonum interius, sicut est gratia & virtutes, quibus omnibus carent ipsi damnati, & habẽt pro eos habitus vitiosos, qui eos cruciant, & mordent ad modum vermium.

Iob 3.

Psal. 37.

Iob 13.

Isai 30.

Pro. 27.

¶ Secunda pœna legalis est vinculorum seu carceris. Sic damnati erunt inclusi in terra, in loco inferni, per modum carceris: vndè nunquam exibunt nisi in vltimo iudicio, quando resurgent cum corporibus suis, vt recipiant suæ damnationis complemẽtum, scilicet vt non tantùm in anima, sed etiam in corpore affligantur. Et habebunt vincula in manibus & pedibus, quia scilicet ligatos habebunt pedes affectionum, & manus operum, vt nec ex affectu nec actu mereri possint, dicente Domino Matth. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Et Psalm. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.*

¶ Tertia pœna legalis est verberum. Quasi enim verberibus cæduntur, quia variis pœnis affliguntur Prouerb. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutiẽtes stultorum corporibus.* Istud enim non intelligitur de malleis corporalibus, sed de diuersitate pœnarum, vt iuxta quantitatem delicti sit & plagarum modus.

¶ Quarta pœna legalis est talionis, de qua Apoc. *Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormẽtum & luctũ.*

¶ Quinta est pœna ignominiæ scilicet in deformitate corporum damnatorũ post resurrectionem. Propter quam aliqui dicũt, quod tam ignominiosum erit corpus peccatoris, quod animá resumens ipsum stupebit, quãdò videbit, & vellet potiùs habere illud, sicut fuit quandò erat in sepulchro comestium à vermibus. Sed sanctus Thomas

Mat. 22.

Psa. 149.

Pro. 19.

Apo. 18.

Thomas dicit,quod Deus qui naturam condidit corporis, naturā etiam in damnatis integrè reparabit. Vndè quicquid defectus vel turpitudinis ex corruptione vel debilitate naturæ siue principiorum naturalium in corpore fuit, totum in resurrectione remouebitur, sicut febris, lippitudo, &c. Et ideo generaliter dicit Paulus, quod *mortui resurgent incorrupti.*

1.Co.15. Glo. Mortui, id est peccatores, vel generaliter omnes mortui resurgent incorrupti, id est sine aliqua dimunitione mēbrorū. Defectus autem, qui naturaliter ex naturalibus principiis in corpore humano consequuntur, sicut ponderositas, passibilitas, obscuritas, &c. in corporibus damnatorū erunt, quos defectus ab electorū corporibus gloria resurrectionis excludet. Vnde in hoc erit magna ignominia damnatorū, quod videbunt se à Sanctorū consortio expulsos & exclusos, & eorum pulchritudine priuatos & indignos.

¶ Sexta pœna legalis est exilij, quia erunt perpetuo exclusi à ciuitate Dei, & Sanctorum consortio, dicente Domino & supremo

Isa. 26. iudice. Isa. *Tollatur impius ne videat gloriam Domini.*

¶ Septima pœna legalis est mor-

Psal. 48. tis, de qua in Psal. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Nam sicut ouis depascit herbam, & herba iterum in pastum repullulat, vt iterum ouis pascatur, sic mors pœnæ non naturæ illos depascit, & nihilominus adhuc semper viuunt, vt iterū semper à morte pascantur, vnde semper viuunt vita naturę, & semper moriuntur morte pœnæ.

¶ Octaua pœna legalis est ser-

Hier.16. uitutis, de qua Hier. *Seruietis dijs alienis die ac nocte,* id est dæmonibus, qui nō dabunt vobis requiē.

Thre. 1. Et Thren. *Princeps prouintiarum facta est sub tributo.* Damnati enim semper sub tributo pœnæ seruient & tamen nunquam tributum persoluent. Potest ergò dicere Deo & supremo iudici congregatio damnatorum illud Psal. Psal.41.

Omnia excelsa tua, id est secundū glossas pœnæ maiores, *& fluctus tui,* id est pœnæ minores, *super me transierunt.* Erunt enim ibi pœnæ maiores & minores, secundùm exigentiam culparum. Sicut & in cœlesti gloria diuersi gradus beatificationis ex exigentia meritorum. Ab his ergo omnibus pœnis liberabuntur electi in cœlesti gloria lætificati, vna voce dicentes: Replebimur in bonis domus tuæ, Et, Bonum est nos hîc esse. Ad quorum consortium nos perducat Christus Rex cœlorum Amen.

SERMO IV.

De causa & origine mortis humanæ

PEr *vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Apostoli Pauli Rom. 5. verba sunt præmissa.&c.

Quoniam cōtrarij effectus procedunt ex contrariis causis, sicut videmus quod à calore resoluitur illud, quod à frigore constringitur. Quod etiam spiritualiter accidit, quia cor peccatoris, quod peccati malitia stringit & claudit, gratiæ color apetit & dissoluit. Sic etiam prout vita corporis à vita animæ procedit, sic & mors etiam corporis, quæ est ipsi vitæ opposita à morte animæ prouenit. Moritur autem anima, non quoad vitam naturæ, sed gratiæ per culpam & peccatum, secundùm illud Ezech. *Anima quæ pec-* Ezec.18.

cauerit, ipsa morietur. Vndè mors corporis ex peccato processit, & vtraque, scilicet peccatū & mors, ab eodem originem habuerunt, scilicet ab homine primo. Et hoc

est quod dicitur in verbo proposito, quia *per vnum hominem intrauit peccatum in mundum, &c.*

A In quibus quidem verbis Apostolus principaliter de tribus loquitur.

Primò de origine culpæ, quia *per vnum hominem peccatum intrauit, &c.*

Secundò de infectione animæ, scilicet *per peccatum.*

Tertiò de corruptione vitæ, quia est *mors.*

CIRCA primum aduertendum est, quod per vnum hominem, scilicet primum Adam, qui scilicet primò peccauit, peccatum intrauit in mundum, id est in homines, qui in mundo nascũtur & cõcipiuntur, quia omnes qui cõcipiuntur in mundo ex ipso peccato Adæ, in ipsa sui conceptione contrahunt originale peccatum, excepto Christo, qui non eodem modo, quo alij, est conceptus, scilicet non ex virili semine, sed mistico spiramine carnem sumens. Vndè quod in ea natũ est, scilicet ex sanctissima matre eius, de Spiritu sancto est. Idem nunc sentit Ecclesia de Virgine Maria, matre Domini intemerata & immaculata. Sed si aliquis diceret, quomodo potest hoc fieri, quòd ex primi parentis peccato inficiãtur filij ab eo descendentes? Cùm enim nos videamus, quod sæpè patres peccatores generant filios iustos & bonos, & nullum prorsus peccatum suum eisdem transfundunt, quare peccatum ad eos magis transfunditur, quàm aliorum parentum, & cùm etiam peccatum, sicut dicit August. adeò sit voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum. Et in pueris nullus vsus rationis sit, per cuius defectum cessat omne peccatum, sicut beatus Dionysius dicit, nec etiam voluntas peccandi in eis esse possit, quomodo ergò peccatum habent? Dicendum est ad hoc, quod licèt sit difficile hoc videre, prætermissis tamen ad præsens subtilitatibus, & subtilioribus viis, quibus hoc Doctores ostendunt, sic tamen ostendi potest. Nos videmus quod illud, quod est principium aliquorum, in ipsa quæ ab ipso dependent, secundùm propriam dispositionem influit, sicut si radix arboris corrupta est, de illius corruptione & truncus, & radix, & fructus sentiunt. Et similiter si virens sit, & benè disposita, idem accidit in recipiendo, quia etiam de sua bona dispositione sentiunt, quæ ab ea procedunt. Adam autem principium fuit totius humanæ naturæ, & omnes homines ab ipso descenderunt, & omnes sumus respectu ipsius, tanquam vnius corporis multa membra. Propterea quia ipse fuit principium totius humanæ naturæ, & in eo, tanquam in principio, humana natura continebatur: omnes qui ab eo descenderunt, de eius corruptione sentiunt, & ea inficiuntur. Et quamuis istud non sit voluntarium ex parte pueri nati, est tamen voluntarium ex parte Adæ, in quo natura omnium continebatur, tanquam in principio. Et est simile de membro, quo committitur aliquid indebitum, sicut homo manu committit homicidium: istud homicidium non est voluntarium ex parte manus, sed ex parte voluntatis ipsius mouentis manum ad hoc. Et nihilominus punitur homo in manu, & in toto corpore. Si autem consideretur manus secundùm se, diuisa à toto corpore; & ab homine, non imputabit sibi homicidium, nec punietur; sed quia est aliquid hominis non facientis, & mori à suo principio motiuo, quod est voluntas

August.

Dionys.

voluntas, ideò punitur. Sic etiam omnes homines sunt aliquid ipsius Adæ in quantum quasi vnum sunt, scilicet in quantum conueniunt in natura, quam ab eo acceperunt. Peccata autem aliorum parentum, ideò non traducuntur quia sunt merè personalia. Vndè etiam Adam, in quantum erat hæc singularis persona, non potuisset inficere descendentes ab eo, nisi in eo contenta fuisset tota natura humana. Et sic patet, quomodo peccatum primi parentis transiuit ad alios. Et ideò dicit Paulus ad Roman. quod *per vnius hominū inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Rom. 5.

In quibus verbis Apostolus tria tangit.

Primò, initium hnmanæ transgressionis, *per vnius hominis inobedientiam.*

Secundò, progressum transfusæ corruptionis, quia *peccatores constituti sunt.*

Tertiò, excessum corruptæ propagationis, quia *multi.*

B Initium ergò humanæ transgressionis fuit inobediētia vnius hominis, scilicet Adæ, qui de pomo sibi à Deo vetito comedit. Nec obstat quod dicitur in Eccli. quod *à muliere initium factum est peccati*, quia mulier fuit initium primum & incompletum; sed vir fuit initium proximum, & completum. Aduertendum etiam, quod primum peccatū primi parentis, ex quo in omnes peccatū emanauit, non fuit inobedientia, secundùm quod inobedientia est peccatum speciale; sed fuit superbia, ex quo homo processit ad inobedientiam. Et propterea dicitur Eccli. quod *initium omnis peccati est superbia.* Vndè Apostolus accepit hîc inobedientiam, secundùm quod generaliter se habet ad omne peccatum. Sed iterū notandum est, quod inobedientia illa primi hominis aggrauatur multipliciter. Primò ex parte præcipientis, qui fuit Deus, vndè non hominis, sed Dei præceptū transgressus est: quamuis enim homo omnem curam apponere debeat ad hoc, quod cuilibet superiori obediat; tamen est magis debitū quod homo obediat superiori, quàm inferiori potestati. Cuius signum est, quia præceptum inferioris prætermittitur, si sit præcepto superioris contrarium. Vndè consequens est, quòd quantò superior est ille, qui præcipit; tantò ei inobedientē esse sit grauius, & sic inobedientem esse Deo est grauius quàm inobedientem esse homini. Vndè Act. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*, & tamen quidam contrarium faciunt, similes Sauli, qui dixit Samueli: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verbum tuum timens populum, & obediens voci eorum.* Secundò aggrauatur ex parte transgredientis, scilicet Adæ. Primò quia nō peccauit ex ignorantia vel infirmitate, sed ex superba elatione, ex ignorantia non peccauit; quia sicut dicit Apostolus Paul. ad Timoth. *Adam non est seductus, sed mulier seducta in præuaricatione fuit.* Ex quo apparet, quod mulier peccauit ex ignorātia, vir autem ex certa sciētia. Peccatum autem scienter commissū grauius est eo, quod committitur per ignorantiam, secundùm illud Luc. *Ille seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundùm voluntatem Domini sui, plagis vapulabit multis: qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Sed quia ex hoc videtur sequi, quod grauius peccauit Adam; qui peccauit ex certa scientia, quàm Eua, quæ peccauit ex ignorantia. Sciendum est quod ista seductio, qua Eua sedu-

Eccl. 25. Eccl. 10 Act. 5. 1. Re. 15 1. Tim. 2 Luc. 12.

ĉta eſt,ex præcedēte elatione pro-
ceſſit Et ideo talis ignorantia nō
excuſauit,ſed aggrauauit peccatū,
in quantum ignorando, in maio-
rem elationem erecta eſt : vndè
maior fuit elatio eius quàm Adæ:
Credidit enim mulier verum eſ-
ſe,quod ſerpens ſuaſit, ſcilicet de
diſcernēdo bonum & malum.Et
ita dum per eſum ligni vetiti vo-
luit conſequi diuinam ſimilitu-
dinem,ſuperbia ad hoc ſe erexit,
quod contra Dei voluntatem ali-
quid voluit obtinere. Sed vir nō
credidit hoc eſſe verum; vndè nō
voluit conſequi diuinam ſimili-
tudinem contra Dei voluntatem;
ſed in hoc ſuperbiuit,quod voluit
eam conſequi per ſeipſum. Non
etiam peccauit Adam ex infirmi-
tate,quia ſic fortem & perfectum
creauit eum Deus,vt leuiter & ſi-
ne difficultate poſſet omne pec-
catum vitare , quia non habebat
intrinſecus, quod eum ad peccā-
dum impelleret.Et ideò ſicut di-
Auguſt. cit Auguſt.in 14.de ciu. Dei cap.
15. *Magna fuit in peccando iniqui-
tas,vbi tanta fuit in non peccando
facilitas.* Peccauit Adam, non ex
infirmitate , ſcilicet ex elatione
ſuperbiæ,appetens Deo eſſe ſimi-
lis,non quantum ad naturam,ſed
quantū ad ſcientiā boni & mali,
prout ſcilicet ſuggeſſerat ſerpēs,
ſcilicet vt per virtutem propriæ
naturæ ſciret determinare quid
bonum eſſet, & quid malum ad
agendum, vel etiam vt per ſeip-
ſum prēcognoſceret quid ſibi bo-
nī vel mali eſſet futurum. Et ex
hoc appetitu ſuperbo proceſſit
inobedientia eius, vt de ligno ſi-
bi vetito ipſe ſumeret, vt dicit
D. Tho. ſanctus Thomas. Ex quo etiā ha-
bemus, quod ſuperbia inobediē-
tiam parit. Tertiò aggrauatur in-
obedientia primi hominis, ratio-
ne nocumenti indè proueniētis.
Quia ex eius trāsgreſſione & pec-
cato interrupta eſt innocentia
primi ſtatus,quia ſubtracta, deor-
dinata eſt tota natura humana,
& peccato originali infecta. Pec-
catum enim originale eſt quædā
inordinata diſpoſitio in homine,
quæ procedit ex diſſolutione har-
moniæ & concordiæ, quæ erat in
primo parente; quia homo in ſta-
tu innocentiæ perfectæ ſubditus
erat Deo, & pars ſenſitiua perfe-
ctè erat ſubdita rationi,& creatu-
ræ aliç ſubditæ erant ipſi homini.
Vndè ſi homo non peccaſſet,nul-
la creatura ei reſtitiſſet. Sed quia
inobediens fuit ſuo creatori, cō-
ueniens fuit ei vt reſiſterent,& ei
inobedientes eſſent aliæ creatu-
ræ. Vndè videmus, quod hodie e-
tiam ſeruis Dei,qui verè obediūt,
cæleſtia, & terreſtria, & ipſi dæ-
mones obediunt, in quibus fre-
quenter miracula operantur. Per
inobediētiam etiam inſuper pri-
mi hominis incurrimus mortem,
& alias pœnalitates humanæ na-
turæ,vt ſenectutem , & debilita-
tē,& ægretudines varias, & defe-
ctus. Eſt etiā ex eo vulnerata na-
tura humana , id eſt eius inclina-
tio ad virtutem , quæ eſt quoddā
bonum naturæ : quia incurrimus
exinde ignorantiam agendorum,
concupiſcentiam noxiorum, in-
firmitatem & debilitatem operā-
di,& etiam malitiam , id eſt prō-
ptitudinem ad malū, incurrimus
etiam exinde inordinationē om-
nium paſſionum,amando ſcilicet
quæ non ſunt amanda,& timēdo
quæ non ſunt timenda , exultādo
ſæpe in his de quibus eſſet dolē-
dum; & dolēdo de his, de quibus
eſſet exultandū. Et ideò Aug.di-
cit,quod malū rationalis creatu- Auguſt.
ræ eſt priuatio boni,ex qua naſci-
tur ignorantia rerum agendarum
& cōcupiſcentia noxiarum , qua-
rum ſunt communiter labor &
dolor. Dedit etiam Adam primū
malum exemplum trāſgrediendi
præcepta Dei,& peccandi, ſed ta
men-

men nos, qui eius inobedientiam scimus tam grauiter esse punitã, & qui etiam alios qui fuerint inobediẽtes, legimus grauiter fuisse
Nu. 14. punitos, sicut patet de filiis Israël vbi dicitur: *Omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, ne obedirent voci meæ, non videbunt terram per quam iuraui principibus eorum.* Et etiam Tob.
Tob 3. dicitur in persona ipsorum. *Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.* Ideò nos debemus cogitare, quòd si nos secuti fuerimus exemplum inobedientiæ, nec nos effugiemus
Hebr. 2. vltionem Dei. Vndè dicit Paulus ad Hebr. *Si omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iustam retributionem mercedis, quando nos effugiemus.*

C Secundò in auctoritate Apostoli inducta, notatur progressus transfusæ corruptionis, id est infectio peccati originalis, quæ transfunditur à primo parente, in alios descendentes ab eo, per quam etiam ex eo propagati per carnalem generationem peccatores constituti sunt. Dicit enim beatus Greg. quòd aliquãdo pec-
Gregor. catum sequens est pœna peccati præcedentis. Sicut Deus quandoque puniri permittit, & patitur occultam mentis superbiam, per manifestam carnis ruinam Et sic etiam peccatũ primi parentis punitur: dum etiam ex ipso posteriores peccatores constituuntur. Frequenter etiam ex iudicio Dei prouenit, quod homo peccator subdatur diabolo, vel alteri peccatori, vt credelius puniatur, secũ-
Ps 208. dũ illud Ps. *Cõstitue super eum peccatorẽ, & diabolus stet à dextris eius. Cùm iudicat exeat cõdemnatus, &c.*

Vbi nota, quod omnes peccatores sunt in statu periculoso. Ratio assignatur per Psal. cùm dicit: *Longè à peccatoribus salus.* In quibus ver- Ps. 118.
bis tangitur triplex ratio, quare peccatores sunt in statu periculoso. Et prima est, quia sunt à saluatore remoti, quod notatur cùm dicitur: *Longè*, sicut periculosum est ægrotanti, longè esse à medico. Ista autem longitudo non est secundùm localem distantiam; quia Deus, qui saluator est omnium, vbique est; sed potius attẽditur secundùm distantiam similitudinis; sicut album dicitur esse longè à nigro. Quantò enim homo magis est peccator, tantò est magis Deo dissimilis, sicut quantò quis est nigrior, tantò est dissimilior albo. Vndè de beato Augustino legitur, quòd ante suam August.
conuersionem inuenit se esse lõgè à Deo, in regione dissimilitudinis. Quod de peccatoribus patet, quia Deus est totus largus & benignus, quia dat affluenter & non improperat; sed peccatores sunt auari & tenaces. Item Deus est patientissimus, qui multo tẽpore tolerat inimicum suum, cùm posset eum statim submergere, & quando redit, libentissimè parcit. Et peccatores è contra non possunt modicam iniuriam tolerare, quin velint statim se vindicare si possunt, & multoties veniam petenti, parcere nolunt. Item Deus dat, & non expectat retributionem ab homine, & homo non vult aliquando mutuare homini absque vsura amplissima. Et sic in multis & infinitis peccatores sunt dissimiles Deo, ideò dicit Sapiens in Prou. 15.
Prouerbiis: *Longè est Dominus ab impijs.*

Secunda ratio periculi est, quia D.
scilicet peccatores sunt pessimè corrupti, & ideò nimis abominabiles Deo, plusquam res fætida &

corrupta videatur abominabilis homini, quod notatur cùm dicitur, *Peccatoribus*. Et hoc præcipuè patet in Sodomitis, quorum peccatum peſſimum eſt,& nimis ab-
Gen.13. ominabile Deo. Vndè dicitur in Gen. *Homines autem Sodomitæ peſſimi erant,& peccatores coram Domino nimis.* Dicuntur autem Sodomitæ peſſimi,quia licèt ſi: malum fornicari,tamen peius adulterari,& peſſimum hanc turpitudinem operari ſcilicet Sodomię.
Gen.37. Vndè in Gene. dicitur de Ioſeph, *quod accuſauit fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo*, id eſt de vitio Sodomitico ſecundùm vnam expoſitionem. Dicitur etiam quod erant peccatores coram Domino nimis,quia licet ille multum peccet,qui malum vult corde; tamen plus ille qui peccat opere, ſed nimis ille qui peccatũ ducit in cõſuetudinem. Sed illud peccatum, cùm in ipſum homo cadit, maximè trahit in conſuetudinẽ, propter concupiſcentiæ inſatiabilitatem,quę eſt ſicut ignis ardẽs. qui nunquam dicit ſufficit. Vndè ad
Rom 1. Rom. dicitur de Sodomitis, quod *exarſerunt in cõcupiſcentijs ſuis*, imò ſic diabolus huic vitio ita eos immergit,quòd non curant de vxoribus; legitur etiam quod Deus
Gen.18. dixit: *Clamor Sodomorũ & Gomorreorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatũ eſt nimis.* Vbi aduerte,quod de duobus peccatis legitur aſcendiſſe clamor ad Deũ, ſcilicet de homicidio, imò verius
Gen. 4. fratricidio: dixit Deus ad Cain, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, & de vitio contra naturam; quia laborantes his duobus vitiis ſunt hoſtęs Dei & generis humani. Nam vnum facit vt homo non generetur, & alius
E vt genitus extinguatur.

Tertia ratio, quare peccatores ſunt in ſtatu periculoſo, oſtenditur,quia ſunt ſalute priuati, ſcilicet quia ſalus non poteſt haberi ſine gratia, qua peccatores carẽt. quia ſcilicet ſalus lõgè eſt ab eis. Sed aduertendum eſt, quod quædam animalia ſunt,quæ ſine aqua ſaluari non poſſunt, ſicut piſces. Et ſic peccatores in peccato exiſtentes. ſi ſint in peccato originali,nõ poſſunt ſaluari ſine aqua ſacramentalis gratiæ,quia non purgatur originale peccatum,niſi per baptiſmum actu ſuſceptum, vel voto: actu vt in pueris,voto vt in adultis. Vndè ſi pueri portarẽtur ad baptizandum, & morerentur in via, antequam peruenirent, non eſſent ſaluati, quia non habẽt baptiſmum,nec actu, nec voto. Sed ſi adultus iret vt baptizaretur,& priùs moreretur, ſaluus eſſet; quia ſaltem in voto habuit baptiſmum. Ideò dicitur Marc.
Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Mar.16.
Nec obſtat de pueris qui non credunt,quia ſaluantur in fide parentum. vel quia alij promittunt fidem pro eis. Si autem ſit peccator in peccato actuali poſt baptiſmum commiſſũ, non poteſt ſaluari ſine aqua pœnitentiæ, qua abluitur peccatum actuale mortale,quod impedit ſalutem. Vndè animæ impœnitenti dicitur Ezech. *Aqua non es lota in ſalutem.* Tertiò in auctorita- Ezec.16
te Apoſtoli ſuperius inducta tangitur exceſſus corruptæ propagationis,in eo quod dicit, *Multi*, ſcilicet, *conſtituti ſunt peccatores*. Verè enim peccatores ſunt multi,& comparatiuè iuſti ſunt pauci. Et ratio eſt. quia homines communiter refugiunt difficilia & pœnoſa. Et è contrario ſequuntur facilia & delectabilia. Via autem peccati eſt facilis, & delectabilis quantum ad ſenſum. Via autem virtutum eſt difficilis & pœnoſa ſecundùm ſenſualitatem; & ideò multi vadunt per viam peccati, quæ eſt via perditionis, & pauci per

per viam virtutum, quæ est via salutis. Et hoc est, quia non attendunt ad terminum viæ futurum, sed solum præsens delectabile vel pœnosum. Et istam rationem tangit Christus dicens: *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam, &c,* Matt 7.

F SECVNDO, in auctoritate principali agitur de infectione animæ, scilicet per peccatum. Et nota quod peccatum est in anima, sicut sterilitas in terra. Si enim terra alicuius esset priuata vsu influxionis seu infusionis cœlestium corporum, vt non haberet pluuiam, vel solem, vel lunam, vel stellas, multum doleret, quia non prodesset sibi terram arare, vel bene colere, quia nullum fructũ faceret: & tamen illud esset corruptibilium rerum damnum. Ergo quantò magis debet peccator dolere, cùm per peccatum mortale anima sua sit priuata vsu cælestium bonorum, & auxilio beatorum. & per consequens sit facta sine fructu. Nam anima, ad hoc quod fructificet merendo, oportet quod habet suam aquam, scilicet gratiam Dei, cuius vsu indiget ad fructificandum & merendum. Item oportet quod habeat solem suum, id est amorem diuinum, qui calefaciat eam, & lunã, & stellas, id est suffragationes & orationes B. Virginis Mariæ, quæ est vt luna perfecta in æternum, & aliorum Sanctorũ, qui sunt vt stellæ. Sed omnibus istis priuata est anima rationalis per mortale peccatum, & ideò sine fructu meriti, sed remoto per pœnitentiam peccato, omnia ista restituuntur, & tũc efficitur vt terra fructifera. Et ideò dicit Isa. *Hic est omnis fructus, vt auferatur peccatum ex ea.* Isa.27.

G Vbi nota tria bona, quæ proueniunt homini pœnitenti.

Primum est restitutio gloriæ, cùm dicitur: *Hic est.*

Secundùm est fructificatio gratiæ, cùm subditur, *Omnis fructus.*

Tertiũ est expiatio malitiæ, cũ subditur, *Vt auferatur peccatũ ex ea.*

¶ Circa primum nota, quod sicut per peccatum homo priuatur cœlesti hæreditate, ita per pœnitentiã homo restituitur ad eam. Et ideò de pœnitente potest dici illud Matth. *Hic est hæres,* hic scilicet verè pœnitens est hæres, id est restitutus ad hæreditatem, scilicet vitæ æternæ, vt si perseuerauerit, habeat eam hic in spe, & tandem in re. Matt.21 Circa secundùm nota, quod existente magna & longa siccitate, terra non germinat, & arbores non fructificant propter defectum humoris. Sic homo diu viuens in peccatis magnis, id est mortalibus, propter defectum aquæ, id est gratiæ, non fructificat faciendo germina bonorum operum, & fructus meritorum; sed reddita infusione pluuiæ, id est infusione gratiæ per pœnitentiam in terra animæ, pullulant germina virtutum, & fructus, id est merita bonorũ operũ. Et ideò redeuntibus ad pœnitentiam promittitur Ezech. Ezec.34 *Pluuiæ benedictionis erunt, & dabit lignum agri fructum suum, & terra gignet germen suum.* Figura huius ponit Iaco. Iacob.5 vbi refertur quomodo tempore Heliæ non pluit super terram annos tres & menses sex. Sed Helia orante cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suũ. Nam per tres annos siccitatis & sterilitatis, quibus non pluit, intelliguntur tres gradus peccati, scilicet peccatum cordis, & operis, & consuetudinis: ad quos gradus sequuntur sex menses, propter carentiam sex operum misericordiæ, ex quibus impeditur pluuia, id est gratiæ infusio, sed restituta pluuia, id est gratiæ infusio per pœnitentiã & oratio-

nes Sanctorum, terra animę fructificat per meritum bonorum operum. Tertiò tangitur expiatio malitiæ, *vt auferatur peccatum.* Deus enim requirit vas cordis mundum & purùm, aliàs non ponit ibi gratiam suam. Sed peccatum est in anima, sicut rubigo in vase argenteo, vel æneo, consumens & deformans ipsum. Vndè ad hoc vt efficiatur purum, vt sit vas Dei, oportet quod auferatur per pœnitentiam rubigo peccati, secundùm illud Prou. *Aufer*, scilicet per pœnitentiam, *rubiginem*, scilicet peccati, *de argento*, id est de conscientia, *& egredietur vas purißimum.*

Prou. 25

H

TERTIO agitur in principali de corruptione vitæ, quæ est mors, quæ scilicet secuta est in nobis ex peccato primi hominis. Vbi nota, quod mors est magna regina & domina, non solùm in vno regno, sed in toto mundo, id est in omnibus hominibus mundi. Et ratio est, quia res transit cū onere suo à parentibus ad hæredes, sed natura humana peccato vitiata, & debito mortis onerata, transfunditur in omnes homines à primo parente. Et ideò omnes homines sunt onerati debito mortis, & oportet necessario omnes homines hoc debitum soluere. Vndè dicit Paul. ad Rom quod *per vnum hominem in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Sed sicut dicitur ibidem: *Si vnius hominis delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabūt per vnum Iesum Christum,* qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Rom. 5.

SERMO V.

De separatione animæ & resolutione corporis.

EXibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorū, Ps. 145.

Opinio siue error quorundam antiquorum, qui fuerunt in prima ætate mundi, dicitur fuisse, quod crediderunt hominem non debere mori. Et ad hunc errorem adducti sunt ex consideratione quarūdam creaturarum. Nam videbant solem, & lunam, & alia cælestia corpora nunquam deficere, vel corrumpi; quare cùm illa præcipuè videantur facta propter seruitium hominum, & ipse homo fuisset quasi Dominus constitutus omnium creaturarū, multò magis videbatur credibile quod ipse homo mori vel deficere non deberet. Secundò adducebantur in prædictum errorem ex parte creatoris, videlicet Dei, à quo sciebant hominem esse creatum ad imaginem & similitudinem suam, quare cùm ipse Deus immortalis sit, videbatur etiam quod ipse homo deberet esse immortalis. Tertiò quoque errabāt ex hoc, quod homines primæ ætatis vixerunt longissimo tempore, aliqui quidem septingentis annis, aliqui octingentis, & nonnulli nongentis annis. Vndè illi qui, diu vixerant, & nondum viderāt aliquem mori, credebant & existimabant quod nullus homo mori deberet. Et ex hac opinione erronea cæperunt audacius mala perpetrare, & multis se peccatis corrumpere. Quare videns Deus, quod ex parte vitæ immortalis multa malitia esset in terra, corripuit errorem prædictum. Primò per sententiam verbi dicens ad Noë, vt patet in Gen.

Non permanebit spiritus meus in homine in æternum: quia caro est, quasi dicat: Non decet eum viuere in æternum neque ex parte spiritus qui est à corpore separabilis, neque etiam ex parte carnis, quia caro est corruptibilis, & in terrā resolubilis. Et ideò etiā Propheta Dauid, videns per experientiam prædictam sententiam impleri frequenter, hoc ipsum de homine in verbis propositis expressè ponit dicens, *Exibit spiritus eius*, scilicet hominis à corpore per mortē, *& reuertetur*, scilicet corpus, *in terrā suā in illa die*, scilicet mortis, *peribunt*, id est frustrabuntur, *omnes cogitationes eorum*. Gen. 2.

A In quibus quidem verbis tanguntur tria, quę in morte hominibus contingunt.

Primum est animæ separatio, quia *exibit spiritus meus*, id est anima eius à corpore.

Secundùm est carnis resolutio, quia *reuertetur*, scilicet post mortem *in terram suam*.

Tertium est curarum seu intentationū frustratio, quia *in illa die peribūt omnes cogitiones eorum*.

CIRCA primum attendēdum est, quòd exitus spiritus, id est separatio animæ à corpore, tantò est amarior, quantò anima magis adhæsit carni, & magis dilexit eā, & opera eius. Vndè 1. Reg. dixit Agag pinguissimus. *Siccinè separat amara mors?* Et hoc ideò quia dulcissima est vnio animæ ad carnem. Vndè in vitis patrum dixit Abbas Helias. Ego tres res timeo: vna est, quandò egressura anima est à corpore, alia, quando occurrerit iudici, tertia est, quando cōtra me proferetur sententia. Nam quandò aliquis mittitur ad confines, & cogitur ad tempus exire de terra & domo sua, quia sperat citò reuerti & reuocari, nō multum dolet. Sed si exiret vt exul in perpetuum nunquam reuersurus, tunc maximè affligeretur. Sic accidit de exitu spiritus in morte, quia non sperat reuerti, secundum illud Sap. *Homo per malitiam occidit animā suā, & cum exierit spiritus eius, non reuertetur.* 1. Re. 15. Sap. 6.

B In quibus quidem verbis tangitur duplex mors hominis.

Quarum vna est spiritualis, quia homo *per malitiā*, scilicet peccati, *occidit animam suam.*

Secunda est carnalis, ideò subditur: *& cum exierit spiritus eius, non reuertetur.*

¶ Quantum ad primum sciendum est, quod sicut malitia grauis infirmitatis occidit corpus, sic & malitia peccati mortalis occidit animam. Sed quia peccatum voluntarium est, ideò ille qui facit peccatum, similis est ei qui volūtariè seipsum occidit, & similis illi qui proprio gladio se interimit, sicut fecit armiger Saul irruens in gladium suum. 1. Reg. vltimo. Vndè tales verè sunt hostes animæ suæ vndè Tob. dicitur: *Qui faciunt iniquitates & peccata, hostes sunt animæ suæ.* Proprium enim hostis est nō amare sed odisse. Sed tales peccatores, tanquam verè hostes, animam suam verè non amant. Quod probatur ex Philosopho 5. Ethico. per quinque, quæ sunt amicitia propria. Vniuscuiusque enim amicus primo quidem vult amicum suum esse & viuere. Quod quidem peccatores de anima sua non faciunt, quia nolunt eam conseruare in integritate vitæ spiritualis, quæ est per gratiam. Secundò vult ei bona, sed tales non appetunt bona spiritualia, quæ sunt potiora. Tertiò operatur bona ad ipsum sed mali non operantur ad bonum animæ suæ. Quartò conuiuit ei delectabiliter, sed malus non est delectabilis secum, id est cum anima sua redeundo ad cor, quia inuenit ibidem vitia præterita, 1. Reg. Tob. 12.

ita, præsentia, & futura, quæ abhorret. Quintò concordat cum ipso, quasi in eisdem delectatus & contristatus, sed mali non concordant cum conscientia sua, propter consciētiam remordentem, vndè iurgium habent in seipsis. Propter quæ omnia dicitur in
Psal. 10. Psalm. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, & vlterius faciendo iniquitatem occidit animã suam.
Eze. 18. Ezech. *In iustitia sua quam operatus est morietur*. Secundò in auctoritate inducta tangitur mors carnalis cum subditur: Cuius exierit spiritus eius, non reuertetur.

E De quo morte inueniuntur duo, Primum quod est formidabilis scilicet propter exitum spiritus, *Cum exierit spiritus eius*. Exitus enim spiritus, id est animæ, à corpore, formidabilis est hominibus tripli ratione.

Primò, propter recessum.
Secundò, propter ingressum.
Tertiò, propter occursum.

¶ Primò inquam propter recessum. Compellitur enim recedere & à filiis & à consanguineis, & à diuitiis & possessionibus suis, & ab omnibus temporalibus bonis, de quibus nihil ipsum concomitatur. Vndè iste recessus tantò est amarior, quantò ista magis dilexit. Fertur quòd quidam iuuenis Lotharingiæ, cùm esset in extremis, respiciens domos suas & castra dicebat: Domine Deus, quam contemnendus est mundus iste, quia ego qui tot habeo castra & palatia, & tot potui hospitari, nescio adhuc quò in hac nocte debeo ire, & omnibus istis carere, aut quis debet me hospitari. Et ideò diues moriens est similis Ribaldo, somnianti se esse diuitem, qui excitatus inuenit se miserum & nudum. Sicut
Iob 27. dicit Iob; *Diues cum dormierit nihil secum afferet, aperiet oculos suos, & nihil inueniet*. Et Psalm. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis*. Vndè sicut nudus exiuit de vtero, ita denudatus erit de Psal. 75.
mundo. Iob: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc*. Secunda ratio est propter ingressum, quia exiens à corpore spiritus hominis compellitur intrare nouam & ignotam regionem. Quod figuratum est in Ioseph, de quo dicitur in Psalm. *Ioseph cum exiret de terra Ægypti*, id est de mundo, *linguam quam non nouerat audiuit*. Et si exeat spiritus cum peccato & impœnitens, exit de morte temporali ad regionem mortis æternæ, vndè perfoditur gladio doloris vsque ad intima penerantis. Vbi patitur famem & penuriam omnium bonorum, vbi est carcer profundus & tenebrosus, scilicet inferni locus. Vndè Hierm. *Si dixerint ad te, quo egrediemur, dices: Qui ad mortem ad mortem, & qui ad gladium ad gladium, & qui ad famem ad famem, & qui ad captiuitatem ad captiuitatem*. De hoc carcere & captiuitate nunquam exire poterit, qui ibi inclusus fuerit. Matth. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem*. Per nouissimum quadrantem potest intelligi finalis pœnitentia, quam peccator damnatus in morte non habuit, & ideò non persoluit, sed post mortem nunquam reddere aut persoluere poterit, & ideò, si donec persoluerit non exibit, & si nunquam ibi persoluere pœnitendo poterit, sequitur quod nunquam exibit. Vndè secundùm August. Per nouissimũ quadrantem intelliguntur terrena peccata, quia terra in qua peccamus est nouissimum elementum. Tunc ergò redditur nouissimus quadrans, quandò pro quolibet peccato, vsque ad vltimum

Iob 1. Psal. 80. Hier. 15. Mat. 5. August.

mum in terra commisso, homo punitur, sed in inferno quodlibet peccatū punietur pœna æterna. Vndè semper reddet nouissimum quadrantem, quia semper illic punietur pro quolibet peccato hîc commisso. Et ideò istud *donec* nunquam finietur. Sicut etiam in Psalm. dixit Deus Pater Christo. Psa.109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Quod non sic intelligitur, quod subiectis ei inimicis desinat regnare, sed semper regnabit. Vndè miseri & damnati nunquam poterunt exire, vt ab illis pœnis liberētur. Hier.11. Hierem. *Inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt*, Tertia ratio quare exitus spiritus à corpore est formidabilis, est propter occursum scilicet dæmonum ad rapiendum ipsam Deut.31. animam Deutero. *Occurrunt vobis mala*. scilicet dæmonia in extremo tempore. Bernar. Bernard, Quantus erit tibi pauor ô anima misera? cum dimissis omnibus quorum est tam iucunda præsentia, tam gratus aspectus, tam familiaris habitatio, in alienam penitus regionem ingredieris, & caterua tim tibi infinita dæmonia obuiam exire videbis. Hæc tamen dæmonia, licet electis exeuntibus nocere non possint, quin ad præmium cœleste perueniant, reprobos tamen non solum terre bunt, sed etiam pertrahent ad æterna supplicia. Vtrumque enim in exitu spiritus diuino iudicio agitur, vt reus trahatur ad pœnam, & iustus perducatur ad Psal.67. gloriam Et hoc innuitur in Psalmo, vbi dicitur? *Domini Domini exitus mortis*, Domini scilicet punientis mala, & Domini præmiantes bona, vtrumque fit in exitu mortis.

D Secundò ostenditur de exitu mortis, quod est irreuocabilis, quia non reuertetur scilicet ad corpus, postquam scilicet exierit per mortem. Sed contra 3. Reg. 3.Re.17. legitur, cum Helias orauit super filium viduæ, quod exaudiuit Dominus vocem Heliæ, & reuersa est anima pueri intra eum & reuixit. Et simile fuit de filio Sunamitis, quem suscitauit Helisæus, & de mortuis aliis suscitatis à Christo, vel ab Apostolis suis. Sed dicendum, quod aliud est quod fit communi lege naturæ, & aliud quod fit ex speciali priuilegio gratiæ, & diuinæ omnipotentiæ. Quantum enim est ex communi lege naturæ humanæ, non est reuersio finis nostri, vt dicitur Sapientiæ, & in Psalmo. Sap.2. Psal.77. *Spiritus vadens & non rediens*. Sed prædicti suscitati sunt, & reuersi sunt ex speciali priuilegio gratiæ & omnipotentiæ, & per miraculum virtutis diuinæ. Sed posses dicere, imò generaliter tota humana natura resurget, & quilibet spiritus reuertetur ad corpus in generali resurrectione. *Quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent*, vt dicitur Ioan. c. 5. Ioan.5. Sed dicendum, quod cum dicitur quod spiritus, cum exierit ab homine, non reuertetur, intelligitur ad eandem vitam corporalem, non virtute naturæ, sed Dei omnipotentis. Sed quia beatus Gregorius dicit, Greg. quod qualis quisque hinc exit, talis in iudicio præsentabitur, vt possit hinc homo exire securè, debet se ante exitum, operibus iustitiæ ac pœnitentiæ præmunire. Propterea dicebat Iob: Iob 10. *Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam & non reuertar, &c.*

E SECVNDO in auctoritate principali agitur de corporis resolutione, quia scilicet post mortem *reuertetur in terram suam*, de qua primitùs fuit formatum,

Hoc

Hoc enim communiter & naturaliter videmus in his, quæ generantur & corrumpuntur, quod finaliter redeunt ad suum principium sicut frumenta, & alia quæ oriuntur ex seminibus, & finaliter semina redeunt, & vapores aquei finaliter resoluuntur in aquam: sic corpora humana in terram, vndè facta sunt, secundùm illud Genes. *Fecit Deus hominem*, id est corpus hominis *de limo terræ*, & finaliter reuertetur in terram secũdum illud Ecclesiast. *De terra facta sunt, & in terram pariter reuertentur.* Sed notandum quòd quia homo componitur ex spiritu rationali & corpore terrestri, vtraque pars in morte ad principium suum reuertitur. Nam spiritus rationalis creatur à Deo ex nihilo, & ideò non habet principium materiale, sed præcisè actiuum, scilicet ipsum Deum creatorem, sed corpus habet materiale principium, scilicet terram. Et indè, est quod in morte, spiritus hominis ad Deum reducitur, & corpus in terram resoluitur, secundum illud Ecclesiast. vltimo: *Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deũ, qui dedit illum.*

Gen 2. Eccle. 8. Eccl. 12.

F In quibus verbis Salomon duo breuiter describit, quæ præcipuè oriuntur in morte.

Primò ex parte corporis ostendit hominis vilitatem, cum dicit: *Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat.*

Secundò ex parte animæ hominis nobilitatẽ: cum subditur, *& spiritus redeat ad Deum, &c.*

¶ Quantum autem ad primum, describit vilitatem corporis humani tripliciter, scilicet ex parte termini, ex parte medij, & ex parte sui principij. Vocatur enim primò corpus hominis puluis, quia puluis est vltimus terminus resolutionis humani corporis, vndè vocatur puluis, quia scilicet finaliter est in puluerem redigendum. Vocatur etiam puluis, vt ostendatur eius vilitas, fragilitas, & defectibilitas. Nam puluis est materia vilis, quia scilicet est terra humore desiccata, quæ terra est fæx elementorum, & est puluis coagulatus, à modica vi disiungibilis, & dissolubilis, & est etiam à fructu sterilis, & licet cumulatus parum tamẽ durabilis, & talis est homo ex parte corporis, scilicet vilis, & quasi saccus fecis, & à modica violentia, vel infirmitatis, vel percussionis occiditur, & moritur, & in senectute sterilis & inutilis efficitur, & modico tempore viuit, quantumcumque multas diuitias habeat cumulatas. Et ideò dictum est homini post peccatum Genes. *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Et ideò sancti viri ad superbiæ exclusionem, & humilitatis conseruationem, vocabant se puluerem, sicut Abraham Genes. *Loquar ad Dominum Deum meum, cùm sim puluis & cinis.* Vndè Gregor. 10. libr. moralium. Quid Abraham suas diuitias æstimare nouerat, qui semetipsum puluerem & cinerem pensabat, quasi dicat, pro nihilo æstimabat. Principium autem humani corporis est terra, de qua erat formatum, & assumptum, sed quasi medium inter hoc principium & pulueris terminum est motus, id est reuersio corruptionis in terram. Primò ergo loquitur de medio, cùm dicit: *Reuertatur in terram suam.* Vbi aduertendum, quod in hac reuersione sunt plures gradus, pertinẽtes ad ignominiam & vilitatem hominis, ex quorum consideratione etiam multùm debet homo humiliari.

Gen. 3. Gen. 18. Gregor.

Primus gradus est in accidentiũ mutatione, quia omnia accidentia, quæ faciebant ad honorem & perfectionem humani corporis,

in contrarium permutantur. Nam à sua pulchritudine mutatur in horribilem fœditatem Vndè Bernard. Cuius erat gratissimus amplexus, fit post mortē horribilissimus aspectus. Vndè legitur in vitis Patrum, quod cum quidam heremita tentaretur de pulchritudine cuiusdam mulieris, audiēs eam mortuā, post paucos dies venit ad sepulchrū, vt videret quid esset amor suus. Et aperto sepulchro, abstergēs saniem de corpore eius cum pallio suo, postquam tentabatur opponebat saniem ac deformitatem eius tētationi suæ dicens: Vide qualis est amor tuus. Item à sua potentia & fortitudine mutatur in impotentiam, & in nullam possibilitatem, ita vt nullum membrum suum possit mouere. Vndè ibi defecit fortitudo Sāsonis, ibi velocitas Azachelis. Vndè Isai. *Erit fortitudo eorū, quasi fauilla stupa*. Item à sua potestate & dignitate mutatur in omnimodam humilitatē & paruitatem. Narrat Petrus Alphōsus, quod cum tumba Alexandri esset aurea, & in patulo, multi Philosophi conuenerunt circa eam. Quorum primus dixit: Alexāder heri ex auro fecit thesaurum, hodie aurum tenet eum inclusum. Alius dixit: Heri sibi nō sufficiebat totus mundus, hodie sibi sufficiūt solæ quatuor vlnæ. Alius dixit: Heri populo imperabat, hodie populis ei. Alius intulit: Heri multos populos potuit liberare de morte, hodie nec iacula mortis potuit diuitare. Alius, heri ducebat exercitus, hodie ab illis est ad sepulchrum deductus & delatus. Alius, heri premebat terram, hodie premitur ab ea. Alius, heri gentes ipsum timebant, hodie ipsum vilem reputant. Alius, heri habuit amicos, & inimicos, hodie habet omnes æquales. Itē à diuitiarū copia & facultate mutatur in nuditatem & paupertatē. Iob. *Ego quondam opulentus repente contritus sum*. Et primo. *Nudus reuertar illuc*, scilicet in terram.

Bernar. — Isa. 1. — Iob 16.

Secundus gradus est in corporis putrefactione, quia sicut homo à principio de putrefactione concipitur & nutritur, ita etiam in putredinē finaliter corpus reuertetur. Vndè Iob. *Homo putredo, & filius hominis vermis*. Et ideò est homo similis glaciei, quæ sicut ex aqua & frigore generatur, ita etiam in aquā frigidā resoluitur. Vndè quidam de hoc metricè dixit: *Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me*. Et ideò de nobilitate carnali nihil remanet, nisi putredo: Iob. *Putredini dixi, Pater meus es*. Vanè ergò gloriatur peccator de sua nobilitate. 1. Mach. *Gloria viri peccatoris stercus & vermis est*. Legitur in lib. de donis, quod cuidā dictū est in somnio. *Diuide quicquid habes, fies cito liuida tabes*. Quod cum ille fecisset, volens illum diabolus facere desperare, vt pœniteret de eo quod bene fecerat, respondit ei: *Somnia ne cures, nam fallunt somnia plures*.

Iob 25. — Iob 17. — 1. Mac. 2.

Tertius gradus in vermiū corrosione, propterea dicitur filius hominis vermis, quia corpus hominis de se generat vermes. Vndè Ecclesi. *Cum enim moritur homo hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes*. Nam vt refertur de cerebro corporis hominis bufo post mortem nascitur, de renibus serpens, de ventre lumbrici, de carne vermes, de lingua astalabus, & de pelle tinea. Hæc de nobili corpore hominis nascuntur & id cōsumunt. Vndè Bern. Quid prosunt diuitiæ, quid delitiæ, quid honores. Diuitiæ non liberant hominē à morte, delitiæ non liberant à verme, honores non liberant à fætore. Nam qui modò sedebat diues & gloriosus in throno, modò iacet pauper in tumulo. Qui

Eccl. 10. — Bernra.

parum

parum priùs delitiis vescebatur, modò à vermibus consumitur. Qui paulò antè in aula gloriosus astabat, modò in tumba ignominiosus iacet. Patet ergò ex prædictis, quomodò est ignominiosa & vilis reuersio hominis in terram suam, quæ data est in pœnam peccati, sicut patet in Genesi, vbi dictum est primo homini post peccatum. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Gen. 3.

¶ Tertiò, in auctoritate allegata ostenditur vilitas humani corporis, ex parte sui principij, cùm dicitur, reuerti in terram suam, vndè erat scilicet formatum. In quo etiam patet primò eius vilitas, quia terra vilior est omni alio elemento. Et licet corpus humanum sit ex omnibus elementis, dicitur tamen homo spiritualiter de terra factus, secundùm illud 1. Corinth. *Primus homo de terra terrenus.* Et paulò post: *Qualis terrenus, tales & terreni.* Secundò ex eo quod elementum terræ est in maiori quantitate in compositione corporis humani, & ideò graue est & ponderosum. Propterea dicitur Ecclesiast. *Quid superbis terra & cinis,* quasi dicat, Non de tua origine potes superbire, quia terra fuisti, nec de tuo fine, quia puluis eris & cinis. 1.Co.15. Eccl.10

G Secundò, Salomon in prædicta auctoritate ostendit ex parte animæ hominis nobilitatem, cùm dicit: *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Vbi ostendit nobilitatem hominis dupliciter. Primò ex parte finis, quia spiritus hominis in morte redit ad Deum, scilicet vt ab eo iudicetur, & præmietur. Vbi aduerte, quod reditus spiritus hominis ad Deum est duplex. Vnus, quando peccator pœnitens redit ad eius misericordiam, & est sacrificium Deo spiritus contribulatus. Est autem modus redeundi, vt primò reuertatur peccator ad cor suum, considerando & detestãdo præuaricationes suas. Isa. *Redite præuaricatores ad cor.* Postea verò à corde redeat ad Deum cõtemplandum, placandum, & diligendum. Et debet pœnitens redire, sicut sponsa ad sponsum, scilicet cum munda puritate, cum decora venustate, & induta virtutum varietate, opulenta meritorum fæcunditate, quæ sunt thesauri spirituales. Et quia paucæ animæ redeunt sic ad Deum, ideò dicitur Luc. *Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Alius verò reditus spiritus ad Deum est post mortem, ad suam iustitiam scilicet, quandò anima post mortem reducitur ad Dei iudicium. Et isto modo omnis spiritus humanus redibit ad Deum, vt ponderetur in statera iustitiæ suæ, & secundùm pondus meritorum suorum damnetur, vel saluetur. Propter quod dicitur Prouerb. *Spiritum ponderator est Dominus.* Secundò ostenditur nobilitas spiritus humani ex parte originis, quia Deus dedit illum scilicet creando, & corpori infundendo. Non enim anima hominis est ex traduce, vel ex materia educta, sed est forma à Deo creata, & corpori data. Vndè 2. Machab. dixit mater septem fratrum filiis suis. *Neque ego animam & spiritum donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed est mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet.* Isa. 46. Luc. 17. Prou. 6. 2.Ma.7.

TERTIO ostenditur in auctoritate principali, quomodò in morte frustrantur omnes curæ, & intentiones hominum, quas habent circa mundana. Vndè dicit quod *in illa die,* scilicet mortis, H

peribunt

peribunt, id est frustrabuntur *omnes cogitationes eorum*, quibus scilicet circa mundana inhiabant. Isa. 46. Quando aliquis inuenit thesaurum magnum, aliquando cogitur multa facere de eo, sed si venit aliquis & furetur ei totum, tunc frustratur, & pereunt omnes cogitationes suæ. Sic homo credens habere thesaurum longæ vitæ, cogitat de diuitiis congregandis, de honoribus assequendis, & de delitiis perfruendis. Sed venit fur id est dies mortis inopinatæ, & aufert ei thesaurum vitæ, & tunc pereunt omnes cogitationes suæ. Luc. 17. 1. The. 5. 1. Thessalon. *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet*. Tunc ergò peccator dicet illud Iob: *Cogitationes mea dißipata sunt*. Iob 17. Hoc autem sanctis viris non contingit, quia vt dicitur Sapientiæ 5. Sap. 5. *Cogitatio eorum apud altißimum*. A quo scilicet recipiuntur & remunerantur in gloria cœlesti. Ad quam nos perducat Christus piissimus, nostrum suscipiens spiritum, suo sanguine redemptum. Amen.

SERMO VI.

De generalitate mortis humanæ.

OMNES *morimur & quasi aqua dilabimur in terram*, 2 Regum 14.

Tam diuina quàm humana iura volunt, quòd pœna proportionetur culpæ siue peccato, cuius est pœna, Vndè Deuteron. dicitur. Deut. 25 Pro mensura delicti erit & plagarum modus. Mors autem H pœna est originalis peccati. Vndè de illo peccato dicit Apostolus Paulus ad Romanos: Rom. 6. *Stipendia peccati mors*. Rom. 8. Et Romanor. *Corpus mortuum est propter peccatum*. Peccatum autem originale ab vno primo homine scilicet à primo parente transit in omnes alios ab eo descendentes. Et ideò similiter mors, quæ est illius peccati pœna, ab ipso etiam primo homine in omnes pertransit. Et istam rationem tangit Apostolus Romanorum dicens: Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*. Et inde est, quod sicut dicitur in auctoritate proposita: *Omnes morimur*.

A In quibus quidem verbis, de hominibus morientibus, tria insinuantur.

Et primum est, quia morimur generaliter sine exceptione, cum dicit, *omnes morimur*.

Secundò continuabiliter sine interpolatione, quia *quasi aqua dilabimur*.

Tertiò humiliter sine ambitione, quia *in terrã*, & ideò per mortem non ad sublime aliquid eleuamur, sed deprimamur in infimum scilicet in terram.

CIRCA primum aduertendum est, quod quando venenum ingreditur ad cor, à quo vitæ virtus in omnia membra procedit, exindè omnia membra corporis moriuntur. Sic quando venenum peccati intrauit in Adam, à quo transfusa est humana natura in omnes homines, omnia membra humanæ naturæ, id est omnes homines moriuntur. Vndè dicitur Romanor. *In omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccauerunt*. Rom. 5. In quibus verbis tanguntur duo.

Primum est generalitas pœnæ, quia *in omnes homines mors pertransiit*.

Secundum est generalitas culpæ, quia *omnes peccauerunt*,

¶ Quantũ ad primum attende. Primò pœnæ terribilitatem, quia

mors. Secūdò generalitatem, quia *in omnes pertransit*. Nihil quippe in vita humana præsenti videtur terribilius morte, quia per eam omnia mundana gaudia terminantur, & maximus vnio & amor, qui possit esse in mundo, per eam etiam dissoluitur, sicut est amor & vnio animæ ad corpus. Propterea Philosophus dicit, quod terribilissimū omnium terribilium est mors. Est enim terribilis homini propter bonorum amissionem, & terribilior propter appetitus destructionem, & est terribilissima propter vnionis dissolutionem.

B Primò dico quod est terribilis propter bonorum scilicet temporalium amissionem. Scit enim homo, quod per mortem oportebit eū amittere omnes corporeas delitias, omnes mundi diuitias, omnes honores & glorias. *Quoniam cū interierit nō sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius*,
Psal.48. vt dicitur in Psal. Vnde non tantum ipsa mors imminēs, sed etiā eius memoria & consideratio multum terret homines talia diligentes, vel habētes, & etiam talia habere sperantes, sicut sunt cupidi, qui sperant se lucraturos multas pecunias & diuitias, & iuuenes lasciui, qui sperāt se assecuturos multos honores & glorias, sed quia per mortem imminentem vident omnē spem suam esse præscindēdam, valde terrentur, & anxiantur, & tunc dicere compelluntur. *Posuimus mendaciū*
Isa.28. *spem nostrā*, sicut dicitur. Isa. Item terribilior est mors propter naturalis appetitus destructionem. quia omne animal appetit se in
Boëtius. esse, & vita cōseruare. Vnde Boët. dicit, quod omne animal vitam tueri laborat, mortē verò perniciemq; deuitat. Sed quādo homo moritur, esse & vita hominis quo ad corpus destruuntur, & sic appetitus naturalis frustratur & euanescit, & ideo mors est homini valdè terribilis, tanquam appetitui naturali vitæque suæ repugnans. Sed tamen, quia secundùm Philosophum omnia agūtur propter finē, & finis est qui maximè appetitur. Finis autem est vita æterna, quæ in Dei visione, id est cognitione consistit, secundùm illud Ioan. *Hæc est vita æterna, vt cognoscat te solum Deum verū, &c*, Ioan.17
Et ad hanc homo peruenire non potest nisi per mortem corporis, propter quod dixit ipse Deus.
Exod. *Nō videbit me homo & viuet*. Exo.33
Inde est, quod non debemus timere mortem corporis, quia per eam ad æternam & beatam vitam transimus. Alioquin sicut dicit Gregor. stultus viator est, qui amena in itinere prata cōspiciēs, delectatus in eis obliuiscitur quo tendebat. Sic est stultus, qui propter amorem vitæ præsentis non vult transire ad æternam vitam. Item videtur mors terribilissima esse, propter dissolutionem amabilis vnionis, scilicet animæ & carnis. Nam quandò sunt duo socij plurimum se diligentes, & insimul habitātes, multum timent separari ab inuicem, & maximè si alter eorum per talem separationem destruatur. Sed anima alligata est corpori vinculo naturalis vnionis, & maximæ dilectionis, nec potest separari ab ea, nisi per mortē, & cum destructione ipsius corporis. Et ideò ipsa mors terribilissimum quid est homini, ex tali vnione consistēti. Sed tamen quia ipsa anima non potest creatori suo Deo perfecta vnione vniri, per quem scilicet beatificatur, nisi post separationem à corpore per ipsius corporis mortem propter quod dicitur Apocal. *Beati* Apo.14
mortui, qui in Domino moriuntur, Ideo non timere, sed appetere debet anima talem separationem,

siue

siue dissolutionem à corpore, vt scilicet cum Apostolo dicat: *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Sed tamen quia peccator ista non considerat, videtur ei mors formidabilissima, ita vt dicat illud Psa. *Formido mortis cecidit super me; timor & tremor venerunt super me.* Formido, scilicet propter bonorũ temporalium amissionem: timor propter appetitus naturalis destructionẽ: tremor propter vnionis naturalis & amabilis dissolutionem.

Phil.1.

Psal.54.

C Secundò in auctoritate præallegata ostẽditur ipsius mortis generalitas ex eo, quòd ipsa dicit, quòd pertransiit in omnes homines. Et ista mortis generalitas ex tribus prouenit. Primò ex diuina equitate: quia Deus in primo homine toti humanæ naturæ, quæ tunc in eo solo erat, legem dedit de ligno paradisi, in quo eum posuerat dicens: *Quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Vnde quia ipse primus homo huiusmodi legis Dei præceptum transgressus fuit, non solum eius persona, sed generaliter omnis humanæ naturæ particeps, id est omnis homo ex diuina iustitia pœnam prædictæ legis. id est necessitatis mortis incurrit. Et ratio est, quia primi parentes constituti sunt à Deo, non solùm sicut quædam personæ singulares, sed sicut quedã principia totius humanæ naturæ ab eis in posterum deriuandæ simul cũ beneficio diuino præseruante à morte. Et ideò per eorum peccatum tota humana natura in posteros tali beneficio destituta mortem incurrit. Et ideò dicit Paulus, quod *in Adam omnes moriuntur.*

Gen.2.

1.Co.15.

¶ Secũdò prouenit generalitas mortis ex diuina pietate. Nullus est enim homo in hac vita, qui nõ viuat in aliqua miseria culpæ vel pœnæ. Non enim solùm pœna, sed etiam culpa ad miseriã pertinet. Propter quod dicitur Pro. quod *miseros facit populos peccatũ.* Vndè quia nullus homo viuit aut sine culpa, aut sine pœna; ideò quilibet homo viuit in aliqua miseria imò sicut dicit Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* Ex quo patet, quod omnis homo, si semper hîc viueret, semper in miseria esset. Vndè ex magna Dei pietate est, quod quandoque homo quilibet ab hac miseria subtrahatur, & ad beatæ vitæ requiem perducatur. Et ideò dicitur Eccl. *Melior est mors quàm vita amara, & requies æterna quàm languor perseuerans.*

Prou.14

Iob 14.

Eccli.30

¶ Tertiò prouenit generalitas mortis ex communi defectibilitate. Eius autem defectibilitatis necessitas in quolibet homine prouenit ex duobus. Primò ex cõtrariorũ compositione, quia corpus hominis est compositum ex quatuor elementis contrariis. Et omne tale compositũ necesse est aliquando deficere & corrumpi. Secundò prouenit ex insufficiẽti restauratione, quoniam cùm vita hominis ex calido cõseruetur & humido, & calor continuè cõsumat ipsum humidũ; oportet quod fiat deperditi seu consumpti humidi restauratio per alimentum assumptũ. Sed illud quod ex alimento aggeneratur, est quasi extraneũ respectu eius, in quo fundatur virtus speciei humanæ. Vnde sicut virtus vini per admixtionem aquæ paulatim minoratur, & tandem deficit, sic in homine necesse est diminui & tandẽ mori, vt dicitur in primo de generatione. Propter quod dicitur Eccl. quod *omnes in corruptione sumus,* scilicet mortis.

Eccli.8.

Tertiò in auctoritate inducta D tangitur generalitas culpæ, cùm dicitur: *In quo omnes peccaue-*

runt. Et hæc generalitas veritatē habet tam de peccato originali, quàm de actuali. Quantum enim ad peccatum originale, Adā primus homo fuit ille, in quo omnes peccauerunt; quia scilicet omnes, qui seminaliter ab Adam propagantur, peccatum originale contrahunt ab ipso, mox in ipsa sua animatione. Et ratio est, quia persona Adæ, in qua includebatur natura humana, quandò peccauit, infecit ipsam naturam. Et quia à persona primi parentis personę omnes, quę ab ipso seminaliter propagantur, naturam humanam accipiunt, ideò talis corruptio naturæ deriuatur ad omnes. Sicut si aqua corrumperetur in fonte, corruptio deueniret ad totum riuum deriuatum ex fonte. Et ad istam generalitatem peccati originalis
Psal. 13. referri potest quod dicitur in Ps. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Et potest exponi, *omnes*, scilicet ab Adam descendentes, *declinauerunt*, scilicet à rectitudine originalis iustitiæ. Originalis enim iustitia erat quoddam donū supernaturale, primo homini diuinitus datum in sua institutione, per quod ratio subdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ. Hoc autē donum non fuerat datum primo homini vt singulari personæ, sed vt cuidam principio totius naturæ humanæ, vt scilicet ab eo per originē deriuaretur in posteros. Hoc autem donum acceptum primus homo per liberum arbitriū peccās, amisit eo tenore quo sibi datum fuerat, scilicet pro se & tota sua posteritate. Vndè defectus huiusmodi doni, id est originalis iustitię, quę erat quædā hominis rectitudo, totam ipsius hominis posteritatem consequitur, id est omnes homines, quia omnes ab eo descēderūt. Et sic patet, quod omnes à rectitudine originalis iustitiæ per eum declinauerunt, simul & inutiles facti sunt, propter carentiam visionis diuinæ, quæ est vita æterna & vltimus finis hominis. Nā inutile dicitur, quod non pertingit ad finem suum, sicut medicina dicitur inutilis; quia non valet ad sanitatē, quæ est finis medicinæ. Et sic homo inutilis dicitur, qui ad finem vltimum nō peruenit, qui est vita æterna. Sed per peccatum originale priuati sunt homines visione diuinæ essentiæ. Vndè Innocentius tertius dicit in quadā decretali, quod originali peccato pro pœna debetur carētia visionis diuinæ. Et indè est, quod pueri qui moriuntur non baptizati, quia non fuit purgatum originale peccatum per baptismum, semper carebunt visione diuina, & erunt semper in limbo, & non habebunt vitam æternam. Et ideò quia peccato originali omnes infecti sunt, patet quod quātum est ex eo, omnes inutiles facti sunt. Hic attendat pius lector, & Christianæ veritatis cultor, quod ab vniuersali hac sentētia, vti modernorum tenet Ecclesia, excipitur Virgo Maria in conceptione purissima, quæ per gratiā præuenientem præseruata creditur & colitur. Cōsequenter dicit Dauid, quod *non est qui faciat bonum*, & hoc propter pronitatem hominum ad malum, & difficultatem ad bonū, quæ sunt ex peccato primi parentis secuta, quia subtracta originali iustitia, inferiores vires rebellant rationi, sicut ratio Deo & corpus animę. Ex quo sequitur difficultas ad bonū, quod est secundū rationē, & pronitas ad malum, quod tamē sensualitati & carni videtur bonum. Vel subtracta gratia per peccatū, non est qui faciat bonū, quod sit vitæ æternæ meritorium. Sed ne

credatur

credatur quod in hac generalitate Christus includatur, subdit Ps. *Non est vsque ad vnũ*, id est exclusiue præter vnum, scilicet Christũ, qui non fuit in originali peccato conceptus. Et ideò neque ab originali iustitia declinauit, neq; per priuationem diuinæ visionis inutilis factus fuit, neque difficultatem ad bonũ, & pronitatem ad malum habuit, & ideò omnia benè fecit. De prædicta etiam generalitate originalis peccati dicit Apost. ad Rom. quod *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. Potest etiam prædicta generalitas, quæ dicit quod omnes peccauerunt, referri ad actualia peccata, quia sicut dicit Iacobus: *In multis*, scilicet peccatis, *offendimus omnes*, scilicet vel mortaliter vel venialiter quia excepto Christo & B. Virgine matre eius, de omnibus aliis dicit Ioannes in sua can. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &c.*

Rom. 3. Iacob. 3 1. Ioa. 1.

SECVNDO ostenditur in auctoritate principali, quòd morimur continuè, sine interpolatione, & ideò assimilat mortalitatem hominis aquæ labenti, cùm dicit, *quasi aqua dilabimur*. Aquæ enim, quæ labuntur & decurrunt super terram, sunt aquæ fluminum vel torrentum. Assimilatur ergò hominis mortalitas, siue mortalis vita. Primò aquæ fluuiali, de qua continuè pars post partem dilabitur & pertransit. Vndè Seneca: Quotidie aliqua pars vitæ nostræ dirimitur. Et Gregorius: Nostrum augmentum decrementum est. Et Sap. dicit: *Nos nati continuè desinimus esse*. Ouidius: Prætereunt anni, more fluẽtis aquæ. Fluuius autẽ terminatur ad mare, & vita etiam hominis terminatur ad amaritudinem mortis. Iosue: *Aquæ inferiores*, id est homines in terra, quia aquæ superiores, id est Angeli, sũt, sed inferiores descendunt in mare mortuum, id est in amaritudinem mortis temporalis vel æternę, si sint finaliter peccatores. Itẽ mortalitas hominis assimilatur aquæ torrentis; quia licèt aliquãdo multum abundet, & cum impetu ad saxa percutiens sonũ faciat, citò tamen siccatur & deficit, & nihil ibi reperitur de ea. Sic quandoque homines huius mundi, licèt frequenter mũltum abũdent de bonis temporalibus & diuitiis, & ad saxa superiora irruentes magnum sonũ famæ suæ & nominis faciant, tamẽ citò per mortem deficiunt, & ad nihilum deueniunt. Vndè Dauid: *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens.* Psal. 57.

Seneca. Gregor. Sap. 5. Ouid. Iosue 3.

F

In quibus quidem verbis, de omnibus mortalibus hominibus loquentibus, debemus attendere duo.

Primò totalem defectionem; quia *ad nihilum deuenient*.

Secundò similitudinariam declarationem; quia *tanquam aqua decurrens*.

¶ Circa primum aduertendum est, quod sicut dicunt Doctores cõmuniter, nec homo, nec aliqua alia creatura, potest secundũ rei veritatẽ redigi in purè nihil, quãuis Deus de sua potentia absoluta benè facere posset, quia sicut omnem creaturam ex nihilo produxit in esse, ita etiam potest illã reducere ab esse in nihilum, quia creatura non solùm producitur à Deo agente in esse, sed etiam per diuinam actionem cõseruatur in esse, secundùm illud Heb. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Vbi dicit August. & sumitur de quarto super Gen. Sicut à Deo creata sunt omnia, ita per eum immutabilia conseruantur. Creatoris enim dispositio causa subsistendi est omni creaturę, quę si ab eis tenendis, quæ condidit, aliquando Hebr. 1. August.

cessaret. simul omnium rerũ species & naturæ cõciderent. Et propterea etiam beatus Greg. dicit, quod omnia in nihilum tenderent, nisi manu omnipotentis tenerentur. Sed secundũ ordinem à diuina sapientia, in ipsis rebus creatis institutum, nunquam aliqua pura creatura in purè nihil redigitur, nec etiã redigi potest. Vndè homines per mortẽ secundùm rei veritatẽ non deueniunt ad nihilum, nec ex parte corporis quod in aliud corpus resoluitur, nec etiã ex parte animę, quæ etiam separata à corpore remanet in sua substãtia, & esse intellectuali. Et ideò in auctoritate allegata dicuntur moriẽtes homines ad nihilum deuenire quantùm ad apparentiam sensus; quia anima separata inuisibilis est, & non perceptibilis sensu. Vndè resoluto corpore vel sub terra recõdito, nihil vlterius apparet de homine, ac si esset redactus in nihilum. Et ideò dicit Sap *Nos ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, quasi non fuerimus*, scilicet quantùm ad apparentiam sensus, vel quantũ ad bona præsentis vitæ. Nota etiam quod dicit B. Aug. quod peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cũ peccant. Quod ideo dictũ est, quia in omni peccato includitur priuatio. Nam si est peccatum omissionis, est pura priuatio, si consideretur illud solum quod ad peccatum requiritur, sicut de essentia peccati existens, quia per se loquẽdo, omissio non est actus, sed cessatio ab actu. Sed in ipsa omissione, vt quidam dicunt, semper fit aliquis actus voluntatis, qui scilicet est causa ipsius omissionis, siue sit causa omissionis per se, vt quia est cum præuisione omissionis, sicut cùm aliquis vult ludere cùm debet ire ad Ecclesiam, sciens quod ad hoc concomitatur non ire ad Ecclesiam, & cùm auarus vult retinere pecuniam vel aliud pro se, & ideo omittit facere eleemosynam. Siue etiam sit causa omissionis per accidẽs, sicut cũ alicui voluntariè occupato circa aliquẽ actum, non venit in mentem illud quod facere tenetur, & sic ex obliuione vel inaduertentia omittit illud, & talis actus voluntarius, qui est causa omissionis, siue per se, siue per accidens quandoque præcedit omissionẽ, sicut quando aliquis ex nimia occupatione incipiẽs tardè dormire impeditur, ne surgat matitunarum hora. Aliquãdo verò est simul cũ ipsa omissione, sicut cùm aliquis volẽs videre spectacula hora Missæ vel dormire, omittit ire ad Ecclesiam. Sic ergò si consideretur omissionis peccatum solum vt priuatio quædam, id est, vt cessatio ab actu, sic nihil est, & idem dici potest de peccato transgressionis, scilicet quod dicatur nihil ratione priuationis quã includit. Nam peccatum transgressionis non est priuatio tãtum, sed actus priuatus ordine debito. & secundùm ipsam priuationem dicitur nihil sicut furtum, vel adulteriũ est actus inordinatus. Eo ergo modo peccatum nihil est, quo nihil fiunt homines cùm peccant, non quidẽ ait quod fit ipsum nihil; sed quia, in quãtum peccant, est actus priuatus ordine debito. Et secundùm ipsam priuationem dicitur nihil, vel secundùm communem vsum loquendi, quandò aliquis perditis magnis diuitiis venit ad magnam paupertatem, vel perdito magno statu deiicitur in magnam humilitatem cõsueuit dici, iste deuenit ad nihilum. Et sic accidit peccatum, quia perditis diuitijs spiritualibus, scilicet virtutũ & meritorũ per peccatum, efficitur omninò pauper in anima, & de statu gratię & charita-

Gregor.

Sap. 2.

August.

citatis, in quo adnumerabatur inter filios Dei, deuenit ad statũ miserrimum reproborum & dãnatorum. Et ideò verè peccatum dicitur ad nihilum redigi, quamuis miser homo dũ peccat, hoc nesciat, quia non attendit. Vndè Dauid ex persona peccatoris dicit: *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Psal. 72.

Secundò declarat in auctoritate allegata quod homines mortales ad nihilum deueniũt, per similitudinem aquæ fluentis; vndè dicit, *Sicut aqua decurrens.* Quod exponit glossa de aqua torrẽtis, cuius aluens quandoque ex multis pluuiis inundãtibus multa aqua repletur, & tunc decurrens magnum sonitum facit; sed desinẽte pluuia dilabitur aqua, & cõtinuè diminutus ita in breui siccatur, vt nihil ibi de illa inueniatur. Sic quandoque homo mortalis, multis fauoribus fortunæ vel mundi cõcurrẽtibus, repletur multis diuitiis & bonis tẽporalibus, tunc habens cursũ fortunæ facit sonũ ex auditu nominis & famæ suæ, sed cessãtibus fortunæ fauoribus & currente vita sua ad mortẽ, & extenuata aqua vitę suę per senectutem vel infirmitatem, ita tandem per mortẽ consumitur, vt ad nihilũ redactus dicatur, 3. Re. *Post aliquantos dies siccatus est torrens, eo quod non essent pluuiæ.* Non solum aqua torrentis, sed etiam si sit aqua maris, id est vita hominis positi in magna amaritudine aduersitatis, vel aqua dulcis fluuij, id est vita posita in dulcedine prosperitatis, siue sint flumina magna, id est magni & potentes, siue riuuli, id est parui & humiles; omnes tandẽ siccabuntur, id est deficient per mortem. Vndè Isa. *Arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur, atque siccabitur, & deficient flumina, attenuabuntur & desiccabuntur riui aggerum.* 3. Re. 17 Isa. 19.

Tertiò, in auctoritate principali ostenditur, quod nos morimur humiliter sine ambitione, quia in terram deiicimur, & non in sublime extollimur. Hæc est ergò terra sepulturæ, quæ ex communi vsu & naturæ conditione omnibus debetur. Vndè quilibet potest dicere alteri illud Ruth: *Quæ te terra susceperit morientem, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ.* Ruth 1. Nec refert quod quidam sepeliuntur in petra, cum & ipsa petra ex terra sit, i. ex luto terræ; quia dum fortiter per suarũ partium coagulationem constringitur, in lapidem commutatur. Vndè Ambros. dicit: Petræ sunt ossa terræ. Item etiam quia corpus in petra sepultum, in puluerem siue terram tandem reuertetur. Vndè in hac terra corporis & sepulchri omnis dignitas, & sublimitas, & potestas hominis humiliatur, & deponitur. Ambr. Propterea legitur in gestis Alexandri magni, quod lapis quidam missus fuit Alexandro, qui positus in vna parte stateræ ponderabat plus, quàm omnia quæcunque poni potuissent in alia parte. Posito verò puluere super eum minus ponderabat, quam quodcunque aliud, quod poni posset in alia parte stateræ. Quod videntes multi sapientes, nimis mirabantur, quorum vnus ait: Iste lapis, Domine, vobis demonstrat quid estis. Nunc enim viuus plus ponderatis, quàm totus mundus, qui vos sustinere nõ potest; sed posito super vos puluere, in morte minus eritis quàm aliquis mundi. Eccl. *Quid superbis terra & cinis?* Eccli. 9. Sed notandũ, quod est alia terra per similitudinem dicta, non tamẽ infima, sed summa, non morientium, sed viuentium, ad quam post mortem eleuatur anima sancta, in qua habitantes perfruuntur æterna gloria. Cuius habitationem desidera-

 bat

Psal.141 bat Propheta Dauid dicens: *Portio mea Domine sit in terra viuentium.* Ad quam nos perducat Iesus benedictus Dei filius Rex gloriæ. Amen.

SERMO VII.

De velocitate mortis humanæ.

MEmor esto, quoniam mors non tardat, Eccli. 14.

Videmus naturaliter quod vnū contrarium aliud expellit & tollit, sicut virtus medicinę. quia cōtraria contrariis curantur. Vndè nisi virtus medicinæ cōtrarietur infirmitati, nequaquam tolleret eam. Propter quod cōtra infirmitates calidas frigida medicamenta exhibentur, & è cōtra. Maxima autem infirmitas animæ est superbia, quæ est vt hydropisis tumēs, vel auaritia, quę est vt febris ardens & sitiēs. & etiam luxuria, quę est vt lepra fedans & inficiēs. In morte autem hominis est mūdi derelictio, quæ opponitur auaritię, & sepulturę humiliatio, quę opponitur superbiæ; & corporis destructio, quæ opponitur luxuriæ. Et idcirco ad has infirmitates tollendas, maximè valet mortis memoria. Valet enim contra superbiā. Vndè Antiochus mortali infirmitate percussum & occu-
2.Mac.9 patum se sentiēs, mortis timore, cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionē sui venire, & se humiliare. Valet etiam cōtra auaritiam, quia facile cōtemnit omnia qui semper se cogitat esse mori-
Hieron. turum, prout B. Hieron. dicit. Valet insuper ad expellendā luxuriam, quia vt dicitur Eccli. *Mali-*
Eccli.11 *tia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ*, scilicet recogitata, & ad memoriam reducta. Et hinc est, quod in verbo proposito non inutiliter homo quilibet viuēs, inducitur ad mortis reminiscentiā, cùm dicitur: *Memor esto.*

In quibus verbis ostenduntur A tria.

Primò, quod debet in nobis præuenire mortis reminiscentia, cùm dicit: *Memor esto.*

Secundò, quod debet nos exterrere ipsius mortis inimicitia, *quoniam mors*, quæ scilicet est inimica vitæ, & eius destructiua.

Tertiò, quod debet nos pręmunire mortis festinantia, quoniam *non tardat.*

INDVCITVR ergo primò homo ad mortis reminiscentiā, cū dicitur: *Memor esto.* Vbi aduertendum est quod prudens homo, qui habet ire ad aliā patriam: primo habet in memoria & in cōsideratione sua terminū vitæ suæ, deinde attendit an habeat tēpus, multum vel parum, quantū sufficiat ad faciendum viam suam vt expedit. Et si videt se habere tēpus modicum, magis festinat se expedire de his, quæ pertinent ad iter suum. Nos autem oportet ire ad aliam patriam; quia *nō habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*, vt dicit Apostolus Heb.13. ad Heb. Et ideò finaliter oportebit nos omnia hic relinquere, & nihil asportare poterimus, sicut ille qui exit de hospitio alieno, relinquit hospiti quæ sua sunt, & quæ in hospitio inuenit, quandò intrauit. Nos autem *nihil intulimus in hunc mundum, nec dubium, quia nec auferre quid poterimus*, vt dicit Apostolus Paulus. 1.Tim.6 Debemus ergò primò habere in memoria terminū viæ, id est terminum vitæ nostræ, qui est ipsa mors, & attendere, quod ad debitè faciendum iter nostrum, tempus valdè breue est. Quia sic habemus facere viam istam, vt in termino eius, id est in morte, inueniamus quod optamus, scilicet æternam vitam & requiem, ad quod est necessarium quod

benè

benè operemur, & benè viuamus. Vndè Aug. dicit, quod *ad hoc prodest homini benè viuere, vt detur ei sēper viuere.* Et ideò ex quo hoc tempus quod habemus breue est, scilicet ex quo possumus benè viuere, & benè operari, debemus multùm festinare & solicitari, vt dum tempus habemus operemur bonum, ait Paul. Et sic habemus duo. Primum est, quod debemus festinare ad benè operandū, propter temporis breuitatem. Secūdum est, quod debemus habere in memoriam finem vitæ nostræ, id est mortem. Et de istis duobus dicitur Eccl. *Festina tempus, & memento finis.* Augu[st]. Galat.6 Eccl.36.

B In quibus quidem verbis facit tria.

Primò, inducit ad accelerationem operis, cùm dicit: *Festina.*

Secundò, ad præoccupationem temporis, vndè dicit: *Tempus,* scilicèt præueniendo.

Tertiò ad præuisionem mortis, cùm dicit *Memento finis.*

¶ Quantum ad primum nos videmus, quod illi qui veniunt ad ciuitatem de sero, tarda hora, festinant venire citò, antequā porta claudatur, ne remaneant foris, & habeant malum hospitium. Sed nos sumus in tarda hora diei, quia nouissima hora est, & ciuitas ad quam debemus venire, est cœlestis Hierusalem: in qua est pax & beatitudo æterna, & porta per quam ingredi oportet peccatores, est diuina misericordia, quæ aperitur peccatori per pœnitētiā; hæc porta clauditur in nocte, id est in morte, per iustitiā, quia postea non est tempus pœnitentiæ vel misericordię. Vndè si volumus ingredi ciuitatem cęlestem, oportet nos ante mortem festinare ad pœnitentiam. Nam pœnitentia post mortem est omninò inutilis, quia iā clausa est ianua cęlestis gloriæ ipsi peccatori, sine pęnitētia decedenti. Sed pœnitentia in hora mortis est valdè dubitabilis. Primò quidē, quia talis pœnitentia non videtur voluntaria, cùm tamen opera nostra bona vel mala, & meritoria vel demeritoria sint, in quantum voluntaria sunt, secundùm Aug. Sed si quis proponit pœnitere solum in morte, non videtur volūtariè pœnitere, quia si mors nunquam veniret, nunquam pœniteret. Et sic cùm vellet mortem nunquam venire, nunquam vellet verè pęnitere. Et ideò si tunc tantū peccata dimittit, non videtur esse ex volūtate, sed ex necessitate. Vndè Aug. dicit in lib. de pœnitentia, quod *si tunc tantum peccare desinis, quando iam amplius peccare non potes: peccata te demiserunt, & nō tu illa.* Itē quia illa pœnitētia est nimis impedita. Videmus enim quod vna qualitas impedit, ne alia sentiatur, sicut patet in saporibus. Cùm enim gustus est infectus aliquo sapore amaro, non discernit alios sapores; quia omnia quæ gustat, videntur sibi amara. Similiter in coloribus. Si pupilla oculi esset colorata aliquo determinato colore, non posset discernere inter alios colores, quia omnia quę videret viderētur sibi esse illius coloris, sicut in vase vitreo colorato aliquo colore determinato liquor quilibet immissus videtur esse illius coloris, ita quod vinū album videtur rubeū in vase vitreo rubeo. Sed sicut vnus color vel sapor impedit aliū, ita & vna delectatio impedit aliam, scilicet delectatio sensibilis intellectualē. Propter quod Paulus: *Animalis homo nō percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Et similiter dolor sensibilis impedit intellectualem, & tātò magis quantò intensior est, sed omnis dolor sensibilis superatur à morte, vel à dolore qui mortem inducit, dolor autem contri- Augu[st]. Augu[st]. 1.Co. 2.

 tio-

tionis, qui est in voluntate, id est in displicentia voluntatis, debet esse maximus. Nam vt dicit Augustin. *Omnis dolor in amore fundatur*, sed amor charitatis, in quo fundatur dolor contritionis, excedit omnes amores: ergò dolor contritionis debet excedere omnes dolores. Vndè secũdùm Augusti. in lib. de pœnitentia, *Culpabiliter est damnandus, qui potest flere damna corporis vel amici, & non potest flere damnum animæ de amissione Dei*. Non ergò potest homo simul ad tales duos dolores attẽdere. Et super hoc etiam additur impedimentum propinquorum, circumstantium & expectantium solum relicta temporalia, & frequenter molestantium & impedientium, ne benè disponat quæ disponere debet pro anima sua. Item talis pœnitentia est nimis modica, quia nimis habet breue tempus. Cùm nos frequenter videamus, quod mala facilius, & breuiori tempore inducantur, quàm remoueantur. Nam in modica hora domus succenditur; sed non in modica succensa extinguitur. In modico etiam tempore sanus infirmatur, sed non in modico infirmus sanatur. Minimum filum citò potest in multis nexibus innodari, non tamen citò solui. Sic homo peccator qui toto tẽpore vitę suæ se innodauit vinculis peccatorum, & longo tempore iacuit in peccatis: quomodò in tam modico spatio solui & liberari credit? Propter hæc omnia hortatur nos Apostolus ad Hebræos dicens: *festinemus ingredi in illam requiem*. Festinemus scilicet ad pœnitentiam ante mortem ingredi, id est, vt ingrediamur per diuinam misericordiam in illam requiem, scilicet æternam. Nota quod quandò aliquis est in loco non tuto, & est immunitus, & sentit contra se venire hostem suum fortiorem se festinat exire de loco illo, & fugere ad tutiorem locum, ne comprehendatur ab hoste, & pereat. Locus autem non tutus est mundus, vel status peccati, in quo homo stat semper in periculo, & non est munitus armis spiritualis gratiæ Dei & virtutum, & hostis validior, videlicet diabolus vel mors, venit vt comprehendat eum, & ducat ad carcerem inferni, & ad mortem æternam. Et ideo debet homo festinare, & fugere ad pœnitentiam, vt fugiat a statu peccati, antequam mors superueniat, & fugerè ad statum tutiorem, scilicet gratiæ Dei in quo saluetur. In secundo lib. Regũ habetur de Dauid, qui existẽs in Hierusalem, & audiens quod vniuersus Israel sequebatur Absalonẽ, ait seruis suis: *Surgite & fugiamus, non enim erit nobis effugium à facie Absalonis. Festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impleat super nos ruinam*. Dauid ergo in hoc loco significat rationem & mentem hominis, cuius serui sunt membra corporis, vel vires animæ existẽtes in pecccato. Absalon autem significat mortem, quem omnis populus sequitur, quia omnes vadunt post mortem, quamuis vnus citius alio pertingat ad eã. Quod considerãs Dauid id est ratio hominis peccatoris, cõmonet omnes seruos suos, id est omnes potentias, dicens; Surgite. sc. à casu peccati, per pœnitentiam fugiamus, scilicet peccatum, quia non erit nobis effugium à facie Absalonis, id est à morte. Festinate ergo exire, scilicet à statu peccati per pœnitentiam, ne fortè veniens Absalon, id est mors, occupet nos ex improuiso, & impleat super nos ruinam, scilicet æternę damnationis. Nam ruina peccatoris inchoatur in morte, sed impletur

Margin notes: August. — Augus. — Hebr. 4. — 2. Re. 15

pletur in æterna damnatione. Secundò in auctoritate allegata Ecclesiastici inducitur homo ad præoccupationem temporis: cum dicit: *Festina tempus*, id est antè tẽpus, scilicet mortis vel iudicij. Agricola enim si non coleret nec seminaret terram suam antè tempus messis, non recolligeret fructum. Sic qui antè mortem non colit agrum animæ suæ, & non mittit semina eleemosynarum, & aliorum bonorum operum ex quibus nascuntur fructus meritorum, non recolligit tempore messis, id est mortis vel iudicij, fructum mercedis æternæ. Propter quod solicitamur Ecclesiast.

Eccl. 2. *Operamini opus vestrum ante tempus, & recipietis mercedem vestrã in tempori suo.* Nota quod opera bona quæ facimus, Domini sunt, & nostra. Domini quidem, per gratiam præuenientem: sed nostra, quando fiunt non ex coactione, sed voluntariè, ex nostra libera voluntate.

Greg. Vndè Greg. *Opera bona quæ facimus, & Dei omnipotẽtis sunt & nostra. Dei, per preuenientem gratiam, & nostra per subsequentem liberam voluntatem.* Vult ergò Eccl. dicere. Operamini, non sitis ociosi opus vestrum, id est voluntariè ante tempus facite non coacti, ante tempus scilicet mortis vel iudicij, tunc enim non erit tempus operandi, sed recipiendi.

Eccl. 18. Eccles. *Ante iudicium para iustitiam*. Nunc ergò antè illud est tempus operandi.

Gal. 6. Apost. ad Galat. *Dum tempus habemus operamur bonum.*

C Tertiò in auctoritate præfata inducitur homo ad præuisionem mortis, cum dicitur, memento finis, id est mortis. Aduerte differentiã inter bonos & malos, quia finis malorum est mors. Habent enim finem coniunctum, finem propinquum, & finem vltimum. Finis coniunctus est mors culpæ, finis propinquus est mors naturæ sed finis vltimus est mors gehennæ. Vndè Roman. *Finis illorum*, scilicet peccatorum, *est mors.* Et ibidem: *Stipendia peccata mors*, sed finis bonorum non dicitur esse mors, sed vita, nõ temporalis, sed æterna. Et ad istum finem perueniunt per sanctificationem factorum, & etiam per fructum, id est per merita bonorum operum. Rom. 6.

Rom. 6. Vndè talibus dicit Apost. ad Roman. *Habetis fructum verum in sanctificationem, finem verò etiam æternam*. Patet ergò quod est triplex finis, de quo vult dicere sapiens, quod homo debeat habere memoriam, cũ dicit, *Memẽto finis.*

Primus est communis bonis & malis, scilicet mors naturæ.

Secundus est proprius tantum malis scilicet mors gehennæ.

Tertius competit tantum bonis, scilicet gloria patriæ.

¶ De his dicitur Ecclesiast. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. Eccl. 7. Nouissimũ vitæ præsentis est mors naturæ, nouissimũ animæ peccatricis est mors gehẽnæ, sed nouissimum benè moriẽtis est gloria vitæ æternæ, quæ si homo in memoria & in actu considerationis haberet, in æternum non peccaret, id est nunquam peccaret.

SECVNDO ostenditur in auctoritate principali illud, quod maximè debet terrere hominem, scilicet mors, quæ est vitæ & naturæ inimica. D

Ecclesiast. *Contra vitã mors.* Eccl. 33. Nota quando aliquis crudelis miles iret cũ scutifero suo, quærendo inimicum suum, & inueniret eum in aliquo loco dormientem, & inermem; tunc pro velle suo ipse & scutifer suus irruerent in eum, & præualerent, & occiderent si vellent, sed si talis antè habuisset oculos apertos, & vigilasset, & præuidisset eos venientes à remotis, aut fugisset ad tutiorem locũ, aut se armasset,

& se præparasset, ita quod fortè euasisset manus ipsorum. Miles iste diabolus est, qui ex inuidia inimicatur homini, & semper vadit quærendo quomodo possit eũ capere, & animam eius spiritualiter extinguere. Sed quasi scutifer diaboli contra hominem peccatorem est mors, quæ scilicet præuenit ad occidendum corpus, & diabolus sequitur ad rapiendum animam. Propter quod dicitur
Abac. 3. Abacuc. Quod *ante faciem eius ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes eius, &c.* Etsi miser peccator habet oculos mentis tunc clausos, & dormitat in lecto peccati, tunc mors præualet contra corpus, & diabolus contra animam, rapiens eam, & ducens eam secum in infernum. Sed si homo tunc vigilaret, & haberet oculos apertos, & illuminatos ad præuidendã mortem antè, & fugeret ad pœnitentiam, & præpararet animam suã, & muniret eam cum armis sacramentorũ, scilicet pœnitentiæ, & sacræ communionis, & extremæ vnctionis, & iuuaret se eleemosynis & sanctis orationibus, & similibus in pugna mortis euaderet manum diaboli, & non præualeret cõtra eum. Propter quod
Psal. 12. petebat Psalm à Deo. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.*

E In quibus verbis aduerte, quod quatuor petebat ab eo, contra quatuor modos malè morientium. Nam quidam sunt qui moriuntur

Vt excæcati.
Quidam vt soporati.
Quidam vt obstinati.
Quidam vt victi, vel superati.

¶ Moriuntur quidem vt excæcati, omnes qui moriuntur in cæcitate infidelitatis. Vndè Apostolus ad Corinth. *Deus huius sæculi*
1. Cor. 4 *excæcauit mentes infidelium.* Isti sunt similes Samsoni, qui cæcus existens dixit: *Moriatur anima mea cum Philistijm.* Iudic. 16. Quia tales cum moriuntur in corpore morte temporali, moriuntur etiam in anima morte æternali, simul cum Philistiim, id est cum ipsis dæmonibus. Vndè etiam in hora mortis diabolus Christianos maximè tentat de fide, vel quod non sit alia vita, & anima non remaneat post corpus, vel quod pęnitentia nihil valeat, & de similibus. Sublato ergò lumine fidei ab intellectus oculo, faciliter vincit eos in pugna mortis, faciens obstinatos & impœnitentes. Et hoc figuratum est 1. Regum. in Naas Rege filiorum Ammon, qui dixit viris Iabes: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Hoc enim ex industria petiuit, volens eos facere inualidos ad pugnandum. Vndè cùm homo portet scutum in sinistra parte, eleuando scutũ in altum contra ictus obdurat oculum sinistrum, vndè si tunc careret oculo dextro, neutro oculo videret, & ideò se defendere non valeret. Quasi enim lumen sinistri oculi est notitia naturalis, quod faciliter obscuratur, & impeditur ex aliqua ignorantia, vel fantasia, vel etiam infirmitate, vt patet in freneticis. Sed quasi lumen oculi dextri est lumen fidei, quo sublato non vtitur homo armis sacramentorum, & tunc diabolus vincit animam sicut vult. Vndè contra hoc petebat Psalm. *Illumina oculos meos,* scilicet mentis, lumine verę fidei. Sed nota quod sicut oculi corporis excæcantur, quandoque ex malitia cuiusdam infirmitatis, ex aliquo humore corrupto defluẽte in oculos, ita etiam oculi mẽtis excęcãtur ex malitia peccati, secundùm illud Sapien. *Excæcauit illos malitia eorum,* quæ cæcitas maxi-

Iud. 16.
1. Re. 11.
Psal. 12.
Sap. 2.

maximè prouenit ex amore corruptionis cupiditatis, vel etiam carnalitatis filiorum & nepotũ, sicut patet in vsurariis,& in ditatis de illicito lucro, quia etiã in morte nolunt confiteri,vel sufficienter cauere de restitutione. Sed excęcati interius ex cupiditate, vel amore carnali filiorũ & nepotum,caduntin baratrum æternæ damnationis. Vt ergò oculi peccatoris in morte illuminentur lumine gratiæ, & non moriantur excæcati, opus primò quod iniungantur,& mundentur collyrio verę pœnitentiæ secundum illud Apocal. *Collyrio inunge oculos tuos vt videas*,Et Apostolus ad Ephesios: *Exurge à mortuis*, id est à peccatis mortalibus,scilicet per pœnitentiam,*& illuminabit te Christus*. Quidam verò alij sunt qui moriuntur vt soporati, scilicet sopore peccati. Et tales sunt qui moriuntur in peccato impœnitentes,& desperati. Et isti sunt similes Sysaræ, cui Iahel infixit clauum per templa, qui soporem morti socians defecit, & mortuus est, vt dicitur Iudicum 4. Sic diabolus homini non vigilanti, sed dormienti in peccato, infigit clauum obstinationis, & desperationis, ita quod sopor mortis corporalis vel peccati sociatur pœnæ mortis æternæ. Et ideo contra hoc petit Psalm. 12. *Ne vnquam obdormiam in morte.* Sicut dicit gloss. Ille obdormit in morte,qui moritur in aliquo crimine inuolutus. Et talis est, qui tempore mortis non excitatur. nec conuertitur,vt surgat per pœnitentiam à somno peccati. Quod præcipuè prouenire videtur ex defectu timoris. Nam frequenter contingit quod peccator, licèt grauiter infirmetur, tamen non credit tunc mori,sed sperat euadere. Et medici & alij amici licèt dubitent,nolunt sibi dicere veritatem,siue faciant hoc ex cupiditate,siue ex timore, quia ergò nõ credit mori non timet,& ideò nõ curat facere pœnitentiam,& ordinare facta animæ suæ. Ex quo accidit, quod nonnunquã occupatur à morte,& moritur in peccato sopitus,hoc figuratum est 2. Regum in Isboseth. Dicitur enim ibi quod Rechab & Banaa ingressi sunt feruenti die domum Isboseth,qui dormiebat super stratũ suum.& ancilla ostiaria domus purgans triticum obdormiuit. Cumque ingressi fuissent domũ, percutientes interfecerunt eum. Isboseth dormiens in lecto, significat peccatorem quiescentem, & manentem in peccato, ad quẽ in feruore diei,id est in feruore infirmitatis, intrant ad vsurariũ infirmum vel diuitẽ auarum Rechab,qui interpretatur teneritudo,id est consanguineus quicunque,vel propinquus ad assistendũ & seruiendum ei, vt ostendat erga eum teneritudinem amoris,vt demittat sibi de bonis suis,& Banaa qui interpretatur venit gratificatus,& signat medicum, cuius medicatio & aduentus est multũ gratus infirmo. Sed isti videntes infirmum aggrauari,& non indicando sibi, nec permittendo aliquando quod ingrediãtur religiosi, qui solicitent eum de anima sua,tollunt ei timorem mortis,qui intelligitur per ancillam ostiariam purgantem triticum. Nam timor mortis & pœnæ vocatur timor seruilis. Vndè benè per ancillam significatur, qui tamen timor ad pænitentiam inducendo purgat triticum, i. animũ qui si purgatus esset,reponeretur in horreo cœli. Sed hæc ancilla benè obdormit, quandò talis timor in infirmo moriẽte nõ consurgit. Et dicitur ancilla ostiaria, quia talis timor in domũ animæ introducit amorem, sicut seta introducit

Apoc.3. Ephes.5. Iud.4. Psal. 12. 2.Reg.4.

troducit filum in corium,vt dicit Auguſt. Et ſic dum talis impœnitens moritur,patet quod Rechab & Banaa,id eſt conſanguinei ſeu domeſtici eius, interfecerunt eũ, quia *inimici hominis domeſtici eius*, vt dicit Michæas.

Auguſt.

Mich.7.

Quidam verò alij ſunt, qui moriuntur impræparati;quia ſcilicet mors non inuenit eos præparatos ad eundum ad iudicium Dei, ad reddendam bonam rationem de vita ſua. Nã ſicut dicitur ad Heb. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autẽ iudicium.* Et poſt mortem non eſt tempus præparandi ſe. Propter quod dicitur eccleſiaſt. *Ante iudicium para iuſtitiam.* Vndè notãter dicit:*Ne obdormiam in morte* Stultus eſſet, qui iturus ad bellũ differret procurare arma, vſque ad congreſſum belli. Sic qui differũt vſque ad pugnam & tempus mortis procurare arma pœnitentiæ. Vndè Eccleſiaſt. *Ante mortem confitere.* Nam inſtante morte homo graui occupatus infirmitate,malè poteſt confiteri,quin malè poteſt recordari peccatorum ſuorum, & malè proferre. Et ideò ſubditur: *Viuus & ſanus confiteberis.*

Hebr.9.

Eccl.18.

Eccl.17

Quidam verò alij ſunt,qui moriuntur victi & ſuperati à diabolo,& tunc diabolus maximè inſultat,quia ſi in morte vincit & ſuperat, nunquã poſtea perdere poteſt. Et ideò dicit Pſalm. in auctoritate inducta: *Nequandò dicat inimicus meus,* ſcilicet diabolus inſultando, *præualui aduerſus eum.* Si quis vult quod diabolus in morte non præualeat aduerſus eum,ſed potiùs ipſe prę-ualeat,oportet quod benè armet ſe armis pœnitentię. Hoc figuratũ eſt in Dauid, de quo dicitur 1. Reg. quod præualuit Dauid in Philiſtæum in funda & lapide,in nomine Domini. Funda eſt pęnitentia,lapis eſt Chriſtus in Sacramento aſſumptus, quinque lapides in funda Dauid fuerunt, ſicut patet ibidem,& ſunt quinque pęnitentiæ opera, quibus Philiſtæi, id eſt diaboli virtus eneruatur, ſcilicet contritio,confeſſio, reſtitutio,oratio, & eleemoſyna.

1.Re.17

Tertiò in auctoritate principali,oſtenditur,quod debemus nos præmunire propter mortis feſtinantiam,quia non tardat. Quandò ſunt duo veloces curſores, quorum vnus cõtinuè vadit verſus alium, etiam ſi à principio multum diſtarent,non tamen eorum concurſus tardaretur,ſed citò conuenirent. Et iſti duo curſores ſunt vita & mors, & vnus cõtinuè & velociſſime currit verſus alium,quia ſcilicet vita noſtra velociter & cõtinuè currit ad mortem,& mors continuè appropinquat contra vitam. Vndè propter continuum decurſum vitæ verſus mortem dicebat Iob: *Dies mei velociores fuerunt curſore.* Quia ſcilicet continuè dies hominis currũt ad mortem,comedendo, bibẽdo, dormiendo, vigilando, & quicquid aliud faciendo quod curſor non facit. Et ſequitur ibidem: *Pertranſierunt quaſi naues poma portantes*, de quibus neſcitur ad quem portum perueniant, vel quando,vel ſi euadent à periculo mortis. Item ſequitur ibid. *Et ſicut aquila volans ad eſcam,* quæ licet velociter volet,neſcitur tamẽ ſi comprehendet quod ſequitur. Ita & nos neſcimus, ſi ad ſalutis portum peruenient dies noſtri,ſi à periculis mundi ſiue animæ euadent, & ſi Deum, quẽ ſequuntur,apprehendent. Item mors velociter & continuè contra vitam venit,vt eam ſuccidat. Vndè iam ſecuris mortis ad radicẽ arboris poſita eſt ſuccidẽs hominis vitã, & aliquandò ſuccidit vſque ad corticem ſenectutis, & tunc arbor concutitur, nec dum tamen timet ruinam. Seneca: Tenue interuallũ, quo mors à vita diuidi-

F

Iob.9.

Seneca.

tur

tur, vix est vnius digiti scilicet aduersus vitam cordis, aut corporis, cuius domum suffodit. Vnde de
Abac.2. die mortis potest dici illud Abac. *Veniens veniet, & non tardabit.* Si ergò tali die de congressu mortis contra vitam homo vult esse in certo, vt animam saltem non perdat, nō debet modo tardare conuersionem pœnitentiæ, secundū
Eccl.5. illud Ecclesiast. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Quomodo enim homini impœnitenti ira Dei & vindicta subitò ex inspirato veniat, & eum disperdat, patet per multa exempla sacræ scripturæ. Nā Pharao & Ægyptij diu credebant viuere, & Israëlitico populo dominari, & tamē in mari rubro subi-
Exo.14. tò sunt submersi. Exod. Dathan & Abyroon summo Sacerdotio diu gaudere crediderunt, & subitò
Num.16 sunt absorpti. Numer. Sodomitæ crediderūt diu viuere in fæcibus suis, & subitò sunt extincti & suc-
Gen.19. censi. Genes. Sennacherib cū Assyriis obtinere & possidere Hierusalem crediderunt, & tamē eorum centum octingenta quinque millia ab Angelo sunt incinerati.
4.Re.19 4. Reg. Holofernes & Babylonij crediderunt sibi & Domino suo mundum subiugare, & subitò à
Iud. 13. femina sunt deuicti. Iudith. Amā cum suis, longum honorem & dignitatem possidere credentes, & de suspendio aduersariorum gaudere, subitò sunt cruci affixi, honore eorum ad inimicos transla-
Hest. 7. to. Hester. Similiter filij Iambri credentes nuptias cum maxima ambitione celebrare, subitò occisi
1.Mac.9 sunt. 1. Machab. Et habetur ibidē de subita percussione Alcimi. itē
2.Mac.9 2. Macha. de subitanea percussio-
Act.1. ne Antiochi. Et Actor. habetur de Saphira & Anania: qui cum retēta pecunia agri diu viuere crediderunt, & subitò increpati à Petro mortui sunt. Et propterea dicitur Ecclesiast. *Memento iræ*, id est vindictæ, *quoniam non tardabit.* Et si Eccle.7.
aliquando tardare videatur Deus contra aliquos vindictam, vel irā suam, totum redit in præiudiciū eorum, quia ex hoc accipientes audaciam amplius peccandi, & diutius ad pœnitentiā exspectati, accipient maius iudicium, & patientur grauiora supplicia. Vndè Valerius Maximus dicit quod lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij pœnæ grauitate compensat. Roman. *Secundùm duritiā tuā* Rom.2.
& impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, sed si redeat citò ad pœnitentiam, effugit iram, recuperat gratiam, & tandem consequitur æternam gloriam. Ad quā nos perducat Patris misericordiarum filius, &c.

SERMO VIII.

De memoria mortis habenda continuè.

IN *omnibus operibus tuis memorare nouißima tua, & in æternum non peccabis.* Eccle 7.

Beatus Dionysius dicit, 4. de diuinis nominibus, quod nullus intendens ad malum operatur. Cuius quidem ratio esse potest, quia vnusquisque mouetur ad operandum ex intentione alicuius finis quem appetit, sicut mercator ex appetitu lucri, & bellator ex appetitu victoriæ. Malum autē, vt malum, nō est appetibile, imò repugnat appetitui, sicut è contrario bonum est appetitui consonum, & conueniens ei: Et ideò, vt dicit Philosophus, antiqui benè enuntiauerunt dicentes: *Bonū est quod omnia appetunt*, nullus ergò mouetur ad operandum, nisi in quā-

tum

tum ex sua operatione intendit consequi aliquod bonu m, quod est appetibile sibi, alias si contrarium crederet, sequi scilicet malum illi bono oppositum, non operaretur, sicut mercator non negociaretur, si crederet inde non lucrum, sed damnum reportare. Ex quo etiam apparet, quod sicut apprehensio boni finis mouet ad operandum, ita apprehensio finis mali retrahit ab operatione. Nam latro qui tētatur de aliquo furto faciendo, si apprehenderet in cogitatu suo, quod in illo furto deberet comprehendi, & suspendi, abstineret proculdubio ab illo furto. Similiter ergò in omni opere suo, si quis haberet in memoria & consideratione sua mala maxima, & nouissima quæ sequuntur ex peccatis, sicut sunt amissio æternæ gloriæ, & reatus pœnæ æternæ, & etiam mors corporalis, quæ non solum ex peccato secuta est. secundùm illud

Rom 6. Apostoli ad Rom. *Stipendia peccati mors*, sed etiam facit peccatum irremediabile, & gloriam æternã irrecuperabilem, & pœnam gehennæ reddit interminabilem, quia hoc est hominibus mors, quod Angelis casus, prout dicit Damascenus. Dubium nullũ est, quòd talis in opere suo nunquã peccare vellet, siue facere peccatũ mortale, per quod talia damna & mala se crederet incursurum. Et istud est quod Sapiens in verbo proposito ostendit, dicens: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, &c.*

A In quibus quidē verbis intendit nos inducere pręcipuè ad tria.

Primò quidem ad agendorum directionem, cùm dicit, *in omnibus operibus tuis.*

Secundò ad vltimorum considerationem, cùm subdit, *Memorare nouißima tua.*

Tertiò ad malorum euitationem, cùm addit: *Et in æternum non peccabis.*

CIRCA primum attendendum est, quod sicut ille qui trahit arcũ vt iaceat sagittã ad signũ, si vult rectè sagittare, oportet quod in omni actu respiciat ad signum. Sic qui vult opera sua dirigere, & rectè operari, oportet quod in omni opere suo respiciat finē, secundùm illud Metristæ: *Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem.* Vndè quia fides ostendit finalem finem, ad quem tota vita nostra & omnia opera nostra debent ordinari, sicut est beatitudo ęterna, ideò sine fide opera nostra non sunt rectè facta. Vndè iusto & fideli viro competit illud Psalm. Psal.32.
Omnia opera eius in fide. Hæc enim duo sic cōnexa sunt scilicet fides & opera, vt vnum sine altero non valeat, vndè & opera debent fieri in fide & fides sine operibus mortua est. Est etiã aduertendũ, quod quãdò aliquis debet facere multa & magna negotia, & habet modicũ de tempore, si est prudēs, non pigritat, sed velociter, & solicitè expedit quodlibet opus suũ. Nos habemus multa & magna facere: nam habemus facere opera, quibus destruamus mala quæ cōmisimus, & opera, quibus recompensemus bona quę omisimus, & opera, quibus redimamus supplicia, quæ metuimus; & opera, quibus recuperemus præmia æterna, quæ amisimus, & habemus ad omnia breuissimum vitæ tēpus, & ideò non est pigritandum, sed velociter & solicitè quodlibet opus nostrũ expediendũ. Et ideò Eccl.31.
benè dicitur Eccli. *In omnibus operibus tuis esto velox.*

B In quibus quidem verbis tria præcipuè debemus attendere.

Primò exercitij generalitatem, quia *in omnibus operibus.*

Secundò, meriti proprietatē, quia *tuis.*

Ter-

Tertiò operandi celeritatem, quia *esto velox*.

¶ Circa primum aduertendum est, quod quædã cõditiones sunt, quæ in operibus nostris generaliter requirũtur, ad hoc vt benè & completè fiant. Nam primò debemus attendere, vt operemur gratanter. Et tunc gratanter operamur, cũ ex charitate operamur, quia hæc est quæ facit opera nostra esse grata, & accepta Deo. Et ratio est, quia opera quæ fiunt ex charitate, fiunt ad gloriam Dei, secundum illud 1. Corinth. *Omnia in gloriam Dei facite.* (1. Cor. 10.) Vndè etiam hominibus tantò magis, quæ pro eis facimus, grata sunt, quantò magis ex amore fiunt. Arbor quæ multum abundat in fructu bono est multùm accepta Domino. Et similiter est acceptus Deo, qui abundat in bonis operibus. Et istud facit charitas, quia nũquam est amor Dei ociosus 2. Corinth. (2. Cor. 9) *Abundetis in omne opus bonum.* Abundantia virtuosi hominis, & caloris, facit hominem in bonis fructibus abundare. Et sic abundantia deuotionis & amoris spiritualis, id est charitatis, facit hominem abundare in bonis operibus. Propterea monebat Apostolus Philippen. (Phil. 1.) *Charitas vestra magis ac magis abundet.* Magis scilicet ad Deum, in operibus contemplatiuæ, & magis ad proximum in operibus actiuæ, scilicet in operibus misericordiæ. Item debemus attendere vt operemur stabiliter. Requiritur enim stabilitas, non solum ex parte operis, vt fiat opus firmum & stabile, sicut est quod sit in anima, non in corpore corruptibili, & quod sit pro Deo, non pro mũdo defluente, sicut faciunt peccatores hypocritæ. Et ideò dicitur in Prouerb. (Prou. 9.) Quod impius facit opus instabile. Sed etiam requiritur stabilitas ex parte operantis, vt sit firmus in bene operando, siuè in bono opere. Et ad hanc firmitatem & stabilitatem sunt necessaria tria. Primum est constantia, vt non retrahatur ab operibus difficultate Ecclesiastic. *Ne oderis laboriosa opera.* (Eccl. 7.) Item patientia, vt non retrahatur aduersitate, quia multa sunt aduersaria benè operanti, contra quæ requiritur patientia, Et ideò dicitur Iacob 1. Quod *patientia opus perfectum habet*, (Iacob. 1.) quia non dimittit opus propter aduersarios, quousque perficiatur. Item requiritur perseuerantia, vt non attædietur, nec remittatur ex operis prolixitate. Vndè Apostolus 1. Corinth. (1. Cor. 15) *Sitis immobiles in omni opere.*

C

Item debemus in operibus nostris attendere, vt operemur vtiliter, non solum pro nobis, sed etiam pro aliis. Vndè Augustinus (August.) in regula: *Omnia opera vestra in vnum fiant maiori studio, &c.* Charitas enim de qua scriptum est, quod non quærit quæ sua sunt, &c. vsque anteponit. Et ideò dicitur Colossen. (Colo. 16) *In omni opere bono sanctificantes*, scilicet non solum nobis, sed etiam aliis. Nobis per meritum, aliis per auxilium, vel saltem per exemplum, sicut apes non solum pro se, sed etiam pro omnibus mellifluant. Vndè cum Virgilius in laudem Augusti hos duos versiculos publicè scripsisset, clam tamen. *Nocte pluit tota redeunt spectacula manè. Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet*, (Virgil.) Augustus iussit magnum præmium auctori conferri, sed cum Virgilius statim non compareret petens præmium suum, quidam versificator vendicauit sibi honorem & præmia. Quod postea, intelligens Virgilius scripsit in eodem loco, & eadem scriptura quæret. *Sic vos non vobis*, sed cum ille qui præmia abstulerat, neque com-

cōplere neque exponere posset, venit Virgilius,& scripsit in capite hunc versum, *Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.* Et compleuit sic quod prius scripserat. *Sic vos non vobis fertis aratra boues. Sic vos non vobis vellera fertis oues, Sic vos non vobis nidificatis aues. Sic vos non vobis mellificatis apes.* Per boues intelliguntur actiui, qui laborāt pro aliis in eleemosynis corporalibus. Per oues intelliguntur mansueti corde. Per aues intelliguntur contemplatiui, qui in nido mentis nutriunt conceptus suos pro aliis, iuuādo eos sanctis suis orationibus. Sed apes sunt doctores periti, qui aliis mella cōponunt, id est doctrinas dulcisonas. Prou. *Fauus mellis verba cōposita.* Cant. *Mel & lac sub lingua tua.* Mel pro perfectis. Lac pro paruulis. Sed è contra de peccatoribus dicitur Sap. *Inutilia opera eorum.* Item debemus attendere vt operemur prudenter, sed non operamur opera alicuius artis, si nō simus instructi in arte. Et sic qui non est instructus ad benè operandum, imprudenter operatur. Instruimur autem ad benè operādum ex documentis scripturarū, ex consiliis peritorum, & exemplis perfectorum virorum, & ex ipsa frequentatione & consuetudine bonarum operationum. Vndè Apostolus ad Timot. *Ad omne opus bonum instructus.* Secundò agitur in auctoritate inducta de meriti proprietate, cùm dicitur *Tui.* Opera enim bona quæ facis, possunt esse tua, & non tua, sed aliena. Nam si facis ea non ad honorem Dei, vel ad ædificationem proximi, sed solùm pro laude hominū, & gloria propria, prosunt quidem aliis ad auxilium, sicut eleemosyna prodest pauperi, vel ad exemplum, sicut abstin tia, vel oratio ab ostētāte se hominibus. Et sicut dicitur de hypocritis, quod omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus, & tamē opus huiusmodi tibi facienti ad meritum nihil prodest. Et ideò potiùs debet dici opus alienum quàm tuum, secundùm illud Isa. *Alienum est opus eius ab eo.* Et ratio est, quia talia opera hypocritarum vacua sunt à mercede. Vndè sunt similia quibusdā pomis, quæ extra vidētur pulchra, & intus sunt vacua, sine humore & sapore, & ideò nihil valent ad esū. Sic nec talia opera valent ad meritum. Apoc. *Non inuenio opera tua plena coram Deo.* Notandū etiam, quod opera quæ fiunt ab homine existente in peccato mortali, etiā non prosunt ei ad meritum vitæ æternæ, licet valere possint ad quædam alia bona quia caret talis charitate, quæ est radix merendi. Propterea dicit Greg. Quod *nihil habet viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice charitatis.* Vndè solum in charitate existenti dicitur Ecclesiastic. *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia placent Deo opera tua.* Vndè talis potest viuere lætus & securus. Sed peccator non est dignus pane, quo vescitur, vt dicit Augustinus

Tertiò agitur in auctoritate inducta de operandi celeritate, cum dicitur: *Esto velox.* Multùm enim placet Regi vel Domino seruus, qui velociter adimplet mandata & opera sua, & non est piger & negligens, sed velox in seruitio suo, & sic etiam est de Deo. Prou. *Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, & non erit ante ignobiles.* Et potest exponi. Vidisti virum velocem, id est strenuū & solicitū, nihil de contingentibus omittentem, corā Regibus, i. apostolis stabit in die iudicij, quia eorum iussa strenuè adimpleuit, nec erit ante ignobiles, id est nō erit

Marginalia: Virgil. — Prou. 16 — Cant. 4. — Sap. 3. — 2. Tim. 3 — Isai. 2[...] — Apo. 3. — Gregor. — Eccle. 9. — E — Prou. 22

erit in finistra cum ignobilibus & reprobis. Hæc est ergò velocitas strenuitatis, quæ bona est. Sed est alia velocitas temeritatis, quæ mala est. Azahel cursor velocissimus fuit, quasi vnus ex capreis, quæ moriuntur in siluis. 2. Re. 2.

SECVNDO in auctoritate principali inducimur ad vltimorum considerationem, cùm dicitur: *Memorare nouissima tua.* Vbi aduertendum.

Quod est nouissimum personę, & hoc est hora mortis.

Est nouissimum culpæ, & hoc est pœnæ infernalis.

Est nouissimum naturæ, & hoc mundi finis, quia iste cursus naturæ tunc terminabitur.

Est nouissimum gratiæ, & hoc est gloria æternæ beatitudinis.

Deut. 32 ¶ De omnibus enim istis nouissimis dicitur in Deutero. *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Quod sic exponi posset: Vtinam saperent, scilicet præmia æternæ beatitudinis: & intelligerent scilicet supplicia æternæ damnationis: ac nouissima prouiderent scilicet finem sui, & finem mundi, pręcipuè quoad iudicium futurum. Debemus ergò primò sapere, pręmia supernæ beatitudinis. Si quis enim iret ad arborem, vt reficeretur de fructibus eius, poma putrida & verminosa, quæ inueniret cecidisse super terrã, nõ colligeret nec comederet, sed ad fructus qui essent in alto, super arborem solidos, & sapidos respiceret, & de eis refici & satiari procuraret. Tanquam alta arbor est mundus, in cuius supremo, id est in cælo sunt fructus solidi, qui nunquam marcescunt, scilicet æterna bona. Item fructus sapidi, qui nunquã fastidiunt, scilicet delectabilia gaudia. Itẽ fructus copiosi, qui nunquam deficiunt, scilicet appetibilia omnia. Item fructus refectiui, qui semper reficiunt; quia semper illa gloria satiat appetitum, secundùm illud Psal. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Sed inferius super terrã sunt quasi poma putrida, potiùs relinquenda bestiis quàm hominibus assumenda, id est bona corruptibilia & deficientia, sicut bona temporalia. Benè ergo nos admonet Paulus dicens: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Colo. 3.

G Secundò debemus intelligere supplicia æternæ dãnationis, quæ scilicet crudelissima erunt, & ex omni parte instabunt contra miseros damnatos. Nam instabunt eis supplicia à parte superiori; quia videbũt se exclusos ab æterna fœlicitate, à Sanctorum societate, & à cœlestis locis sublimitate, & ab amœnitate & claritate, & erunt etiam deiecti totaliter à Beatorum pietate, quia non compatientur eis, imò congaudentes diuinæ iustitiæ lætabũtur de eorum pœnis, quia *lætatur iustus cùm viderit vindictam,* ait Dauid. Psal. 57. Itẽ instabunt eis supplicia à parte inferiori, scilicet ab ignis calore ardentissimo, & à frigore terræ intentissimo. Propter quod dicitur Iob: *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Iob 24. Itẽ quia videbunt se inclusos & incarceratos perpetuò in infimo & vilissimo loco, quia introibunt in inferiora terræ, & tradentur in manus gladij, id est effectum & executionem diuinæ sententiæ, & partes vulpiũ erũt, id est dæmonum, qui fraudulenter deceperũt eos in mundo, vndè erunt socij & tortores eorum in inferno. Itẽ instabũt eis supplicia à parte post; quia post suppliciũ præsens animarum, expectabunt diuinũ iudiciũ, id est resurrectionẽ corporũ, vt etiam crucientur in eis. Itẽ quia post sententiam damnationis non expectabunt postea aliquod remedium in æternum. Itẽ

instabunt eis supplicia à parte antè, quia videbunt ante se horribiles fantasias dæmonum. Itẽ vnus alium sicut pater filium, & è conuerso, & amicus amicum, & peccator videbit ante se peccatorem vel peccatricem, cum qua peccauit, & maledicent sibi inuicem, imponendo vnus alteri causam dãnationis suæ. Vel affligẽter ab interiori, quia videbunt se in æternum priuatos omnibus diuitiis & honoribus, & delectationibus, quæ antè consueuerunt habere, quando erant in mundo, & memoriæ & desideria mala taliũ quæ adhuc remanserunt in anima, cruciabunt eos. Itẽ instabunt eis supplicia ab interiori, quia benè cognoscent & intelligent omnia mala sua & malum cognitũ & apprehensum magis affligit. Item habebunt inferius vermes continuè corrodentes, id est remorsus peccatorum propter quæ tantam pœnam patiuntur: vndè
Isa. 66. *vermis eorum non morietur*, ait Isa. Item erunt in eis vitia quæ animam cruciant, scilicet odiũ contra Deum qui tanta pœna eos affligit, vndè blasphemabunt eum præ doloribus suis. Item inuidia maxima de gloria Beatorum, quã antè diem iudicij saltem in generali cognoscũt, scilicet quod sunt in magna fœlicitate, quamuis non cognoscant in particulari, quæ gloria sit huius vel illius. Sed post diem iudicij tolletur impius ne videat gloriam Dei. Et hoc ipsum reputabunt sibi ad opprobrium, & ex eo cruciabuntur. Item est in eis ira maxima, & contra Deum, & contra seipsos. Itẽ instabũt eis supplicia à parte exteriori, quia videbunt se omnibus bonis mundi esse priuatos, & ab omni creatura derelictos in æternum. Sed miseri peccatores hoc non intelligunt; quia non cogitant nec considerant hæc, sed continuè tendunt ad ea. Quod figuratum est in filiis Benjamin, de quibus Iud. 20.
dicitur, quod non intellexerunt, quod ex omni parte instaret eis interitus, scilicet æternæ damnationis. Dauid. *Nescierunt neque in-* Psal. 81.
tellexerunt, in tenebris ambulant. Et quidam excæcari à diabolo non intelligunt, quia non credunt hîc, sed tunc intelligere cogentur, quando illa repererunt. Vndè Hier. 30
dicitur eis illud Hieremiæ: *In nouissimo dierum intelligitis ea* Et tunc etiam accidit eis illud, quod dicit idem Propheta: *Confundetur* Hier. 10
vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. Sed intelligendũ, quod damnati minus affliguntur quàm meruerint, quia ex diuina misericordia affligu ntur citra cõdignum, secundum illud sancti Iob: *Vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi, vt* Iob 11.
ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex esset lex eius. Et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quã meretur iniquitas tua. Tertiò ostenditur in auctoritate inducta, quod debemus prouidere nouissima, id est finem nostri, & finem mundi. Finis vitæ nostræ præsentis est mors, in qua fit particulare iudiciũ Dei de homine; in fine autem mundi fiet de omnibus, in vtroque autem erit idem iudex. Sed quandò aliquis debet vocari ad iudicium, & sentit iudicem inimicum sibi & iratum, propter offensas sibi factas ab ipso, antequam vadat debet sibi prouidere, quomodo eũ placet, ita quod inimicitia auferatur. Sed iudex iste Christus est tantæ pietatis, quod parcit homini si solum pœniteat, & emendet culpam suam, & desinat inimicari sibi, abstinendo à peccatis, & ideò dicitur in Eccli. *Memento* Eccl. 28
nouissimorum, & desine inimicari.

Et dicit: Memento nouissimorum, quia tam mortis quàm iudicij memoria est valdè vtilis. Siquidem memoria mortis valet ad vitandum culpam. Animal enim cum cauda, quæ vltimum corporis est, abiicit muscas. Et sic homo cum mortis memoria fugat peccata. Et facit vitare præcipuè tria peccata. Primò auaritiã, quia facilè cõtemnit omnia, qui semper cogitat se esse moriturũ, prout Hierony. dicit. Item super-
Hieron. biam, pauo respiciendo pedes, in quibus est finis sui corporis, quos habet turpes, deponit caudam, quia homo considerando mortem, deponit superbiam. Itẽ car-
Gregor. nis concupiscentiam. Gregorius: Nihil tantum valet ad edomanda carnis desideria, sicut considerare qualis sit futura post mortẽ. Item mouet ad pœnitentiam.
August. Augustinus: Multos video pœnitere timore mortis, sicut patet in Ezechia, vt dicit Isaias. Itẽ illu-
Isa.38. minat ad scientiam. Vndè Plato ait, quod summa Philosophia est
Plato. mortis meditatio; facit enim homines venire ad cogitationẽ sui, vt intelligant se esse animal, non solùm rationale, sed etiam mortale. Item ad cognitionem Dei, sicut Antiochus dixit: *Iustum est*
2.Mac.9 *subitum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*, vt patet in lib. Machabæorum: Memoria etiam & consideratio vltimi iudicij multum valet ad corrigendum, & dirigendum vitam suam, vt nõ confundatur postea homo de ipsa coram Deo, & toto mundo, & non erit locus emendandæ. Eccl.
Eccl.38. *Memento nouissimorum, & noli obliuisci. Neque enim est cõuersio*, scilicet pœnitentiæ post mortem, vel post diẽ iudicij, *& huic nihil proderis*, quia etiam si pœniteres ratione pœnæ nihil prodesset tibi. Et subditur: *Et teipsum pessimabis*, scilicet in iudicio, quia tunc recipies vindictam non solùm in anima, sed etiam in corpore. Et sequitur: *Memor esto iudicij*.

TERTIO, in auctoritate principali intendit nos inducere sapiens ad malorum euitationẽ, cùm dicit *in æternum non peccabis*, id est nunquã peccabis. Vbi notandum, quod illi qui habent custodire terram ab hostibus, multùm vigilant ad custodiam, ne hostes ingrediãtur & capiãt terrã. Hostes autẽ animæ sunt peccata, vndè multùm debet vigilare iustus ad custodiã animæ suæ, ne peccata ingrediantur, & occupẽt eam. Vndè dicit Paulus: *Vigilate* 1.Co.15
iusti & nolite peccare.

In quibus quidem verbis inducit ad tria.

Primò ad diligentiam custodię cùm dicit: *Vigilate.*

Secundò ad obseruantiam iustitiæ, cùm dicit: *Iusti.*

Tertiò ad fugam malitiæ, cùm addit: *Nolite peccare.*

Dicit ergò primò *Vigilate*, scilicet contra diaboli astutiam, sicut vigilãt speculatores in castris cõtra hostium insidias. Petrus: *Vi-* 1.Pet.5
gilate quia aduersarius vester diabolus tanquam leo, &c. Item vigilate contra mundi auaritiam, sicut vigilat faber de nocte contra calorem diei. Calor enim diei ar- Eccl.38
dor est auaritia mundi, contra quem debemus vigilare. Eccl. *Vigilia sua mundabit fornacem*, id est ardorem auaritiæ. Item debet vigilare contra carnis lasciuiam, sicut vigilatur super infirmum, ne aliquod nocumentum ei accidat. Sic debemus vigilare ad custodiam carnis infirmæ, ne fiat animæ aliquod nocumentum. Mat- Mat.26
thæus: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

Secundò inducit ad obseruantiam iustitiæ: in eo quod dicit iusti. nam videmus communi-

ter, quod artifex denominatur ab vsu & opere artis suæ, sicut illi qui faciunt calceos, dicūtur calisices, & illi qui scribūt libros, vocātur scriptores. Simile est de virtutibus, quia ille qui frequenter facit opera charitatis, dicitur charitatiuus; & qui multas facit abstinentias, dicitur abstinēs. Et eodem modo qui facit opera iustitiæ, dicitur iustus. Vndè in canonica Ioannis dicitur: *Qui facit iustitiam, iustus est.* Dicit tamē Philosophus in Ethicis, quod iustitia dicitur dupliciter. Vno modo prout est virtus particularis, ordinans scilicet homines, vt rectè & debitè se habeant vnus ad alterū, in operibus suis & negotiis, quæ habent facere ad inuicem. Alio modo iustitia est virtus generalis, extendens se ad omnem virtutē, in quantum actus omniū virtutum ordinat ad bonum commune. Et ideò Philosophus dicit in 5. Ethico. quòd iustitia est omnis virtus, & ab hac generali iustitia virtuosi & boni nominantur iusti. Et quia nos videmus, quod cuilibet est delectabilis operatio, quæ cōuenit sibi secundùm, proprium habitum; ideò sicut homo prauus delectatur in operibus prauis, ita homo iustus delectatur in operibus iustis. Et ideò Philosophus dicit in 5. Ethicor. quòd non est iustus, qui non gaudet iustis operibus. Et propterea generaliter loquendo, illi dicuntur iusti, qui promptè & gaudenter faciunt opera bona & virtuosa, qui autem cum negligentia & tristitia faciunt aliqua bona, non est signum quod sint iusti. Vndè Salomon in Prouerb. *Gaudium est iusto facere iudicium*, id est iustitiam. Tertiò in auctoritate inducta inducit Apostolus ad fugam malitiæ, id est peccati, cùm dicit: *Nolite peccare.* Vbi notandum quod aliam medicinam dat medicus ægrotanti, & aliam conualescenti. Et sic aliud remedium dari debet peccatori, & aliud iam pœnitenti. Ægrotanti dat medicus medicinas digestiuas, siue alteratiuas & expulsiuas. Et talia sunt peccatori medicinæ pœnitentiæ. Nam quasi medicina alteratiua vel digestiua, quæ parat humorem ad expulsionem, est interior contritio, quæ præparat ad confessionem, sed quasi expulsiua est ipsa confessio. Sed ei qui iam ex infirmitate conualuit, dat medicinam confortatiuam siue restauratiuam. Et istud pertinet ad satisfactionem, per quam reparatur & restauratur, quod est ex peccato deperditum. Et fortificatur etiam pœnitens contra tentationes, vt per ieiunium, eleemosynam, & orationem, quæ sunt opera satisfactionis. Item ei qui conualuit, præcipuè consulit medicus, quod adhuc caueat sibi ab his, quæ possent inducere recidiuum, seu recidiuationem. Et hoc præcipuè cōsulendum est pœnitenti, ne scilicet recidiuando in peccato, fiāt nouissima eius peiora prioribus. Et sic patet quod peccatori competit remedium pœnitentiæ, per quod scilicet purgatur à præteritis, sed pœnitenti necessaria est cautela, vt præseruet se à futuris. Et de istis duobus dicit Dauid: *Irascimini & nolite peccare.* Irascimini, scilicet per pœnitentiam, id est cōturbemini de peccato præterito, & nolite peccare amplius de cætero.

1. Ioa. 3.

Aristot.

Prou. 21

Ionæ 4

Ioan. 5.

Psalm. 4

Et in verbis istis duo breuiter facit.

Quia primò dat medicinā expulsiuam, quæ est pœnitentia, cū dicit, *Irascimini*, scilicet contra peccata vestra.

Secundò imponit deitā præseruatiuā: cū additur: *Nolite peccare.*

¶ Circa primum attende, quod

ira

ira impropriè assimilatur pœnitentiæ, quia homo pœnitens ad modum irati debet dolere, & feruere intus in contritione, & prorumpere in verba exterius per cōfessionem, & vindicare se manu per operis satisfactionem. Et tūc posset dicere illud Ionæ: *Bene irascor ego vsque ad mortem*, id est vsque ad peccati mortificationem. Ionæ 4.
Secundò inducit ad peccati abstinentiam, cùm subdit: *Nolite peccare*. Consueuit dici quod recidiuum infirmitatis plus nocet, & periculosius est, quàm fuerit prima infirmitas, quia inuenit naturam magis debilitatam ex pugna præcedentis infirmitatis. Sic per recidiuum in peccatum efficitur homo deterioris conditionis. Et quantū ad Deum propter ingratitudinem; & quantum ad seipsum, propter assuetudinē; & quantum ad diabolum, qui fortior redit ad ipsum. Et ideò dictum fuit paralytico iam curato, vt patet in Ioann. *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Et sic abstinendo à peccatis, conseruatur homo in gratia, & tādem peruenit ab gloriam. Ad quā nos perducat Iesus benignissimus. Amen. Ioan. 5.

SERMO IX.

De vtilitate mortis humanæ.

O *Mors bonum est iudiciū tuum*, Eccli 41.

Multa sunt, quę cum eueniunt, videntur mala, quæ tamen inueniūtur postea vtilia & bona, sicut patet in Ioseph, de quo malum fuisse videtur, quod fratres sui ex inuidia vendiderunt eum mercatoribus alienigenis, quod tamen postea conuersum est in bonum, non solùm ipsius, quia factus est dominus Ægypti, vbi vēditus est: sed etiam in bonum ipsorum fratrum suorum, & totius familiæ patris sui. Et ideò dixit Ioseph postea ipsis fratribus suis: *Nolite timere. Num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Gen. 50
Narrat etiam Valerius maximus libr. 1. cap. 6. de Iasone Phedreo, quod quidam inimicus suus posuit insidias, vt occideret eum. Et eo adueniente, surgens ex insidiis gladio eum percussit. Sed accidit quod percussit eum in illa parte corporis, vbi habebat apostema quod dicitur vomica, quod est genus apostematis, quo egerendo intestina emittūtur, & de hoc à nullo medicorum sanari potuerat. Sed ictu gladij ita ruptum est apostema, quod homo à pestifero morbo liberatus est. Et sic credendo ei nocere, profuit, & credendo occidere, liberauit eum à morte, ita quod videbatur malū, conuersum est illi in bonum. Itē dicunt somniorum interpretes, quod somnia quæ maximè vidētur mala, significant bonum euētum. Verbi gratia: Dicit Paschalis in libro de thesauris occultis, quòd si quis intuitus fuerit per somnium, quod iudicio eius qui potestatem habet, suspensus sit per violentiam & necessitatem; talis secundùm proportionem altitudinis suspensionis exaltabitur in dignitate. Itèm dicit, quod si quis minatus fuerit per somniū quod leprosus sit, dignitate honorabitur, qua dictus multos lædet. Et sic patet, quod multa videntur mala, quæ finaliter inueniuntur vtilia & bona. Et ita est de morte, quia quamuis mala videatur & noxia; tamen in verbis propositis dicitur, quod iudiciū eius bonum est. *O mors* (inquit) *bonum est iudicium tuum.* Valer. Max.

In quibus quidem verbis ostēduntur de morte tria. A.

Primò quod est pœnalis ex no-

mine, quia *mors.*

Secundò quod est vtilis ex bonitate, quia *bonum.*

Tertiò quod est terribilis examine, quia iudicium habet, vndè addit, *iudicium tuum.*

CIRCA primum aduertendū est, quod illud quod tollit ab hominibus ea, quæ maximè diligūt, est eis valdè pœnosum. Sed mors tollit ab hominibus quæ sunt ab eis maximè dilecta, & quæsita, sicut honores, & delectationes, & vitæ commoditates, quæ omnia ex diuitiis habentur, quia per diuitias assequuntur homines honores & status. Item delectationes corporales, & commoditates vitę. Et ideò præcipuè homini diuiti, & diuitias suas pacificè possidenti, mors amara est & pœnalis, non solùm ad experiendum, sed etiam ad imaginandū. Vndè dicitur Eccli. *O mors quàm amara*

Eccl. 41. *est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis.*

In quibus quidem verbis os-

B tenditur triplex ratio, quare non solum mortis experientia, sed etiam mortis memoria est aliquibus multum pœnosa.

Et prima est, quia mors affert detrimentum, vndè dicitur *mors*, quia mordendo tollit vitam.

Secunda, quia infert tormentū vndè dicitur. *amara.*

Tertia verò est, quia aufert fulcimentum, scilicet diuitiarum, vndè homini diuiti præcipuè est pœnosa.

¶ Est ergò mors homini naturaliter in horrore propter detrimētum quod infert. Nam maius detrimentū quod possit inferri alicui hospitio, siue domui, est suffodere fundamētū eius, quia tunc domus ruit cū omnibus suis partibus & fulcimentis. Sed fundamentum omnium bonorū, quæ pertinent ad domū corporis est vita. Et ideò mors auferēdo vitā, aufert omnia alia bona, quæ pertinent ad corpus, ita quod nec potest amplius moueri, nec sentire, nec videre, nec audire, nec tāgere, nec adorare, nec gustare, nec loqui, nec appetere, nec delectari in re aliqua. Nihil prosunt ei diuitiæ; cessant omnes delitiæ, & omnes reuerentiæ & honores. Et propterea est mors formidabilis & horribilis. Psalmista: *Formido*

mortis cecidit super me. Sed notandum, quod sancti viri reputant mortē corporis non ad detrimētum, sed potius ad lucrum, ex eo quod de morte ista transeunt ad meliorem vitam, scilicet ad vitā æternam, & pro istis paruis bonis recipiunt maxima & æterna bona. Et præter hæc exspectant ipsum corpus resurrecturū in gloria beatitudinis, & immortalitatis. Propterea dicit Dauid: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Et dicit *in conspectu Domini*, quia quamuis in conspectu hîc viuentium prædicta non appareant; tamen in conspectu Dei in rei veritate sic euenit. Et ideò mors sanctorum Martyrum, licèt in conspectu hominum appareat ignominiosa; in conspectu tamen Dei est pretiosa. Et propterea dicitur in Prouerbiis: *Sperat iustus in morte sua.* Sed miseri peccatores recipiunt in morte maxima detrimenta, & ideò non est mirum si multum timent eam. Nam non solum priuantur vita naturæ. & omnibus bonis huius mundi, sed etiam priuātur vita gratiæ & gloriæ. Vita quidem gratiæ priuantur, si moriātur impœnitentes, quia in peccato existētes sunt priuati gratia & charitate, per quam habetur Deus, qui est animæ vita. Possunt tamē dum viuunt, resurgere per pœnitentiam, & recuperare gratiam, & charitatem, & Deum. Sed post mortem non est amplius locus

cus pœnitentię, vel resurgendi ad vitam gratiæ. Et istud est longè amplius timendum, quàm ipsa sit corporis mors, quia talis, vt dicit
August. Aug. in deteriorē mortem morte sæculi incidit, vt non ad commutationem, sed ad luenda æterna supplicia reuiuiscat, imò secundū
August. ipsum Augustinum, magis est plāgendus peccator viuēs, quàm iustus moriens. Et ideò ait: Plangis mortuum, à quo recessit anima, magis plange viuū, à quo recessit Deus. Non sunt ibi viscera Christiani, nunc vt plangas mortuum, & nō plangas animā, à qua reces-
August. sit Deus. Item idem Augustinus: Quid miserabilius misero non miserante seipsum plangentem Didonis mortem, quæ flebat amando Æneam, & non plangentem mortem suam, quæ fit non amando Deum. Multò ergò magis moriens in peccato est plangendus, quia nunquam resurget à morte culpæ, & ideò semper erit in pœna, quia non poterit auferri pœna, si non remittatur culpa. Sed maximum & pessimum detrimentum est, quia priuatur vita gloriæ. Deterius enim est hoc,
Origen. sicut dicit Origenes, quàm cruciari gehenna ignis. Et ratio est, quia per carentiam gloriæ priuatur summo bono, & increato, sed per cruciatum gehennæ priuātur bono creato, scilicet delectatio-
Psal. 33. ne, quiete, & huiusmodi. Et ideò dicit regius vates: *Mors peccatorū pessima.* Mala quidem, in quantū priuantur vita naturæ; peior, quia priuantur reparatione gratiæ, & affliguntur cruciatu ęternæ pœnæ: sed pessima, quia priuantur fęlicitate æternæ gloriæ.

¶ Secunda ratio quare mors est pœnosa, est, quia infert tormentum, & non solùm ipsa mors, sed etiam eius memoria, & hoc innuitur in auctoritate inducta, cū dicitur amara. Multò ergò magis amara esse debet ipsius mortis experientia, ad quam homo festinare non tardat, secundùm illud Eccli. *Memor esto quoniam mors* Eccl. 14
non tardat. Dicitur ergò quibusdam mors esse amara, aliquando propter tormentum infirmitatis de qua moritur, sicut dicitur de Antiocho, quod apprehendit eū dirus dolor viscerum, & amara 2. Ma. 9.
interiorum tormenta. Et in his tormentis, vt infra subditur, miserabili obitu vita defunctus est. Quibusdam verò mors amaritudinem præbet propter inordinatum affectum vitiorum. Vndè est amara auaro, amarior luxurioso, sed amarissima superbo. Amara quidem est auaro, propter amorem diuitiarum, quas oportet eū relinquere. Vndè Amos: *Ponam* Amos 8
nouissima eius quasi diem amarum. Itē est amarior homini luxurioso. Eccle. *Inueni amariorem morte* Eccle. 7.
mulierem. Hæc mulier est carnis voluptas, quæ mortem amariorem reddit. Et si ducit ad mortem gehennæ, est amarior morte naturæ. Item mors est amarissima homini superbo & impio, quem sequitur durius iudicium, & terribilis occursus dæmonum, & profundior vorago pęnarū. Deut. Deut. 32
Deuorabunt eos aues, id est superbi dæmones, *morsu amarissimo.* Hic morsus est mors, qui partem tollit, scilicet animam, & partem in terra dimittit, scilicet cadauer. Sicut homo qui mordet pomū, tollit solidum, & dimittit putridū. Vndè ratione huius amaritudinis mors assimilatur coloquintidæ: quia sicut habetur 4. Reg. Filij 4. Re. 4.
Prophetarum, propter coloquintidas missas in olla, cū gustassent & cibum amarissimū inuenissent, clamauerunt ad Heliseum dicentes: *Mors in olla vir Dei.* Et posset dici, quod mors in olla inclusa est mors in memoria habita, quę peccatoribus amara viderur, & pro-

pter bona quæ dimittuntur, & propter mala quæ metuunt. Propter quod bis dixerunt. *Mors in olla.* Thren. *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea*, scilicet propter timorem & amaritudinem mortis.

Thren.

C Tertia ratio, quare mors formidatur vt pœnosa & amara, ostenditur in auctoritate supra inducta, scilicet, quia tollit fulcimentum, scilicet diuitiarum, ideò dixit, quod est amara eius memoria specialiteer homini diuiti habẽti scilicet pacem in substãtiis suis. Mundus enim est velut subdolus hospes, qui in ingressu hospitis lætanter hominem recipit; & postea inuitat de multis, & largissimè subministrat, sed in egressu hospitij euacuat bursam eius. Sic homo cum lætitia recipitur, cùm nascitur in mundo & mundus eum inuitat, dũ viuit, ad diuitias, delitias, & honores, & aliquando de talibus fortuna largissimè dat, sed in egressu mortis nihil ei dimittitur, vt secum portare possit, ex omnibus diuitijs suis. Vndè est similis ei, qui somniat se inuenisse diuitias, de quibus post somnium nihil inuenit.

Psal. 75. Dauid: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Sanctus

Iob 27. Iob: *Diues cùm dormierit nihil secum affert: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Dicit tamen beatus

Gregor. Gregorius super auctoritate Iob præallegata, quòd diues cùm dormierit res suas secum afferret, si ad vocem petentis inopis illi tribuisset: externa namque omnia, quæ seruando amittimus, largiendo seruamus. Patrimonium nostrum retentum perditur, manet erogatum.

D SECVNDO in auctoritate principali, scilicet in themate assumpto ostenditur, quod mors est bona & vtilis; & ideò dicit: *Bonum.* Vbi aduertendum, quod aliquid potest esse secundum se malum, quod tamen in comparatione ad maius malum videtur habere rationem boni; sicut proiicere merces suas in mare, secundùm se malum est, & in comparatione submersionis nauis & personarũ bonũ reputatur, & vtile tẽpore tempestatis, vt nauis alleuietur, & homines euadant. Et licet sit mors secundũ se sit mala, quia est priuatio vitæ, tamẽ in comparatione ad maius malum, sicut esset perdere gloriam vitæ æternæ, vel etiã conscientiæ, mori dicitur esse bonum. Et hoc est quod dicit Apostolus ad Cor. *Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* 1. Cor. 9

In quibus quidem verbis possumus de ipsa morte considerare tria.

Primò ipsius commendationẽ, quia dicit quod *mori bonum est.*

Secundò ipsiut appropriationẽ quia *mihi.*

Tertiò verò ipsius comparationem, quia *magis mori.*

¶ Circa primũ notandum, quod mori potest dici bonum propter tria. Primò quidem, quia in eo humiliatur superbia propter duas causas. Primò quidẽ, quia inæqualitas hominũ, puta quia vnus excedit aliũ, vel in diuitiis, vel in scientia, & huiusmodi est causa superbiæ, & appetitus dominij & excellẽtiæ. Sed per mortẽ omnia adæquantur, quia licèt diues, dũ viuit sit inæqualis pauperi, & doctus indocto, & dominus seruo, in morte tamen omnes adæquãtur; quia moritur doctus pariter & indoctus, & ita diues sicut mẽdicus, & ita dominus sicut seruus. Vndè mors assimilatur portę multũ bassę, in qua oportet quod omnes trãseuntes se inclinẽt æqualiter ad mẽsurã bassitudinis eius: & ideò tollit mors

causam

causam superbiendi. Alia verò causa est, quia alia mala mundi potest homo interdum euadere, & in eis propter spem euadendi non humiliatur totaliter cor superbum. Sed non sic est de morte, quam nullus euadere potest. [2.Mac.9] Et ideò 2. Machabæorum 9. Antiochus ad mortem percussus, ex graui superbia deductus cœpit ad agnitionē sui venire. Et dixit: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Et Octauianus Imperator considerans se esse mortalem, noluit à [Ps.118.] Romanis adorari. Et ideò Dauid in Psal. dicebat. *Bonum mihi quia humiliasti me,* scilicet ex mea mortalitate. Vndè Psal. 43. idem dicit: [Psal. 43.] *Humiliata est in puluere anima nostra.* Secundò mori dicitur vtile, quia in eo terminatur miseria. Nam sicut fælix appetit vitam, ita infælix dicitur appetere mortem, quia melior est mors, quàm vita [Rom.7] amara. Et ideò dicebat Apostolus ad Romanos: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et si dicas quòd mors aliquibus auget miseriam, puta quia mittit ad damnationem: Dicendum quod per se non est ex morte, sed ex ipsorum prauitate, aut negligentia sed bonis dicitur esse requies à laboribus & miserijs [Gen.49] suis. Vndè dicitur in Genes. *Vidit requiem,* scilicet mortis, *quod esset bona.* Tertiò mori dicitur bonum esse, quia per ipsam certificatur ignorantia, scilicet futuri euentus, de quo omnes in dubio sumus, quod omnis status vitæ huius mortalis est, siue diuitis, siue [Eccl. 9.] iusti, siue Domini. Et ideò *nescit homo finem suum, sed omnia in futurum reseruantur incerta.* Ecclesiast. Sed mors ponit hominem in statu certo, à quo non debeat vlterius mutari. Quamdiu enim homo est in certamine, vel in cursu, non habetur certum iudicium de victoria, vel de via sua, sed finito certamine, & cursu completo. Et ita finito certamine & cursu cōpleto vitæ præsentis per mortem, tunc bonus miles Christi & bonus viator dicere potest illud [2. Ti. 4.] 2. Timoth. *Bonum certamen certaui, &c.*

E

Secundò in auctoritate inducta ostenditur vtilitas mortis, quoad appropriationem, cùm dicitur; *Mihi.* Nam sanctis viris & amicis Christi, vita est vtilis, quia auget eorum meritum, sed vtilior est illis mors, per quam merētur præmium. Et ideò dicebat Apostolus ad Philippen. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Vbi nota meritum [Phil.1.] profectus ex amore Christi. Nam intensus amor transformat amantem in amatum. Et ideò Apostolus, qui Christum diligebat intensè, vitam suam reputabat vitam Christi. Vndè etiam dicit ad Galatas. *Viuo autem iam non ego,* [Galat.2.] *viuit verò in me Christus.* Et ex hoc amore semper crescebant in merito, quia amor Dei non est ociosus, vndè semper facit operari, & operando ex charitate mereri, quia charitas est radix merendi. Secundò nota lucrū præmij per mortem: quia *mori lucrum.* Nam per mortem exspectabat recipere gloriam vitæ æternæ, in qua est æterna salus animarum. Vndè sine hoc lucro omne aliud lucrum est damnum. Marc. 8. *Quid proderit* [Marc.8.] *homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat?* Et quia illa gloria erit in visione diuinitatis, & humanitatis Christi, ideò Apostolus omnia alia lucra spernebat, vt Christum posset lucrari. Vndè ait Apostolus Paul. ad Philippens. *Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora,* [Phil.3.] *vt Christum lucri facerem.* Tertiò in auctoritatate inducta debemus cōsiderare comparationē, cū dicit, *Magis mori.* Vbi aduertendum

 est,

est, quod duplex est gloria bonæ famæ. Vna in præsenti. Et hæc est testimonium bonæ & puræ conscientiæ, sicut Apostolus ipse ait
1.Cor.1. 2.Corint. *Gloria*, inquit, *nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.*
Ps.149. Alia verò gloria est in futuro, de qua dicitur in Psalm. *Exaltabunt sancti in gloria.* Et de prima gloria verum est, quod prius debet homo velle mori, seu occidi corporaliter, quam perdere eam. Et ratio est, quia talis gloria non perditur nisi per culpam, scilicet per peccatum mortale. Et ideò euacuatio talis gloriæ est per peccatum mortale, & ex peccato mortali, mors autem est pœna quædam. Cum ergò maius sit malum culpæ, quam malum pœnæ, potius debet homo sustinere mortem, quam per mortalem culpam gloriam conscientię euacuare vel perdere. Sed quamquam consciētiæ gloria non perdatur per peccatum veniale, nihilominus dicunt Doctores, quod potius deberet homo eligere mori, quam venialiter peccare, quia peccatū, in quantum peccatum, nunquam est eligibile. Si enim esset eligibile, inquantum peccatum, semper esset eligibile, & sic nūquam esset peccatum, & ita non peccaret, si faceret, quod est falsum. Multo ergò magis debet homo potius velle mori, quam peccare mortaliter, & conscientiæ suæ gloriam totaliter euacuare. De hoc habetur exemplum 2. Machab. 6. in
2.Mac.6 Eleazaro, qui potius voluit occidi, quam contra præceptum diuinæ legis faciendo, mortaliter peccare. Vndè dicitur ibi quod *ille gloriosam mortem magis, quam odibilem vitam eligens voluntariè præbat ad supplicia.* Multò ergò magis expedit mori, quam perdere gloriam futuram. Et ratio est, quia neque mors neque omnes passiones mundi sunt aliquid ad comparationem gloriæ illius. Propterea dicebat Apostolus Roman. 8. Rom.8.
Non sunt cōdignæ passiones huius tēporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

TERTIO in auctoritate principali, id est in themate assumpto, ostenditur mors esse terribilis, propter examen iudicii, quod sequitur ad mortem, cū dicitur *iudicium tuum*. Nā sicut dicitur Hebræ. 9. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudiciū.* Hebr.9.
Nam post mortem cuiussibet hominis particularis sequitur particulare iudicium, in quo anima secundū sua merita iudicatur à Deo ad gloriam, vel ad pœnam, & post mortem generalem omnium sequetur omnium resurrectio, & etiam generale iudicium. Vtrunque iudicium terribile est valde ex eo, quod vtrumque sic fiet, quod in eo nulla veritas poterit celari, & nulla falsitas poterit probari, & sententia illius iudicij per appellationē vel aliam quācumque viam nō poterit releuari, seu mutari, & pœna finaliter iudicata, quæ personalis erit nullo pretio poterit redimi. Sed stabit superius iudex iratus, inferius ad recipiēdum infernus paratus, interius conscientia accusans, extra dæmones ad capiēdum parati, vt eam cito ad pœnam perducant. Propter hoc territus Propheta dicebat Psal 142. *Non intres in iudiciū cū seruo tuo Domine, &c.* Ps. 142.
Ille, cui habet ire ad forum iudiciale, primò prouidet sibi, parando omnia illa, quæ faciunt pro iustitia sua probanda, vel defendenda, vndè portat secum instrumentum, studet ibi habere procuratorem bonum. Item aduocatum bonum vnum, vel plures. Et prælati, qui habent procuratores in curia Romana, mittūt eis munera, vt sint de factis eorū magis soliciti. Ergò tu si vis euadere

dere duram ſententiam illius iudicij, ſtudeas portare tecum bonũ inſtrumentum, id eſt bonam conſcientiã, cuius litteræ ſunt bona opera, ſed caue ne ſint falſa, ſicut ſunt opera hypocritarum. Item procuratorem bonum, & hic eſt pauper cui benè feciſti, ſicut Chri-
Mat. 25. ſtus pro ipſis pauperibus, quia ipſe dicet: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matt. Vndè ſalarium huius procuratoris eſt eleemoſyna pauperibus data. Stude etiã, vt habeas bonũ aduocatum, vnum, vel plures, i. aliquem ſanctũ, vel aliquos ſanctos, quos habueris in ſpeciali deuotione. Et munera eis miſſa erũt orationes eis factæ, vel reuerentiæ, vel quæcunque bona ad reuerentiã & honorem eorum facta, præcipuè in feſtis eorum. Et poſſunt eſſe aduocati pro te in curia cœleſti, non ſolum viri, prout ſunt in curiis mundi, ſed etiam fœminæ, id eſt non ſolum ſancti, ſed etiam ſanctæ. Hæc ergo ſunt illa quæ ſi tibi paraueris, inuenies tibi iuſtã
cauſam, & inuenies bonum iudicium. Eccl. 18. Vndè dicitur Eccli. 18. *Ante iudicium para iuſtitiam.* Et ſic recipies non ſententiam damnationis, ſed iudicium approbationis & remunerationis æternæ gloriæ. Ad quã nos perducat Ieſus iudex miſericordiæ. Amen.

Explicata eſt diſtinctio ſecunda, quæ egit de morientibus & eorum conditionibus.

IN-



INCIPIT DISTINCTIO TERTIA, IN QVA TRACTATVR SIMVL DE VITA ET morte, & de conditionibus vtriusque, cuius sunt Sermones octo.

SERMO I.

De necessitate moriendi, quæ omnes tangit.

QVIS *est homo qui viuet, & non videbit mortem?* Psalm. 88.

Boëtius Sicut Boëtius dicit in libro de consolatione Philosophiæ. *Omne animal vitam tueri laborat. Mortem verò perniciemq; deuitat.* Sed neque homo aut aliquod animal potest vitam suam semper conseruare, neque faciliter ipsam mortem vitare. Quamuis enim homo in statu innocentiæ non ex natura, sed ex Dei gratia esset immortalis, id est quod poterat non mori, propter peccatum tamen primi hominis, ipse cum tota posteritate sua facti sunt mortales, id est necessitati mortis addicti. Propter quod

Rom. 5. Apostolus dicit ad Rom. *Quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatū mors.* id est moriendi necessitas. Et hoc est quod Propheta inquirit in verbis propositis dicens: *Quis est homo qui viuet,* scilicet semper, *& non vedebit,* id est non experietur aliquando, *mortem?* quasi dicat nullus. Sic ergò de duobus inquirit.

Primo de vitæ perpetuetate, cū dicit, *quis est homo qui viuet.*

Secundò de mortis ineuitabitate, cùm ait, *& non videbit mortem.*

EST ergò prima quæstio, vtrum vita hominis posset semper perpetuari? Ad quod responderi potest, quod duplex est vita hominis. Vna corporalis secundùm naturam, & alia spiritualis secundū gratiam. Prima vita scilicet corporalis, secundum naturam perpetuari non potest. Et ratio est quia in quolibet animali est consumptio & restauratio. Cōsumptio per actionem calidi, & restauratio per acceptionem alimēti. Si enim non esset ibi consumptio, non posset corrumpi, nisi ab agente exteriori per violentiam, & non ex pugna, quam haberet in seipso. Et sic non esset necesse naturaliter ipsum corrūpi. Rursus si posset tale restaurari, quale est illud quod deperditur, posset sēper perpetuari in vita animal. Sed his duobus concurrentibus, quia est ibi continua deperditio, & illud quod restauratur per alimentum non est ita purum, sicut illud quod deperditur, ideò necesse est animal corrumpi. Nam si quis acciperet de vino quod esset in dolio, & restauraret ibi de aqua, ad vltimum oporteret quod esset vinum ita aquosum, quod esset ibi corruptio vini. Sed si restauraretur ita purum vinum, sicut extrahitur indè, posset perpetuari huiusmodi dolium vini. Sic quia quod deperditur in animali est magis purum, quā illud quod restauratur, ad vltimum est caro

ita impura,quòd non poteſt face-
re carnis opus, ideò neceſſe eſt a-
nimal corrumpi. Et propterea di-
Eccle. 9. citur in Eccleſiaſtic. *Nemo eſt qui*
Sap. 5. *ſemper viuat*. Nec obſtat quod di-
citur Sapientiæ 5. *Iuſti in perpe-
tuum viuent*, quia nō loquitur de vita præſenti, ſed futura poſt reſurrectionem, quæ quidem perpetua erit & incorruptibilis, tam in bonis quàm in malis. Partim quidē ex natura, partim ex diuina iuſtitia. Et natura quidē, quia ceſſante motu locali cœli, quod eſt primum alterās, non remanebit aliquod aliud agēs, quod poſſit per alterationem aliquam corpus hominis vel aliud à ſua naturali qualitate remouere, cùm omnia alia argentia ſecunda, virtute ipſius agant. Et ideò poſt reſurrectionem, ceſſante motu cœli, nulla qualitas erit ſufficiens, vt corpus humanum alterare poſſit à ſua naturali qualitate, neque per conſequēs corrumpere, cùm corruptio ſit terminus alterationis. Et ideò incorruptibilitas illa erit per naturam, ſicut dicit Sanctus Thomas, non quod ſit aliquod incorruptionis principium præcipuè in corporibus damnatorum, ſed propter defectum mouentis ad corruptionem. Alia verò cauſa erit diuina iuſtitia, cui etiam natura deſeruiet, vt ſcilicet ipſi dānati non ſolū in anima, ſed etiam in corporibus poſſint perpetuò puniri, ſicut in vtroque peccauerunt, quia hoc diuina iuſtitia requirit, ſicut etiam in ſaluatis requirit, vt etiam in vtroque perpetuò præmientur. In corporibus ergò Sanctorum glorioſis erit duplex modus incorruptionis & perpetuitatis. Vnus per naturam, ſcilicet propter defectū mouentis ad corruptionem, vt dictum eſt. Alius per gloriam, quia ſi corpus hominis, in ſtatu innocentiæ, incorruptibile erat ex eò, quod contrariæ qualitates in corpore hominis exiſtentes, continebantur per gratiam innocentiæ, ne ad diſſolutionem corporis eius agere poſſent, multò plus cōtinebuntur in corporibus glorioſis, quæ erūt omnino ſubiecta ſpiritui. Et ideò per gloriam incorruptibilia & perpetua erunt. Vndè ſicut in vita iſta nemo eſt, qui ſemper viuat, ita in illa futura nemo erit, qui vnquam moriatur. Ita quod iuſti in perpetuum viuent, & reprobi etiam damnati, ſicut dici-
tur in Apoc. *Deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Apoc 9.

B Et ſi tu dicas, damnati ſunt in ſumma miſeria, ergò videtur quod mors, quæ ſumma pęnarum eſt, ſecundum Philoſophum in tertio Ethicorum, non debeat ſubtrahi ab eis. Reſpondendum eſt, quod quamuis ſit ſimpliciter maxima pœnarum, ſecundū quid tamē nihil prohibet, mortem eſſe in pœnarum remedium, & per conſequens ablationem mortis in pœnarum augmentum. Viuere enim, vt dicitur nono Ethicorū, videtur omnibus delectabile eſſe, eo quod omnia eſſe appetunt. Nō oportet autem vt ibidem dicitur accipere malā vitam neque corruptā, neque quæ in triſtitiis eſt. Sic ergò viuere ſimpliciter eſt delectabile, non autē vita, quæ eſt in triſtitiis Ita & mors, quæ eſt priuatio vitæ, ſimpliciter eſt pœnoſa, & maxima pœnarum, inquantum ſubtrahit primum bonum, ſcilicet eſſe, cum quo omnia alia ſubtrahuntur. Sed inquātum priuat malam vitam, & quæ eſt in triſtitiis, eſt in remedium pœnarum, quas terminat. Et per conſequens mortis ſubtractio eſt in augmentum pœnarum, quas perpetuas facit. Si autem dicatur mors eſſe pœnalis, propter corporalem dolorem, quem ſentiunt morientes, non eſt dubium, quin

multò

multò maiorem dolorē damnati continuè sustinebunt, vndè in perpetua morte esse dicuntur, sicut scriptum est in Psalmo: *Mors*
Psal. 48. *depascet eos.* Alia verò vita est spiritualis, qua anima viuit Deo per gratiam & charitatem, sicut dici-
1. Ioã. 3 tur 1. Ioan. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligamus.* Et ista vita non perditur nisi per peccatum mortale, & ista benè potest perpetuari, sicut perpetuatur in innocentibus, qui nunquam mortaliter peccant, vt fuit beata Virgo, beatus Ioannes Baptista, & plures alij. Nam de beato Petro martyre de ordine fratrum Prædicatorum testatur Innocentius Papa, quod nunquam censit cōtagium mortalis peccati, & tales vitam spiritualem gratiæ nunquā amiserunt per mortem culpæ. Et ideò ex persona cuiuslibet taliū dicebat
Ps. 117. Propheta in Psal. *Non moriar, sed viuam.* In quibus quidem verbis duo multum desiderabilia se habiturum promittit.

Primò præseruationem à defectu culpæ: quia inquit, *non moriar.*

Secundò conseruationem in statu gratiæ: cum ait, *sed viuam.*

C ¶ Circa primum attendendum est, quod quatuor accidētia sunt, quibus corpora præseruantur à corruptione naturæ, quæ etiam spirituali modo accepta præseruant animam à corruptione, siue morte culpæ. Primum est enim calor, siue caliditas præcipuè intensa. Res enim multum calidæ non putrescunt, præcipuè cum siccantur, vt piper, & galanga, zinziber autem putrescit, propter innatum humidum. Similiter aqua quamdiu feruet, non putrescit, quia calor ignis maior est in ea, quam calor aëris, ideò non vincitur, sed vincit. Similiter anima à corruptione & morte peccati, quæ fit per tentationem, præseruatur per feruentem orationem. Vndè Dominus hortabatur discipulos suos Luc. 12. dicens. *Orate ne intretis in tentationem.* Huius figura habetur Isaiæ 38. in Ezechia Rege: Luc. 12.
cui Propheta dixerat: *Morieris tu, & non viues.* Sed post feruentem orationem, quam Ezechias fecit, Isaia. 38.
Propheta dicit ei: *Hæc dicit Dominus Deus Dauid Patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adijciā super dies tuos annos 15.* Vndè sicut vna oratio feruens præseruauit Ezechiam à morte corporali, & augmentauit vitam, ita orationes multæ continuè & feruentes, præseruant semper sanctos viros à spirituali morte peccati, & augmentant eis gratiā, ex qua est spiritualis vita. Secundū quod præseruantur aliqua à corruptione putredinis, est frigiditas, siue sit ab intrinseco, siue ab extrinseco. Nam si frigus sit extrinsecum, præcipuè est impediens, quia per se repugnat calido alieno & extrinseco. Vndè in hyeme, & vniuersaliter in aëre frigido, conseruantur corpora, quia calidum extrinsecum est parum, & frigus sibi contrarium est multū. Nec in talibus apparet metus putrefactionis, nisi recedente frigore. Si autem est frigus intrinsecū, sic etiam impedit putrefactionē, quia coagulat, nec permittit illud exhalare, sicut est in omnibus metallis frigido coagulatis, in quibus frigus claudit poros, & vincit calidum extrinsecū, ne de humido aliquid exudet, nisi parum, vt quando generatur rubigo. Et maior est in eo duratio, quia eius humidum naturale magis constat. Tanquam frigus extrinsecum est tribulatio mundi, seu afflictio carnis, quæ calorem extraneum, id est arborem concupiscentiæ, seu luxuriæ, quæ extraneam carnem

[illegible]

Eccle.11. cõcupiſcit, mitigat, vel extinguit. Nam vt dicitur Eccleſiaſt. *Malitia vnius horæ obliuionẽ facit luxuriæ.* Rom.8. Et ex hoc præſeruat etiam à morte animæ, de qua dicit Roma. 8. *Si ſecundum carnem vixeritis moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Sed tanquã intrinſecum frigus eſt intrinſecum refrigerium contemplationis cœleſtium. Hæc eſt enim quæ potentias, vel potius poros, id eſt corporis ſenſus claudit; hæc eſt quæ deuotionis humorem coagulat, nec exhalare permittit, hæc inſuper eſt quæ calorem extraneum, id eſt amorem mundi, ſuperat & vincit. Quia anima ſicut dicit Gregor. quantò maiori ſtudio exercetur ad ſumma, tantò maiori faſtidio frigeſcit ad infima. Vndè licet talis contemplatio faciat videri hominem mortuum mundo, non permittit tamen hominem mori Deo. Vndè talibus dicebat Apoſtolus Colos.3 Coloſſenſ. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

¶ Tertium quo præſeruatur res à corruptione, & putrefactione, eſt mobilitas. Nam aqua vel vinũ, quod mouetur, impeditur putrefieri, eo quod calor naturalis excitatur à motu, & non præualet ei calor extrinſecus. Vndè vinum potens efficitur melius ex motu, quia calor naturalis magis digerit ſubtile humidum, ex quo etiã ſapor melioratur. Et ſedulum vinum, & motum, etiam ſi ſit corruptum, quandoque reuertitur & reparatur. Et è contra, vinum nõ motum, præcipuè ſoli expoſitum, corrumpitur, & in acetũ conuertitur, quia dum calor exterior exinanit calidum interius, & humidum ſubtile exhalat cum ipſo, & perit vinum. Similiter mobilitas obedientiæ, vel motus frequens bonorum operum, præſeruat animam à peccati putredine, ad quã pigritia & otium inducit: quia *multam malitiam docuit ocioſitas*, vt dicitur Eccleſiaſt. 33. Vnde Leuitici 22. *Cuſtodiant præcepta mea, vt non ſuperiaceant peccato, & moriantur.* Eccli.33 Leui.22

¶ Quartum autem putrefactionem impediens eſt continuitas. Nam mare totum non putrefit, ſed diuiſum per partes paludales putreſcit. In naturalibus enim, multiplicato ſubiecto, multiplicantur qualitas & virtus. Et ideo totum ſimul plus poteſt continere, quam calor aëris poſſit diſſoluere, ſi tamen ipſæ partes ſint in toto continuè, aliter non, quia videmus quod grana multa, & germina ſimul ac nata, citius putreſcũt quàm pauca, propter hoc, quia illa grana non ſunt cõtinua, & cum ſint parua, egreditur naturale calidum ab vnoquoque eorũ, & trahit ſecum humidum, & calidum exiens fit alienum, & cùm exit à multis, confortatur & corrumpitur. Ita quando eſt continuitas concordiæ & vnitas amoris inter bonos, vnus iuuat alium ad conſeruãdum ſe & præſeruandum à malis, imò quicũque ſeparat ſe ab vnitate & continuitate charitatis & dilectionis per quam membra eccleſiæ inuicem cõnectuntur & vniuntur, neceſſe eſt vt moriatur & corrũpatur ſicut & membrum ſeparatum à corpore, propter quod dicitur 1.Ioan. Qui non diligit, manet in morte. 1.Ioan.3

B Secundo in auctoritate Pſalmi ſuperius inducta agitur de conſeruatione in ſtatu gratiæ, cum dicitur: ſed viuam. Vbi notandum quod ſicut bona nutrimenta conſeruant vitam corporalem. Nam ſicut dicit philoſophus: tamdiu viuit animal, quãdiu poteſt ſuſcipere nutrimentũ. Sic quoque bona opera conſeruat vitam ſpiritualem, ſicut ignis cõſeruatur per

nutri-

nutrimenta lignorum, quia vita spiritualis est in amore charitatis, qui nutritur per bona opera, sicut ignis per ligna. Huiusmodi autem sunt opera pœnitentiæ, & opera obedientiæ, & opera iustitiæ, & hoc est quod dicitur Ezechiel. 18. *Si egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis*, ecce opera pœnitentiæ: *Et custodierit omnia præcepta mea*, ecce opera obedientiæ: *Et fecerit iudicium & iustitiam*, ecce opera iustitiæ, sequitur: *Vita viuet, & non morietur*. Siquidem opera pœnitentiæ defendunt ab omni periculo peccati. Et ideò dicitur Luc 13. *Nisi pœnitentiā egeritis, omnes simul peribitis*. Nota, si aliquis esset scriptus in libro condemnationis alicuius Domini seu ciuitatis propter peccatū suum, vt caperetur cum forbannitis, seu exulibus, & suspenderetur, si posset teneri, multum gauderet, si posset deleri de libro illo. & posset esse securus in domo sua. Sic certè peccator est scriptus in lib. condemnationum Dei, cum forbannitis exulantibusque à curia paradisi, iudicatus ad mortem, quia *stipendia peccati mors*. Rom. 6. Et tamen si vult pœnitere, & conuerti ad Dominū per veram pœnitētiam, delebitur de libro condemnationum, & erit securus de sententia peccati sui, Et ideò dicitur in Actis: *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra*. Opera autem obedientiæ custodiunt ab incursu omnis mali. Vndè Ecclesiastes: *Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali*. Nota quandò fit præceptum alicui, quod non importat magnam pœnam, non multū curatur, sed quandò intimatur magna pœna vitæ vel mortis, multum timetur. Sed de trāsgressione diuini præcepti incurritur pœna æterna, & nulla finaliter inuenitur vtilitas, & ideò multùm debet vitari. 2. Paralippom. *Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit?* Opera autem iustitiæ protegūt ab omni calumnia, & impugnatione aduersarij diaboli. Vnde in Psal. *Fecit iudiciū & iustitiam, non tradas me calumniantibus me*. Nota quod si aliquis esset in homicidio deprehensus, & conuictus, non esset magnum iudicium nec magna iustitia abscindere ei aurem, sed potius deberet adiudicari morti, & ad supplicium trahi. Sic peccator debet trahi in confessione, confitendo perfectè totum processum peccati, & diuturnitatem, & circumstantias: deindè debet suspendi per satisfactionem, ligando oculos contra aspectus illicitos, & cor contra inordinatas affectiones, & manus post tergum, ne currat post peccata præterita. Et chorda in collo debet esse, cum tribus chordonibus, scilicet, quod habeat puram consciētiam, asperam pœnitentiam, & maturam compositionem. Et sic fieret verum iudicium, & vera iustitia, quæ sufficeret Deo, & quæ ipsum peccatorem iustificaret, & beatificaret. Vndè in Psalm. *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore*. Sed post meritū dictorum in auctoritate Ezechielis superiùs inducta, adiungitur & præmium: quia *vita viuet*. Nota, quando aliquis est ingressus aliquam religionem, debet, si vult, religiosè viuere, & se in sancta religione conseruare, custodire & obseruare statuta regulæ suæ & sui ordinis, quia in talibus obseruantiis custoditur vita animæ suæ, & vitatur mors culpæ. Vndè debet dicere illud, Isaiæ: *Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei*.

SECVNDO in auctoritate principali, id est in themate proposito, inquirit Propheta de mor-

Ezec. 18
Luc. 13.
Rom. 6.
Act. 3.
Eccle. 8.
2. Par.
Ps. 118.
Ps. 105.
Isai. 38.

tis euitabilitate, scilicet *quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* Vbi aduertendum est, quod si loquamur de morte corporali, facilis est huius quæstionis solutio, quia nullus est, qui non videat mortem, id est, qui non experiatur mortē. Eccl. 8. Eccl. *Omnes morimur, & in gaudium volumus venire,* scilicet æternæ beatitudinis, quā quidem omnes volunt, sed non omnes ad eam perueniunt, quia non omnes tenent rectam viam, scilicet bene viuendi. Sed si loquamur de morte spirituali & finali, quæ erit in priuatione vitæ æternæ, & in cruciatu gehennæ, sic ista quæstio determinatur à Christo, vbi dixit: Ioan. 8. *Si quis sermonē meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.*

In quibus quidem verbis duo de sua doctrina Dominus noster ostendit.

Primum est, quod inquirit obedientiam, cùm dicit, *Si quis sermonem meum seruauerit.*

Secundum est, quod habet infinitam efficaciam, quia *mortem nō videbit in æternum.*

¶ Circa primum notandum, quod valdè detestabile est, quod homines multum curant de salute corporis, & nihil de salute animæ respectiuè. Nam quādo medicus dicit aliqua esse facienda ad salutem alicuius infirmi, statim festinant facere illi, quibus dictū est, & nihil prætermittitur de his quæ medicus dixit esse necessaria fieri. Et ecce tota die auditis verba & sermones medici cœlestis Christi, de his quæ necessaria sunt ad salutem animæ vestræ, vt non moriatur in æternū. Siue de medicina charitatis, vt cùm dicit iniuriatis Luc.6. Luc. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Siue de medicina æquitatis, vt cū Ibidem. dicit vsurariis; vbi prius: *Date mutuum, nihil indesperantes:* Siue de medicina pietatis, vt cùm dicit: *Quod superest, date eleemosynam.* Et Luc.11. sic de aliis multis, quæ mandat fieri ad salutem animarū vestrarum, qui tamen nihil horum facitis, & de seruando sermone nihil curatis. Sed ego dico vobis causam, vndè accidit vobis hoc malum, quia totum procedit ex defectu amoris. Nam quandò aliquis non diligit aliquem, solet dicere: Ego nihil facerem eorum, quæ ipse diceret mihi. Et ista est causa quare homines nō faciunt ea quæ spiritus dicit, nec sermonem eius seruant, quia non diligunt eum, sicut ipse Christus dicit: Ioan.14. *Qui nō diligit me, sermones meos non seruat:* & è cōtrario, qui multum diligit amicum, facit illa quę scit sibi placere; sicut sunt illa, quæ ipse mādat quod faciat, quia *probatio dilectionis exhibitio est operis,* sicut Gregor. dicit. Gregor. Vndè etiam ipse Christus dicit: *Qui habet mādata mea, & seruat ea, ille est, qui* Ioa. 14. *diligit me.* Debemus autem sermonem, id est doctrinam seruare. Primo per fidem, & iugum meditationum. Prou.22. Prouerb. *Appone cor tuum ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi, cùm seruaueris eam in corde tuo.* Item per operis impletionem, & de talibus sic seruantibus commendat se Dominus dicens: Ioan.15. *Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.*

F Secundò ostendit Dominus doctrinæ suæ efficaciam; quia si quis seruauerit eam, *mortem non videbit in æternum*, i. non experietur mortem æternam. Sicut enim homo quamdiu conseruat lucē, non experitur tenebras, ita quamdiu seruat vitam, non videt mortem. Sed verba Christi vita sunt, secūdùm illud Ioan. Ioan.6. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt:* & ideo quamdiu homo seruat ea, non experitur mortē. Itē quia verba Christi seruata perducunt

eunt ad vitam æternã, quam qui adipiſcitur.non videt mortem in æternum, id eſt euadit mortem æternam. Conſiſtit enim vita æterna in viſione ſeu cognitione

Ioan.17 Dei,ſecundùm illud Ioan. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum.* Huius autem cognitionis, ſeu viſionis quaſi quoddam ſeminarium.principiũ eſt verbum Christi, quia ipſe dixit,quod *ſemen eſt verbum Dei.* Sicut ergò qui ſeruat ſemen arboris aliquando peruenit ad fructũ, ita ille qui ſeruat verbũ Dei, peruenit ad viſio nem Dei, quæ eſt vita æterna. Vndè Petrus dixit:

Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes,* id eſt vitæ æternæ

Eccl.24 inchóatiua, vel ad vitam æternã perductiua. Eccli. *Qui operantur in me,non peccabunt: & qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Elucidant me,* ſcilicet non tantùm verbo docendo, ſed magis opere

Gregor. Naz. implendo. Nam ſicut dicit Gregor. Nazianzenus: Clara illa ſapientia eſt,non quæ in verbis volebat,ſed quæ in virtutibus conſtat. Item verba Christi audita cauſant in nobis fidem; quia ſicut dicit Paulus ad Roman. *Fides*

Ro.10. *ex auditu, & auditus per verbum Chriſti.* Sed ſeruata faciũt nos iu-

Tit.2. ſtè viuere. Ad Ti. *Apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei omnibus hominibus, erudiẽs nos vt abnegantes impietatem, &c.* Et qui ita viuit,& habet rectãChriſti fidem, euadet mortem æter-

Ioan 11 nam. Vndè dicitur in Ioan. *Omnis qui viuit,* ſcilicet iuſtè quoad proximum,piè quoad Deum, & ſobriè quoad ſeipſum, *& credit in me,* ſcilicet vera & formata fide, *non morietur in æternum,* id eſt,nõ erit in morte æterna pœnę infernalis,quia erit in vitæ æternæ sẽpiternis gaudiis. Ad quæ æternæ fœlicitatis gaudia glorioſus Ieſus æterni patris vnigenitus dilectiſſimus,ſua pietate nos perducere dignetur. Amen.

SERMO II.

De comparatione vitæ ad mortem.

M*Elior eſt dies mortis die natiuitatis,* Eccle.7.

De his rebus, quæ in hoc ſæculo & mundo accidunt,multi propter defectum cognitionis decipiuntur,quia quædã videntur interdum eſſe ſuis cõtrariis meliora,quæ tamen ſunt deteriora,& è contra. Sicut Sauli & populo,expugnato Amalech, viſum eſt melius reſeruare meliora pecora,ad ſacrificandum ea,quàm occidere & proiicere, ſicut mandauerat Deus. Vndè ait Saul Samueli. *Pepercit populus melioribus ouibus &* 1. Re.1

armentis,vt immolarentur Domino Deo tuo,reliqua verò occidimus. Et tamen Samuel oſtẽdit quod fuit deterius, dicens: *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis quàm offerre adipem arrietum.* Item conſilium quod dedit Chuſi Abſaloni contra conſilium Achitofel, viſum eſt Abſaloni,& ſuis, quod eſſet melius & vtilius pro ſe. Vndè dicitur, quod dixit Abſa- 2:Re.1

lon,& omnes viri Iſraël: *Melius eſt conſilium Chuſi Arachitæ, conſilio Achitofel.* Et tamen ex facto poſtea oſtenſum eſt contrarium, ſcilicet quod fuit periculoſum & mortiferum. Vndè dicitur ibidẽ, quod Domini nutu diſſipatum eſt conſilium Achitofel vtile, vt induceret Dominus ſuper Abſalon malum. Sic videtur communiter hominibus,quod melius ſit eſſe diuitem quam pauperem, & quod melius ſit habere multum, & deterius habere parum. Et tamen

Psal. 36. men in Psalm. dicitur contrariũ, quod *melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Et
Prou. 15 etiam in Prouerbiis dicitur contrarium, quod *melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles.* Sic ergò similiter accidit de vita & de morte, quia quædam sæculariter viuentes, omninò dicũt vitam meliorem esse morte. Quorum ratio esse potest, quia nihil diligitur nisi bonum, & magis bonum magis diligitur, & illud maximè diligitur, quod maximè custoditur. Et hoc in plantis & animalibus videtur esse. Vndè planta radicẽ contiguam, vbi est vita eius, abscondit sub terra, vt melius custodiatur à cõtrariis. Et serpẽs præcipuè custodit caput, & homo
Prou. 4. cor. Iuxta illud Prouerb. *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Sed sapientes viri quædam altiora considerantes tenent contrariam sententiam, sicut apparet in verbis propositis ex auctoritate Salomonis, qui ait, quod *melior est dies mortis die natiuitatis.*

A In quibus quidem verbis ad nostram instructionem loquitur de tribus.

Primò de humanæ vitæ terminatione, quia loquitur de *die mortis.*

Secundò de eius inchoatione, quia de *die natiuitatis.*

Tertiò de vtriusque comparatione, quia *vnus melior alio.*

LOQVITVR ergò primò de terminatione humanæ vitæ, cùm dicit, *Dies mortis.* Quando aliquis certus est quod debeat sibi euenire aliquid infallibiliter, quod si non sit præmunitus, debeat sibi inferre maximum periculum; sed è contrario si sit præmunitus, possit sibi nihil vel parum nocere, sed nescit quandò illud debeat contingere, semper talis est in timore, & est semper solicitus se præmunire contra illud, sicut est de exercitu, qui expectat insultum hostium potentiũ. Sic est de die mortis, quia infallibiliter est vnicuique venturus sed nescitur quando, scilicet quã septimana, vel quo mense, vel quo anno. Et si inuenit mors imparatum, perducit ad æterna tormenta, præparato autem & armis pœnitentiæ præmunito, parum vel nihil nocere potest. Et dico parũ propter priuationem vitæ corporalis, quæ parum est respectu vitæ æternæ. Et ideo diem illum quilibet debet timere, & ad ipsum semper se solicitè præmunire. De quo habetur figura in Isaac, quod dixit Esau filio suo. *Vides* (inquit) *quod senuerim, & ignorem diẽ mortis meæ, sume arma tua, & pharetrã, & arcum, & egredere foras.* Ge. 27.

In quibus quidem verbis de die mortis quatuor conditiones ostenduntur. B

¶ Primò quod quibusdam est propinquus, sicut senibus, & hoc tangitur, cùm dicitur: *Vides quod senuerim.* Senes enim secundùm communem cursum naturæ propinquiores sunt morti quàm iuniores. Frequenter tamen accidit aliter ex impetu fortunæ vel casus, quia mors aliquando citius inuadit iuuenem quàm senem: imò fortè plures moriuntur iuuenes quàm senes; sicut de animalibus accidit, quod plures occiduntur agni quam pecudes. Et ita citius frãgitur vas nouũ, quàm antiquũ. Et similiter citius scinditur arbor iuuenis quàm antiqua. Sed licet ita accidat, tamen secundùm communem cursum naturæ, quãtò senior, tantò morti propinquior. Vndè Apostolus Paul. ad Hebræos dicit: *Quod antiquatur & senescit, prope interitum est.* Et ideò senex est sicut castrum expugnatum, cuius muri Hebr. 8.

partes continuè corruunt,& ideò deberet se reddere per pœnitentiam in manu boni Domini, scilicet Dei misericordis, quamdiu durat terminus vitæ,vt possit se reddere,vt ex dilatione non capiatur castrum corporis à morte, & habitator eius,id est anima,veniat ad iram Domini,& tradatur in manibus hostis crudelis, scilicet diaboli,& ducatur ad carcerē inferni ad perpetuum cruciatū.
Ioan.21 Ioan. *Cùm autem senueris*, scilicet in peccato *alius cinget te*, scilicet diabolus alligando cingulo peccati, *& ducet te quò tu non vis*, scilicet ad infernum.

C Secundò ostenditur in auctoritate prędicta,quod dies mortis est occultus, & ideò dicit in auctoritate prædicta,quod ignorem diem mortis meæ, & hæc est cōmunis ignorantia omnium,quia scilicet ignorat homo quo tempore vel die mori debeat. Et hæc ignorantia bonis quidem & prudentibus viris est ad maiorē cautelā,quia eo ipso quod ignorant quando debeant mori, cogitant quod omni die & omni hora potest mors aduenire eis. Et ideò magis vigilāt,vt semper inueniātur parati,secundùm illud Matt.
Mat.25. *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Sed imprudentes & peccatores homines ex hac ignorantia accipiunt stultā spem & periculosam audaciā. Nam quia nesciunt quando debeant mori,sperant se diutius viuere, & ex hoc accipiunt maiorē audaciam peccandi,& in peccatis permanēdi, ita quod frequenter mors talibus ex insperato superuenit subitò præoccupans eos. Et sic peccatis alligatos ad æternum interitum mittit,sicut accidit illi diuiti, de quo Euangelista dicit,quod dice-
Luc.12. bat animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce,comede,bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetent à te. Quæ autem parasti cuius erunt?* Et hic tangitur alia ignorantia auari, quia non solum ignorat diem mortis suæ, sed etiam sicut dicitur in
Psal. Psal. *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Aduerte quod homo habet triplicem ignorantiam, secundùm triplex tempus. Est enim tempus ante mortem, & tempus mortis,& tempus post mortem. In primo tempore ignorat homo quid sibi debeat contingere. De secundo, scilicet de tēpore mortis, nescit quando debeat esse, quia nescit numerum dierum vitæ suæ. De tertio, scilicet post mortem, ignorat etiam quid sit futurum. Et ista triplex ignorantia deberet hominem ab omni ambitione retrahere. Primò,quia vndè credit exaltari, frequenter contingit eum deprimi. Secundò quia mors omnem dignitatem terminat & deprimit.

¶ Tertiò,quia post mortem,qui maiora ambierunt & habuerunt, magis punientur. Vndè de his di-
Eccle. citur Eccle. *Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, & tempore,quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub sole sit?* Quæ auctoritas breuiter sic exponitur: *Quid necesse est, &c.* Et subdit pro causa triplicem ignorantiā. Prima,quia nescit quid indè debeat sibi contingere ante mortem. Vndè subditur: *Cùm ignoret quid conducat sibi*, scilicet ipsa dignitas,vel ipsa ambitio in vita sua, quia forsitan conducet ei magnam deiectionem. Secunda ignorantia est in numero dierum vitę suæ,quia quamuis dies hominis apud Deum sint numerati: tamen homo nescit quot sint, nec quandò debeant terminari. Vndè

Psal. 38. dè ait Dauid: *Notam mihi fac Domine finem meum. Et numerum dierum quis est.* Et frequenter decipitur homo de tempore, scilicet vitæ suæ, quia velut vmbra præterit, ita quod citius finitur quàm homo credat. Et totum hoc debet hominem retrahere ab ambitione, cum vita citò terminetur, & finis eius ignoretur. Tertia ignorantia est de eo, quod venturum est post mortem, quia quis ei poterit indicare quid post eum venturum sit, scilicet super eum, an pœnæ, an gloriæ.

D Tertia conditio diei mortis est, quia est valdè mirificus, quod tãgitur in auctoritate inducta, eo ipso quod nominat diem mortis. Ex eo videlicet quod ad mortem quatuor valdè miranda consequuntur. Primum est, quod stabilitur illud, quod in vita hominis nunquam potuit stabiliri, scilicet voluntas eius. Nam omnes mutationes, quę sunt in actibus humanis, à voluntate procedunt quantùm ad imperium, & ipsa voluntas est maximè variabilis, & instabilis. Et ratio huius est, quia voluntas semper inclinatur, & ordinatur ad bonum. Vndè quicunque vult aliquid, vult illud propter aliquod bonum. Et ideò etiam ille qui fornicatur, vult bonum, quia vult delectationem, & non peccatum, vel diuinam offensam. Et vsurarius nõ vult peccatum, sed lucrum Et homicida non vult peccatum, sed vult honorem vindictæ. Et sic omnes isti claudunt cor ad peccatũ, & aperiunt ipsum ad bonum delectationis vel lucri, vel honoris. Dionis. Et sic secundùm Dyonisiũ, semper voluntas per se tendit ad bonũ; quia nullus intendens ad malũ operatur. Sed tamẽ propterea peccator non excusatur à peccato, quia scit illud opus, per quod vel in quo consequitur illud bonum, esse malum & peccatum, puta fornicationem, vel vsuram, vel homicidium. Et sic illud quod facit malum est, & non sunt facienda mala vt eueniant bona, sicut Apostolus dicit ad Roman. Rom. 3. veruntamen per se voluntas semper tendit ad bonum. Sed in hoc mundo non est in temporalibus rebus aliquod purum bonũ, quin habeat admixtum aliquid mali, vel pœnæ, vel culpæ. Nam scientia secundũ Philosophum in primo de anima, est de genere bonorum, sed tamen habetur cum labore studij, qui est pœnalis. Vndè Eccle. dicitur: *Qui addit scientiam, addit & laborẽ.* Similiter dignitas & potestas est bonum honorabile, & concupiscibile, & tamen communiter annectũtur ei iniuriæ, vel aliquorum inuidiæ. Pulchritudo etiam est quoddam bonum delectabile, ad quod plurimum sequitur malum concupiscentiæ, vel vanæ gloriæ Et ideò voluntas non firmatur in aliquo bono, quia in quantũ est ibi bonum, vult illud, in quantum verò est mixtum, vel annexum ibi malum, nollet illud. Et sic voluntas fluctuat inter diuersa bona, & appetendo bonum post bonum, & sic in nullo tali bono firmari potest. Sed aduenit mors, & ita firmat voluntatem supremam hominis; quod nunquã postea mutatur. Nam si moritur homo in peccato, ita firmatur in malo, quod nunquam potest resurgere ad bonum, sicut nec diabolus post casum suum. Vndè Damascenus dicit, quod hoc est hominibus mors, quod fuit Angelis casus. Si autẽ moritur in gratia, ita firmatur in bono, quod nunquã potest flecti ad malum, secundũ illud Ecclesiast. *Firmabitur in illo,* scilicet in vltimo fine, scilicet voluntas in fruitione summi boni, *& non flectetur,* scilicet ad aliquod malum

Psal. 38. (margin)
Aristot. (margin)
Eccle. 1. (margin)
Damas. (margin)
Eccl. 13. (margin)

malum contrarium, seu peccatū. Et ideò dies mortis multum debet præcaueri, vt sit bona, quod est quando homo benè dispositus moritur, quia tunc est verè bona, quia mittit ad fruitionem summi boni, secundùm illud Eccli.
Eccli. 7. *In die bona fruere bonis.* Sed si homo moritur in peccato; tunc est verè mala, quia mittit ad æternū malum. Et ideò ibidem subditur. Et diem malum præcaue.

E Secundùm mirum quod facit mors est, quia satiat illud, quod nunquā in vita potuit satiari, & hoc est cor hominis. Omnia enim bona huius mundi nō possent satiare cor hominis. Et istud cōtingit ex tribus. Primò ex eius capacitate. Nam nihil satiatur nisi repleatur. Oportet autem quod illud quod replet, sit secundū mēsuram capacitatis illius, quod repletur; quia si vas esset capax centum modiorum vini, non repleretur de viginti. Anima autē hominis est tantæ capacitatis, quod potest capere & continere in se
August. Deum. Et ideò dicit Aug. *Animā Dei capacem nil minus Deo replere potest.* Sed respectu Dei, qui est bonnm infinitum & immēsum, tota vniuersitas creaturarū, cum sit finita & terminata, & finiti ad infinitum nulla sit proportio, est sicut quid minimum, & sicut gutta quædam bonitatis eius immēsæ. Etiamsi omnia bona mundi haberet homo, non possent satiare cor eius.

¶ Secundò prouenit hoc ex rerum diuersitate, quia bona huius mundi, vt pecunia, & similia, sunt bona corporalia, anima autem res spiritualis est. Tanta autem est diuersitas & improportionalitas rerum spiritualium à corporalibus quod inuicem se replere nō possunt. Vndè sicut tota sapientia mundi non repleret minimam bursam; ita tota pecunia mundi non repleret vnam animam, & ideò non satiat animam. Propter Eccles. 5.
ea dicitur Eccle. quod *auarus*, id est cor auari, *non implebitur pecunia.* Et ratio est satis euidens, quia sicut medicina non sanat plagā, nisi apponatur super plagam. Et tota aqua fontis non extingueret sitim, nisi biberetur & ingrederetur illuc, vbi est pruritus sitis. Sic est de pecunia & aliis rebus corporalibus, quia ardor cupiditatis, qui est in anima, non extinguitur per liquorem, qui est in ære, vel per pecuniam quæ ponitur non in anima, sed in bursa.

¶ Tertiò prouenit hoc ex cupiditatis immensitate & infinitate. Nam sicut dicitur Eccli. *Anima calida quasi ignis ardens*, sed ignis nunquam dicit sufficit, sed quantò magis ligna apponuntur, tantò magis ignis augetur & non diminuitur, vndè secundùm ligna siluæ, sic ignis exardescit, vt dicitur Ecclesiast. Et ita est de appositione diuitiarum, quia vt inquit Iuuenalis: Crescit amor nūmi, quantum ipsa pecunia crescit. Et hoc profectò est valdè miserabile & pœnosum, quod homo sit in aqua vsque ad guttur, & semper bibat, & semper iterum sitiat. Et sic est auarus qui semper lucratur, & semper plus cupit. Sed mors est tantæ potentiæ, quod satiat animam, quia si homo moritur in peccato mortali, anima vadit ad infernum, vbi satiatur tota, & repletur suppliciis & pœnis. Dauid: *In diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt:* dies enim peccatorum qui pereunt, & damnantur, dicuntur esse famis & saturitatis. Famis, propter carentiam bonorum; & saturitatis, propter abundantiam malorum. Vel quia sicut fuerunt famelici in peccatis, ita saturantur suppliciis. Si verò mortuus

Marginal notes beside the right column: Eccl. 23. (at "te. Nam sicut dicitur Eccli."); Eccl. 28. (at "citur Ecclesiast."); Iuuen. (at "quit Iuuenalis"); Psal. 36. (at "& pœnis. Dauid")

fit in gratia, tunc Deus replet in bonis, scilicet æternis & summis, desiderium suum. Et ideò Propheta dicebat: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*
Psal. 6.

E Tertium mirabile quod facit mors siue dies mortis, est; quià ordinat illud, quod in mundo nō potest ordinari. Nam ex hoc apparet ordo vniuersi, quia Deus ex sua sapiētia in propriis locis omni collocauit. Nam *quæ à Deo sunt, ordinata sunt*, vt dicit Apost.
Rom. 13
Paulus, quia sapientis est ordinare, prout Philosophus dicit. Vndè Deus qui est sapientissimus, vnūquodque collocauit, prout competit proprio officio suo. Vndè quia officium solis est illuminare, positus est in alto Et quia plātarum est fructificare, & fructus ex humore generātur, positę sunt in terra, à qua possūnt attrahere humorem, & vt possint fructum præstare animalibus in terra existentibus, quæ ex eis nutriuntur; & sic de aliis. Sed iste ordo nō videtur seruari in hominibus, dum sunt in mundo; quia peccatores, qui deberent esse in imo aduersitatis, sunt frequenter in alto prosperitatis, secundùm illud Psalm. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani.* Et ideò Hieremias de hoc admirās dicebat: *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt?* Et contra boni qui deberent esse in prosperitate, sunt in aduersitate, secundùm illud Ecclesiastici: *Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum.* Sed ista inordinatio, quæ sic videtur esse in hominibus, per mortem reducitur ad ordinem, quia mors vnūquemque transmittit ad sibi cōgruum & debitum locum: quia morientes in originali peccato, mittit ad limbum; morientem in mortali, ad infernum; in veniali,
Psal. 36.
Hier. 12.
Eccli. 8.

ad purgatorium; & morientem in gratia & charitate absque veniali, mittit ad paradisi locum. Vndè dicitur in Psal. *Ordinatione tua perseuerat dies*: dies enim mortis, id est illud quod fit in die mortis; scilicet de collocatione animæ in paradiso, vel inferno, vel limbo, perseuerat. ô Deus, ordinatione tua, id est secundùm ordinationem tuam. Ps. 118.

G Quartum mirabile quod fit in die mortis est, quia puniuntur ea quæ non possunt in vita ista puniri, quia in hac vita secundùm iustitiam humanam possunt puniri opera, sed non voluntas sola, nec omnia opera puniuntur, vel puniri possunt; sed solùm quæ sciuntur, & punitur hîc corpus, sed non anima. Sed ibi, scilicet in morte, omnia hic gesta puniuntur, iudicantur, & præmiantur si bona sint, quia scilicet ista est dies retributionis, in qua vnicuique redditur secundū opera sua. Vndè Eccli. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundùm vias suas.* Eccl. 11.

H Quarta conditio diei mortis, quæ tangitur in auctoritate allegata est, quia quibusdam morientibus est tutus & securus, sicut his, qui armis pœnitētiæ benè se præmunierunt, scilicet ante mortem. Et de istis armis dicit animæ: Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras. Per pharetram, in qua sunt sagittæ acutæ ad pungendum, intelligitur contritio, in qua sunt remorsus & dolores de peccatis commissis, pungentes & perforantes cor. Hieremias: *Acuite sagittas, & implete pharetras.* Sed per arcum; qui emittit sagittas, intelligitur confessio, quia peccatum proditur, quod quasi sagitta in pharetra conscientiæ latebat. Psa. *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt* Hier. 51 Psal. 10.

sagittent in obscuro rectos corde. Quandò enim habetur in solo proposito, tunc est quasi arcus extensus, sed tunc emittitur sagitta, quando actu confitetur. Sed primò debent sagittæ peccatorum parari in pharetra, id est disponi in memoria. Sed tunc pœnitens foras exit, quando ad opera satisfactionis procedit. Dauid: *Exibit homo ad opus suum*, scilicet pœnitens, quod est satisfacere & restituere malè ablata. Vel debet pœnitens egredi foras, id est totaliter à peccato exire. Quod figuratum est in Petro, de quo, dicitur quod *egressus foras fleuit amare.*

Ps. 103.

Luc. 22.

I SECVNDO in themate proposito, agitur de vitæ humanæ inchoatione, quia nominatur dies natiuitatis. Vbi aduertendum est, quod quidam Astronomi dixerunt, quod secundùm diem natiuitatis hominis disponitur & statuitur tota vita hominis sequens, secundùm scilicet virtutem & complexionem planetæ, vel stellæ dominantis in hominis natiuitate. Quorum errorem secuti sunt quidã hæretici, qui Genethliaci dicti sunt. Dicebant tamen dispositionem humanæ vitæ esse à Deo, qui talem virtutem dedit stellæ vel planetæ. Et huic errori fauere videbatur quod scribitur in Osea, vbi dicit Deus: *Statuam eum secundùm diem natiuitatis eius.* Et intelligit eam, scilicet vitam hominis, quia sicut vita hominis est ab anima, sic ab ipsa etiã anima disponitur, & regitur per eius actiones. Eorum autem effectuũ, qui sunt ab anima, corpora cœlestia non sunt causæ nisi per accidens. Quod quidem quantum ad actiones virium sensitiuarũ manifestum est, quod in vires sensitiuas, quæ sunt actus organorum, non directè imprimunt, sed per accidens, ratione scilicet organorum corporeorum, in quæ imprimere possunt. quibus organis impeditis, necesse est impediri actus ipsarum potentiarum, sicut oculus turbatus non benè videt. Quantùm verò ad actiones, quæ sunt à libero arbitrio, quod est facultas voluntatis & rationis, adhuc est magis manifestum, quod corpora cœlestia non sunt eorum causæ, quia intellectus siue ratio, sicut non est corpus, ita nec actus organi corporei, & per consequens nec voluntas, quæ est in ratione, vt patet per Philosophum tertio de anima. Vndè impossibile est, quod corpora cælestia directè imprimant in intellectum & voluntatem. Nullum enim corporeum potest imprimere in rem incorpoream. Vndè corpora cœlestia non possunt esse causæ per se operum liberi arbitrij. Possunt tamen ad hoc dispositiuè inclinare, inquãtum imprimunt in corpus humanum, & in vires sensitiuas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus. Sed quia vires sensitiuæ obediunt rationi, vt patet per Philosophum tertio de anima, & 1. Ethicorum: Nulla necessitas huic libero arbitrio imponitur. Et idcircò erroneum est dicere, quod à stella quæcunque, vel planeta dominante in natiuitate hominis, vita eius necessariò disponatur, sic enim liberum arbitrium nihil valeret homini ad vitam suam. Cuius contrarium sentit apertè Ptolomæus. Vndè dicit in centiloquio suo, quod anima sapiens iuuat etiam cœlestem effectum. Et ex hoc acceptum est dictum commune, quod sapiens dominatur astris. De quo etiam ponit exemplum Haly, in commento super dicto verbo Ptolomæi, de quodam Rege, in cuius natiuitate omnes significationes mali

Osee. 2.

Aristot.

Idem.

li, & immundi apparebant, & tamen natus in tali constellatione, mundissimè postea vixit, fulgens vestitu & gloria, & cum optimis conuersationem ducens. Cuius causam cum Haly quæreret. Respondit, quod quidē ad immunda ex desiderio trahebatur, sed videns quod talis esset inhonesta conuersatio, vt Dominus actuum suorum, talia fugiens elegit honestitatis conuersationem. Est etiam contra dictum errorē, quod circa vitam hominis multi casus contingunt, qui faciunt ad ipsius vitæ dispositionē & mutationē, quorum cœlestia corpora causæ esse non possunt, quia sicut probat Philosophus in 6. metaphisicæ. Ens per accidens non habet causam, præcipuè naturalem, cuiusmodi est virtus cœlestis corporis, quia tale ens nō est propriè ens neque vnum, sicut quod lapide cadente transeat homo, & occidatur ab eo. & quod homine fodiente sepulchrum, inueniat thesaurum. Huiusmodi enim non sunt vnum, sed multa simpliciter, cùm operatio naturæ semper terminetur ad vnum, sicut procedit ab vno principio, quod est forma rei naturalis. Patet igitur, quod si quis ex natiuitate hominis, vel ex constellatione hominis, quæcunque futura hominum opera per certitudinē prædicere velit, quod procedat hoc ex vana & falsa opinione. Et si tu obiicias quod astrologi frequenter de euentibus hominum & operibus multa vera prædicant. Dico quòd hoc contingit ex duplici causa. Vna est, quia plures homines passiones corporales sequūtur. Et ideò actus eorū, vt in pluribus, disponuntur secundum inclinationē corporum cœlestium, quia pauci sunt, id est soli sapientes, qui huiusmodi inclinationes non imitentur. Et hinc est quod astrologi in multis vera prænunciant, & præcipuè in communibus euentibus, qui dependent ex multitudine. Alia verò causa est propter dæmones se immiscentes. Vndè dicit Augustinus in secundo super Genesim ad literam: *Fatendū est, quando à mathematicis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimi diei: quem nescientes humanæ mentes patiantur, quod cum ad decipiendum homines fit, spiritum immundorum & seductorū operatio est, quibus quædā vera, de temporalibus rebus nosce permittitur.* August. Vnde concludit: *Quapropter bono Christiano siue mathematici, siue quilibet impij diuinantium, & maximè dicentes vera, cauendi sunt: ne consortio dæmoniorū animā deceptā quodā pacto societatis irretiant.* Est etiam cōtra dictos hereticos, qui dicunt talē virtutem constellationis esse à Deo, quia ex tali virtute, vita hominis de necessitate disponitur, vt videtur, sequitur quod homo sit fur, vel adulter, vel homicida, aut malus, & ex hoc suspendatur, vel comburatur, vel decapitetur, non est culpa sua, sed Dei qui tali dispositioni eum de necessitate subiecit. Et sic iniustè patitur talem pœnam, cùm non ex suó sit libero arbitrio, sed ex Deó & stella, quod dicere est hæreticum. Auctoritas autem Oseæ non facit ad hoc, quia ipse non loquitur de vita humana, sed de gente Hebraica, siue iudaica, cui propter sua peccata minatur, quod statuet eam secundum diem natiuitatis suæ, id est quod reducet eam ad statum miserum, quem habuit in suo primordio, scilicet quando erat in Ægypto in seruitute & in oppressione. Potest tamen singulariter exponi etiam de vita humana dupliciter, secundùm quod natiuitas hominis duplex est. Vna spiritualis, alia corporalis. Natiuitas spiritualis est in baptismo, de

Ioan. 3. quia dixit Dominus Nicodemo. Ioan. *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Et hæc natiuitas eſt in puritate innocentiæ, quam ſi homo per peccatum perdiderit, ſi redeat poſtea per pœnitentiam, ita quod reſtituatur ad primam gratiam, vel ei conſimilem, & perſeueret in ea, tunc ſtatuitur à Deo ſecundùm diem natiuitatis ſuæ, id eſt ad cõſimilem gratiam & puritatem, quam habuit in baptiſmo, quando fuit ſpiritualiter natus. Et aliter non poſſet intrare in gloriam regni Dei, quia nihil inquinatum intrabit in illam. Vel poteſt exponi de natiuitate corporali, ſecundùm quam homo naſcitur nudus, & cum luctu. Et ſic etiam oportet quod moriatur, ſcilicet cum luctu: & nudus hinc exeat: ſecundùm illud Iob: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*: ſcilicet in terram, quæ eſt mater omnium corporũ. Vndè Deus in morte ſtatuit eam, ſcilicet vitam humanam, terminari ſicut incæpit, ſcilicet ſecundum diem natiuitatis ſuæ. Et ſic ſecundùm iſtum ſenſum in hac auctoritate loquitur de duobus.

Iob 1.

Primò de neceſſitate moriendi in eo quod dicit, *ſtatuit*.

Secundò de qualitate naſcendi: quia *ſecundùm diem natiuitatis ſuæ*.

¶ Neceſſitas enim moriendi eſt ex ſtatuto Dei, id eſt ex lege, quã Deus generaliter ſtatuit, ſcilicet vt omnes qui naſcuntur, moriantur. Et propterea Apoſtolus dicit ad Hebræos. *Statutum eſt hominibus ſemel mori*,

Hebr. 9.

K Qualitas autem diei natiuitatis hominis eſt duplex. Prima eſt: quia doloroſus, ſcilicet propter partum: ſecundùm illud quod dictum eſt mulieri Geneſis tertio: *In dolore paries.* Et quædam propter dolores partus moriuntur, ſicut patet Geneſis trigeſimoquinto de Rachel. Et primo Regum De vxore filij Hely: tamen poſt partum mulier obliuiſcitur iſtius doloris, ſi euadat, propter gaudiũ quod habet de filio nato, præcipuè maſculo, ſecundùm illud Ioannis: *Mulier cùm parit, triſtitiã habet: quia venit hora eius. Cùm verè peperit filium, iam non meminit preſſuræ propter gaudium: quia natus eſt homo in mundum*,

Gen. 3. — Gen. 35. — 1. Re. 4. — Ioan. 16.

¶ Secũdo dies natiuitatis hominis eſt laborioſus, propter ingreſſum, quia tunc ingreditur homo ad vitam laborioſam, ſecundũ illud Iob: *Homo naſcitur ad laborem.* Sed quidem aſſueti verbis impatientiæ & inſipientiæ, quãdo habent plus de labore & anguſtia quam velint, maledicunt diem natiuitatis ſuæ. Quod prohibetur Eccl. vbi dicitur: *Indiſciplinatæ loquelæ non aſſueſcat os tuũ.* Et ſequitur poſt: *Ne fortè aſſiduitate inſaturatus, improperiũ patiaris, & maluiſſes non naſci, & diem natiuitatis tuæ maledicas.*

Iob 5. — Eccl. 23.

L. TERTIO principaliter agitur in themate de vtriuſque diei cõparatione, quia melior eſt ſcilicet dies mortis, quàm natiuitatis. Sed videtur quod iſtud non ſit verum, quia dies mortis tendit ad non eſſe, dies verò natiuitatis ad eſſe, ſed melius eſt eſſe, quàm non eſſe, ergo, &c. Ad quod dicendum, quod vita & mors poſſunt comparari ad inuicem quoad tria.

¶ Primò quoad entitatem. Et ſic non eſt dubium, quin vita melior eſt quam mors, ſicut argumentum factum dicit, & ideò dicitur Eccleſ. *Melior eſt canis viuus leone mortuo.*

Eccle. 9.

¶ Secundò quantùm ad æquaſitatem, & quantùm ad hoc dies mortis poteſt præferri diei natiuitatis. Quia ille qui naſcitur, cum infectione peccati, ſcilicet originalis,

nalis,

nalis nascitur, & etiam cum possibilitate peccandi actualiter, scilicet mortaliter vel venialiter. Sed ille qui moritur, posset mori sine infectione alicuius peccati, puta si moreretur immediatè post baptismum, vel per martyrium, vel perfectè pœnitens. Item per mortem efficitur impossibilis ad peccandum, & idcircò quantũ ad hoc, melior est dies mortis, die natiuitatis. Vndè de Martyribus & aliis sanctis communibus qui nati sunt in originali peccato, celebramus quidem diẽ mortis, sed non diem natiuitatis. Vndè Augustinus in sermone de sancto Cypriano ait. Quid est hoc fratres, quandò sanctus iste natus est, ignoramus, & quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus. Sed quando natus sit, etiam si sciremus, nequaquam diem illum celebraremus. Illo namque die peccatum originale contraxit, hodie peccatum omne finiuit. Et ideò potest dicere talis illud Ionæ 4. cap. Melior est
Ionæ 4. mihi mors quàm vita. In vita enim semper timet casus, & post mortem securus est.

¶ Tertiò possunt dici dies ad inuicem comparari, quantum ad consequentem vtilitatem. Et sic aliter se habet in reprobis, quàm in electis, quia in hominibus reprobis, peior est dies mortis die natiuitatis. Quia ad diem natiuitatis sequitur vita, in qua inficitur per culpam, sed ad diem mortis sequitur obstinatio in culpa, & afflictio pœnæ æternæ, cui nulla pœna huius vitæ potest comparari. Et ideò optãt reprobi potius cum quacunquæ pœna præsenti viuere, quàm mori. Vndè ad hoc referri potest illud quod dicit
Iudith 3 Iudith 3. Melius est vt viuentes seruiamus, quàm morientes cum interitu nostro; ipsi seruitutis nostræ damna patiamur. Item homo peccator curat de bonis, quæ videt se habere, dum viuit, sed post mortem nescit quid de se futurum sit. Et idem dicit illud Eccl. Eccle.6.
Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias. Sed quantum ad electos, melior est dies mortis die natiuitatis, quia dies natiuitatis est ad vitam laboriosam & amaram; sed dies mortis est ad requiem, & gaudium, & æternam beatitudinem. Propter quod dicit iustus illud Ecclesiast. Eccl.30.
30. *Melior est mors quàm vita amara, & requies æterna, quàm languor perseuerans.* Ad quam gloriam æternam nos perducat Iesus beatorum quies, & gaudium sempiternum. Amen.

SERMO III.

De comparatione status viuorum & mortuorum.

L*Audaui magis mortuos quam viuentes.* Eccle. 4.

Illud à sapientibus magis laudatur, quod magis à sapientibus esse putatur. Sic Salomon sapientissimus, quia putauit sapientiã præeligendam esse pecunia, dicens, Prouerbior. 8. *Accipite disciplinam & non pecuniam, & doctrinam magis quam aurum eligite.* Ideò postea sapientia prę cunctis opibus cõmendauit, subdens ibidem: *Melior est sapientia cunctis opibus preciosissimis, & omne desiderabile ei nõ potest comparari.* Eodem modo, quia putauit statum mortuorum præeligendũ esse statui viuorũ, proter quod dicit Ecclesiast. Quod *melior est dies mortis, die natiuitatis.* Ideò etiã ipse dicit in verbo proposito: *Laudaui magis mortuos, quã viuentes* Prou. 8. Eccle.7.

¶ Quidam tamen dixerunt, quod ipse dicit hoc verbum in Ecclesiaste, vbi loquitur concionando,

nando aliquandò in persona stultorum, aliquando in persona sapientum. Et ideò prædictum verbum nō dixit ex persona Sapientis, quia viuere dicit esse secundū Philosophum, qui dicit, quod viuere viuentibus est esse: mors autem ducit ad non esse, non est autem melius non esse, quàm esse: ergò non sunt magis laudandi à sapiente mortui, quam viuentes. Sed dictum est prędictū verbum, vt dicunt, ex persona stultorum, & errantium, qui non credunt aliam vitam quam istam esse. Et propter hoc visis malis mūdi huius, dicunt feliciores esse mortuos, quam viuentes, quia sicut per mortem, secundum eos, totaliter terminatur esse & vita, ita & omnia mala. Sed posset dici, quod verbum istud sit dictum ex persona sapientis, quia licet esse secundum se præferatur nō esse, tamen secundùm aliquā conditionem non esse potest præferri ipsi esse, & mortuus viuenti, sicut quantum ad hoc quod non potest peccare, nec videt mala huius mundi. Et Hieronymus dicit, & habetur hoc in glossa, quod melius est non esse, quàm malè viuere. Et ideò etiā aliqui sapientes viri appetebant mori propter pœnalitates vitæ huius, sicut Helias dixit. 3. Regum. *Tolle animam*
3.Re.19 *meam: non enim melior sum quā pa-*
Rom.7. *tres mei.* Et ad Romanos 7. Apostolus ait: *Infælix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et sub hac intentione Salomon dicit: *Laudaui magis mortuos, &c.*

A In quibus quidem verbis debemus attendere tria.

Primò commendationem, quia dicit, *laudaui.*

Secundò prælectionem: quia *magis mortuos.*

Tertiò comparationem: quia *quam viuentes.*

CIRCA primum attendendum, quod sicut arbores laudantur ex bonis fructibus, sic homines ex bonis operibus. Vndè Apostolus ad Rom. *Bonum fac, &* Rom.
habebis laudem ex illo. Et ideò laudandi sunt mortui ex bonis operibus, quæ fecerunt viuentes. Et ad hoc referri potest quod dicitur Prouerbiorum vltimo. *Laudēt* Prou.
eam in portis opera eius. Et vult dicere, *Laudent eam*, scilicet vitam vel animam hominis defuncti, *in portis*, id est in exitu vitæ, vel diuini iudicii, *opera eius.* In quibus quidem verbis tria debemus attendere.

Primò laudandæ personæ idoneitatem, cum dicit: *Laudent eam*, scilicet animā, vel vitam virtuosam: quia anima vitiosa vel peccatrix non est laude digna.

Secundo loci cognitionem, vel melius congruitatem: quia *in portis.*

Tertiò materiæ laudis bonitatem: quia *opera eius*, scilicet bona, quia opera mala non faciunt in dignum laude, sed vituperio.

¶ Circa primum attendendum B
est, quod ille defunctus securè potest laudari, cuius vita fuit bona & virtuosa. Aliud est enim laudari ab hominibus, & aliud laudari ab operibus. Nam ab hominibus frequenter laudatur, qui non est verè laudabilis. Et hoc contingit propter duo. Quandoque quidē propter laudantis malitiam: scilicet, vel quia vult adulari, sicut quando laudatur peccator in desideriis animæ suæ, quia homo laudat malitiam alterius, vt ex hoc cooperiatur, & excusetur malitia sua consimilis. Iob. *Protegunt* Iob 40.
vmbræ vbrā eius. Et iterum, quia diligunt similes sibi, & placent eis, & ideò laudant. Prouerb. *Qui* Prou.2
derelinquunt legem, scilicet Dei, trāsgrediendo præcepta eius. *laudant*

dant impium. Alia causa potest esse propter ignorantiam, sicut simplex homo laudat hypocritã, credens eum esse bonum: quia ignorat eius occultam malitiam. Sed væ talibus sic laudatis, quia ab hominibus laudantur, & à Deo cõdemnantur. (Augu st.) Aug. in libro confessionum. *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defenditur ab hominibus, condẽnante te.* Vndè Iob. *Hoc scio ab initio quo positus est homo super terrã, quod laus impiorum breuis sit, & gaudiũ hypocritæ ad instar pũcti.* (Iob 20.) Sed ille laudatur ab operibus, qui facit opera verè bona, scilicet vt non laudetur, sed vt laudabilis sit.

C Sunt autem plures pulchræ rationes, quare sapiẽtes & virtuosi viri, plus appetũt laudabiles esse, quàm laudari. Prima quidẽ, licet regula Philosophorũ dicat, quod melior est actus quàm potentia, tamen in hoc casu aliter est, quia melior est potentia, scilicet quod quis sit laudabilis, i. laude dignus, quam actus scilicet quod quis laudetur. Vndè Deus laudabilis dicitur, cùm tamen non dignè laudetur, quia maior est omni laude. Itẽ laus actualiter facta est in laudante, & non in laudato, sed laudabilitas est in laudato, quia potentia est in eo, cuius est potentia. Vndè hæc duo quandoque diuiduntur in iusto & peccatore, quia quandoque laudatur peccator, & non est laudabilis, & iustus est laudabilis & nõ laudatur. Ex quo patet quod potentia talis, scilicet quod tu es laudabilis, est quasi tibi essentialis, quia est in te, & tibi coniuncta in essentia tua, siue persona tua; quia tu ipse es laudabilis. Sed laus quę de te fit, actu non est in te, scilicet in persona tua, sed est in ore laudantis, & in audientia laudantiũ, quia honor est in honorãte, quare cum melius sit tibi quod est tuum, & in te, quàm alienum, & extra te, patet quod melius sit tibi laudabilitas, quã laudatio. Itẽ quia laudabilẽ esse in paucis reperitur, scilicet solum in his, qui sunt digni laude, & ideò est bonum nobile & preciosum. Laus autem in quibuslibet datur, non solũ dignis, sed multoties indignis, & ideò est quid vile, & parum appetendum. Item bonum tantò melius, quãtò durabilius, sed laus actualis non durat, quia aliquando laudaris, aliquando non: quia non est possibile quod semper lauderis. Et ideò laus actualis modica est, & breuis, sed laudabilitas semper potest durare, quia siue vadas, siue quiescas, siue vigiles, siue dormias, siue comedas, siue quid aliud facias, semper eã habes tecum, & ideo melior est & eligibilior. Itẽ, quia laus iustorũ, licet sit potẽtialis in mundo est, tamẽ actualis in cœlo, quia laudatur à Deo, ab angelis, & à beatis, & tantò dignior & nobilior est, quantò à melioribus & nobilioribus agitur, sicut cũ quis laudatur à Papa, vel Imperatore, vel Rege. Sed maior, imo maxima est laus iustorũ, non solũ propter dignitatem laudantiũ, scilicet Dei, angelorum, & beatorum omniũ, sed etiã propter numerum, quia sunt quasi innumerabiles Angeli & Sancti. Cuius contrarium accidit de laude peccatorum, quia etiam sunt indigni etiam qui laudant, quia nõ eũ speciosa laus in ore peccatoris. Vndè Senec. *Tam turpe sit tibi laudari à turpibus, quã si lauderis ob turpia.* (Senec.) Et sunt pauci laudatores, & plurimi detrahentes. Sunt ergò digni laude, nõ qui faciunt opera ficta, vt laudentur, sicut hypocritę: sed qui faciunt opera bona, recto corde. id est recta intẽtione, vt laudabiles sint. Vndè in Psalm. *Laudabuntur omnes recti corde*, id est recta intentione. (Psal. 63.)

Ite.

Et dicit *laudabuntur* : quia etsi nunc non laudantur ab hominibus, laudabuntur tamen in iudicio à Deo. Vndè Apostolus 1. Co-
1.Co.4. rinth. *Tunc laus erit vnicuique à Deo.*

D Secundò sequitur in auctoritate inducta, de loci congruitate, scilicet *in portis.* Vndè apud antiquos in portis iudicia reddebantur, & sic ibi malefactorum opera damnabantur, & opera iusta approbabantur, & laudem consequebantur. Sed figuraliter aduertendum est, quod alia est porta misericordiæ, & alia iustitiæ Dei. Nam porta misericordiæ est pœnitentia: quia per pœnitentiam peccator recipit misericordiam Dei, & veniam peccati. Et per hanc portã egreditur à statu culpæ peccator pœnitens. Hæc porta ingredienti quidem videtur angusta: quia scilicet à principio pœnitens sentit amaritudinem timoris, & laboris, & doloris. Doloris, propter commissum culpæ. Et timoris, propter reatũ pœnæ. Et laboris, propter difficultatem pœnitentiæ, quia laboriosum sibi videtur relinquere consueta, & inchoare insolita. Sed post ingressum huius portæ inuenit latitudinem amoris, & dilectionis, & quietis interioris. scilicet cõscientiæ suæ. Et ideò suadebat Domi-
Lucæ 13 nus Luc. 13 dicens: *Contendite intrare per angustam portam.* Serpens volens deponere pellem veterẽ, & habere nouam, ingreditur per arctum foramen petræ. Sic homo qui vult renouari à vetustate peccati, debet ingredi per angustam
Matt. 7. portam pœnitentiæ. VndèMatth. *Quam angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam.* Et ibidẽ paulò antè: *Intrate per angustam portam.* Sed per hanc portam, scilicet pœnitentiæ, ingrediuntur viuentes: quia scilicet homo dum viuit, habet locum pœnitentiæ. Sed alia est porta iustitiæ, per quam ingrediuntur & egrediuntur morientes, ad examen diuini iudicij. Sed sicut duplex est iudicium, ita & duplex est porta. Est enim iudicium particulare, in quo vniuscuiusque anima per se iudicatur à Deo. Et huius iudicij porta est mors, quia per mortem egreditur homo de vita ista, & assistit diuino iudicio, vt recipiat sententiam secundùm opera sua. Aliud verò iudicium fiet in fine mundi, quod erit generale. Et huius porta erit resurrectio à morte, quia omnes resurgent, & simul cum anima & corpore omnes comparebunt coràm iudice, vt secundùm ea quæ gessit in corpore, recipiat vnusquisque. Et de his portis dicit vir iustus Deo & Angelis: *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino.* In vtraque ergò vir iustus accipiet laudem secundum opera sua.

E Tertiò agitur in auctoritate adducta, de bonitate eorum, quæ sunt materia laudis, & hæc sunt bona opera hominis, & ideò dicit: *Laudent eam opera eius*, scilicet bona: quia hæc sola sunt laude digna. Sed quia opera in tantum sunt bona, inquantum fiunt ex virtute, quia sicut dicit Philosophus in ethicis, *Virtus est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.* Ideò illa opera sunt laude digna, quæ ex virtute procedunt, & ideò Philosophus dicit in primo ethicorum, quod *laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis*, & quia virtuosæ actiones elucidant magnitudinem virtutis, ideò ex virtuosis actionibus redditur homo laudabilis, & hinc est quod ea, quæ peccatores & virtuosi homines faciunt, de genere bonorum, licet laudabilia quandoque videantur, inquantum prætendunt aliquam similitudinem virtutis, tamẽ in rei veritate

ritate

ritate laudabilia non sunt,& maximè apud Deum,& hoc est,quia semper deficiunt vel à fine debito,vel à modo, vel ab aliqua circunstantia virtutis. Verbi gratia: Sunt aliqui tyranni,qui aliquando faciunt valdè pulchras iustitias, siue punitiones malefactorum,siue maleficorum,sed tamen quia faciunt propter laudem, & gloriam humanam,deficiunt à fine virtutis, & ideò non est opus iustitiæ,sed vanæ gloriæ. Sicut patet de iustitia Titi Manlij Torquati: qui sicut refert Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. Cùm esset consul in latino bello,filium suũ, qui prouocatus erat ad bellandũ à Geminio Metio Tusculanorum duce,qui sine scitu suo dimicauerat, quamquam habuisset gloriosam victoriam, & retulisset indè speciosa spolia,nihilominus iussit eum à lictore arripi,& in modum hostiæ mactari. Licèt enim de illa
E iustitia dicat idem Valerius,quod non poterat eum cum tanta laude laudare, quanta dignus erat, tamen si quis aspiciat finem,propter quem fecit hoc,videbit eum deficere à virtute. Dicit enim Poëta sexto Æneidos sic: Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido. Ecce testatur quod immensa cupido laudum humanarum vicit in eo amorem naturalem. Et iste fuit principalis finis, propter quem fecit: qui certè nõ est finis iustitiæ,sed potiùs inanis gloriæ. Similiter si aliquis multa bona largiretur,laudaretur de liberalitate, & tamen si non seruaret modum debitum, & mensurã in dando non esset actus virtutis. Sicut patet in Alexãdro,qui multum laudatur de liberalitate,siue de curialitate, propter magnam largitionem donorum, & tamen non erat ex virtute, sed potius ex superbia. Vndè refert Seneca de eo in libro de beneficiis,quod cũ donaret semel cuidã vnam ciuitatem, & ille tanquam indignus refugeret tantum munus, dixit Alexander: Non curo quid te deceat recipere, sed tantum quid competat mihi dare. Certè istud videbatur magnificum verbum, & tamen in rei veritate, vt dicit ibi Seneca, fuit verbum superbũ & stultum: ex eo quod beneficium & donum debet esse proportionatum & congruum non solum danti,sed etiam recipienti. Et ita est peccatum in excessu, sicut etiam in defectu. Et simile est de operibus aliorum peccatorũ, qui nõ sunt in charitate, nec habent in se virtutes veras, qui cõmendantur ab hystrionibus, non tamen à sapientibus. Vndè Ec- Eccl.5.
clesiast. *Vidi impios sepultos, qui cũ adhuc viuerent, in loco sancto erant. Et laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum, sed & hoc vanitas est.* Et Sapien. *Vacua est spes illorũ,* Sap.3.
& labores sine fructu, & inutilia opera eorum. Sed sancti,qui habent omnes virtutes veras, & sunt in charitate,faciunt opera verè laudabilia: quia omnia opera virtutum ordinant ad verum debitum finem,sicut dicebat Apostolus primæ ad Corinth 10. *Om-* 1.Co.10
nia in gloriam Dei facite. Et omnia faciunt debito modo, & ordine: quia sunt in charitate, quæ ordinat omnes virtutes. Vndè Apostolus: *Omnia opera vestra in charitate fiant.*

SECVNDO in themate consi- F
dera prælectionem: quia magis laudat mortuos, Vndè dicit. *Laudaui magis mortuos:* quasi statum eorum præeligens, magis quam viuorum. Sed attendendum est, quod non omnes mortui præferuntur viuentibus,sed solum saluati. De quibus dicitur in Apoc. *Beati mortui qui in Domino mo-* Apo.14.
riuntur.

viuuntur. *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant a laboribus suis.* In quibus quidem verbis tanguntur tres rationes, quare mortui tales præferuntur viuentibus.

Et prima quidem est, quia sunt omni bono dotati, & propterea dicuntur *Beati*,

Secunda est, quia sunt ab omni periculo tutati, & hoc *quia in Domino moriuntur*.

Tertia est, quia sunt ab omni malo liberati: quia *amodo iam dicit spiritus, &c.*

¶ Ostenditur ergo primò esse dotati omni bono ex eo, quod dicuntur *beati*. Nam beatitudo, sicut dicit Boëtius, est status omnium bonorũ aggregatione perfectus. Omne autem bonum hominis, aut est animæ, aut est corporis, aut coniuncti. Et omnibus istis bonis dotati sunt beati. Nam perfectum & summum bonum animæ naturaliter Deus est, inquantum ipsi animæ perfectæ vnitus. Et ad hoc requiruntur tria, secũdum quæ tria assignãtur tres dotes animæ beatæ, quæ velut sponsa Deo coniungitur in ipsa beatitudine. Primũ est ipsius Dei præsentia, quæ quidem habetur per ipsius Dei cognitionem, siue visionem: quia scilicet Deus in patria, non mediante aliqua specie, seu similitudine, sed immediatè per seipsum, i. per suam essentiã, cognoscetur & videbitur. Et ideo per seipsum, i. per suam essentiam animæ præsens efficitur in ipsa cognitione beata. Vndè prima dos animæ dicitur visio, siue cognitio. Videbimus ergò, seu cognoscemus Deum in se & Deum in nobis, & nos in Deo, & creaturas in Deo, & Deum in creaturis. Cognoscere Deum in sua essentia est quasi visio meridiana. Cognoscere verò creaturas in verbo, est quasi cognitio matituna. Sed cognoscere in se creatutas, id est in proprio genere appellatur visio vespertina Videbit etiam ibi vnusquisque cogitationes alterius prout volet: quia sicut dicit Gregorius, Vniuscuiusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondit.

¶ Secundò, ad perfectam vnionem animæ cum Deo, requiritur eius cum anima perfecta colligãtia, & hoc efficit perfecta dilectio. Et ideò dilectio, secundum quosdam, est secunda dos animæ beatæ, per quam anima sicut adhæret Deo, ita colligatur Deo, vt efficiatur quasi vnus spiritus cum eo. Propter quod vocatur charitas *vinculum perfectionis*, ad Coloss. Colo.

¶ Tertiò, requiritur ad perfectam vnionem vtriusque vnibilis conuenientia. Et in hac perfecta conuenientia Dei cum anima, cui vnitur, fruitur ipsa anima Deo. Et ideò tertia dos animæ beatę dicitur à quibusdam fruitio, quæ cõsequens est ad dilectionem: quia illud quod summè diligitur, conuenientissimum iudicatur, & eius fruitio summè delectat. Sic ergo totum bonum animæ, quo efficitur beata, erit in Deo, & de Deo. Vndè in Psalm dicitur: *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Psal. 14

Secundò, erunt dotati illi mortui qui saluandi sunt, etiam in bonis corporis: quia in fine resuscitabuntur, & recipient corpora sua cum quatuor dotibus gloriosis. quæ erunt claritas, subtilitas, impassibilitas, & agilitas. Cùm enim totum bonũ corporis sit ab anima, ideò ex redundantia glorię ipsius animæ erit tota glorificatio corporis. Et ad hoc necessariũ est, quod ipsum corpus sit animæ perfectè subiectum. Erunt ergò in corpore, respectu animæ, quatuor dotes gloriosæ prædictæ, ratione subiectionis. Quia ad hoc vt corpus sit perfectè animæ subiectũ, E

nec ea impediat in operibus glorię, quatuor sunt necessaria, quorum duo pertinent ad sensum, & alia duo ad motum. Quoad sensum duo requiruntur. Vnum, vt sit facilè receptiuum specierum sensibilium, ad quod disposuit claritas, in qua etiam cõprehenditur corporis pulchritudo, & omnis bona dispositio cuiuslibet formæ accidentalis in corpore. Secundò requiritur, quod non sit receptiuum passionum ignobilium, & hoc facit impassibilitas in qua etiam intelligitur perpetua conseruatio corporis ab anima, sine omni læsiua, vel infectiua, vel corruptiua passione, vndè sub impassibilitate includitur sanitas & diuturnitas. Quoad motum verò requiruntur alia duo. Vnum est, vt per contrariam inclinationem non resistat suo motori, ad quod disponit agilitas, sub qua etiam comprehendũtur velocitas, libertas, & fortitudo corporis, & habilitas ad omnes operationes animæ, quæ per corpus exercentur. Alia est secundùm quosdam, vt corpora per quę mouetur, non resistant ei, & ad hoc
S.Tho. facit subtilitas. Sed sanctus Thomas dicit hoc non esse ex dote subtilitatis, sed ex diuina virtute miraculosè fit, vt ipsi corpori glorioso aliud corpus nõ obstet, sed dicit quod dos subtilitatis est, vt corpus totaliter animæ subiiciatur, vt suæ formæ, quantũ ad esse substantiale. Vndè ex hoc corpus gloriosum subtile dicitur, quod perfectè ab anima informatur. Vndè ab Apostolo vocatur corpus spirituale, quia totaliter est subiectũ spiritui. Et per istas quatuor dotes remouentur etiã quatuor impedimenta, quæ consueuerunt causari à quatuor elemẽtis, ex quibus corpus componitur, scilicet per claritatẽ deformitas nigredinis, quæ consueuit causari ex adustione ignis vel fumo; per subtilitatẽ grossities terræ, per agilitatem tarditas, quæ ex frigiditate aquæ est, & per impassibilitatem passibilitas quę ab aëre, tunc ergò poterit dici animæ illud Lucæ: *Beatus venter qui* Lucæ 11
te portauit. Tertiò habebunt illi Sancti mortui etiam plura bona, quæ pertinent ad coniunctum: & sunt quinque secundùm Boëtiũ Boëtius.
de consolatione Philosophiæ. scilicet, sufficientia, quam promittunt diuitiæ; iucunditas, quam promittit voluptas; celeritas, quã promittit fama; securitas, quam promittit potentia; & reuerentia, quam promittit dignitas, & tunc verè poterit dici illud Psalmi: Psal. 144.
Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Ex omnibus ergò prædictis bonis erunt in perpetua & iucũda laude, secundùm illud Psalm. Psal. 83.
Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæc. &c.

¶ Secunda ratio quare mortui præferuntur viuentibus est, quia sunt tuti ab omni periculo, sicut ille qui peruenit ad portũ, & iam exiuit nauem, est tutus à periculis maris. Tales sũt illi, qui in Domino moriuntur, quia tanquam mare procellosum est mũdus, sed tanquam nauis est corpus. Tanquam autẽ tutissimus portus est Dominus Deus. Ergò tanquam nauta egressus de naui est anima sancta egressa de corpore, & extra pericula maris, id est extra pericula mundi in portu securissimo, scilicet in Domino requiescens, sicut de beato Stephano lapidato moriente dicitur Actu. Act. 7.
quod *obdormiuit in Domino.* Nota quamdiu homo est in terra latronum & inimicorũ, nõ dormit securus, sed quando est in possessione hæreditatis suæ, & in terra Domini sui, tũc dormit securus. Sic homo nõ quiescit verè in isto mũdo, quia est in terra inimicorum,

rum;quia mundus caro,dęmonia diuersa mouēt prelia,& est in terra prædonum, i. vitiorum expoliantiū animas à vestibus, & diuitiis virtutū.& ideò amicus Dei est semper in timore. Sed post mortē in cœlo erit in terra Domini sui,& in propria hereditate à Domino sibi data,& tūc erit
Ps 126. in perfecta quiete. Dauid. *Cū dederit dilectis suis somnū, ecce hæreditas Domini. Et pretiosa in cōspe-*
Ps. 115. *ctu Domini mors Sanctorū eius*,ait idē Proph. Tertia ratio quare mortui qui saluantur pręferūtur viuentibus,est quia sunt liberati ab omni malo. Infirmus enim, qui habet infirmitatē laboriosā & pœnosam, nō quiescit plenè, donec sit liberatus totaliter à malo,sed tunc quiescit quando est à malo totaliter liberatus. Sic Sācti quandiu sunt in mundo,patiuntur multa mala,& multas pœnas sed post mortē ab omni malo liberantur,& tunc habēt perfectā quietē,quàm non possunt habere hic viuentes.& ideò dicit: *A modo iam dicit Spiritus,&c.* Et dicit, *Amodo*, scilicet postquā cessauit ab eis omne malū. Sunt enim liberi à triplici malo, scilicet à malo innato,quod est peccatū,non solū á peccato originali,quod ex natura cōtrahitur,sed etiā ab actuali, quod dicitur innatū,i.intus natū, quia in volūtate cōcipitur,& sunt etiā liberi à possibilitate peccādi,& sic quiescūt ab omni labore,quē habuerunt in pugnādo contra tētationes,vel in custodiēdo se à peccato,vel in purgāndo peccata cōmissa. Itē sunt liberi ab omni malo illato,scilicet ab extra,quia ibi nullus est hostis impugnans, nec aliquid aliquo modo lędere valēs,vel in aliquo molestare. Animal enim nō quiescit, quādiu molestatur à muscis,& sic homo in vita ista habet multas molestias propter quas nō quiescit. Vnde dicitur Mic. *Surgite,& ite,quia nō habetis hic requiē.* Itē sūt liberi Mich. 2.
à malo cōtracto scilicet ex natura corrupta,& destituta, siue respectu culpę sicut est fames, qua retrahimur à bono propter difficultatē,& inclinamur ad malū propter cōcupiscentiā delectationis; siue respectu pœnę,sicut est passibilitas,& mortalitas,& ægritudines,& similia in quorū resistētia vel tolerātia multū laborant viuentes. Sed postquā mortui sunt, ab omnibus sunt erepti;& ideò omnino quiescūt ab omnibus laboribus suis Isa. *Et erit in die illa,* Isa. 14.
cùm requiē dederit tibi Deus à labore tuo,& à concussione tua,& à seruitute dura qua antè seruisti,&c.

TERTIO, in themate consideranda est comparatio, i. considerare debemus eos, ad quos fit comparatio,cùm dicit, *quàm viuentes*,scilicet in mundo isto, qui minus laudari possūt quàm mortui,imò respectu eorum videntur esse laudabiles. Et ratio huius est, quia bona de quibus possunt laudari viuentes, sunt transitoria & vana; sed bona quibus fruuntur mortui,sūt immutabilia & vera, & ideò non possunt viuentes in laude mortuis ęquari. Quod autē bona hic viuentium vana sint,patet ex verbo Psal.dicentis:*Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Et G
Psal. 37. potest intelligi sic,quod vniuersa scilicet bona, quæ omnis homo quærit, sunt vanitas,id est valdè vana. Et quod istud verum sit,potest fieri manifestum ex communi descriptione vani. Vanū enim communiter describitur, quod vanum est quod non præbet fructum laboranti, nec fulcimentū innitenti,nec plenitudinem continenti. Omnia ergò bona, quæ quærunt homines hîc viuentes, vana sunt. Primò quidē,quia non præbent fructum laboranti, sicut agri-

agri-

agricola diceretur laborasse in vanum, si ex ipsa agricultura nullū recolligeret fructum, fructus autem est vltimum, quod expectatur de arbore, & signat vltimum & summum bonum, quod debēt homines virtuosi expectare de laboribus suis, & hæc est gloria æternæ beatitudinis, quia bonorū laborum est fructus gloriosus, sed talis fructus non habetur in vita ista, quia bona istius vitæ nō sunt vltima bona, quę expectare debemus, eo quod tale bonum erit in vita æterna, quia illa est vltimus finis. Vndè Apostolus dicit: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.* Rom. 6. Quasi dicat: Fructus quem potestis habere hic, non est finale bonum, quod est vita æterna, sed est sanctificatio disponens ad illam. Item bona istius vitæ dicuntur vana, quia non præstant fulcimētum innitenti, & hoc ideò, quia sunt omnia mutabilia & transitoria. Et qui labenti innititur, necesse est vt cum labente labatur, & ideò non fulciunt innitentem, sed potius faciunt ruere. Vndè *qui confidit in diuitijs suis, corruet in malū*, ait Salomon. Prou. 11 Itē bona istius vitæ dicuntur vana, quia non dant plenitudinē continentis. Vndè vanum dicitur quod est vacuum, sed bona istius vitæ non replent neque satiant hominis appetitum, & ideò sunt homini vana, scilicet quia non repletiua, siue satiatiua. Psal. 37. Quia igitur bona hîc viuentiū non sunt bona vltima, neque bona stabilia, neque bona repletiua, dicuntur vniuersa vanitas, i. valdè vana. Ecclesiast. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccle. 1. Nam si quodlibet bonum huius vitæ continet aliquam vanitatem, sequitur quod vniuersitas bonorum huius vitæ non solùm sit vanitas, sed vanitas vanitatum scilicet respectu bonorum alterius vitæ, quibus beati mortui fruuntur, quæ sunt bona vltima, & in æternum stabilia, & plenè satiatiua. Et quia bona huius vitę cuncta subiacent vanitati, & homo efficitur similis his, quæ diligit & sequitur, cùm omnes homines hîc viuentes, huiusmodi bona sequantur, & diligant, ideò omnes efficiuntur vani. Vndè Ieremias: *Ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt.* Hier. 2. Psalmista. *Homo vanitati similis factus est:* Ps. 143. & ideò potest dicere homo iustus hîc viuens, & tantæ vanitati subiectus, illud Ionæ, *Melius est mihi mori quàm viuere:* Ionæ. 4. præcipuè quia omnis homo viuēs expectat mortis periculum, & de statu salutis suæ semper habet dubium, nec potest etiam dum hîc viuit habere beatitudinis præmium, quæ consistit in Dei visione, qui dixit: *Non videbit me homo, & viuet.* Exod. 33 A quibus omnibus erepti sunt mortui, qui ad illam iam peruenerunt visionem. Ad quam nos perducat, &c.

SERMO IV.

De vigilantia necessaria, propter ignorantiam temporis mortis.

Vigilate quia nescitis diem neque horam, Matth. 25.

Sicut dicit B. Gregor. *Iacula quæ præuidentur, minus feriunt.* Gregor. Et ratio est, quia etsi homo non possit aliquando ictum iaculi omnino vitare, vt non feriatur, tamen si antè præuideat, potest ictui clypeū vel aliam armaturam opponere, vt saltem minus lædatur. Vndè Apostolus admonebat Ephesios, Ephe. 11 dicens: *In omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Similiter quamuis homo iaculum mortis vitare non possit, si tamen sibi contra eius ictum præuideat,

assumendo vigilantiam continuã & solicitudinem benè viuendi & cauendo sibi à peccatis: mortis iaculum parum sibi nocebit, & dico parum, quia dato quod perforet scutum corporis, ad animã tamen læsio non pertinget. Vndè
Sap.3. Sap. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget eas tormentum mortis.* Sed tamen, quia dies vel hora, qua homo iaculari per mortẽ debet, ignoratur: oportet omni tempore vigilare, id est solicitum esse, ne eũ mortis ictus inermem & imparatũ inueniat, vndè omni tempore oportet esse sub armis pœnitentiæ, & esse sine sõno torporis & negligentiæ. Et ad hoc hortatur nos Dominus in verbis propositis dicẽs: *Vigilate.*

In quibus quidem verbis Dominus facit tria.

Quia primò hortatur ad diligentiam operis dicens: *Vigilate.*

Secundò allegat ignorantiam hominis, *quia nescitis.*

Tertiò determinat circumstãtiam temporis, scilicet *diem & horam.*

A CIRCA primum aduertendum, quòd secundum sententiã
Gregor. B. Gregorij, ille vigilat, qui est absolutus à vinculo soporis, id est peccati. & secundùm hoc ille vigilat, qui est in pœnitentia. Item ille vigilat, qui habet apertos oculos ad aspectum veri luminis. Item ille vigilat, qui excutit à se somnum negligentię & torporis. Ad talem ergò vigilantiam hor-
Mat.26. tatur nos Dominus, dicens: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* In quibus quidem verbis tria facit.

Quia primò inducit ad illud, quo somni, id est peccati vinculũ enodatur, cum dicit: *Vigilate.*

Secundò verò ad illud, quo mẽtis oculus illuminatur, cum subdit, *Et orate, &c.*

Tertiò verò tangit illud, ex quo negligentiæ & pigritiæ torpor generatur, cùm addit: *Caro autem infirma.* B

¶ Dicit ergo primò *vigilate*, scilicet somnũ peccati per pœnitẽtiam expellendo. Notandũ quod quando aliqui sunt in infirmitate graui, solẽt fieri vigilia circa eos, ne cibum vel potum sumant, qui sint sibi nociui, scilicet quę aggrauent infirmitatem, solent etiam procurari remedia, quæ alleuient infirmitatem. Sic homo qui est in peccato, est in graui infirmitate, ideò debet vigilare, ne appetitus cibũ peccati sumat, quia istud aggrauat infirmitatem, & debet etiam procurare remedia, quę alleuient, scilicèt pœnitentiam. Videmus etiam in corpore humano nisi malum humorem natura expellat, vel per medicinam, vel per sudorem, vel per minutionem, vel per scabiem, quòd aliàs moritur. Ita certè quamdiu est malus humor peccati in conscientia, non debet homo dormire, sed vigilare donec purgata sit conscientia, per medicinam pœnitentiæ, quæ facit sudorem in contritione, minutionem in confessione, scabiẽ in satisfactione, alioquin moritur; & si ista faciat, euadit mortẽ. Apoc.3.
Apoc. *Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant.* Eccl. *Vigilia honestitatis tabefaciet carnes*, id est carnalitates. Secundò inducit ad illud, quo mentis oculi illuminantur, scilicet ad orationem, qua scilicet oculus intellectus aperitur, & aspicit ad verum lumẽ, scilicet Deũ, & ideò dicit *orate, &c.* Eccl.33.

Et primò debet facere illud, quo illuminatur, cùm dicit: *Orate.*

Secundò docet vitare illud, quo obtenebramur, scilicet tentationem, cùm dicit, *Ne intretis in tentationem.*

Dicit ergò primò *orate.* Nota, quando aliquis est in infirmitate

solet

solet procurare orationes, & ad Sãctos mittere oblationes. Sic debet facere qui habet infirmitatẽ peccati. Sed ad hoc quod oratio valeat, oportet quod infirmus pœniteat, aliter nihil valeret. Vnde gladio euaginato pacem à Deo petit, qui cum peccandi proposito Deum sibi reconciliari intendit. Et sicut nihil proficit medicamentũ, si adhuc sit in vulnere ferrum, ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc odiũ remanet

Thre. 3. in pectore. Thren. *Nos inique egimus, iracundiam prouocauimus, idcirco inexorabiles sumus.* Ideò oportet quod oratio fiat in amore Dei aliter esset contrarium, vndè sicut feruor ignis facit ascendere aquam in olla, sic feruor charitatis orationem antè Deum. Et nisi ignis ponatur, incensi fumus non ascendit. Sic nisi ignis charitatis sit in corde, non ascendit oratio. Vndè Dauid. *Dirigatur oratio mea

Ps. 140. sicut incensum in conspectu tuo.* Ec-

Eccli. 3. cli. *Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.* Deindè tangitur illud, quo oculis mentis offuscatur, quod est tentatio; vndè dicit *Ne intretis in tentationem:* & non dicit, vt non tentemini, sed non intretis in tentationem. Nam ille qui videt locum periculosum, non est in periculo, sed ille qui intrat. Sic qui tentatur, non est adhuc in loco periculi, sed quandò intrat tentationem, id est quandò consentit, quia iam habet ibi pedem affectus, & ideò rogat Ecclesia. *Et ne nos inducas in tentationem.* Quando mulier rogatur à ribaldis, & consentit eis, non est fidelis, sic quando anima rogata consentit multis, qui sunt aliquando in bono statu, sed si consurgat tentatio, statim pereunt. *Vndè ad tempus credunt, & in

Lucæ 3. tempore tentationis recedunt*, ait Lu-

Eccl. 44. cas. Et Eccli, *In tentatione inuentus est fidelis*, quia beatus vir qui suffert tentationem. Tertiò cùm dicit: *Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma.*

Primò ponit illud, ex quo vigilantia & solicitudo causatur, cùm dicit: *Spiritus promptus est.*

Secundò vero illud, vndè torpor & negligentia causatur & generatur, scilicet quia *caro infirma.*

¶ Siquidem spiritus promptus est ad vigilandum ad bonum, sicut erat in antiquis Christianis, quia spiritum habebant feruentem & promptum ad bona, hodie habent spiritum tardum & pigrum. Et ratio est, quia homo infirmitate grauatus non est prõtus ad laborandum & operandum, sed homo sanus. Sic etiam spiritus hominis grauatus in infirmitate peccati non est promptus ad laborandum & operandum. Et hoc figuratum est Lu-

cæ, vbi dicitur: *Ecce mulier*, id est Luc. 13

anima, *quæ habebat spiritum infirmitatis*, id est in infirmitate, qua spiritus infirmatur, scilicet peccatum, *& erat inclinata*, quia non poterat se erigere ad benè operãdum, *nec omnino poterat sursum respicere*, ad cælestia contemplandum. Vndè hodiè omnes spiritus videntur pigri, quia omnes infirmati sunt in aliqua infirmitate peccati, ita vt videatur impletum illud Ezechielis: *Infirmabitur om-

nis spiritus.* Sed Spiritus qui est Ezec. 21

sanus per innocentiam, vel benè sanatus per pœnitentiam, est promptus ad opera bona. Et nota, quod non sufficit promptitudo ad volendum tantùm, nisi sit etiam promptitudo ad bonã voluntatem perficiendam. Vndè di-

cit Apostolus Paulus ad Corin- 2.Co.8.

thios *Quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi.*

Secundò in auctoritate inducta tangitur illud, vndè pigre-

do & torpor generatur, scilicet ex infirmitate carnis. Vnde caro est infirma, non ergo est concors societas spiritus & carnis; quia spiritus promptus est, caro autem infirma. Quando vnus homo valens & sapiens, habet tenere societatem vnius vilis & fatui malè accidit, & vadit malè negotium; sed si alius obedit sapienti & valenti, non malè potest sibi accidere, Sic est autem, quia spiritus & caro sunt socij; sed spiritus est nobilissimus & valens, caro autē vilissima: & ideo spiritus est prōtus ad bonum, caro autem prompta ad malum Paulus: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Et ideo si spiritus sequitur carnem, & obedit eius concupiscentiis, malè accidit ei, si autem caro regitur & obedit spiritui, bene erit. Ad Roma. *Si secūdùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et ideo dicit ad eosdem: *Curam carnis ne feceritis in desideriis.*

Galat. 5. Rom. 7. Rom. 13

C SECVNDO, in themate assumpto allegatur ignorantia hominis, cùm dicitur: *Nescitis diem, &c:* Vbi aduertendum, quod ideo homo nescit diem & horā mortis suę quia non potest ex se scire mensuram durationis vitæ suæ; quia cùm mors sit terminus vitæ, si sciret homo mensuram durationis vitæ, sciret etiam diem & horam qua vita sua terminari deberet. Sed quod homo scire non possit mensuram durationis vitæ suæ, patet ex testimonio libri B. Iob, vbi dicitur: *Nescio quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.* In quibus quidem verbis tanguntur duæ causę, quare scilicet homo nescit mensurā durationis vitæ suæ.

Iob 32.

Et prima quidē sumitur ex viuentiū diuersitate, quæ tangitur, cùm dicitur, *nescio quādiu subsistā,*

Secunda sumitur ex Dei potestate, cùm ubditur, *& si post modicum, &c.*

¶ Circa primam attendendū est quod si omnes homines haberēt vniformem durationem vitę, tūc esset possibile scire, quamdiu homo deberet subsistere, sicut dicitur de pisce, qui dicitur ephimerō, quia omnis piscis illius speciei nō viuit nisi 49. horas. Et ideò cito quandò talis piscis natus est, potest statim sciri, quandiu in vita potest subsistere, secundum cursum naturæ suæ. Sed de hominibus manifestè videmus, quod nō habent eandem durationem vitę, quoniam quidam longiori viuunt tempore, & quidam breuiori. Et hoc est, quia quidam moriuntur in ætate puerili; quidam in senili, quidam in virili & quidam in senili, siue accidat hoc ex varietate naturalis complexionis; quia quidam sunt melioris & curabilioris complexionis quam quidam alij, siue ex diuersitate regiminis, quia quidam meliori, & quidam deteriori regimine vtuntur, & ex hoc longiori vel breuiori viuunt tempore, siue accidat ex diuersis casibus & incursibus fortuitis, quibus homines occidunt, & multoties in naturali morte: quę omnia quia diuersis temporibus cōtingunt, & contingere possunt: ideo sicut dicitur in Ecclesiastico, *Nescit homo finem suum*, id est vitæ suæ, nec quantum ad tempus, nec quantum ad modum mortis. Quamuis ergo sciat homo se esse moriturum, & in puluerem rediturum, nescit tamen vtrum viuere vel subsistere debeat vsque cras manè, Et ideò dicit Iob, *In puluere dormiā, & si mane me quæsieris, nō subsistam,* quasi dicat Certus sum quod debeo dormire in puluere, id est mori, & in puluerem redigi, ac si nunc præsentialiter

Eccli. 9. Iob 7.

ter fieret; & tamen nescio si vsque cras manè debeā in hac vita subsistere, quia fortè nocte ista moriar, & si mane me quæsieris non subsistam. Sicut enim accidit illi diuiti, de quo dicitur apud Luc. quod dicebat sibi: *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, &c.* sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues, & ideò de his accidit, sicut de vaporibus, qui cito leuātur, & cito cōsumuntur, & hoc est quod dicitur in Iob: *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent.* Stultum est ergo longa spatia vitæ sibi promittere, & Pœnitentiæ tempus procrastinare. Nam qui pœnitenti veniam promittit, viuēti diem crastinum non spopondit. Secunda causa quare ignorantur ab homine mensura durationis vitæ hominis est ex Dei potestate Quia in potestate Dei est tollere hunc de vita ista, post modicum, vel post multum vitæ suæ tempus; & ideo dicit, *& nescio,* supple, *si post modicū tollat me factor meus,* quasi dicat: Ipse qui fecit me, potest tollere quando vult. Ratio ergo istius ignorantię est, quia non est hominum scire ea, quæ Deus sibi reseruauit, & posuit in sua potestate; vnde ipse Christus discipulis suis dixit; *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate:* Sed tempus & horam quo tollat vnumquemque de vita ista, reseruauit ipse Deus, & posuit in sua potestate; vt sicut dedit spiritum homini viuicantem corpus, ita tollit quando sibi bonum videtur per mortem, & propterea sanctus Iob audita filiorum morte, ait, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, &c.* Et ideò non est hominis scire, quando Deus eum debeat tollere de vita ista per mortem, vtrum scilicet post modicum, vel post multum

Luc. 12. Iob 24. Act. 1. Iob 1.

tempus vitæ, Sed posset fortè alicui videri, quod Deus omnes homines in æquali tempore seu ætate deberet de hac vita tollere Et ratio esse videtur ex eo, quod pœna debet culpæ proportionali, propterea dicitur in Deut. *Secundum mensuram delicti erit & plagarum modus.* Mors autem dicitur esse pœna peccati originalis, Et ideò dicit Apostolus, quod corpus mortuum est propter peccatum: sed peccatum originale omnes homines æqualiter contrahunt, quia omnes à primo homine æqualiter descendunt, de quo etiam Apostolus dicit, quod *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors:* ergò videtur quod omnes æqualiter deberent à Deo subtrahi ex hac vita. Sed ad hoc dicendū est, quod pœna ex peccato potest cōsequi dupliciter. Vno modo sicut taxata, & à iudice constituta, & talis pœna æqualis debet esse in eis, quos æqualiter tangit culpa. Alio modo sicut defectus, qui ex tali pœna per accidens consequitur, sicut si aliquis cęcatus ex sua culpa cadat in via, & talis pœna non proportionatur culpę, nec ab homine nec à iudice pensatur, quia non potest fortuitos euentus congnoscere. Pœna ergo taxata pro primo peccato hominis, proportionabiliter ei respondēs, quo subtractio diuini beneficij, quo rectitudo & integritas humanæ naturæ conseruabatur, & hoc beneficium erat, vt quandiu mēs hominis esset Deo subiecta, inferiores vires animæ subderētur rationali menti, & corpus subderetur animę: sed pœna & defectus cōsequens subtractionē talis beneficij, est mors: & cōsecutę sunt e ii ad hoc alię pęnalitates, ęqualiter esse in his, ad quos ęqualiter pertinet primum peccatum. Verum quia Deus est prę̄scius omniū futuro-

Deut 29. Rom. 5. Rom. 5.

turorum euentum, ex dispensatione diuinæ prouidentiæ fit, vt ipsa mors diuersimodè sit in diuersis, & quod quidã citius moriantur, & tollantur de vita, vel in pœnam paternorum peccatorũ, scilicet quando moriũtur, vel occiduntur pueri, inquantum filius est quædam res patris, vndè frequentes parentes puniuntur in prole, vel punitione peccatorum eius qui moritur, vt quando moriuntur vel occiduntur peccatores adulti; vel in vtilitatẽ aliorũ, vt quando occidũtur vel moriũtur tyranni, vel in ipsorũ qui moriuntur salutem, vt quando moriuntur in bono statu, ne labantur in malum, sicut dicitur Sap.

Sap.4. *Placita erat Deo anima illius, propterea festinauit educere illam, ne malitia immutaret animam illius.* Et quosdam etiam peccatores Deus diutius viuere facit, expectans eos ad pœnitentiã. Et quosdam iustos, ad augmentum meritorum, vel propter aliorum salutem. Vndè Christus Patrem rogans pro discipulis, dixit:

Ioan.17 *Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Sed nota, quod omnis peccator contradicit Deo factori suo per culpam, & qui non subditur ei finaliter per pœnitentiã, tolletur ad pœnam ignis æterni. Propterea dicitur in Isaia:

Isa.45. *Væ qui contradicit factori suo.* Et de tali dicitur apud Prophetam Iob:

Iob 27. *Tollet eum ventus vrens.* Iste ventus est mors subitò veniens, & ad æterni incendij adustionem perducens.

D TERTIO in themate assumpto negatur circumstantia temporis, cùm dicitur: *Diem neque horam*, scilicet nescitis. Vbi notandum, quod aliquando aliquis seruus grauiter offendit Dominum suum, & recedit ab eo, & secedit ad aliquẽ locũ, vbi credit morari securus, aliquãdo Dominus sciẽs vbi ipse sit, venit subitò & latenter super eum, quando ipse non credit. & facit eum capi & ligari, & ad suppliciũ trahi. Sed peccator offendit grauiter Deũ, quandocunque mortaliter peccat, sed tunc recedit à Deo, quando moratur in peccato, & tunc secedit ad mundum, credens se posse securè viuere in diuitiis, & delitiis, vel honoribus mundi. sed subitò venit super eum Deus & capit eũ cum laqueo mortis, & facit eum trahi ad suppliciũ inferni. Et ideo Matth. dicit: *Veniet Dominus serui illius in die quã non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partẽq; eius ponet cũ hypocritis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Mat.24.

In quibus quidem verbis tria facit.

Primò comminatur vindictam, quia *Veniet Dominus*, scilicet contra peccatorem, ad vindicandum offensam.

Secundò describit culpam, quæ est contemptus considerationis diei vel horæ mortis, vel iudicij, & negligentia præparationis. & ideo subdit, *in die qua non sperat, & hora qua ignorat.*

Tertiò determinat pœnã, quia *diuidet eum, &c.*

¶ Dicit ergo primò, *Veniet Dominus serui illius*, Nota si aliquis fuisset alicui furatus aliquid, & Dominus rei veniret ad domum furis, vt quæreret ibi rem suam, si fur suspicaretur de aduentu eius, præueniret, & asportaret furtum de domo sua, & reponeret alibi, vt non inueniretur in domo sua, & caperetur cum eo, & suspenderetur. Sic debet homo eiicere furtũ peccati de domo conscientiæ, & asportare per pœnitentiã & ponere in aure confessoris, vt quando veniet Dominus in morte, nõ inueniatur in domo animę suæ, quæ condẽnetur & rapiatur ad patibulũ inferni, & ita poterit

euadere.

Luc. 12. euadere. Lucæ 21. *Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus eius inuenerit ita facientem, &c.* Sed Gen. 31. quidam faciunt sicut Rachel Genes. 31. quæ veniente patre ad requirendum idola quæ furata fuerat, abscõdit ea, & sedit super illa, vt pater nõ inueniret. Sic sunt quidam peccatores, qui etiã veniente morte volunt occultare Sacerdoti, qui venit ad eos vice Domini furta, vel rapinas vel vsuras vel aliaqualibet peccata, quæ fecerunt, & nolunt ea confiteri purè sicut debent, imo vel non Mat. 24. dicunt se teneri, vel non dicunt totam quantitatem, vel cælant aliquam aliam circunstantiam necessariam, & sic occultant & sedent super ea: quia nolunt surgere per pœnitentiam. Sed licet tales aliquando decipiant Sacerdotem, tamen Dominum non possunt decipere, quia omnia nuda & aperta sunt oculis eius, vndè ipse iudicando eos reuelabit ea, nec poterunt abscondere. Vndè 1. Co. 4. Apostolus primæ Corinth. *Veniet Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestauit consilia cordium.* Sed sancti & prudentes viri sic se præparant ad aduentum Domini, quod quacunque hora dies Domini, id est mortis vel iudicij venerit, semper sint parati, & ideò non condemnabuntur, sed beatificabuntur, secundùm illud Luc. 12. Lucæ 12. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, &c.* Vbi nota, quod tres vigiliæ significant tres ætates hominis principales. Quarum prima est ætas augmenti, secũda est ætas status, quæ dicitur ætas virilis, tertia est ætas declinationis, quę dicitur ætas senilis. In quacunque ergò harum ætatum mors eueniat hominibus, si Dominus euenerit eos vigiles, id est solicitè præparatos saluabuntur, & erunt beati. Secũdò in auctoritate inducta describit culpa hominis, qui contemnit considerare diem mortis, & qui negligit ad horam mortis se præparare, vndè dicit, *In die qua non sperat:* quia hanc considerare contemnit, & ideò subitò ei & ex inspirato superuenit: *Cùm* 1. The. 5. *dixerint pax & securitas: tunc repẽ-* Isai. 30. *tinus eis superueniet interitus,* primæ Thessal. 5. & Isaiæ 30. *Subitò dũ non speratur, veniet cõtritio eius.* Et hoc accidit ex ignorantia & ex stultitia hominis. Ex ignorantia quidẽ, quia sicut dicitur Matt. *De die illa nemo scit,* scilicet determinatè, Matt. 24. quando debeat esse. Et licet hoc dicatur de die generalis iudicij, tamen sub tali die, sicut dicit Beatus Augustinus, comprehenditur etiam dies mortis, quia qualis quisque in die mortis egressus fuerit, tale tunc iudicium habebit, scilicet in extremo iudicio mundi, & ideo quod de illa die dicitur, etiam de die mortis verificatur, quia nec istam diem potest homo scire, etiã senex. Vndè Isaac Genes. 27. *Vides,* inquit, *quod senuerim, & ignorem diẽ mortis meæ.* Gen. 27. Et ex hac ignorantia negligit homo se præparare, & tamẽ deberet fieri contrariũ, quia quãtò est magis ignota, tantò deberet ei esse magis suspecta, & magis solicitè sese præparare ad eam. Et ideò Gregorius dicit, quod idcircò omnipotens Deus extremam diẽ voluit nobis esse ignotam, vt possit semper esse suspecta, vt dum illam præuidere non possumus, ad illã sine intermissione præparemur. Contingit autem hoc quod non fiat, etiam ex magna stultitia quod eo ipso quod homo ignorat, quando dies illa debeat esse, nunquam sperat eam adesse, quia semper putat eam esse adhuc differendam, ita quod etiam quantumcunque infirmus, sperat tamen euadere pro tunc, & ex hoc frequenter accidit, quod non cu-

rat se præparare,&mors ex insperato superuenit, & eum imparatum educit, & diuino iudicio
Mat.24. condemnatur. Vndè Dominus Matt.24. *Sicut fuit in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus Noe ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem in quo introiuit in arcam Noe, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit aduentus filij hominis.* Sic ergò quia venit die, qua non speratur, & hora, qua ignoratur, debemus
Mat.24. semper esse parati, secundùm illud Matth. *Et vos estote parati: quia qua nescitis hora, filius hominis venturus est.* Et tunc si fuerimus parati, intrabimus cum eo ad nuptias cœlestes. Sicut dicitur de virginibus prudentibus, per quas significantur animæ electorum, quod quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, scilicet cœlestis gloriæ.

E Tertiò in auctoritate allegata determinatur pœna: cùm dicitur: *Diuidet eum, &c.* Et tangitur triplex pœna.

Prima erit separatio à consortio bonorum: quia *diuidet eum.*

Secunda erit applicatio ad cōsortium malorum: quia *partē eius ponet cum hypocritis.*

Tertia erit aflictio æternorum suppliciorum: quia *ibi erit fletus & stridor dentium.*

¶ Primò ergò dicit, quod diuidet eum, scilicet à consortio beatorum: quia quādiu zizania sunt in agro, sunt mixta simul cum tritico, sed collecta separātur, vt purum triticum in horreo reponatur. Sic in mūdo viuentes, mixti sunt simul boni cum malis, sed post mortem separantur & diuiduntur, vt boni sint in cœlo, &
Psal.54. mali in inferno. Psalm. *Diuisi sunt ab ira vultus eius:* vel diuidet eum quia animam dabit dæmonibus, corpus vermibus, & diuitias hæredibus, vel aliis hominibus. Luc. Luc.15.
15. *Diuisit illis substantiam.*

¶ Secunda pœna erit aplicatio ad consortium malorum, quia *partem eius ponet cum hypocritis.* Hypocrita enim aliud apparet, & aliud est: apparet bonus, & est malus. Tales sunt mali Christiani, qui inquantum habent fidem & baptismum, & vadunt ad ecclesias, videntur boni: inquantum verò prauè viuunt, sunt mali, & ideò habebunt duplicem pœnā, scilicet quia priuabuntur bonis, & implebuntur malis. Vndè dicitur Matth. *Væ vobis hypocritæ,* Mat.23.
qui similes estis sepulchris dealbatis: quæ à foris parent hominibus speciosa, &c. Psal.62. *Partes vulpiū erunt,* Psal.62.
quæ sunt animalia fraudulenta, & hypocritas repræsentant.

¶ Tertia pœna erit aflictio duplex. Vna ex ardenti calore, quæ designatur in fletu. Alia ex intolerabili frigore, quod signatur in stridore dentium. *Transibunt enim ab aquis niuium ad calorem nimiū.*
Iob 23 Vel stridebunt dentibus Iob 23.
præ ira, & furore interiori, sicut Iudæi præ ira contra Stephanum stridebant dentibus in eum. Actuum 7. Sed flebunt pro tormēto exteriori. Isai.33. *Amarè flebūt.*
Sed è contra de sanctis dicitur, Isai.33.
quod *exaltabunt sancti in gloria.* Ad quam gloriam perducat nos Iesus Christus Dei filius benedictus, qui viuit & regnat cum Deo patre omipotente, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

De remißione peccatorum ante mortem impetranda.

R*Emitte mihi, vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.* Psalm. 38.

Sicut

Sicut homo naturaliter appetit habere bonum, ita & carere malo. Malum autem duplex est, scilicet culpæ & pœnæ. Malum autem culpæ detestabilius est, quã malum pœnæ. Primò quidẽ, quia culpa facit hominem malum, nõ autem pœna. Vndè beatus Dionisius dicit 4.c. de diuinis nominibus quod puniri non est malũ, sed fieri pœna dignum. Deindè, quia à Deo, qui est summum bonum, magis est aliena culpa, quã pena: nam Deus est auctor pœnę, non autem culpę. Item quia Deus inducit malum pœnæ ad vitandũ malum culpæ; siue ab eo qui punitur, siue ab aliis. Malum autem culpæ, quod sperat hominem à Deo, sicut est peccatum mortale, & est in offensam Dei: non potest tolli, nisi remittatur à Deo, qui offensus est. Et remissio talis culpæ non conceditur homini à Deo, nisi in vita ista, scilicet antè mortem. Nam sicut Damascenus dicit, quod fuit Angelis casus, hoc est hominibus mors.

¶ Vndè sicut angeli post casum non recipiunt remissionem peccati, ita nec homines post mortem, licet quædam leuiora peccata post mortem in purgatorio expientur, sed nunquam mortalia. Et ideò hoc attendens Dauid, ex persona hominis in hac vita existentis, & ad mortem tẽdentis, remissionem petebat à Deo, antequam moreretur orans scilicet & dicens: *Remitte mihi vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.*

A In quibus quidem verbis tria facit.

Nam primò postulat beneficium diuinæ pietatis, in miseratione desiderabili: cùm dicit: *Remitte mihi*, scilicet peccata ex tua pietate, & misericordiæ immensitate.

Secundò optat remediũ ignitæ concupiscibilitatis, in mitigatione delectabili: *vt refrigerer*, scilicet à vitiorum æstuositate.

Tertiò formidat iudicium diuinæ æquitatis, in alteratione terribili, scilicet *antequam abeam, & amplius non ero*, scilicet in vera entitate, quæ scilicet est esse cum Deo, vt dicit glossa.

CIRCA primum notandum, quod secundùm iustitiæ ordinẽ, non debet remitti offensa, nisi primò sit facta emenda. Et propterea dicit beatus Augustinus ad Macedonium: *quod non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum*, scilicet quia offensa iniustæ ablationis emendatur, per æqualitatem satisfactionis & restitutionis. Emenda autem quam Deus requirit pro offensis peccatorum nostrorum est pœnitentia, quæ præcipuè manifestatur in veritate & integritate confessionis. Quia vera & humilis confessio necessaria est ad remissionẽ peccati. Et dico necessaria, vel in facto quando fieri potest, vel saltem in proposito, quia licet peccatũ remitti possit in interiori contritione, tenetur tamen contritus habere propositum confitendi, sine quo non fieret remissio. Et hoc ostendit Dauid Psal. 21. dicens: *Dixi*, scilicet in corde, *confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino*, id est habui propositum confitẽdi, & sequitur: *Et tu*, scilicet Deus, *remisisti impietatem peccati mei.* Sed quæres, si remissum est iam peccatum ex cõtritione interiori, & proposito cõfitendi, ad quid valet postea confessio exterius facta scilicet sacerdoti? Dicendum est ad hoc, quod valet primò, vt si contritio fuisset minus sufficiens ex confessione suppleatur. Item quia post culpã remissam adhuc est pecator debitor pœnæ tẽporalis. Sed per confessionem, erubescentiam, & vim clauium, quibus se confitẽs subiicit, & per sa-

tisfa-

tisfactionem iniunctam, quam sacerdos moderatur secundũ qualitatem criminum, sibi per confessionem innotescentium, pœna temporalis expiatur vt sic habeat homo per confessionem, pleniorem remissionem. Et ideò dicitur, 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Deus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* 1. Ioã. 1.

In quibus quidem verbis tria facit B. Ioannes.

Nam primò præsupponit necessitatis remedium, cùm dicit, *si cõfiteamur peccata nostra.*

Secundò inducit securitatis præconium: quia *fidelis & iustus est Deus.*

Tertiò concludit pietatis beneficium, *vt remittat nobis peccata nostra.*

¶ Remediũ ergò, quod est peccatori necessarium ad salutẽ, est pœnitentiæ sacramentum, id est confessio, & ideò dicit: *Si confiteamur peccata nostra.* Et ratio est, sicut dicit Boëtius primo libro de consolatione philosophiæ. Si operam medicantis exspectas, oportet quod vulnus tuum detegas. Ad quod videtur inducere etiam natura non solum homines, sed etiam animalia bruta, sicut patet in vita beati Hieronymi de leone siluestri, qui monasterium ingrediens, læsam à sente plantã ostendit, quam beatus Hieronymus extrahi fecit, & pedem ablui & curari: vndè postea sicut gratus à monasterij obsequio nõ recessit. Est autem de necessitate salutis, quod homo de peccatis ablutionem accipiat ergò & de necessitate salutis est, quod morbum peccati per confessionẽ detegat. Quod testimonio beati Pauli Apostoli, Doctoris gentium egregij, euidenter comprobatur, vbi sic inquit ad Romanos: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ro. 10. Nota quando apostema conuertitur ad exteriora, indicium est ad sanitatem, sed quando conuertitur ad interiora & in eis crepat, signum est mortis corporis. Sic peccatũ absconditum causa est mortis æternæ, conuersum verò exterius, & manifestatum per confessionẽ, specialis sanitatis est indicium. Augustin. *Si vere fueris confessus, sanaberis.* August. Prou. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & relinquerit ea, misericordiam consequetur.* Prou. 28.

Secundò ponit securitatis præconium, quia scilicet commendat Deum de eo, quod valet ad securitatem pœnitentis, in eo quod est fidelis, scilicet in seruãdo promissa Et hoc facit ad securitatẽ pœnitentis, cui scilicet ipse Deus veniam promittit Ezechielis 17. dicens: *Cùm auerterit se impius ab impietate sua quã operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, & ipse animã suam viuificabit. Considerans enim & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet & non morietur.* B / Ezec. 17. Quia ergò Deus qui hoc promisit fidelis est, & displicet ei infidelis & stulta promissio, non est dubiũ quin hoc adimplet, & seruat quod promittit. Sed sicut ipse est fidelis in seruando promissa pœnitẽtibus, sic etiam iustus in inferendo supplicia contemnentibus, vndè de ipso dicitur in Deuteron. *Deus fidelis & absque vlla iniquitate iustus & rectus.* Deut. 33. Et exponitur quod est fidelis in promissa reddendo, & absque vlla iniquitate, scilicet iudicando, iustus in retribuendo, & rectus in orationem exigẽdo. Est primò fidelis, id est verax in seruando promissa. Deus enim multis multa promittit. Nã promittit pœnitentibus veniam. Hieremiæ 18. Repente loquor aduersus gentem, & aduersus regnum, vt Hier. 18.

eradicem,& destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiā egerit gēs illa à malo suo, propter quod locutus sum aduersus eam,agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. Et loquitur more hominum, qui quando pœnitent, reuocant, vel non implent quod comminati sunt. Vndè aduerte,quod prophetia comminationis non semper impletur, sed prophetia promissionis semper. Quia Deus pronior est ad miserandum,quàm ad vindicandum. Nec tamen sequitur quod talis prophetia falsa sit,quāuis non eueniat,quia in tali prophetia Deus reuelat Prophetæ solum illud,quod peccatoribus debetur secundùm merita sua, sed aliquando non reuelat ei illud, quod debet contingere postea, scilicet quod debeat pœnitere,& secundùm merita mutari.Et ideò quando Deus loquitur per Prophetam aduersus aliquam gentē, quod disperdet eam, intelligitur quod merita eius hoc exigunt,vt disperdat eam,& hoc nō est tunc falsum sed verum. Quod eis pœnitentibus Deus dicitur pœnitere,dictū est metaphoricè,inquantum ad modum pœnitētis se habet,prout scilicet mutat sententiam, etsi non mutet consilium. Item promittit Deus innocentibus supernam gloriam,dicens per

Psal. 23. Prophetam Dauid Psalm.23. *Quis ascendet in monte Domini,aut quis stabit,&c.* Et postea subdit: *Innocēs manibus,& mundo corde.* Item perseuerantibus salutem æternam,

Matt. 10 dicens Matthæi 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Item eleemosynam facientibus

Matt. 19 cœlestium diuitiarum abundantiam,dicens Matthæi 19. *Da pauperibus,& habebis thesaurū in cœlo.* Omnia autem ista & quæcunque alia bona Deus promittit, fideliter & infallibiliter tribuit, quia sicut in Psam. dicitur: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis,* Ps. 144. scilicet promissionis, prout exponit glossa: quia omnia quæ promittit,fideliter reddit. Sed homines vt plurimum infideles sunt,quia non tantum, quæ promiserunt hominibus,non exolunt:imò nec ea,quæ Deo vouerunt,aliquando ei reddunt. Et ideò dicitur in Prou. 20

Prou. *Virum autem fidelem quis inueniet?* Hoc dicit, quia rarò inuenitur, saltem qui seruet pactum Deo in baptismo promissum,scilicet renunciare diabolo & pompis eius.

¶ Secundò dicitur Deus esse absque vlla iniquitate in iudicādo. Frequenter iudicium humanum est iniquum,quia iudices,in iudicando,sunt acceptores personarum, siue faciunt hoc propter amicitiam,aut inimicitiam; siue propter munera,siue propter aliā causam.Et talis dicitur iudex iniquitatis,secundùm illud Luc.18. Luc. 18.

Et audite quid iudex iniquitatis dicit. Et dicitur iniquitatis, id est inæqualitatis, quia scilicet inter partes non seruat ęqualitatē iustitiæ.Et ideò dicitur in Prouerb. Prou. 18

Accipere personā viri in iudicio nō est bonum,vt declines à veritate iudicij. Et ratio est,quia cōtingit de iudicio iudicium, sicut videmus in iudicio sensuum.Quamdiu enim sensus est media proportio sensibilium,& non afficitur secūdum alterum contrariorum, dat rectum iudicium sensibilibus,vt quamdiu lingua non est infecta aliquo humore, dat rectum iudicium, & iudicat amarum amarū, & dulce dulce, si verò inficiatur cholera vel phlegmate,tunc quasi non existens in medio, sed contracta ad aliud contrarium, peruersè iudicat, dicens dulce esse amarum,& è conuersò. Sic iudex debet esse in medio inter litigantes, & non declinans ad alteram

partem,& tunc quasi regula recta dicet iustum iustum, & iniustum iniustum esse. Si verò ad alteram parté declinet, per misericordiã & amicitiam,ab altera verò recedat per iram & odium,quasi tortuosa regula dat peruersum iudicium,dicens iniustum iustum esse,& hoc est iniquitas, id est inæqualitas.Et ideò Philosophus dicit in tertio Ethicorũ.Quod non oportet iudicem prouocare ad iram;aut timorem,aut inimicitiã, quia hoc esset simile,ac si regulã, qua homo debet vti,faceret distortam. Sed Deus semper iudicat sine personarum acceptione,quia non est personarum acceptio apud Deum, vt dicitur Rom. 2. & idcirco in ipsius iudicio nulla vnquam inuenitur iniquitas. Et ideò dicitur in Ps. *Quoniam rectus Dominus Deus noster,& non est iniquitas in eo.* Et ideò in ipsius iudicio non habebit plus locum diues,quam pauper. Nec erunt ibi necessarij aduocati, vel procuratores,sed ipse solus iudex vnumquemq; secundũ merita iudicabit.Ps. *Iudicabit orbẽ terræ in æquitate,& populos in veritate sua.* Tertiò Deus dicitur esse iustus,scilicet in retribuendo, sicut dicit glossa,reddens scilicet bonis bona,& malis mala. Nunc enim in foro mundi frequenter accidunt & bonis mala,& malis bona, secundùm illud Ecclesiast. *Sunt iusti,quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorũ, & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant.* Non tamen etiam hoc Deus, cum semper iustus sit, sine ratione permittit,quia mala quæ patiuntur hic iusti, semper ordinat ad eorum profectum. Primò quidem vt eis valeant ad eorum purgationem. Nam sicut dicit Bernardus. Quod lima ferro, quod fornax auro, quod flagellũ grano, hoc facit tribulatio viro

Psal.91.

Psal.95.

Eccl. 8.

Bernar.

iusto: scilicet quia purgat ipsum à peccatis, vel ab amore mundi,à quo separat eius mentem. Item ad eorum eruditionem. Vndè Augustinus 3. de trinitate. *Oportet hic erudire flagellis, vt cognoscamus superna.* Item ad tentationum exclusionem. Vndè Gregorius 33. moralium: Si sancti quieti in trãquillitate persisterent; tentationes aduersarias ferre non valentes, prostrati mentis vulneribus iacerent. Sic ergò medicina interius curat,vnde exterius sauciat. Ergò quod iusti hic affliguntur, est ex magna Dei dispensatione; quod autem mali hic prosperantur, est ex misericordia & benignitate Dei,qui impios prosperari permittit in patientiæ suæ ostensionem,& ad eorum ad pœnitentiam attraxionem: sed si hoc non fiat,erit ad maiorem eorum damnationem. Vndè Gregorius dicit in 6.moralium: Eò atrocius in tormentis obruetur, quó in peccatis eleuatur,quia qui honoratur in via,in peruentione damnabitur. Sic ergò est nunc in foro mundi, dum est tempus misericordię,sed quando erit forus Dei, erit tempus iustitiæ,secundùm illud Psalm. *Cum accepero tempus,ego iustitias iudicabo.* Et dicit iustitias in plurali, quia vna iustitia erit reddere bonis tantùm bona, alia verò erit reddere malis tantùm mala. Matth.25. *Ibunt hi,* scilicet mali, *in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Et hoc ideò:quia vt dicitur Psalm.10. *Iustus Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Quartò Dominus erit rectus in rationem exigendo. Legitur quod in arca Dei erant manna & virga. Manna habebat dulcedinem, & virga rectitudinem. Et sic Deus est dulcis per misericordiã, peccata remittendo, & rectus per iustitiam rationem ab hominibus exigendo

August.

Greg.

Psal. 74

Mat.25.

Psal.10.

Psal. 24. do. Psalm. 24. *Dulcis & rectus Dominus.*

C Tertiò in auctoritate inducta concluditur pietatis beneficium, cùm dicitur, *vt remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate.* Vbi aduertendũ, quod peccata, sicut tribus modis fiunt, scilicet corde, ore, & opere, sic sunt tres partes pœnitentiæ, quibus peccata & iniquitates nostræ expiantur, scilicet contritio, per quam peccata remittuntur, & confessio, per quam peccata teguntur, quia si tu in confessione detegis, Deus tegit. Item satisfactio, per quam fit vt peccata ad pœnam non imputentur. Vndè
Psal. 31. in Psalm. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, scilicet per contritionem: *Et quorum tecta sunt peccata* per confessionem: *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*, per satisfactionem.

D SECVNDO in proposito themate optatur remedium ignitæ concupiscibilitatis, scilicet in mitigatione delectabili, cum dicit, *Vt refrigerer*, scilicet ab æstu vitiorum, quibus scilicet concupiscentia inflammatur, sicut folles faciunt ardere ignem, sed istũ ardorem habet refrigerare ros di-
Eccl. 18. uinæ gratiæ. Vndè Ecclesiast. 18. *Nonne ardorem refrigerabit ros?*

In quibus quidem verbis possumus notare tria.

Primò culpæ insatiabilitatem in ardore.

Secundò animæ suauitatem in refrigeratione.

Tertiò gratiæ vtilitatem in rore.

¶ De ardore autem sciendum, quod sicut nos videmus, quod calefacta carne ab ardore febrili, sequitur aliquãdo sitis insatiabilis, sic calefacta anima ex ardore vitiorum, sequitur appetitus insa-
Pro. 31. tiabilis: Prouerbiorum 13. *Venter impiorũ insatiabilis.* Sic accidit de auaro, qui non satiatur de pecuniis. Sic accidit de superbo, qui non satiatur de honoribus & dominiis. Sic accidit de luxurioso, qui non satiatur de delectationibus carnis. Narrat Iuenalis Satyra 6. de Messalina vxore Claudij Imperatoris, quod tãtæ libidinis fuit, vt in prostibulis peccaret clam, postea publicè omnibus se exponeret, non satiata sed lassata recedens. Vndè sicut ignis semper crescit ex appositione lignorum, sic appetitus malus ex actibus vitiorum. Ecclesiast. 23. *Anima calida quasi ignis ardens.* De refrige- Eccl. 23.
rio autem notandum, quod sicut remoto igne, vel extincto refrigeratur aër circumstans, sic extincto peccato, vel sublato per pœnitentiã, refrigeratur anima. Nota, quod quãdo aliquis comedit cibum noxium, vel contrariũ stomacho, stomachus cruciatur, & æstuat & angustiatur, donec euomat ipsum, sed illo euomito, refrigeratur & liberatur. Quasi cibus noxius & contrarius conscientiæ est peccatum. Nam quãdiu manet in conscientia, cruciat cor ex remorsu, & facit æstuare inflammando concupiscentiam, & ex vtroque sequitur angustia, sed si euomatur, & eiiciatur peccatum per pœnitentiam, tunc cessat ardor malæ concupiscentiæ & conscientia, & anima tota refrigeratur, & ideò dicitur Eccl. 31. *Surge de medio & euome illud, & refri-* Eccl. 31.
gerabit te: scilicet à peccato per pœnitentiam, *de medio:* id est corde eiiciendo peccatum per contritionem, *& euome illud* per confessionẽ, *& refrigerabit te* propter peccati remissionẽ, & concupiscentiæ sedationem. De rore autẽ gratiæ est notandũ, quod licet in nobis nõ totaliter extinguat ardorẽ formitis, tamẽ multũ restringit & mitigat ipsum Eccl. 43. *Ros obuians* Eccl. 43.

obuians ab ardore venienti, scilicet à formite, *humilem efficit eum.* Valet etiam iste ros gratiæ contra ardorem tentationum, & contra feruorem tribulationum. Quod figuratur Daniel 3 in pueris missis in fornacem Babylonicam, vbi angelus fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Et sicut superata fuit flamma, quod illos omnino non tetigit ignis, nec quicquam molestiæ intulit: Sic habentibus refrigerium roris diuinæ gratiæ, non nocet ignis tribulationis, aut tentationis. Iste est etiam ros, qui in terra carnis nostræ facit germinare lilium munditiæ & castitatis. Oseæ 14.
Ose. 14. *Ero quasi ros, & Israel germinabit sicut lilium.*

E TERTIO in themate proposito ostendit Propheta, se formidare iudicium diuinæ æquitatis in alteratione terribili, cùm dicit: *Priusquam abeam, & amplius nō ero.* Vbi tangit duo terribilia.

Primum est in separatione à mundo per mortem, vndè dicit, *priusquam abeam,* scilicet de mundo per mortem.

Aliud est in separatione à Deo per æternam damnationem, vndè addit: *& amplius non ero,* glossa, scilicet in vero esse cum Deo.

¶ Circa primū nota, quod mors compellit animam abire à corpore, & compellit abire à mūdo, & istud est valdè amarum ei, qui totum affectum suum posuit in rebus mundanis, de quibus nihil secum portare potest. Et quia anima eius diligebat nimio amore delectationis, & commoda corporis sui, ideò quādo compellitur abire & corpus deserere, est ei magna amaritudo & indignatio, ita
Ezec. 3. vt possit dicere illud Ezech. *Abij amarus in indignatione spiritus mei*
Eccl. 41 Eccli. *O mors quàm amara est memoria tua homini diuiti, & pacem habenti in diuitijs suis.* Notandum quod ille qui habet exire de terra sua, & habet facere longissimā viam, nec sperat se citò rediturū, si habet satis de pecunia quā possit portare secum, & facere sibi magnas expensas, & habere commoda sua, talis exit securus. Sed si esset pauper, & nō haberet pecuniam, quam posset portare secum, tunc iret tristis & inuitus, quia sciret quod quocūque ibit, malè recipietur, & magna etiam & multa incommoda patietur. Sic ille qui abit de domo, & de corpore per mortē, habet facere certè longā viam siue debeat ire superius ad cœlum, siue inferius ad infernum, aut ad commune purgatorium. Pecuniæ autē quas potest secum portare, sunt merita operum quæ fecit; & si fuerūt bona opera, sunt sicut monetæ bonæ, quæ benè recipientur, & bonum forum inueniet. Sed si nihil boni fecit, aut benè facta peccando consumpsit, tunc est sicut miser & pauper, qui vbique & ab omnibus malè recipietur, & à Deo iudicante, & Angelo bono contra eum testificante, & à dæmonibus, qui trahent eū ad hospitium inferni. Vndè dicitur in Prou. *Abijt via longissima, sacculū pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus.* Prou.

In quibus quidem verbis possumus considerare tria.

Primò distantiam terminorum, quia *abijt via longissima.*

Secundò abundantiam meritorum, quia *sacculum pecuniæ secū tulit.*

Tertiò resurrectionem futuram mortuorum, quia *in die plenæ lunæ, &c.*

¶ Circa primum notandū, quod ille qui moritur, dicitur abire viā longissimam, quia magna distantia est eorū, qui sunt in hac vita, ad eos qui sunt in alia. Et illa distantia attenditur dupliciter. Secun-

cundùm locum, scilicet, & secundùm statum. Secundùm locum: quia finalis locus bonorum est in cælo supremo, quod est empyreum, & à loco terræ, in quo habitant mortales, vsque ad illum locum Beatorum, maxima est distantia. Nam sicut dicit Alfraganus decis. 12. libri sui: A terra vsque ad cælum stellatū sunt 100. milia 99. millia, & 37. miliaria. Quantum autem sit ab inde vsque ad cælum empyreum, vbi sunt Sancti, sicut nō est nobis visibile, secundùm illud Eccli. *Altitudinem cæli quis dimensus est?* Eccl. 1. Credibile tamen est quod sit altitudo maxima, cùm etiam supra cælum stellatum ponatur à Doctoribus etiam cælum aqueum, siue crystallinum. Et ideò figuraliter dictum est Heliæ: *Grandis tibi restat via.* 3.Re. 19 Si autem vadit, qui moritur, ad infernum, adhuc est distantia magna etiam localis; quia communiter à Doctoribus infernus dicitur esse in medio terræ, id est infra terram, in centro eius, vel circa, quia ille est infimus locus, & maximè à cęlo remotus, & ideò congruens peccatoribus, qui infima dilexerunt, & cælestia spreuerūt. Distantia autē à superficie terræ vsque ad cētrū terræ ėst dimidium diametri terræ quantitas autē totius diametri terræ, vt dicit idem Alfraganus, sunt sex millia & quingenta miliaria ferè, cuius medietas sunt tria millia, ducēta quinquaginta milliaria ferè; & sic nō est modica distantia à superficie terræ vsque ad profundū inferni. Sed valdè mirabile est, quod quāuis sit tam magna distantia ab hinc ad profundū inferni, tantum tamen est pōdus peccati, quod peccatores miseri cū hinc exeunt, sicut dicitur apud Iob. *In puncto ad inferna descendunt.* Iob 21. Secūdò attenditur magna distantia eorum, qui sunt hic, ad eos qui sunt in alia vita, quantum ad statum; quia iste est status mortalitatis & temporalitatis, ille autem est status æternitatis; quorum est tanta distantia, vt ferè non sit comparatio, propterea non immeritò qui hinc exit, & illuc vadit, dicitur ire in longinquum. Quod figuratum est in illo, de quò dicitur: *Homo quidam nobilis abijt in regione longinquā.* Luc. 19. Iste nobilis homo est ipsa anima, quæ ab Apostolo dicitur homo interior, qui nobilitatem habet, cùm sit de genere Dei, qui vadit ad regionem longinquam, cùm vadit ad aliam vitam, quæ scilicet per differentiā plurimum longè est à vita ista.

¶ Secundò notatur in auctoritate allegata, abundantia meritorum, cùm dicitur, *sacculum pecuniæ secū tulit.* Sacculus iste pecuniæ est congregatio meritorum, quæ quis ex operibus suis collegit, & præcipuè de eleemosynis datis, quia dicitur in Ecclesiast. quod *eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso.* Eccli. 29 Sed auaro, qui dare eleemosynas noluit, & multò magis vsurario, qui non solum sua non dedit, sed de laboribus pauperum potiùs pecunias exegit, & diuitias congregauit, dicetur illud Actuum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Act. 8. Tertiò notatur in prædicta auctoritate resurrectio mortuorum, cùm dicitur, *in die plenæ lunæ reuersurus.* Luna est Ecclesia, quæ tunc erit plena, quando completus erit numerus electorum tunc enim erit, vt dicitur in Ecclesiastico: *Quasi luna plena in diebus suis,* Eccli. 50 & in diebus lunæ plenæ erit dies resurrectionis ad iudicium: tunc enim dies pleni inueniuntur in eis, & tunc reuersurus est quilibet cum anima, & quilibet suum corpus resumet, licèt immediatè, & resurget quilibet in mundo isto, vbi iudicium

Dan.13. fiet. Iuxta illud Dan. *Reuertimini*
F *ad iudicium*

Secundò in vltima parte thematis ostendit Propheta se formidare damnationem æternam in separatione à Deo, cùm dicit, & *amplius non ero*: quia, vt dictũ est, glossa exponit *non ero*, scilicet in vero esse cum Deo. Nam damnati, licet subsistant in esse naturæ, illud tamen est cum tanta mise-
Gregor. ria, quod, sicut dicit beatus Gregorius superHiere. *melius esset eis non esse.* Vnde quia carent vero & beato esse scilicet Deo in gloria,
Ps. 139. dicuntur non subsistere, secundùm illud Psal. *In ignẽ deiicies eos, & in miseriis non subsistent.* Vnde
Prou.11 etiam dicitur Prouerb. *Verte impios & non erunt*, scilicet cum San-
Apo. 12 ctis in cęlo. Apo *Non est inuentus locus eorum amplius in cælo*: nec etiam cum viuentibus hic in mũ-
Psal. 36. do Dauid: *Vidi impium superexaltatum & eleuatũ sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat: & quæsiui: & no est inuentus locus eius*, scilicet, quia nõ est cum hominibus in mũdo, sed cum dæmonibus in inferno, exclusus in æternũ à loco glorioso, in quo sunt Sancti in ęterna beatitudine. Ad quam nos perducat Deus, &c.

SERMO VI.

De vili & misera conditione hominis viuentis & morientis.

C*Omparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri*, Iob.30.

Deus condidit aliquam naturã purè spiritualem, scilicet naturam angelicam; & aliquam purè corporalem, vt naturam elementorum & mineralium corporum: & aliquàm ex vtroque compositam, scilicet ex substantia spirituali & corporali, & ista est natura humana, quæ licet ex parte naturę spiritualis, id est animæ, habeat nobilitatem: ex parte tamen materię corporalis habet quandam ignobilitatem, & hoc præfigurauit illa
Dan. 2 statua quam somniauit Nabuchodonosor, quę superius erat aurea, & inferius erat lutea. Sic enim homo habet nobilitatem auri ex parte mẽtis, sed vilitatem luti ex parte corporis. Et ex hac parte B. Iob miseriam & vilitatem hominis, in persona sumet, tripliciter describit, scilicet quantũ ad principium, & quantum ad medium, & quantum ad terminum.

Primum accipitur à prima corporis formatione, & hoc describit, cùm dicit, *Comparatus sum luto*, quia corpus primi hominis de luto formatum est Genes.
Gen. 2 *Formauit Deus hominem de limo terræ.*

Medium verò accipitur in vitæ duratione, & hoc describit, cum dicit. *assimilatus sum fauillæ.*

Terminus attenditur in corporis resolutione, & hanc describit, cùm addit, *& cineri.*

A CIRCA primum attendendum est, quod omne quod generatur, vel formatur ex aliqua materia, sequitur naturam & proprietates ipsius materiæ suę, vndè quod natũ est ex carne, caro est & qui de terra est, de terra loquitur. Et sic quod factum est de luto, luto comparatur, scilicet ipsum corpus humanum Vndè Iob:
Iob 10 *Memento quæso quod sicut lutum feceris me.* Et dicitur homo ex parte corporis esse sicut lutum, quia lutum habet coinquinare. Nam pes vel vestis hominis, adhærendo luto, coinquinatur & immunditiam contrahit; sic anima ex vnione ad corpus coinquinatur & inficitur originali peccato. Et similiter quando pes animę adhæret luto corporis, vt velit sequi desideria carnis, totã profe-

ctò vita hominis efficitur immũda & vilis. Vndè de huiusmodi homine dicitur Sapient. *Vilior luto vita eius.* Sap. 15. Et dicitur vita luxuriosi, qui sequitur desideria carnis, esse vilior luto; quia licet lutum dicatur vile & impurum, tamen non ingerit aspectui hominum pudorem vel horrorem Sed impuritas & corruptio luxuriosi, pudorosa est, & fœtida, & horrẽda, & ideo latibulum quærit, & hominum abhorret aspectum. Itẽ lutum habet aggrauare, quia lutum graue est. Fit enim lutum ex mixtione aquæ & terræ, quę sunt grauiora elementa, in hoc corpus assimilatur luto, quia vt dicit Sap. Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Et quanto plus ipsa anima voluptatibus ipsius corporis delectatur, tanto maiori sarcina vitiorum & peccatorum grauatur. Vndè propheta Abacuc: Abac. 2. *Vsquequo aggrauatur contra se densum lutum?* Item lutum habet debilitare, quia vas quod ex luto fit, propter ipsius luti mollitiem & passibilitatem, est vas debile, & de facili frangibile. Et ita est corpus humanum, quia valdè frangibile & passibile est, & de facili per mortem frangibile, & ideò significatur per illud vas luteum, de quo dicitur Hierem. Hier. 18 *Dissipatum est vas quod ipse faciebat ex luto.*

B In quibus quidem verbis de vase humani corporis tria singulariter tangit, scilicet ipsius fragilitatem vtilitatem & vilitatem.

Siquidem primo ipsius fragilitas ostenditur ex mortis violentia, quia *Dissipatum est.*

Secundò ipsius vtilitas ex virtutis continentia; quia *vas* non solum animæ, sed etiam Dei.

Tertio ipsius vilitatem ostendit primordialis materia, quod fecerat *ex luto*, scilicet ipse Deus.

¶ Circa primum aduertendũ est, quod in hoc ostenditur homo esse omni vase fictili seu luto fragilior, quia vas fictile, nisi percuteretur aut caderet, per se non frangeretur, neque dissiparetur, & per longissima sæculorũ tempora solidũ permaneret; sed vas humani corporis per se ipsum & in breui corrumpitur & consumitur. In hoc tamen corpus humanum vasi luto cõparatur, quia vas fictile duobus modis consueuit cõfringi & dissipari. Vno modo ex casu, puta si ab aliquo impellatur, seu cadere dimittatur, sicut etiam vas corporis nostri ex impulsu tentationis, & diaboli, & casu hominis primi in peccatum confringitur & dissipatur per mortis corruptionẽ, Rom. 8. & ideo Apostolus ait, quód corpus propter peccatum mortuũ est. Nam ex peccato primi parentis omnes alii sunt infecti, & ex infectione hac corruunt in diuersa peccata, & omnes confringuntur & dissipantur per mortem. Iob 4. Iob: *Catuli leonis dissipati sunt:* quasi enim leo fuit primus homo, de quo dicit Psalmista: Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.* Sicut leo dicitur esse vt rex bestiarum, cuius catuli sunt omnes homines ab eo descendẽtes, quia ex eius peccato omnes dissipãtur per morem. Secundo vas fictile confringitur & dissipatur ex alicuius percussionis ictu. Et sic etiã aliquando ex leui percusione & ictu corpus humanum occiditur. Dicuntur etiam infirmitates pestilentiales, & casus mali qui hominibus eueniunt, esse quædam percusiones & flagella Dei, quibus scilicet vasa hominum, id est corpora confringuntur per mortem: quia licet talia nobis videãtur casualia, à Deo tamẽ sunt prę uisa & ordinata, quia sicut dicit Amos 3. Amos: *Si erit malum in ciuitate,*

quod Dominus non fecerit. Hoc enim intelligitur nō de malo culpæ, sed pœnæ, quæ modis variis à Deo infligitur, ad dissipandum vas corporis nostri. Et ideò dici-
Isa. 24. tur in Isaia: *Ecce Dominus dissipabit terram,* id est corpus hominis de terra formatum. Confringuntur etiam aliquando vasa, ex collisione vnius ad alterum. Et tunc vnum vas collidit, & cōfringit, & dissipat aliud; quando vnus homo alium percutit vel occidit. Lucas: *Elidit & dissipat eum.* Mo-
Lucæ 9. net Sapiens, id est Ecclesiasticus, quod pauper & impotens caueat sibi, ne habeat aliquid commune vel aliquid ad diuidendum cum homine diuite & potente, quia si vellet litigare cum eo, vel non consentire in eo quod vellet, nihil aliud assequeretur; nisi quod opprimeretur ab eo. & confringeretur, sicut si cacabus debilis & paruus collideret se cū olla magna & forti, & contingeretur ab
Eccl. 13. ea. Vndè Eccli. *Ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam, quandò enim se colluserint, confringetur,* scilicet cacabus. id est pauper. & minor, à ditiore & maiore. Secundò agitur in auctoritate allegata de corporis vilitate, quæ innuitur in similitudine vasis, cùm dicitur *vas.* Licèt enim sit vas fictile, contentiuum tamē est thesauri pretiosi, scilicet virtutis continentiæ seu virginitatis. Nota, si aliquis haberet pretiosissimum liquorem balsami in vase fictili & debili multùm diligenter custodiret illud vas, ne fortè frangeretur, & liquor effunderetur. Nullum balsamū est pretiosius & Deo odorabilius, quā virtutis continentiæ virtus, quia nō digna ponderatio animæ continentis. Sed sicut Apostolus dicit,
1. Cor. 4 *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus,* id est in fragilibus corporibus, & ideò debemus ipsum vas corporis nostri omni diligentia custodire, ne corrūpatur per luxuriæ vitium & perdatur continentiæ thesaurus. Nota quamdiu vas immundum est, reputatur omninò inutile. quia nullus vult ibi ponere aliquid vtile, sed quando benè mundum est, tunc est vtile & aptum ad continendum omne pretiosum. Sic quamdiu homo vas corporis sui tenet immundum, & fœdum in peccatis carnalibus, nō est vtile ad aliquid meriti locandum; quia nec ieiunia, nec peregrinationes, nec alia, quæ per corpus facit, prosunt ei ad meritum vitæ æternæ. Sed quādo aliquis habet vas corporis mundum, per continentiam, & vas cordis sanctificatum per munditiam: tunc est vtile ad omne opus bonum, quia quicquid boni facit, valet ei. Et hoc est quod Apostolus ad Tim. ait:
Si quis emendauerit se ab his, scilicet peccatis, *erit vas in honorē sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum.* 2. Ti.

C

Tertiò agitur in auctoritate allegata de corporis humani vilitate, quam ostendit primordialis materia, de qua corpus fuit formatum. quia de luto. Et ideò dicit, *quod fecerat,* scilicet Deus, *de luto,* quod scilicet est materia vilis. Licèt enim corpus hominis sit ex quatuor elementis compositum, scilicet ex igne, aëre, aqua & terra. & apparet virtus ignis in corde & stomachi calore, & virtus aëris in respiratione, quia propter connaturalitatem aëris ad naturam cordis indiget aëris attractione & respiratione, & est virtus aquæ in corporis humiditate & fluxibilitate: tamen magis apparet terræ proprietas, ariditas in ossibus, grauitas in membris omnibus, & grossities in ipsa corpulentia eius. Et sic Deus in cōpositione corporis humani mu l-

tum posuit de luto siue terra , & parum respectiuè de ceteris elementis. Parum ergò posuit de igne, vt homo parum inflammaretur igne iræ, vel auaritiæ, vel carnalis concupiscentiæ, & tamen videntur aliqui, quasi esse facti de igne: quia sūt in talibus vitiis nimium inflammati. Et propterea dicit Ioan. in sua canō. quod
1.Ioa. 5. *totus mundus in maligno positus est*, id est in malo igne dictorum vitiorum. Item parum posuit ibi de aëre, vt homo parum haberet de elatione superbiæ; tamen videntur quidam totaliter esse aërei, id est elati & superbi, & isti quasi pascuntur vento vanitatis, secun-
Oseæ 12 dùm illud Oseæ, *Effraim pascit ventum.* Item parum posuit de aqua, quæ mollis & instabilis est, vt homo parum habeat de mollitate inconstantiæ, & tamen aliqui videntur de aqua facti, quia leuitate nimia agitantur Iob: *Le-*
Iob 24. *uis est super faciem aquæ.* Multum autem in compositione humani corporis posuit Deus de luto, id est elemento terræ; quia terra est elementum frigidum & infimū, & firmū, vt homo habeat frigiditatem contra ardorem iracundiæ & auaritiæ, & carnalis concupiscentiæ. Item inferioritatem cōtra tumorem superbiæ, & firmitatem contra leuitatem incōstantiæ. Sicut ergò quamuis homo ex parte animæ habeat similitudinem Dei, ex parte tamen corporis, ad sui eruditionem & humiliationem, habet similitudinem luti. Vndè debet dicere homo illud Isaiæ Prophetæ: *Nunc*
Isa. 64. *Domine Pater noster es tu, nos verè lutum.*

D SECVNDO in themate assumpto notatur miseria humanæ vitæ, quantum ad medium, quòd scilicet attenditur in vitæ duratione, quæ notatur cùm dicitur, *assimilatus sum fauillæ.* Nam fauilla, sicut dicit Isidorus, est cinis modicus ex instinctione scintillantis materiæ derelictus. Vndè sicut talis materia modica est, & talis fauilla citò tollitur à vento, vel turbine: ita modica est vita hominis. & citò tollitur à morte. Iob. 21
Vndè dicitur de hominibus apud Iob. *Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo* S. Tho.
dispergit. In quibus quidem verbis secundùm expositionem sancti Thomæ, notatur duplex humanæ vitæ fragilitas. Vna quantum ad vitam corporalem, quæ non potest resistere aduersitatibus: sicut nec paleæ, propter sui leuitatem, possunt resistere vento, & ideo dicit, *Erunt sicut paleæ ante faciem venti.* Et hoc accidit propter duo. Aliquando quidem propter aduersitatis magnitudinem, seu multitudinem, quæ aliquando sunt tot, vel tam magnæ, quod tollunt & extinguunt etiam vitam hominis corporalē, secundùm illud Iob: *Tollet eum* Iob. 27.
ventus vrens, id est aduersitas & afflictio, vehemens. Quandoque verò procedit hoc propter malā hominis dispositionem: quia aliqui sunt ita malè dispositi, quod aduersitates tollunt eis etiam vitam spiritualem, vel æternam, quia non portant eas patienter, propter iracundiā vel impatien- Iob 4.
tiam & desperationem. Sanctus Iob: *Venit super te plaga, & defecisti.* Et nota, quod palea, id est malorum vita, quemadmodum paleæ, sicca est, carens humore deuotionis, & vi ignitæ charitatis, & leuis etiam, carens omni pondere virtutis. Hic in mundo vento aduersitatis concutitur, sed in inferno extinguibili igne exuritur, secundùm illud Euangelistæ Matth. *Congregabit* Matt. 13
triticum, id est bonos, *in horreum suum*, scilicet cœli, *paleas autem*, id est malos, *comburet igne in-*

ne inextinguibili. Secundò fragilitas humanæ vitæ attenditur in auctoritate inducta, quantum ad vitam spiritualem, quæ scilicet tam debilis est, quod non potest de se resistere tentationibus, sicut nec etiam fauilla potest resistere turbini. Vnde ait, *tanquam fauilla, quam turbo dispergit.* Vbi primò attende spiritualis vitę hominis debilitatem in fauilla, & expugnabilitatem in turbine, diuisibilitatem in dispersione. Quātum ad primum, nos videmus quod inter omnes fauillas, pręcipuè fauilla stupæ adustæ est debilis & vilis, quia nec vento resistere potest, nec ad vsum alicuius operis valet. Et talis est fortitudo hominis circa spiritualia, quia nec homo de se, sine gratiæ Dei auxilio, est potens ad resistendum malo nec ad bonum faciendum sufficiens. Et si ille est qui sine gratia interdum aliquod opus facit, quod videatur bonum, erit quidem apparenter bonum apud homines, sed apud Deum nihil erit, cùm nihil mereatur. Et ideò erit sicut scintilla ignis, quę splēdendo apparet, & apparendo deficit. Et ideò bene dicitur illud
Isa. 1. Isaiæ: *Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla.* Notandum est, quod fauilla corporalis vitæ multum humiliat spirituales viros, siue sint spiritu feruentes, siue sint de nouo pœnitentes. Et de spirtualibus viris feruentibus est ratio, quia nos videmus quod fauilla, inhærens carboni ignito, fulgorem eius occultat, calorem attenuat, & ardorem minorat. Tanquam autē carbo ignitus est præsens & feruens spiritus; qui tamē ex fauillæ cinere, id est ex vitæ corporalis resolubilitate, occultatur sub corporis humilitate; sicut spiritus feruens Apostoli Pauli, qui relucebat in eius scriptura, nō ostendebatur in corporali eius præsentia. Vndè ipse ait: *Epistolæ graues sunt, præsentia autem corporis infirma: & sermo contemptibilis.* 2. Co. 10. Itē attenuatur ex carnis contrarietate; quia ex pugna carnis contra spiritum feruor spiritus contunditur & remittitur. Iob: *Spiritus meus attenuabitur.* Iob 17. Paulus ad Gal. *Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.* Galat. 5. Item minoratur ex carnis corruptibilitate. Et ista minoratio fit tripliciter. Primo in contemplatione. Sapiens: *Infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum.* Sap. 9. Secundò in dilectione, in eodem capite: *Corpus quod corrūpitur aggrauat animam*, scilicet vt non possit per amorem ad superna eleuari. Tertio in operatione, quia *spiritus promptus est, caro autem infirma*, ait Matth. Matt. 26. Et per ista multum humiliatur homo spiritualis, quantumcunque sit feruens, qui rectè videt se esse sicut fauillam; quia fauilla dum est ignita, vento raptu sursum tendit, sed extincta proprio pondere ad ima ruit. Sic anima hominis in hac vita posita, calore charitatis inflammata, & flatu Spiritus sancti sursum rapta, feruenter ad cælestia tendere appetit; sed sibi relicta, & ex propriæ pronitatis pōdere, & corruptibilitatis corporis mole aggrauata, semper ad ima descendit. Isa. 29. Isaias: *Erit sicut fauilla pertransiens*, scilicet de feruore in torporem. Homo autem qui ad penitentiam conuertitur, ex duobus pręcipue timet & multū humiliatur, scilicet ex consideratione propriæ fragilitatis, quæ designatur in fauilla; & insuper ex cōsideratione mortis quæ repręsentatur in cinere, in quem corpus per mortē resoluitur. Vndè Iob. Iob 42. *Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere*, id est in corpore meo, quod est fragile, vt fauilla, & resolubile in cinerem.

E Secundo in parte auctoritatis supra allegatæ debemus considerare expugnationem humanę vitæ ex turbine, cum dicit quod *turbo dispergit*. A turbine enim fauilla percutitur, quando ipsa humana vita diabolica tentatione impugnatur. Ezec. 1. De hoc enim turbine dicitur in Ezechiele: *Ventus turbinis veniebat ab Aquinole, & nubes magna, & ignis inuoluens.* Et in hac figura prophetica tangitur triplex tentatio, qua vita humana præcipue impugnatur. Prima pertinet ad vitium superbiæ, cum dicitur. *ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* Gregor. Gregorius: Ventus est tentatio mentis. Propria autem tentatio mentis est superbia, quæ habet cor eleuare, vnde assimilatur vento, quia sicut ventus eleuat corpora leuia, ita quoque superbia eleuat corda vana. Vnde dicit Iob 11. Iob: *Vir vanus in superbiam erigitur.* Sed nota, quod qui vento flante ascendunt, eo quiescente corruunt, quia superbia vel fortuna blandiente extolluntur, ea cessante corrunt, & eliduntur. Iob 30. Iob: *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valde.* Sed quia superbia non solum mentem eleuat, sed etiam perturbat: ideò tentatio superbiæ vocatur ventus turbinis: quia sicut vētus turbinis obscurat & turbat aërem, sic superbia mentem. Iob 3. Iob: *Noctem illa tenebrosus turbo possideat.* Tenebrosus enim turbo possidet noctem, cùm superbiæ tentatio occupat certam mentem, & dicitur tenebrosus, quia oculum mētis obscurat. Bernar. Bernardus de duodecim gradibus humilitatis. Superbia oculum mentis obscurat, & veritatem obumbrat. Turbo autem dicitur, quia turbat superbientis animum, quia facit ipsum amarum, rancorosum, & inquietum, Psal. 45. Psal. *Conturbati sunt mentes,* id est superbi. Sed quia tentatio superbiæ est quasi diaboli propria, scilicet, quia superbię vitium à diabolo cœpit initium, ideo dicitur quod istè vētus veniebat ab Aquilone, id est à diabolo superbo, ipse enim superbiens dixit Isa. Isa. 14. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo.* Vndè Hugo de S. Victore: Hugo. Superbia in cœlo nata est, sed velut immemor qua via indè ceciderit, illuc postea redire non potuit. Secunda tentatio pertinet ad vitium luxurię, & ista dicitur nubes magna. Nubes, quia rationem offuscat: nā sicut nubes densa offuscat aerem, lumen solis intercipiendo; sic cōcupiscentia carnis offuscat mentem, lumen rationis obumbrando. Gregor. Naz. Vndè Greg. Naz. dicit, quod caro velut nubes quædā grossa se animæ obiiciens, considerare eam diuini luminis modos non sinit. Ezec. 32 Ezech. *Solem* id est rationis lumen, *nube tegam.* Sed ista nubes dicitur magna. Primò ratione generalitatis, quia omni homini inest pugna carnis. Gregor. Gregorius: In hoc mundo cum nostris tentationibus nascimur, & caro aliquando nobis auctrix est in bono opere, aliquando seductrix in malo. Itèm est magna ratione continuitatis. Hieron. Hieronym. in epistola: Quocūque pergamus, nobiscum inimicum, id est carnem portamus, & ideo eius pugna ineuitabilis est, & continua. Item est magna difficultate. Aug. Augustinus in quodam sermonę ait: Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis. Nam ibi continua pugna, & rara est victoria. Tertio tentatio est auaritiæ. Et ista dicitur ignis, propter insatiabilem ardorem cupidi hominis. Prou. 30. Salomon: *Ignis nunquam dicit sufficit,* sed inuoluens propter implicationes, quia malitiæ sunt implicationes & inuolu-

lutiones hominum auarorum, quia inuoluunt se multis curis, multis negotiis, & multis pecca-
Iob 6. tis. Iod: *Inuolutæ sunt semitæ gressuum.*

F. Tertio in fine auctoritatis Iob superius allegatæ, ostenditur humanæ mentis diuisio in dispersione, cum dicit, *quem turbo di.* Nam turbo tentationis diabolicæ dispergit mentem, & diuidit per varia peccata & vitia. Nam diuersis vitiis hominem tentat, vt cor eius in diuersas partes diuidat & dispergat, ita quod aliquam partem occupet luxuria, aliam superbia, aliam inuidia, & sic de aliis Et in hoc est diabolus similis Euilmoradach, de quo legitur in Babylonica historia, quod mortuo patre, timens ne resurgeret, & regnum ei auferret, de consilio aliorum cor patris in multas partes diuisit, & diuersis vulturibus tradidit Dixerunt enim quod pater non resurgeret, donec vultures in vnũ conuenirent. Sic diabolus timens ne homo per pœnitentiam resurgat, & regnum cælorum aquirat, cor humanum diuidit diuersis vulturibus, id est vitiis dispergit.
Abac. 3. Abacuc: *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.* Sceptra diaboli sunt peccata, quibus in hominibus dominatur. Bellatores eius sunt prauæ suggestiones, quorũ caput est diaboli malitia & fraudulentia, & hi veniũt ad dispergendum cor hominis, tanquam turbo, scilicet cum inuolutione & impetu. Sed tamen Deus illis maledicit, quando per auxilium gratiæ suæ, ab eis hominem defendit & eripit. Item nota, quod per turbinem tentatiorum dispergitur mens hominis, per diuersas cogitationes. Nam à mundo impellitur ad cogitationes curiosas, sicut quando mens incaute vagatur, cogitando quæ ad se non pertinent, vel inutilia & vana, & tunc diabolus immittit malam suggestionem, quæ mentem corrumpit. Dicit enim beatus Ambrosius in hexameron quod cancer, quando videt quod ostrea se aperit, vt suscipiat rorem, accipit lapillum paruum, & ponit in apertura conchæ ipsius, vt non possit se claudere cum velit, & sic immittit os, & deuorat carnem eius interiorem. Sic diabolus, quando inuenit cor hominis apertum vanis cogitationibus & inutilibus, immittit lapillum prauæ suggestionis & bonam interiorem dispositionem euacuat. A carne autem impellitur mens ad cogitationes libidinosas, vt cum aliquis immoratur in cogitatione alicuius peccati carnalis cum delectatione; vnde cum talibus cogitationibus non debet homo ludere, quia cũ in animo ludunt, alij alludunt. A diabolo autem impellitur mẽs ad cogitotiones malitiosas, vt quando in innocentes molitur fraudes Sed à Deo impellitur anima ad cogitationes gratiosas, vt quando aliquis cogitat, quomodo possit placere Deo per contemplationem, & proximo per ædificationem. Hęc varietas & dispersio cogitationũ, figurata fuit in idola siue statua, quam fecit Nabuchodonosor, cuius caput erat ex auro, pectus & brachia de argento, venter ex ære, tibiæ ferreæ, pedes de luto. Tunc enim mens est aurea vel argentea, quando habet cogitationes gratiosas, scilicet quando fulget & coram Deo per contemplationem, & coram proximo per conuersationẽ. Sed tunc est quasi ænea, quando habet cogitationes curiosas, es enim sonorum est. Sed tunc est ferrea, quando habet cogitationes malitiosas, per quas ceteros opprimat. Sed tunc lutea est, quando habet co- Dan. 2.

cogitationes

gitationes immundas & libidinosas. Vnde de hac dispersione mentis in idolo significata dicitur Oseæ 9. *Dispergentur excelsa idoli.* Excelsa idoli sunt cogitationes cordis humani, quę à diuersis impulsionibus diuersimode disperguntur.

G TERTIO in themate proposito describitur misera conditio hominis, quantum ad terminum vitæ, qui attenditur in corporis resolutione, quod per mortem resoluitur in cinerem & ideo dicit: *& cineri*, scilicet sum assimilatus. Nos videmus quod omnis res iudicatur secundum finem suum. sicut medicina, cuius finis est sanitas, iudicabitur bona vel mala, secundum quod prodest vel obest ad sanitatem: & arbor cuius finis est fructus, iudicatur etiam bona vel mala, aut nobilis vel ignobilis secundum fructus quos producit. Vnde quia vita humani corporis vili fine terminatur, scilicet ad mortem & resolutionem in cinerem, vilis iudicanda est, & contemptibilis Iob *Homo in cinerem reuertetur.*

Iob 32. In quibus quidem verbis tangitur duplex causa vtilitatis & contemptibilitatis vitæ hominis corporalis. Vna ex vtilitate principali, in eo quod dicitur homo. Homo enim denominatur ab humo: i. ab humida terra, de qua primo corpus eius formatum est, secundum illud Genes. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ:* cum enim terra sit vilissimum & infimum elementum. patet plane, quod corpus hominis ex vili principio & contemptibili est productum, vt nullus gloriari possit de sua origine, vel nobilitate corporali: quia sicut dicit Ecclesiast. 17. *Omnes homines terra & cinis.* Secunda causa vilitatis & contemptibilitatis vitæ humani corporis est, ex humilitate termini, quæ ostenditur, cum subditur: *In cinerem reuertetur.* Quædam enim sunt, quæ licet habeant vile principiū, tamen habent nobilē terminum, sicut patet de generatione auri, quia generatur ex vili materia, silicet secundum Philosophum, ex sulphure & argento viuo, quę satis vilia sunt, sed tamē generatio ista terminatur ad aurum, quod est metallum nobilissimum. Sed corpus humanū, sicut est ex vili principio, scilicet ex terrestri materia, ita redit in humilem terminum, scilicet in cinerem, & ideo ex neutra parte habet materiam superbiæ, sed solum humilitatis. Vnde dicitur Eccl. 10. *Quid superbis terra & cinis?* Nota, quod licet homo secundum corpus sit terra & cinis, & ex vili principio, quia *formauit Deus hominem de limo terræ*, vt dicitur Genes. 2. tamen per donum gratiæ possunt homines mereri tantam gloriam, vt angelis æquentur, secundum singulos angelorum gradus, quod est homines assumi ad angulorum ordines. Vnde Greg. super Ezech. dicit sic: Sunt nonnulli, qui parua capiunt, sed tamē hæc annunciare fratribus non desistunt. Isti enim in angelorum numerum currunt. Nam quidam simplices & illiterati, verbo & exemplo quantum possunt alios ædificant. Et isti assumuntur ad ordines angelorum. Quidam autem magna intelligunt & solicite alios comonent, & isti assumuntur ad ordinem Archangelorum. Gregor. Sunt qui secretorum cœlestium summa & capere præualent, & nunciare: hi cum archangelis. Quidam per vitæ perfectionem aliorum merita trāscendunt, Et isti assumuntur ad ordinē principatuum. Gregorius. Sunt qui electorum merita transcendunt, & electis fratribus principantur, & hi cum principatibus meritum

ſortiuntur. Similiter illi, qui benè rexerunt perſonam ſuam, aſſu-muntur ad ordinem Angelorum. Qui benè rexerunt ciuitatem ſuã, vel eccleſiam, ad ordinem archan-gelorum. Qui vero benè prouin-ciam ſuam, ad ordinem principa-tuum. Quidam autem expellunt de corporibus & animabus alio-rum dæmones, & peccata, iſti aſ-ſumuntur ad ordines poteſtatum.

Greg. Gregor. Sunt qui malignos ſpi-ritus virtute orationis & vi acce-ptæ poteſtatis fugant, & hi cum poteſtatibus. Quidam ſigna & mi-racula operantur. Et iſti aſſumun-tur ad ordinem virtutum. Gre-gorius. Sunt qui mira faciunt ſig-na, & valenter operantur, & hi cum virtutibus. Quidam omni-bus in ſe vitiis dominantur, & iſti aſſumuntur ad ordinem domina-tionum. Gregorius. Sunt qui in ſemetipſis omnibus vitiis domi-nantur, vt ipſo iure munditiæ, dij inter homines vocentur. Vnde ad Moyſen dicitur: *Ecce conſtitui te dominum Pharaonis*: & hi cum do-minationibus. Quidam ſunt val-

1.Cor.2. de ſpirituales. & ideo de aliis iu-dicare poſſunt. 1. Corinth. *Spiri-tualis homo iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur*. Iſti aſſumuntur ad ordinem thronorum. Grego-rius. Sunt in quibus velut in thro-no ſuo Dominus præſidens alio-rum facta examinat, per quos dum ſancta Eccleſia regitur, ple-rumque de quibuſdam ſuis acti-bus infirmis omnes electi iudi-cantur, & hi cum thronis. Qui-dam Dei & proximi charitate fla-grant, iſti aſſumuntur ad ordinẽ Cherubin. Gregorius. Sunt qui Dei & proximi charitate amplius ceteris pleni ſunt, & hi merito-rum ſuorum ſortem inter Cheru-bin numerum acceperunt, quia Cherubin plenitudo ſcientiæ di-citur. Et iuxta Paulum, *Plenitudo legis eſt charitas*. Quidam ſunt in igne amoris conuerſi, & in ſolo Dei deſidero anhelantes, iſti aſſu-muntur ad ordinem Seraphin. Gregorius: Sunt qui ſupernæ con-templationis amore accenſi, in ſolo conditoris ſui deſiderio an-helant, nihil in hoc mundo iam cupiunt; ſolo æternitatis amore paſcuntur; terrena quæque abiici-unt; cuncta temporalia mente tranſcendunt, amant & ardent, at-que in ipſo ſuo ardore requieſcũt amando ardent, loquendo accen-dunt, & quoſcumque verbo tan-gunt, ardere protinus in Dei amo-re faciunt, quo iſti niſi intra Sera-phin numerum, ſortem ſuæ voca-tionis acceperunt? hæc ille. Item nota quod duobus modis in pul-uerem reuertitur. Vno modo cor-poraliter, quando per mortem in puluerem reuertitur, ſiue reſolui-tur. Et ex hoc defectu humiliabat ſe Abraham Geneſis decimooctauo coram Domino dicens: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis*, ſcilicet futurus: Vnde me-moria mortis eum humiliabat. Gen.18. Alio modo homo in cinerem re-uertitur ſpiritualiter, quando ho-mo peccator ſuperbus ad humili-tatem pœnitentiæ conuertitur. Vnde mos fuit antiquorum, in ſi-gnum doloris & pœnitentiæ, ſu-per caput cinerem ſpargere, quod erat ſignum humilis pœnitentiæ. Dicit Regius Propheta Dauid in Pſalmo: *Nebulam ſicut cinerem ſpargit*, id eſt caliginem ſuperbiæ, ad humilitatem pœnitentiæ con-uertit: & hoc cinere abluuntur ſordes peccatorum. Nota, quod ſub frigido cinere ignis extingui-tur, & ſub calido conſeruatur. Sic ignis ſpiritualis amoris, ex torpo-re & negligentia pœnitentiæ, ex-tinguitur, ſed in feruore pœniten-tiæ conſeruatur & nutritur; & pro tali cinere dabitur corona glo-riæ. Iſai. 61. *darem eis coronam pro cinere*, id eſt pro humilitate pœ-niten-

Pſal 147.

Iſai. 61.

nitentæ dignitatem æternæ gloriæ. Ad quam nos perducat Iesus, &c.

SERMO VII.

De vili conditione hominis in vita & post mortem

PVLVIS *es & in puluerem reuerteris.* Genesis 3.

Dicit Isaac de diffinitionibus, quod Plato diffiniens Philosophiam dixit quod prima Philosophiæ diffinitio est cognitio sui ipsius. Propterea dicit beatus Bernardus: Stude teipsum cognoscere, quia multo melior & laudabilior es, si teipsum cognoscis, quã si te neglecto, cognosceres cursus syderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, & omnium cœlestium & terrestrium haberes scientiam. Sed in hoc apparet ignauia, & maxima ignorantia hominum, quod minus de seipsis cognoscũt, quam de aliis, & hoc est, quod se neglectis, alia inquirũt: imò quod mirabilius est, hoc magis ignorare videntur, quod est magis malum in eis, scilicet suam corporalem vitam quid sit, vel quid futura sit, & ideo diuina scriptura, imo Deus in ipsa ostendit tibi homo, quid secundum corpus sis, & quid futurus sis, dicens in verbo proposito: *puluis es & in puluerem &c.*

Bernard.

In quibus quidem verbis vilem & miseram cõditionem hominis dupliciter describit.

Primo quantum ad defectũ præsentem: quia *puluis es.*

¶ Secundo quantum ad exitum sequentem: quia *in puluerẽ reuerteris.*

Primum pertinet ad vitæ vilitatem, secundum ad mortis humilitatem.

CIRCA primum notandũ est, quod homo secundum corpus dicitur esse puluis, ratione varietatis, quia puluis à vẽto percutitur, mouetur, & eleuatur, & dispergitur, sicut vigor humani corporis modo aduersitatis vento percutitur, modo vento tẽtationis mouetur, modo vento prosperitatis erigitur, modo vento mortis dissipatur. Vnde Psal. ait: *Fiant tanquam puluis ante faciem venti.* Hinc est ergò quod Deus. considerans varietatem & fragilitatẽ nostri pulueris, faciliter miseretur nostri, quia etiam homo facilius miseretur infirmi, & percussi & ruentis, quam alterius qui sit in meliori & firmiori statu. Vnde Propheta Dauid dicit: *Misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum & recordatus est quoniã puluis sumus: homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri, sic efflorebit. Quoniã spiritus pertrãsibit in illo & non subsistet, & nõ cognoscit amplius locum suum.* In quibus quidem verbis tria aguntur. Psal. 34. / Psal. 102.

Primò narratur effectus diuinæ pietatis: quia *misertus est Dominus timentibus se.*

Secundò allegatur prospectus humanæ fragilitatis: *quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.*

Tertiò explicatur defectus variæ calamitatis. *Recordatus est quoniam, &c.*

Sed circa primum notandum, quod illi qui timentes diuinã iustitiam, redeunt ad veram pænitẽtiam, recipiunt diuinam misericordiam, quia remittit Deus eis omne peccatum actuale: originale enim peccatum, scilicet quod à primis parentibus est cõtractum, & quo corrupta est humana natura, & cum quo quilibet nascitur, purgatur per baptismum, sed peccatum actuale, quod est maximũ, ex sua misericordia remittit Deus pœnitenti. Vbi aduertendũ quod,

quod licet in omni opere Dei reluceat iustitia & misericordia, tamen principalior est misericordia, propter quatuor. Primo propter gloriosam perfectionē. Nam sicut forma est nobilior materia puta anima quàm corpus, ita pars est nobilior & principalior. Vndè anima est pars principalis in homine. Eodem modo in naturalibus, pars quæ tenet locum formæ ad effectum producendum, est nobilior & principalior, quam sit pars, quæ tenet locum materię, vt patet de sole, qui in generabilibus rebus tenet locū formę, quasi pater; terra vero tenet locū materiæ, velut mater: vnde sicut pater & sol sunt nobiliores ad generationē, ita & principaliores. Nunc autem Deus est nobilissimus actor & operator: homo vero est subiectum, in quo agit qui tenet locum materiæ, & hinc homini conuenit diuina iustitia, vt sibi proportionabiliter tribuat naturalia. Deus autē tenet locū formæ scilicet misericordiæ, quæ mouetur aduersus hominē. Vnde sicut sol est principalior in generatione, sic misericordia est principalior in diuina operatione, eo quod attenditur penes Deū inchoatiuè, quàm sit diuina iustitia quæ attenditur penes hominem terminatiuè. Vndè Iac. 2. *Misericordia superexaltat iudicium*, Gloss. id est præeminet in iudicio: quia licèt Deus sit tantum iustus, quātum pius, tamen magis relucet in iudicio suo misericordia, quàm iustitia: quia est velut agens potentior ad agendum per misericordiam, quam sit homo velut patiens ad suscipiendū iustitiam. Vndè clamat Psalm. 144 *Miserationes eius super omnia opera eius.* Nec mirum, quia quod est proprium alicui, excedit omnia alia minus propria, & accidentia, vt patet de homine, qui cum sit animal rationale, eius propriè proprium est rationale. Vndè magis propriè conuenit ei vti ratione quā risibilitate, & aliis proprietatibus & accidentibus, Similiter licèt Deus sit iustus, & misericors, & multas alias habeat proprietates optimas, tamen super omnia opera sua vtitur misericordia. Vndè Gregor. in oratione dicit: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Secundo propter miraculosam Dei operitionem. Licèt enim in miraculis reluceat Dei omnipotentia, tamen magis relucet diuina misericordia qua mouetur ad miracula facienda. Deus enim præuidens in nobis miseriam ignorantiæ, infidelitatis, atque malignitatis, volēs nos reducere ad fęlicitatē per doctrinam, & bonos mores: nobis præposuit viros optimos veteris ac noui testamenti, quorum doctrinam & exempla vt acceptaremus tanquam à Deo transmissa, voluit ipsos facere diuinas operationes, id est miracula, quibus moueremur ad acceptandum ipsorū doctrinam, & ad imitandum exempla. Quod enim misericorditer Deus ostenderit suam omnipotētiam per miracula, vt educeret populum suum de miseria seruitutis, patet. Nam vt populus Hebræus Moysi credat, manus eius polluitur & sanatur. Vt eius vitā imitetur, resplenduit facies eius sicut sol. Vt Pharao populum dimittat, dat per Moysen decem principales plagas. Vt sciat viam eundi ad terrā promissionis, datur columna ignis. Vt non videatur ab inimicis, nec æstu affligatur, datur columna nubis. Exo. 13 Vt non pereat fame, datur manna de cælo. Exod. 16. Vt eius appetitus delectetur, pluit super eos sicut puluerem carnes. Ibidem. Ne aquis deficientibus siti affligatur educitur ei aqua de petra abundanter,

danter. Exod.17. Vt non capiatur ab inimicis, carens nauibus ad transfretandum, mare sibi diuiditur. Exod.14. Vt populus Ægypti ipsum non insequatur & molestet, mare coniungitur, & Ægyptus submergitur. Ibidem. Vt non perueniat ad nuditatem, vestimẽta & calciamenta 40. annis non sunt vetustate attrita. Deuter.29. Vt possit exire desertum, Iordanis ei diuiditur. Iosue 13. Vt terram promissionis possit intrare & inhabitare, 32 Reges debellauit. Iosue 12. Tandem vt genus humanum educeret de hoc sæculo per miracula misericorditer, sicut eduxit populum de Ægypto: multiplicauit miraculo in nouo testamenit. In creaturis intellectualibus, dæmonia expellendo. In creaturis cœlestibus, noctem illuminando nascens, diem obscurando moriens, In elementis, ventis imperando, mare sedando. In terra, mortuos suscitando. spiritum sanctum in specie ignis mittendo. In creaturis rationalibus, infirmos sanando, ignaros doctorando, impios conuertendo. In creaturis irrationabilibus cuiuscunque generis. Inquibus omnibus miraculis, licet nobis manifestet suam omnipotentiam, tamen principalior est sua misericordia; qua motus fuit ad faciendum miracula, scilicet vt nos misericorditer educeret ab ista miseria.

Exod.17 Exod.14 Deut.29 Iosue 13 Iosue 12

¶ Tertiò propter virtuosam cõmunicationem. Licet enim Deus ostenderit suam omnipotentiam, dando virtutes gratuitas sanctis patribus veteris & noui testamẽti, tamen hoc fecit magis, misericorditer propter nos. Vnde vt nobis proponeret fidem, *sine qua impossibile est placere Deo* Hebræ. Dedit fidem quasi fontem. Nam omnes fidei aquam biberunt, & eam reposuit in patribus veteris & noui testamenti. Vt autem veluti per conductum possemus potare dedit eis sermonem sapientię quæ sapientia nos docet et arcana diuina. Vt autem ista diuina possemus capere & intelligere, vasa tribuit ad bibendum, dum eis dedit sermonem scientiæ, per quam scientiam, quæ est cognitio creaturarum, tanquam per visibilia dando nobis exemplo, ducerent nos in cognitionem inuisibilium: vt autem hanc aquam fidei, sapientiæ, & scientię, posset omnibus effundere, & omnes possent bibere auribus & mente, dedit eis donum linguarum, quo dono omnes loquebantur linguam & idiomata, & omnes intelligebant, & intelligendo bibebant; vt verò hanc aquam bibentes delectabilius degustarent, dedit eis interpretationem sermonum, qua interpretatione homines intelligerent clarius, & delectarentur dulcius? vt verò homines mundi acceptarent hanc Doctrinam, aquam clarissimã à Deo nobis infusam, dedit eis testimonia diuina, scilicet prophetiam, qua prædicebant futura, discretionem spirituum, qua pronunciabant occulta cordium, gratiam sanitatum, qua curabant insanabiles infirmitates, virtutum gratiam, qua operabantur mira, mortuos suscitando, & signa de cœlo dando. Et hæc omnia Deus operatus est secundùm suam omnipotentiam, non aliundè motus, nisi per misericordiam, qua vnicuique dedit manifestationẽ spiritus, ad vtilitatem miserorum. 1. Corinth.12. Et sic diuina misericordia est magis nobis ad cõfidentiam, quam iustititia ad timorem.

Hebr.11 1. Cor. 12

Quartò propter gratiosam conuersionem. Nam Gregor. in quadam collecta dicit sic: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas:* quia scilicet dum peccata remittit, ostendit

Gregor.

ostēdit se posse, & magnā ostēdit potentiam, dum hominem remouet à miseria culpę, & ipsum promouet ad felicitatem.

B Est etiam aduertendum, quod Deus quatuor facit pœnitenti, in tali remissione peccati. Primum est, quia remouet culpam maculantem, quia per peccatum anima maculatur, & denigratur. Thren. *Denigrata est super carbones facies eorum:* vnde per remissionē peccati reformatur decor animæ.

Thren. 4.

¶ Secundū est, quia remittit pęnam, id est reatū gehennę à regnō Dei excludentem, vndè remouēdo reatum, efficit hominem dignum vita ęterna.

¶ Tertium est, quia infundit gratiam iustificantem, quæ gratia excedit omnes naturales virtutes, & hoc patet ex operatione, quia plus operatur. Nam virtus naturalis in operatione sua habet finitatem quia facit operationes finitas, Nam semper aliquid finitum facit. Magna enim est virtus solis, quia per eam generantur istā inferiora, quæ tamen finita sunt, ergo multò magis hoc dici potest de virtutibus aliorum inferiorum corporum. Sed operationes procedentes ex virtute gratiæ, sunt infinitæ, quia generant vitam æternam, ita quod est fructus infinitus: nam quādo quis est in gratia, minimá eius operatio fructificat plus, quam operationes omnium creaturarum de mundo, quia omnes animæ sine ista nihil valent.

¶ Quartū est, quia dat vitā beatificantē, & glorificantē, scilicet vitā æternam, quam dat nunc pro promissis firmissimā, quia nec angeli, nec dæmones, nec Sancti, nec homines possent sibi auferre, si conseruatur in gratia. Et hæc omnia petebat Dauid dicens. *Miserere meî Deus, secundum magnam misericordiā tuā.* Et dicit magnam, Propter remissionē culpæ. *Et secūdū multitudinē miserationū tuarū dele iniquitatē meam.* Propter obligationē gehennæ, & dicit multitudinem propter infinitatem, quasi pęnarū inferni. *Amplius laua me,* scilicet propter infusionem gratiæ, quasi dicat non sufficit pęnitentia sine gratia: quia posset dare peccatori solum bonū naturæ & ideo amplius adde scilicet lauacrū gratiæ, & postea quantū ad promissionē glorię subditur infra: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, &c.* Luc. *Misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Eccli. *Misertus est pœnitentibus.*

Luc. 1.
Eccli. 3.

C

Secundò in auctoritate adducta allegatur prospectus humanæ infirmitatis: cū dicitur: *Quoniam ipse cognouit figmentū nostrum.* Glo. id est infirmitatē nostrā. Nouit enim quomodo lapsum sit, nouit quomodo sit reficiendum, nouit quomodo adoptandū sit, nouit quomodo ditandum sit, quasi dicat, nouit quod lapsum sit per culpā, reficiendū per pęnitentiā adoptādum per gratiam, & ditandum per gloriā. Sed istud figmentum de se infirmum est & debile: infirmum quia cadit ad modicū impulsum tentationis. Et nota, quòd vas vacuum ad modicū impulsum mouetur, & cadit, sed plenum firmius est. Sic homo vacuus præsentia Dei, vel gratia Dei, citò mouetur & cadit ad impulsionem alicuius tentationis, sed non ille qui est Deo vel gratia eius plenus. Itē est hoc figmētum nostrum debile & fragile, quia ad paruum ictum cōfringitur, & sic homo ad paruum vulnus moritur. Vndè Sap. *fragilia vasa finxit,* & talia vasa sunt corpora nostra. Sed attendēdum, quod circa figmentum corporis nostri aliqui deerrauerunt. Nam quidam hęretici dixerunt, vt Manichæi, quod Deus ipsum non fecit, sed quod diabulus istud finxit.

Sap. 15.

Fa-

Fabulantur enim Manichæi, quod postquam Lucifer cum suis complicibus de cœlo eiectus est: ipse Lucifer terram aqua discooperuit, & duo corpora hominum fabricauit, sed cum per triginta annos vitalem spiritum ipsis corporibus non posset infundere, accessit ad misericordiam altissimi, & duos angelos ab ipso quęsiuit. Astiterūt autem duo statim, qui diabolū occulte diligebant, & rogauerunt altissimū, vt cum diabolo cito irent, cito reuersuri. Quorum fraudem Deus cognoscens dixit. Ite, sed cauete ne dormitetis, quia post soporem reuerti non possetis, & viam obliuioni traderetis. Veniunt igitur ad prædicta corpora, quæ diabolus finxerat, seu formauerat, intrauerunt, & in eis dormierunt, & obliti cœlestis patriæ, in ipsis corporibus inclusi sunt. isti, vt dicūt, fuerunt Adam & Eua Et sic patet quod corpora primorum parentū, à quibus omnes discendimus, nō Deū, sed diabolum finxisse dicūt, & eorum spiritus non animas, sed demones fuisse asserūt. Alius fuit error eorum, qui dixerunt, quod Deus nostra corpora vel facta non cognoscit: quia cum simile à simili cognoscatur, & Deus sit immaterialis, & incorporeus, & intellectualis, tantum spiritus intelligit quidē & cognoscit, quæ immaterialia & incorporalia sunt, sed materialia nostra corpora nec intelligit, nec cognoscit. Isti ergò

Isai. 29. duo errores tanguntur Isai. *Peruersa est hæc vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum suum cogitet, & dicat opus factori suo, non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo, nō intelligis.* Vndè contra primum errorem dicitur Isai.

Isai. 64. *Nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Contra secundum vero errorem dicitur in au-

Ps. 102. ctoritate Psal. inducta: *Quonia ipse cognouit figmentum nostrum.* Et iterum idem Psalmista contra vtrūque dicit. *Qui finxit sigillatim corda* Psal. 32. *eorum,* & si corda, ergo etiam corpora. Et sequitur contra secundū errorem. *Quia intelligit omnia opera eorum.* Et hoc est contra illos qui ita faciunt, ac si crederent quod Deus eorum facta nō videret, nec intelligeret: quia quę nullo modo in cōspectu hominum facere auderent, vt furta, sodomias, & multa alia, coram Deo non facere verentur, de quibus Psalm. *Dixerunt* Psal. 93. *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Contra quos subdit: *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquādo sapite. Qui plantauit aurem, &c. Qui corripit gentes, &c.* Et quamuis per dissimilitudinem sit à corporibus longinquus, omnia tamen non solum intelligibilia, sed etiam sensibilia & corporalia cognoscit. Vndè tales qui opinantur, eum cognoscere solum sibi similia & vicina, non autem remota & dissimilia, ipse Deus redarguendo interrogat Hiere. di- Hier. 23. cēs: *Putas ne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de lōge? Omnia cognosco, si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum?* quasi dicat non sic est. Quamuis ergò sit dissimilis corporalibus, & materialibus in natura, omnia tamen per intellectum cognoscit, etiam particularia corpora, & materialia: quia sicut dicit B. Diony- Dionys. sius. Perfectiones quæ in inferioribus diuiduntur, in Deo simpliciter & mente existūt. Vndè quāuis per aliam virtutem cognoscas corpora materialia, & corporalia, scilicet per sensum, & per aliam immaterialia & incorporalia, scilicet per intellectum: Deus tamē per suum simplicem intellectum vtraque cognoscit, cùm ipse omnium sit artifex, & ipsa sua essentia sit omnium exēplar & causa, non solum quantum ad formam,

sed

ſed etiam quantum ad materiam,& particulares naturas. Et quamuis materia ſit diſſimilis Deo, quantum ad ſuam potentialitatem tamen inquantum vel ſicut eſſe hoc tenet quandam ſimilitudinem eſſe diuini. & ideò
Pſ.138. dicebat Pſalm.138. *Tu cognouiſti omnia nouiſsima & antiqua : tu formaſti me,&c.*

D ¶ Tertiò in auctoritate allegata deſcribitur defectus variæ calamitatis humanæ : cum ſubditur: *Et recordatus eſt quoniam puluis ſumus,&c.* Vbi aduertendum, quòd Deus non dicitur recordari,quaſi in eo poſſit eſſe obliuio rei alicuius,cum eius ſcire ſit inuariabile & æternum, ſed loquitur ad ſimilitudinem noſtri, qui quando recordamur miſeriæ & infirmitatis alicuius afflicti,compatimur & miſeremur. Vndè Deus noſter calamitatis dicitur recordari,quandò eius miſeretur: vndè quia noſtram infirmitatem & miſeriam cognoſcens, faciliter
Pſal.77. miſeretur noſtri;dicitur:*Recordatus eſt quoniam puluis,&c.* Sic etiã in Pſ.*Recordatus eſt quia caro ſunt,* id eſt infirmi & fragiles. Et tanguntur ſeu ſcribuntur quatuor pertinentia ad humanã miſeriã.

Primum pertinet ad noſtram ariditatem ; *quoniam puluis ſumus*,qui eſt terra ſicca,& ſine humore.

Secundum pertinet ad noſtram fragilitatem : quia *homo ſicut fænum.*

Tertium pertinet ad noſtram vanitatem:quia *dies eius tanquam flos agri ſic efflo.*

Quartum pertinet ad noſtram mortalitatem, quia *ſpiritus pertranſibit,&c.*

¶ Circa primum aduertendum eſt,quod nos dicimur eſſe puluis, non ſolum ratione corporis terreſtris,ſed etiam ratione animæ, quia ſicut dicit gloſſa ſuper iſto verbo Pſalm. Nos qui eramus figmentum,id eſt factura Dei, facti ſumus puluis ariditate peccati. Puluis eſt terra leuis ſine pondere,arida ſine humore, & ſterilis ſine fructus productione. Et talis profectò efficitur anima ex peccato, ſcilicet leuis ſine pondere virtutis, & ideò à quolibet vento tentationis mouetur.Pſ.1.Impij *tanquam puluis, quem proiicit ventus*,ſcilicet tentationis,*a facie* id eſt à firmitate iuſtitiæ. Item arida ſine humore compunctionis.Num.11. *Anima noſtra arida eſt*,ſcilicet ex defectu compunctionis,non curans confiteri. Pſ. *Nunquid confitebitur tibi puluis?* Item eſt ſterilis,& ſine fructu meritorij operis, & ideò excluditur ab habitatione paradiſi. Leuitic. *Vniuerſum puluerem proiicient extra vrbem in locum immundum*, id eſt Deus proiiciet extra paradiſum, in locum immundum inferni,& ibi dabitur in cibum ſerpenti infernali,id eſt diabolo.Iſa. 65.*Serpenti puluis panis eius* : quia paſcetur de pœnis eius.

Pſal.1. Num. Pſal Leu. Iſai. 65. E

Secundò oſtendit humanam fragilitatem,quia homo ſicut fænum. Fænum enim naſcendo habet virorem,creſcendo decorem, & vltimo habet florem,ſed tandẽ deſiccatum ſolis ardore redigitur in puluerem.Item fœnum præciſum & ſiccum,nutrimento eſt animalium deputatum. Similiter homo naſcendo habet virorem vitæ,creſcendo decorem formæ, & poſt augmentum quandoquẽ florem fortunæ & tẽporalis gloriæ,ſed ſolis ardore, id eſt grauis infirmitatis vel tribulationis feruore ſiccatus,id eſt aduſtus, redigitur in puluerem vel mortis,vel infimæ deiectionis. Item corpus hominis per mortem præciſum, & per totalem priuationem præſentis vitæ ſiccatum, ſicut quãdo eſt in ſepulchro clauſum, vel humatum,

matum efficitur nutrimentum a-
nimalium, id est esca vermium.
Vndè versus quidam dicit: Post
hominem vermis, post vermem
fætor & horror. Sic in homi-
nem vertitur omnis homo. Et
quia ista competunt homini se-
Isa. 40. cundum carnem, dicitur Isa. *Om-*
nis caro fœnum. Item fœnum quã-
to altius stat, & minus profundũ
radices inferius deprimit, tantò
minus crescit, & citius arescit, si-
cut patet de fœno, quod nascitur
super tecta. Sic homo quanto est
in altiori statu, si radices cordis e-
ius non profundantur in humili-
tate, id est, in sui humili cognitio-
ne, & custodiæ sedulitate, parum
proficit, & cito deficit. Vndè in
Psal. 128. Psalm. *Fiant sicut fœnum tectorum,*
quod priusquam euellatur exaruit.
Fœnum tectorum est vita homi-
num in dignitate positorum, qui
cito exardescunt, id est deficiunt
aliquando per seipsos, antequam
eleuantur per alios.

¶ Tertiò ostendit Dauid huma-
næ gloriæ vanitatem, cùm sub-
dit: *Dies eius tanquam flos agri sic*
efflorebit. Dies enim hominis est
prosperitas & gloria eius munda-
na, quæ verè dicitur vt flos agri
quia flos agri delectat sensum, fa-
cit ornatum, & habet defectum,
& ideò repræsentat ea in quibus
consistit prosperitas & gloria mũ
danorum. Nam consistit in dele-
ctatione voluptatum, & talis de-
lectatio pertinet ad sensum, &
ideò representatur in floribus qui
sua pulchritudine delectant aspe-
ctum, suo odore delectant gustũ.
Vnde in floribus signantur dele
ctationes sensibiles delitiarum
mundi; quia flores quasi fluores,
scilicet quia fluunt. Et sic etiam
cito fluunt corporales delectatio
nes, pro quibus tamen multi reci-
pient tormenta, quæ nunquam
Luc. 16. reficient: sicut patet in diuite e-
Psal. 89. pulone. Regius Propheta: *Flo-*
reat & transeat: floreat in mun-
do, & postea transeat ad infernũ.
Secundò consistit gloria mundi
in possessione diuitiarum. Et hoc
figuratur in floribus, qui sunt ad
ornamentum, & sicut diuitię, quia
sicut pauperes erunt ornantes cę- Matt. 5.
lum, propter quod dicitur Matt.
Beati pauperes spiritu, quoniam ip-
sorum est regnum cælorum: ita di-
uites ad ornamentum mundi. Sed
sicut pauperes contemnuntur in
mundo: ita diuites in cælo. Vndè
ad diuitem referri potest illud pa-
tientiss. Iob: *Quasi flos egreditur &* Iob 14.
conteritur. Quasi enim flos exi-
stens homo est in mundo viuen-
do, de mundo egreditur mo-
riendo & conteritur in inferno
patiendo. Item consistit gloria
mundi in sublimitate dignitatum
& hoc assimilatur floribus, qui
sunt in alto in arboribus, qui ci-
tò cadũt & deficiunt. Sic citò ho-
mines cadunt à dignitatibus, aut
per mortẽ, aut per deiectionem.
Naum: *flos Libani elanguit.* Liba- Naum 1
nus enim erat altitudo cedrorum,
& significat sublimitatem domi-
norum, quorum flos, id est gloria, Iac. 1.
citò languescit & deficit. Iacobus:
Flos eius decidit. Patet ergò, quod
omnis gloria mundi assimilatur
Flori. Vnde dictum est, *Dies eius*
tanquam flos fœni, eo quod ad mo-
bum floris habet defectum, quia
cito deficit & cadit. Isaias: *Erit* Isa. 28.
flos decidens gloria exaltationis e-
ius.

Quarto ostendit Dauid in au- F
ctoritate superius allegata, huma-
nam mortalitatẽ, dùm dicit, *quo-*
niam spiritus pertransibit in illo &c.

¶ Vbi breuiter ostendit Dauid,
quod mors aufert homini tria bo-
na, per quæ videtur odibilis. Nam
primò aufert vitalem spiratio-
nem, scilicet in separatione ani-
mæ. Anima enim dicitur spiritus,
quia vitam corpori spirat, secun-
dùm illud Ioan. *Spiritus est qui vi-* Ioan. 6.

nificat: Vndè transeunte spiritu à corpore, perditur ipsa vita; & quantum ad hoc dicit *spiritus*, quoniam in illo existens, scilicet pertransiuit ab illo, & sic corpora amplius non viuent. Psalm. *Auferes spiritum eorum, & deficient*, scilicet à vita corporis; multùm esset pœnosum homini, quando cōpelleretur exire de domo propria, vbi libenter habitat, si exeūte illo domus deberet dirui, & ad solum deduci, & deberet perdere omnia bona, quæ possidebat in illa. Sic est pœnosum spiritui exire de domo proprij corporis, eo quod in ipso exitu corporis ruit in mortem, & redigitur in puluerem, & ipse spiritus exeat nudus, & omnia bona perdat, quæ in ipso corpore possidebat, sicut sunt potentiæ, & actus potentiarum organis corporis affixarum, & delectatio etiam ipsarum, vt generatiuæ, nutritiuæ, augmentatiuæ, motiuæ, & sensitiuę virtutes, quę omnia destruuntur in morte, nec remanent in spiritu, nisi sicut in radice. Vndè dicitur in Psalm. *Exibit spiritus eius*, scilicet ab homine, *& reuertetur*, scilicet corpus eius, *in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*. Sic etiam recedente Spiritu sancto ab anima per peccatum, perditur vita gratiæ, & omnes virtutes gratuitæ, & omnes operationes meritoriæ, propter quod petebat Dauid dicens: *Spiritum sanctum tuū ne auferas à me*. Secundò mors aufert homini naturalem conseruationem, quia *non subsistet*, scilicet homo post separationem spiritus. Nam sicut tamdiu conseruatur lumen in aëre, quamdiu sol est præsens: sic tamdiu conseruatur vita in homine, quamdiu spiritus est præsens in corpore, vndè separato spiritu à corpore per mortem, deficit esse compositi, scilicet hominis, & non subsistit amplius homo, & insuper ipsum corpus non est amplius corpus hominis. Et si tu dicas, ergo corpora Sanctorum defunctorum non sunt amplius corpora eorum, quare ergo adoramus ea? quare ergo debeo adorare ossa, quæ fuerunt beati Petri, si non sunt eius? Dicendum quod licet ita sit secundùm naturam; tamen propter spem futuræ resurrectionis, quam vera fides prædicat, scilicet quod ex illis eisdem ossibus vel pulueribus, resurgent corpora eadem numero, secundùm illud Iob: *In nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum, &c.* Adoranda sunt ossa vel corpora Sanctorum, non solum quia ipsorum fuerunt, sed quia adhuc erunt, & quęcunque partes vel cineres ad eorum corpora redibunt. Et hoc non erit ex inclinatione naturæ, quia scilicet illi cineres plus quàm alij, habeant inclinationem ad illius animæ, cuius fuerunt, coniunctionem, sed erit solum ex ordine diuinæ prouidētiæ, quæ statuit illos cineres iterum isti animæ coniungi, & non alios, nec alteri. Sic ergo secundum ordinem naturæ patet, quod separato spiritu à corpore, homo amplius non subsistit, & ipsum corpus per diuersos corruptionis gradus tandem post somniū mortis in puluerem redit. Et ideò dicitur in Iob: *Ecce nunc in puluere dormio, & si manè me quæsieris, non subsistam.*

Tertiò mors aufert homini corporalē habitationē; & ideò dicit. *& nō cognoscet amplius locum suum*. Quod quidam sic intelligere volunt, quia dicunt quod spiritus hominis defuncti, siue sit in inferno, siue in cœlo, non cognoscit amplius locum suum, in quo fuit, id est mundum istum, quia scilicet nescit de cetero ea, quæ faciunt

Marginal notes: Ps. 103. — Ps. 150. — Psal. 50. — Iob 19. — Iob 7. — G

faciunt viuentes, qui sunt in mũdo isto. Quod quidem si loquamur de cognitione animarum separatarum naturali, verum est de his, quæ de cætero hic agũtur. Et ratio est, quia anima separata cognoscit singularia per species sibi influxas à superioribus substantiis, per hoc quod quodammodo determinata est ad illam, vel per vestigium alicuius præcedentis cognitionis seu affectionis, vel per ordinationem diuinam. Sed secundum modum essendi, ipsæ animæ separatæ sunt segregatę à conuersatione viuentium, & coniunctæ conuersationi substantiarum spiritualiũ, quæ sunt à corpore separatæ; vnde ea quæ apud nos aguntur ignorant, sicut & nos hic ignoramus quæ apud ipsos aguntur. Et ideo dicit

Gregor. Gregorius 12. moral. quod mortui vitam in carne viuentium post eos qualiter disponatur, nesciunt: quia vita spiritus longè est à vita carnis. Nam sicut corporea & in corporea sunt diuersa genere, ita sunt distincta cognitione. Au-

Aug. gust. etiam dicit in libro de cura pro mortuis agenda, quod animæ mortuorum ibi sunt, vbi ea quæ hic fiunt scire non possunt. Et se-

Psal. 73. cundùm hoc potest dici de spiritu hominis defuncti illud Psal. *Nos non cognoscet amplius.* Vndè animæ quę sunt in inferno, vel in purgatorio, nesciunt hoc per se, neque etiam animæ Sanctorum quę fue-

Isa 63. runt in limbo, expectantes Christum. Et ideo dicitur in Isaia: *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos.* In Iob dicitur de diuite

Iob 14. mortuo & damnato: *siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget: & tamen anima eius super semetipsam lugebit.* Et secundum hoc potest dici de spiritu hominis defuncti illud Psalmistæ: *Nos*

Psal. 73. *non cognoscet amplius.* Possunt tamen huiusmodi animæ aliqua scire de his, quæ hic aguntur, non per se ipsas, sed per animas eorum quæ hinc ad eos accedunt, vel per Angelos, seu dæmones, vel etiam spiritu Dei reuelante. De animabus autem Sanctorum quę sunt in paradiso, assertiuè dicit Gregor.

Gregorius vbi supra dicto libro, quod nullo modo credendum est, quod aliquid eorum, quæ hic aguntur ignorent, non cognitione naturæ, sed gloriæ. Vndè secũdùm eius sententiam animę Sanctorum Deum videntes, omnia præsentia, quæ hic aguntur, cognoscunt: sunt enim Angelis æquales, de quibus etiam August. Augu.

dicit, quod non ignorant quæ apud nos aguntur. Sed quia Sanctorum animæ sunt perfectissimè iustitiæ diuinæ coniunctæ, nec de malis nostris tristantur, nec rebus viuentium se ingerunt, nisi secundùm quod dispositio diuinæ iustitię exigit. Sed tamen præmissum verbum auctoritatis allegatæ, scilicet quod *non cognoscet amplius locum suum*, exponitur secundùm glossam, quod non reuertetur amplius ad locum huius mundi, & ad vitam corporalem istam. Quod est contra illos hæreticos vel paganos, qui dixerunt animas defunctorum esse ad eandem vitam, & eadem loca ali- Psal. 78.

quando reuersuras. Contra quod Sap. 2.

dicitur in Psalm. *Vadens & non rediens.* Et sapiens ait, *Non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis.* Et hoc est verum secundum communem legem, quamuis diuina virtute quidam fuerint resuscitati ex priuilegio speciali, vt Lazarus, & quidam alii. Vndè de homine defuncto Psalmista dicit: *Transiui* Psal. 38

& ecce non erat: quæsiui, & non est inuentus locus eius, scilicet de cętero in mundo isto.

SECVNDO describitur in H

themate proposito miseria humana, quantum ad statum post

obitum sequentem, cum dicitur, *& in puluerem reuertetur.* Vbi notandum, quod sicut est generalis sententia diuinæ iustitiæ, quod quilibet homo moriatur, ita etiam quod quilibet homo in puluerem reuertatur. Dixerunt tamen quidam, quod aliqui ex speciali priuilegio gratiæ ab vtraque sententia erant exempti, scilicet mortis & resolutionis in puluerem. Dicunt enim quod illi qui in vltimo iudicio reperientur viui, non morientur, sed rapientur; & viuentes transferentur ad immortalitatem. Sed alij maiores Doctores rationabilius dicunt esse, vt dicatur quod illi, qui in iudicio inuenientur viui, omnes primò morientur, & per illum ignẽ, qui faciem mundi purgabit, omnes in cinerem redigentur, vt postea resuscitentur, & eorum corpora reformentur. Vndè in persona cuiuslibet hominis dicebat
Iob. 10. Iob, dicens Deo: *Memento quæso quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces.* A sententia ergo mortis nullus vnquam hominum est exceptus aut excipiendus, sed à resolutione in puluerem quidam excepti sunt ex gratia speciali; sicut Christus, de quo fuerat scriptum in
Psal. 15. Psalm. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*
Augu. Et hoc idem de beata Virgine asserit diuus Augustinus in sermone de Assumptione. Et de Ioanne Euangelista nonnulli hoc idẽ dicunt. Notandum, quod boni à malis quantum ad corpus differunt quandoque in vita, quia quidam sunt mali, qui vsque ad mortem perseuerant in prosperitate, & quidam boni, qui vsque ad mortem perseuerant in aduersitate; sed tamen postea conueniunt in morte, & in corporis resolutione, quæ omni homini sunt communes. De hoc dicitur apud
Iob 21. sanctum Iob: *Iste moritur robustus, sanus, diues, & fælix, viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irigantur: alius autem moritur in amaritudine animæ, & absque vllis opibus, & tamen simul in puluere dormient.* Similiter conueniẽt simul in resurrectione. Sed in animarum vel corporum glorificatione seu immutatione non conuenient, quia mali resurgent ad animarum & corporum damnationem; boni autem resurgent cũ animæ & corporis glorificatione. Vndè sicut dicit Matthæus: *Mali ibunt in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* Ad quam nos, &c. Mat. 25.

SERMO VIII.

De vigilantia viuentis, & nuditate morientis

B*Eatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet,* Apoc. 16

Commune videtur esse hominibus rationis vsum habentibus, erubescere de nuditate corporis sui, in aliorum saltem hominum conspectu. Et hæc erubescentia, secundum sacræ scripturæ testimonium videtur prouenisse ex culpa, quia in statu innocentiæ dicitur de primis parẽtibus, quod Gen. 2.
erant ambo nudi, & non erubescebant: & hoc ideo, quia puritas innocentiæ non sinebat aliquid turpitudinis imaginari, sed post culpam perdita innocentia, cognouerunt se nudos esse & de sua nuditate erubescere cæperũt. Sed multo magis erubescendum est homini de animæ suæ nuditate, puta quod sit sine vestibus gratiæ & virtutum, & ratio est, quia nuditas corporalis potest esse sine culpa, puta vel propter inopiam pauperitatis, sicut in Matth. dicitur: *Nudus eram, & cooperuistis me* Mat. 25.
vel propter violentiam prædonum.

num, ſicut dicitur Iob: *Nudos dimittunt homines indumentum tollentes, quibus non eſt opprimentum in die frigoris.* Sed nuditas animæ, quæ eſt priuatio gratiæ & virtutis, ſemper includit culpam vel originalem, vel actualem, & culpa ſummè eſt erubeſcibilis: ſicut patet per Philoſophum in 2. Ethic. Nam ibi dicit, quod homines nō ſolum erubeſcunt vitia, ſed etiam figuram vitiorum, vnde homines qui timent verecundiam, non ſolum abſtinent ab his quæ ſunt verè mala, ſed etiam ab his quæ habent ſpeciem mali. Vndè ſi figura culpæ erubeſcibilis eſt, multo magis ipſa culpa. Nuditas ergò animæ, cùm vt dictum eſt, præſupponat & includat culpam, patet quod erubeſcibilis eſt, & longè amplius quàm nuditas corporis; quia confuſio nuditatis corporis eſt ſolum in conſpectu hominum, cofuſio verò nuditatis animæ eſt in conſpectu Dei, & ſanctorum Angelorum ad quorum ſcilicet fœlicitatis conſortium nullus admittitur ſine gratiæ veſtimento, nullusque eo veſtitus excluditur. Et ideò bene dicitur in verbis propoſitis: *Beatus qui vigilat, &c.* — Iob 24.

A In quibus quidem verbis tria continentur.

Nam primo ſpondetur præmiū glorioſum; quia *Beatus.*

Secundò ſuadetur ſtudium fructuoſum, cùm ſubditur, *qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua.*

Tertio præcauetur opprobrium ignominioſum, dum infertur, *ne nudus ambulet.*

CIRCA primum notandum eſt, quod præmium glorioſum eſt præmium Beatorum; quia beatitudo eſt illud ſummum bonum, in quo omnis boni ratio continetur: vndè Boëtius dicit, quod beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. — Boetius

Videmus autem naturaliter, quod per remotionem vnius contrarij, peruenitur ad perfectionem alterius; ſicut res efficitur frigida per remotionem caloris, & illud eſt albius quod eſt nigro impermixtius: & ideo per remotionem mali peruenitur ad perfectionem boni. Malum autem culpæ plus habet de ratione mali, quàm malum pœnæ, vndè culpa facit hominem malum, non autem pœna. Et ideo non poteſt homo peruenire ad perfectiſſimum bonum, quod eſt beatitudo, niſi per remotionem omnimodam peccati, quod eſt malum culpæ. Et hoc oſtendit regius vates, cum dicit: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra, &c.* In quibus quidem verbis ponitur triplex negatio, quæ perfectam innocentiam comprehendit, & omnimodam remotionem peccati. Cùm enim loquendo de peccatis, *omne quod eſt in mundo ſit concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ,* ait beatus Ioānes. Peccatum carnalis voluptatis & laſciuiæ, peccatū cupiditatis & auaritię, peccatū elationis & ſuperbiæ. Quorum primum carni, ſecundum mundo, tertium diabolo appropriatur. Prima negatio, quę eſt nō abire in conſilio impiorum, excludit peccatum elationis ſuperbiæ, quod dæmonibus appropriatur: ipſi enim ſunt impii, quorum peccatum fuit conſilium poſt creationem, à Deo recedere per elationem, ſecundum illud Iſaiæ: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilo-* — Pſal. 1. — 1. Ioa. 2. — Iſa. 14.

quilonis ascendam super altitudinem nubium similis ero altissimo. Et in
Gen.3. Genesi dicitur: *Eritis sicut dij* Qui igitur superbia extollitur in consilio impiorum ambulat, & à Deo & à suo consilio recedit, & hoc est fatuitas maxima; quia ad bonum consiliarium requiritur & prudentia & beneuolentia, vndè qui ab inimico & maleuolo consilium accipit, & consilium amici & prudentis relinquit, stultissimus est. Christus autem amicus & prudentissimus est, dans consilium humilitatis, dicens illud Matth. *Discite à me quia mitis sum*
Mat.11 *& humilis corde.* Diabolus autem hostis noster est maximus, & est etiam fatuus, imò fatuissimus, vt patuit in effectu: quia ibi stare nesciuit, Vnde numqu m aliquis vt ipse cecidit. Si ergo elationem aut superbiam nobis consulat, spernatur eius consilium, & adhæreatur consilio Christi.
Tob.4 Tobias: *Consilium semper à sapiente perquire, & omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*

B Secunda negatio, quæ est in via peccatorum non stare, excludit peccatum cupiditatis & auaritiæ, quod mundo appropriatur Est enim mundus via peccatorũ, quia quandiu in ipso sumus, peregrini sumus. Vitare peccatum totaliter non possumus: caueat tamẽ quilibet ne in eo stet. Quia sic est de arena seu sabulo viuo, quod iuxta mare in locis pluribus inuenitur. Hoc enim currentes & velociter transeuntes supportat; stantes verò absorbet & deuorat; sicut mũdus iste, propter quod meritò di-
Num. 13 ci potest, *Terra quæ deuorat habitatores suos*, sicut dicitur in Numer. ideò cauendum est hic per amorem stare. Gen. *Non stes in omni loco circa regiones, sed in monte saluũ te fac.*

¶ Tertia negatio, scilicet in cathedra pestilentiæ nõ sedere, excludit peccatum voluptatis & lasciuiæ, quod carni attribuitur. Et signanter per cathedram pestilentiæ intelligitur; quia enim caro locus est ipsius animæ, in quo quidem residet, quãdo in ea delectatur, ideò per cathedram intelligitur, quæ conueniẽter dicitur pestilentiæ. Est enim pestilentia secundum Isidorum 4. Etymologiarum, contagium quoddam, quod dum vnum apprehendit, celeriter transit ad plures Dicitur autem pestilentia, quasi pastulentia, scilicet à pastu. Sic fuit de infectione carnis, Ipsa enim in primo parente inchoata, ad posteros deriuata est celeriter. Et benè à pastu hæc pestilentia dicitur; quia à pastu cibi vetiti originem sumpsit, vnde videtur Dominus dixisse ipsi primo parenti illud Exodi: *Pecutiam te, & populum tuum peste.* Sed cùm ipsa caro pestilens sit, maximè quia non solum à parentibus in filios transit infectio, sed etiam in eodem homine à carne in spiritum: vt dicit Chrysostomus: Nulla res sic præpedit virtutem, sicut corporalis voluptas. Et Augu. ad Maximum comitem: Nullum perniciosiorem patior hostem, quam corpus in quo habito: est enim quasi leo subuersor in domo mea, vndique me pestifero morsu lacerando consumens. Sed contra hanc corporis pestilentiam remedium haberi potest, ne spiritus sibi coniũctus infectionem incurrat. Nam Auicenna in primo canonis docet, quod si aër est pestilentialis, obuiandum est ei exsiccando corpus. Et sunt secundùm eundem in eo dem librò exsiccantia motus vigiliæ, & nutrimenti paucitas. Reuera contra pestem carnis, ne inficiatur spiritus, hæc obseruanda sunt, vt videlicet corpus exsic-

Isidor. Exod. Chrys. Augu. Auic.

cetur,

cetur motu,id est laboribus,& vigiliis,& ieiuniis,vt sic eius vis infectiua minuatur Ecclesiast. *Attende tibi à pestifero : fabricat enim mala.* Eccli.11

C SECVNDO in themate proposito suadetur studium fructuosum, scilicet vigilandi & custodiendi. Vnde primo conuenit esse solicitum,sicut est ille qui vigilat: secundo cautum, sicut est ille qui custodit vestimenta sua. Circa primum notandum, quod specialiter custodes portarum ciuitatis, qui debent custodire portas sibi commissas, solent vigilare,ne hostes ingrediantur, & per eorum negligentiam & soporem ciuitas amittatur. Certè Dominus noster iuit in parte longinqua, & tradidit cuilibet custodiã sui, & ideò debet quilibet vigilare, vt quandò Dominus venerit, possit reddere bonam rationẽ, & bonum computum de officio custodiæ suæ. Et ideo didit Mar. *Ianitori præcepit vt vigilet.Vigilate ergo. Nescitis enim quando Dominus veniet.* Mar.31

In quibus quidem verbis debemus attendere quatuor.

Primò commissam custodiam, quia *Ianitori.*

Secundo iniunctam obedientiam,quia *præcepit vt vigilet.*

Tertio solicitam diligentiam, quia *Vigilate ergo.*

Quarto suspectam ignorantiã, quia. *Nescitis enim quando Dominus veniet.*

D. ¶ Circa primum attendendum est,quod iste ianitor est ratio,quę debet custodire & regere totum hominem, quando enim fortalitiũ est captum,de facili aperiũtur portæ.Ita quando per negligentiã hominis eripitur cor per consensum, de facili capiuntur & aperiuntur portæ, & intrant hostes, scilicet & os ad dicendum verba mala,& oculi ad malè respiciẽdũ & aures ad malè audiendum, & manus ad malè tangendum, & sic de aliis membris. Iob: *Quasi rupto muro, & aperta ianua irruerunt super me.* Iob.30. Et ideo sicut inimici intrãtes per negligentiam ianitoris destruunt ædificium, & incendunt, & polluunt;sic certè peccata hominem. Psal. *Exciderunt ianuas eius in idipsum,in securi & ascia deiecerunt eam, incenderunt igni sanctuarium tuum in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Psal.73. Clausit Achã ianuas templi Domini. 2.Pa.28 Quando aliquis suspectus venit ad portã, prius debet inquiri à portario quis sit. Sic quando vna tentatio venit & pulsat,debet homo diiudicare quid sit, vtrum bona vel mala;& tunc repellere & claudere ianuam,id est cõsensum Paral. 2.Pa.35 *Ianitores verò singulas portas obseruabant,ita quod nec in puncto descẽderent à ministerio.* Secundò in auctoritate adducta nota iniunctam obedientiam, quia *præcepit vt vigilat.* Videmus quod tempore pacis homines dormiunt securè in lectis suis,& non indigent portare arma, sed potius vacant gaudiis & festiuitatibus; sed quandò sunt in guerra,tunc non dormiũt securè, sed necesse habent vigilare, & præcipitur custodibus, & hominibus vt vigilent, nec audeant incedere sine armis. Sic homines qui habent pacem cum diabolo,& seruiũt ei in statu peccati sunt in pace, vacant gaudiis & dissolutionibus, & dormiũt in fæcibus peccatorum suorum. Sed quãdò aliquis est in bono statu,& recedit à dominio diaboli, & seruit Deo, oportet quod sit paratus contra diabolum, & quod vigilet contra eius insidias, ideò dicitur in figura in lib. Mach. *Audiuit Ionathas,* 1.Ma.12 idest colũba veniens,id est homo qui vult ad aliquod bonum peruenire? *quonã regressi sunt principes Demetrij*, qui interpreta-

tur nimium persequens, scilicet, diabolus, qui nunquam cessat ad persequendum, *cum exercitu multo pugnare aduersus eum*, scilicet diuersis peccatis. Et quid fecit? *Et exijt ab Hierusalem*, id est à pace diaboli, *& occurrit ei in Amathite regione*, id est in indignatione. Nō debet homo exspectare quod diabolus præueniat eum. *Non enim dederat eis spacium, vt ingrederentur regionem eius.* Et sequitur: Et *præcepit Ionathas suis vigilare, & esse in armis paratos tota nocte, & præposuit custodes per circuitū castorū:* quia non debet esse in homine aliqua pars, qua nō caueat à peccato. *Et audierunt aduersarij quod paratus est Ionathas cum suis in bello, & timuerunt.* Tertiò in auctoritate adducta nota solicitam diligentiam, ad quam inducit dicens: *Vigilate ergo.* Nota, quando aliquis Dominus iuit ad aliquem locum, & debet redire, familia ipsum expectans solet vigilare, & tenere lumen in domo, vt quacunque hora venerit, sint parati ad aperiendum, aliter enim Dominus turbaretur. Sic certè Dominus noster iuit ad regionem longinquam, & debet redire, nescio quandò, vel ad iudicium particulare in morte, aut ad iudiciū generale in fine mūdi; & ideò debemus esse parati, & habere lumen gratiæ Dei, vt non inueniat nos dormiētes in tenebris pec-

Luc. 12. cati. Vndè Lucas dicit, *Sint lumbi vestri præcincti*, id est motus carnalium desideriorum refrænati, *& lucernæ ardentes in manibus vestris*, id est bona opera habebitis in gratia Dei & charitate facta. Glossa: Deo non placet vnum sine altero, vt cùm quis vel bona agit, nondum refrænata luxuria? vel castè viuit, non exercens se ad bona opera. Sequitur: *Et vos similes hominibus*, non brutis, *expectantibus Dominum suum*, vt remuneratorem, *quando reuertatur à nuptijs.* Ad nuptias iuit in ascensione, *vt cum venerit*, ad iudicium vt dictum est, *& pulsauerit*, per infirmitatem mortem propinquam ostendendo, *confestim aperiant ei, Beati serui illi quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi.* Vbi loquitur de vita hominis ad modum vigiliarum noctis, quia vita hominis non est nisi nox respectu vitæ futuræ.

E Sunt enim quatuor vigiliç. Prima dicitur conticinium à vespere incipiente vsquequo homines incipiant conticere. Secunda vocatur intempestiuum, scilicet ab illa hora vsque ad mediam noctē, quando homines nihil agunt, nec est tempus agendi. Tertia vocatur galli cantus, quia galli sunt quasi nuncii diei. Quarta vocatur antelucanum, quod est quasi in tenebris, & initium auroræ. Sed certè in vita hominis sunt quatuor vigiliç id est quator çtates, in quibus oportet vigilare. Prima est pueritia siue adolescentia: Secunda iuuentus: Tertia senectus: Quarta ætas decrepita. Si ergò inueniat Dominus hominem benè vigilasse in adolescentia bene; sin autem non & in iuuentute benè vigilauerit, adhuc bene; si n autem non & in senectute benè vigilauerit, adhuc bene, sin autem non: & in decrepita ætate bene vigilauerit, etiam Deus acceptat. Nō ergò desperet quisquam, quia pius iudex patiēter expectat moras nostras, & ideò in quacunque vigilia istarum homo inuentus fuerit benè vigilasse, *Beati serui illi*. Quarto in auctoritate superius adducta, nota suspectam ignorantiam, quia *Nescitis enim quando, &c.* Et ideo vigilandum. Ideo enim Dominus tem

tempus mortis voluit occultari,vt omni hora ipsa mors semper habeatur suspecta, & semper parati simus. Vnde Seneca. Seneca. Sic viue,quasi cras moriturus: quilibet enim dies vitæ nostræ ordinandus est velut vltimus. Bernar. Bernard. Est commune mori,mors nulli parcit honori. Debilis & fortis veniunt ad limina mortis, & ideo debet homo semper timere. Hieron. Hierony. Siue comedam, siue bibam, siue aliud quid faciam,semper videtur intonare in auribus meis illa vox,Surgite mortui, venite ad iudicium. E Mat. 24 Ideo dicitur Matth.24. *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis venturus est.* Et Matt. Mat.20. Quæ paratæ erant,intrauerunt cũ eo ad nuptias.

F SEQVITVR in secunda parte thematis propositi, & custodit vestimenta sua,vbi docet hominẽ esse cautum in custodiendo. Et nota quod dicit vestimẽta in plurali quia scilicet triplex est animę vestimentum quod diligenter custodiri oportet, scilicet generale, & nuptiale.& ministeriale. Generale enim vestimentum,quo omnes animæ induuntur,est corpus, & hoc custodiẽdum est à luto ne inquinetur. Dicitur enim Apoc.3. Apoc.3. *habes pauca nomina in Sardis,qui nõ inquinauerunt vestimenta sua:* tamẽ subditur de præmio talium. *Ambulabunt mecum in albis,* id est in corporibus glorificatis, *quia digni sunt.* Vndè de custodia talis vesti- 1.Tim.5 menti admonebit Apostolus 1. Timoth.5.dicens: *Te ipsum castum custodi.* Vestimentũ verò nuptiale & festiuum est charitas, quia qui sine ipso inuentus fuerit, excludetur à nuptiis agni, id est à conuiuio cœlestis gloriæ quandò traducetur,id est in morte quãdo anima,quæ est sponsa Christi traducetur ad cæleste palatiũ, quod est domus sponsi, vel quando tota electorum ecclesia, quæ est spõsa sine macula, traducetur ad nuptias sponsi, id est ad refectionem, & solennitatem paradisi post iudicium. Hoc figuratur in nuptiis, de quibus habetur Mat.22.vbi dicitur quod *vidit ibi hominem non* Mat.22. *vestitum veste nuptiali,* id est non habentem charitatem,quæ operit multitudinem peccatorum: *& ait illi,*scilicet Dominus: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialẽ,* id est charitatem. Et si tu quæras, quomodo qui non habet charitatem,intrat ad nuptias cœli? Dico quod peccator etiam habet fidẽ, licet informem, de gloria paradisi, & etiam sperat ipse venire ad vitam æternam. Sed si non mutauerit vestem,scilicet vt exuat vestem vilem sacci, id est peccatum, cum qua non licet intrare palatiũ nuptiarum regalium : secundùm Hest.4. illud Hester: *Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare:* & non induerit vestem pulchram & honorificam charitatis, quæ est vestis duplex, scilicet superior & inferior,id est amoris Dei, &proximi. Vndè illud Prouerb. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Pro.31. Talis inquam peccator, hoc non faciens, frustrabitur à spe sua vana. Et ideò de supradicto homine, qui non habebat vestem nuptialem, subditur quod Dominus nuptiarum præcepit; *Ligatis manibus & pedibus, proiicite eum in tenebras exteriores: ibi erit &c.* Et ideò peccator charitate carens,licet intret aliquo modo ad nuptias cœlestes, pér fidem informem, & per præsumptuosam spem;non tamen intrat realiter& verè,sed excluditur ab eis. Hoc ergò vestimẽtum nuptiale charitatis præcipuè custodiendum est à sensibus auaritiæ ne laceretur: quia scilicet amor mundi & diuitiarum,quę per spinas intelliguntur, dissipat amorẽ 1.Ioã.2. Dei. 1 Ioan. *Si quis diligit mũdum, non est charitas Patris in eo.* Nam si-

cut amor alienæ mulieris dissipat amorem coniugalem, ita amor auaritiæ & cupiditatis mundanæ dissipat amorem spiritualem scilicet charitatis, & ideò cum magna sapientia & prudentia debet homo se custodire ab auaritia, ne tollat ei vestem charitatis. Vndè
Prou.7. in Prouerb. dicitur: *Dic sapientiæ soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena.* Nam si sapienter amaueris Deum, & prudenter amaueris proximum, custodieris à muliere extranea, id est ad auaritia, quæ facit esse extra amorem Dei, & etiam à muliere aliena, id est à rapina, vel vsura, quę aliena concupiscit, scilicet bona proximi, & quia ad hæc ordinantur omnia mandata Dei, dicitur
1.Ioã.5. 1. Ioan. *Hæc est charitas Dei, vt mãdata eius custodiamus.* Vestimentũ autem ministeriale, quo vestiũtur omnes serui & ministri Dei, est meritum bonorum operũ, quod ex variis virtutibus progreditur. Hoc vestimentum præcipuè custodiendũ est à vermibus, ne corrodatur. *Vermis enim vestimentum*
Iob 13. *rodens est tinea,* Iob: *Quasi vestimen-*
Augu. *tum quod comeditur à tinea.* Augu. in regula, Indumenta ne amemus habere duo sub vno cubili: ne à tinea lædantur. Hæc tinea de vestimento nascens est superbia vel inanis gloria, quæ ex bonis operi-
Eccli42 bus oritur. Eccli. *De vestimentis procedit tinea,* & tamen ipsa bona destruit: & eorum meritũ prodit. August. in regula: Alia quęcũque iniquitatas in ma. ope. exer. vt fi. superbia verò etiam bo. ope. insi, vt pereant. Prouerb. *Tinea nocet ve-*
Prou.15 *stimento, & vermis ligno,* id est superbia & vana gloria operi bono. Homo qui habet bonũ, diligenter custodit ipsum ne surripiatur à furibus. Sic debet homo custodire meritum suorum operum, & laborum, ne surripiatur à vana gloria & superbia. 2. Tim. *Bonum de-* 2.Tim.1
positum custodi.

TERTIO in themate proposito præcauetur opprobrium ignominiosum, cum dicitur, *ne nudus ambulet,* id est vadat ad Dei iudicium, quia non est minoris opprobrij, sed longe maioris ambulare animam nudam, & vestibus virtutum & bonorum operũ expoliatum coram oculis Dei, quam corporaliter nudum incedere coram oculis hominum. Et ista nuditas & opprobrium prouenit ex peccatis, propter quæ expoliatur anima & veste gratiæ, & veste gloriæ, & etiam veste naturæ, id est corpore in morte, & ita denudata ponitur in cruciatu gehennæ, & idcirco dicit Ioannes in Apoca- Apo. 17
lypsi: *Desolatam facient illam,* scilicet peccatoris animam, *& nudam, & carnes eius manducabunt,* scilicet vermes, *& ipsam,* scilicet animam, *igne concremabunt,* id est concremari facient, vel dæmones ipsam igne cremabunt. Vbi attende quomodo peccatoribus, propter peccata sua, omnia in contrarium cõuertentur Nam faciant illam, scilicet peccatores animam, primò desolatam, contra consolationem dignitatum & honorum: & nudam, contra possessiones diuitiarum & bonorum, & manducabũt vermes carnes eius, contra fruitionem delitiarum & ciborum & ipsam igne cremabunt, contra scilicet abusionem & libidinem carnalium delectationum. Erit ergò primum desolata, id est destituta solatijs dignitatum & honorum. Abierunt enim tunc turbæ ministrantium, frequentiæ applaudentium, lætitiæ ludentium, hastiludia militãtium & quæcunq; consueuerunt dominis solatiũ afferre Vndè Psalmista de subita desolatione talium admirans dicebat.
Quomodo facti sunt in desolatione, subitò defecerunt. Psal. 72.

H Secundo erit nuda, id est exspoliata & priuata omni fulcimento, & opulentia diuitiarum & possessionum. Vbi notandum, quod est quædam nuditas ignominiosa, sicut nuditas vestimentorum, & hanc in anima facit peccatũ, quia tollit vestimenta virtutum, vnde dicitur animæ peccare volenti.
Ezec. 16 Ezech. *Derelinquet te nudam plenamque ignominia.* Quædam verò nuditas est periculosa, sicut nuditas armorum, quia expoliatus armis iustitiæ, faciliter vulneratur ab hoste, scilicet vulneribus tentationis, quæ tamen vulnera sanari possunt, si cito adhibeatur medicamentum pœnitentiæ. Et sic euadit homo qui vulneratus fuerat morte gehennæ. 2. Machab. *Plures*
2. Mach. 11. *vulnerati nudi euaserunt.* Quædam verò nuditas est angustiosa & odiosa, sicut nuditas paupertatis, non voluntariæ sed coactæ. Vndè dixit secundus Philosophus, quod paupertas est odibile bonum, illis autem qui in morte expoliãtur, & nuditantur omnibus aliis temporalibus diuitijs & bonis, & vadunt sicut nudi ad paupertatẽ inferni, est talis nuditas odibile malum: Iob 14. Iob. *Homo cum mortuus fuerit & nudatus atque consumptus vbi quæso est?* Et vult dicere cùm homo mortuus fuerit, id est separatus à viuorum consortiis, nudatus à terrenis diuitiis, & consumptus in substantia carnis, vbi quæso est, scilicet à nobis absconditus. Si ergò non fuerimus in morte inuẽti nudi nuditate culpæ, sed vestiti vestimento gratiæ, introducemur in habitationem cœli, vbi vestiemur vestimento gloriæ, secundũ Cor. 5. illud 2. Corinth. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, &c.* Et sequitur: *Et in hoc ingemiscimus, habitationẽ nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes, si tamen vestiti non nudi inueniamur.* Ad hanc habitationẽ cœlestis gloriæ perducat nos Deus. Amen.

Explicita est distinctio tertia, in qua actum est simul de vita & morte.

DI-



DISTINCTIO IV.

CONTINENS SERMONES DECEM

De Conditionibus Hominis iam mortui, & eius calamitosis miseriis cogitandis.

SERMO I.

De annihilatione mortui, qualiter & quare fiat per mortem.

A*D nihilum redactus sum & nesciui.* Psalm. 72.

Videmus quandò aliquis fuit in magno statu, & in multis bonis abundãs, quod postea quandò deiectus est ab illo statu, & omnibus bonis priuatus, dicitur talis ad nihilum esse redactus. Et aliquandò dicit talis: Ego nescio quare sic ad nihilum redactus sum. Huius exemplum habetur in Iob, qui expoliatus filiis & diuitijs multis dicebat: *Ad nihilum redacti sunt omnes actus mei.* Et post subditur: *Ego ille quondam opulentus repentè contritus sum.* Quia igitur homo mortuus, id est corpus, expoliatus est omnibus bonis, quæ habebat, siue essent bona naturæ, vt vita, sanitas, fortitudo, pulchritudo, & cetera talia: siue bona fortunæ, vt sunt diuitæ, honores, delitiæ, & similia, idcircò ex persona hominis defuncti dicitur. *Ad nihilum redactus, &c.*

Iob 16.

A In quibus quidam verbis conqueritur de duplici defectu.

Primò enim conqueritur de priuatione generali: quia *ad nihilum redactus sum.*

Secundò de offuscatione mentali: quia *nesciui.*

CIRCA primum aduertendum est, quod sicut spinæ aliquãdo primo euelluntur cum ligone & euulsæ igne comburuntur, & adnihilantur. Sic homo per mortem euellitur à mundo, vel anima à terra corporis, & euulsa à corpore, propter peccatum vadit ad ignem inferni, & tunc homo dicitur adnihilatus, secundum corpus quidem, quia recessit corpus illud à vero esse suo, quod erat esse humanum. Item anima in gehenna existens, priuata est vero esse, quod est esse beatum, cum Deo, & sic respectu hic viuẽtium, vel beatorum in cœlo existẽtium peccatores damnati dicuntur esse adnihilati. Vndè dicitur 2. Regum 23. *Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi: quæ non tolluntur manibus. Et si quis tangere eas voluerit armatur ferro & ligno, lanceato igneque succensæ comburentur vsque ad nihilum.* 2. Re. 23

B

In quibus verbis describit de peccatoribus quatuor.

Primum est transgressio culpæ: cum dicit, *Præuaricatores,*

Secundum est destructio naturæ: quia *quasi spinæ euellentur, &c.*

Tertium est defensio malitiæ: *& si quis tangere eas voluerit, &c.*

Quartum est comminatio gehennæ: quia *igne succensæ comburẽtur, &c.*

¶ Circa primum aduertendum est, quod secundum leges ciuiles præua-

præuaricator vocatur ille, qui accusat, si fraudem adhibet in accusatione. Potest enim in accusatione committi triplex peccatũ. Primum est si accusatio sit falsa, & si hoc procedit ex malitia, est peccatum calumniæ. Si verò procedit ex leuitate animi, puta quod homo nimis cito credidit quod audiuit, est peccatum temeritatis. Non enim debet homo ad accusationem procedere, nisi de re omnino sibi certa, in quo ignorãtia facti locum non habeat. Si verò procedit ex iusto errore, quod aliquis in falsam accusationẽ prorumpat: tunc iudex nõ debet pronunciare eum calumniatũ fuisse, neque etiam si processit ex animi leuitate, neque debet tunc imponere pœnam talionis. Secundùm peccatum quod potest committi in accusatione est tergiuersatio. sic quandò aliquis ab accusatione retrocedit, & totaliter desistit, ex hoc enim quod ab eo quod cœperat desistit, videtur terga vertere, scilicet si accusandi animum omninò deponat, non qualitercunque, sed inordinatè. Contingit enim quandoque aliquem ab accusatione desistere ordinatè, absque vitio dupliciter. Vno modo si in ipso accusationis processu cognouerit falsum esse illud, de quo accusauit, & sic pari consensu se absoluunt actor & reus. Alio modo si princeps, ad quem pertinet boni communis cura, quod per accusationem impeditur, accusationem aboleuit. Tertium peccatum quod potest in accusatore contingere est præuaricatio. Et hoc quandò quis in accusatione adhibet fraudem malitiosè, punitionem peccati impediendo, & hoc vocatur præuaricatio, quia præuaricator quasi varicator est, qui aduersam partem iuuat, prodita causa sua, vel abscondendo aduersarii crimen. Non tamen quicumque abscondit vera crimina præuaricatur, sed solum qui fraudulenter obscondit ea, de qui bus accusationem proponit, colludens cum eo, proprias probationes dissimulando, & falsas accusationes admittendo. Quicunque ergo se sentiunt in hoc offendisse, redeant ad cor suum, & pœniteant quia præuaricatores fuerunt. Isaiæ 46. *Redite præuaricatores ad cor.* Sed in sacra scrptura communiter vocantur præuaricatores illi, qui transgrediuntur legum decreta siue præcepta. Et si tales leges iustæ sunt, mortaliter peccant subiecti eis si eas transgrediuntur. Vndè sancti viri potius eligunt mortem corporis, quam transgredi tales leges, sicut patet. 2. Machabæo. 7. Vbi vnus ex illis septem fratribus dixit tyranno. *Quid vis discere à nobis? parati sumus magis mori, quam patrias Dei leges præuaricari.* Et signanter dicit patrias Dei leges, quia leges patriæ siue ciuiles & communes, siue propriæ & municipales, non sunt obligatoriæ quoad consciẽtiam, nisi sint Dei leges. Tunc autem sunt leges Dei, quando sunt iustæ, & tunc dicuntur esse Dei, quia deriuatæ sunt à diuina sapiẽtia: quæ ait Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta descernunt.* Vocantur etiam præuaricatores illi, qui post pœnitentiã peccatorum iterum recidunt in peccata. Et ratio est, quia tales quæ prius destruxerunt reædificant. Vndè dicitur Galat. 2. *Si quæ destruxi, iterum hæc reædifico, præuaricatorem me constituto.*

¶ Secundo in auctoritate inducta tangitur destructio naturæ seu vitæ, cum dicitur, *quasi spinæ euellentur, quæ non tolluntur manibus,* quasi dicat, quia præuaricatores & peccatores neque manu Dei benefacientis, neque manu Dei flagellantis, permiserunt se carpi &

Isai. 46

2. Mac. 6

Prou. 8.

Galat. 2

& euelli à peccatis, in quibus radicem cordis habebant infixam, saltem hoc effugere non poterūt, quin per ligationē mortis à mundo euellantur. Vndè contra peccatorem impœnitentē dicit Psal.
Psal 15. *Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Assimilantur autem peccatores spinis, quia etiam sub flore sunt carpentium pungitiuę, & ideò dicitur hic, quod non tolluntur manu & sic peccatores etiam sub flore mundanæ prosperitatis habent punctiones solicitudinum, & timorum, & dolorum, & etiā punctiones cōscientiarum, quas quidam non attendentes esse sub sentibus, delitias computabant. Item quia in peccatoribus exardescit ignis auaritiæ, concupiscentiæ
Ps. 118. & iracundiæ, in præsenti. Psalm.
Isai. 33. *Exarserunt sicut ignis in spinis,* scilicet in futuro exardescet in eis ignis gehennæ. Isa iæ. *Spinæ congregatæ igni comburentur.* Nota quod rusticus veniens aliquando ad locum vel sepem plenam vepribus & spinis, licet non tollat eas manu, tamen succidit cum falcastro suo, & tollit eas cum furca sua, & congregat, & succendit igne. Sic peccator plenus spinis diuitiarū, quas illicite acquisiuit, vel per violētiam rapuit, licet in vita ista non tollatur manu hominis, tamen non poterit euadere, quin etiam absque manu hominis falcastro mortis succidatur, & furca diuinæ iustitiæ, quæ quasi duplici ramo, id est duplici punitione scilicet animæ & corporis, vel pro commissis & omissis damnat, tollatur ad pænam ignis æterni, Iob.
Iob 34. *Auferet* scilicet diuina iustitia. *violentum.* scilicet peccatorem, qui deserta iustitia aliena rapuit: *absque manu*, id est absque operatione seu percussione humana. Tertium malum, quod ostenditur in auctoritate adducta esse in peccatoribus, est defensio malitiæ suæ de quo dicitur: *Si quis tangere eas voluerit, &c.* quasi dicat, si quis tāgere voluerit spinas, & peccatorū vitia corrigere, & maximè diuitū & potentum, non poterit hoc facere quia non sustinebunt, sed resistent ei, noli me tangere dicentes, vbi corrector sit armatus ferro, id est vbi sit potens ad sui defensionem. Sap. *Accipiet armaturam zelus illius.* Sap. 5.
Et sit etiam armatus lancea, id est potens ad subiugandum & feriēdum cum lancea, id est cum rectitudine & fortitudine iustæ sententię. Nam lignum lanceę habet rectitudinem & ferrum eius habet fortitudinem. Et hæc duo sunt necessaria ad corrigendum potentes & diuites, scilicet rectitudo iustitiæ & fortitudo potentiæ. Sap. 5. *Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem iram diram in lanceam, & pugnabit cum illo.* Sap. 5.
Vel possent prædicta exponi tantum de peccatoribus, quia si quis eos tangere, id est corrigere voluerit, tunc peccator non sustinet correctionem, sed armatur ferro obstinatæ defensionis: quia non vult culpam suam confiteri, sed defendit eam cum obstinatione incorrigibilitatis. Armatur etiam ligno lanceato, id est lingua detractoria, quæ percutit vitam & famam corripientis. 1. Regum: 1 Re. 19
Nisus est Saul lancea percutere Dauid. Quartum malū quod ponitur contra peccatores, est cōminatio gehēnæ: quia *igne succensæ cōburentur, &c.* Quia scilicet in inferno comburentur æterno incendio: licet enim in inferno non sit sola pœna ignis, quod ostenditur Iob, Iob 24
24. vbi dicitur, quod *transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium*, id est à vehementissimo frigore ad vehementissimum calorem. Et

in Psalm. dicitur: *Ignis sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorũ.* Psal. 10. Nam in igne ardor, in sulphure fœtor, in spiritu procellarum incessabilis tortor, scilicet diabolus accipi potest. In proposita tamen auctoritate fit mentio solũ mde pœna ignis, quia cum ignis sit maximè afflictiuus, propter hoc quod abundat in virtute actiua: ideò nomine ignis, omnis vehemens afflictio seu pœna damnatorum designatur. Quod autem dicit de spinis, id est de peccatoribus, quod igne succensæ comburentur, non est contrariũ ei quod dicitur Iob: *Deuorabit eos ignis, qui non succenditur.* Iob. 20. Et Gregorius etiam dicit, quod ignis ille durat inextinguibilis, qui succensione non indiget, & ardore non caret quia reuera ignis ille non succenditur eo modo, quo succenditur iste qui est apud nos. Nam ignis iste lignis nutritur, & ab homine succenditur, quia est artificialiter & per violentiam in alienam materiam introductus. Sed ignis ille lignis non indiget, quibus foueatur, quia vel est in propria materia existens, vel est in aliena non per violentiam, sed per naturam à principio intrinseco, & ideò non est accensus ab homine, succenditur tamen à Deo, qui naturam illam instituit. Et hoc est Isai. 30. quod dicit Isai. 30. *Flatus Domini quasi torrens sulphuris succendens eam.* Quod autem additur in auctoritate adducta, quòd *comburentur vsque ad nihilum.* Non est intelligendum, quòd per combustionem redigantur in non esse simpliciter, quia Deus de sua iustitia, licet damnato homini, qui contra se peccauit, posset esse subtrahere, & eum in nihilum redigere, conuenientior tamen iustitia est, vt eum semper ad illã pœnam in esse reseruet. Et ratio est, quia semper Dei iustitia habet aliquid misericordiæ admixtum, nõ solum in remuneratione bonorũ, quos remunerat supra condignũ, sed etiam in punitione malorum, quos citra condignum punit. Vndè in Psalm. dicitur: *Non secundum* Ps. 102. *peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.* Si autem damnati redigerẽtur in nihilum, tunc iustitia Dei non haberet aliquid misericordiæ admixtum, quia nihil remaneret de eis, cui posset misericordiã exhibere, & sic esset furor iustitię sine mitigatione misericordiæ. Propterea dicitur Hierem. *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio & non in furore tuo, ne forte ad nihilum* Hierem. *redigas me,* quasi dicat: Si corripères me in solo furore iustitiæ, ita quod iudicium tuũ misericordiæ temperamentũ excluderet, ad nihilũ redigeres me. Dicuntur ergò dãnati in gehennæ combustione ad nihilum redigi. Primò quidem, quia nihil est quod eis prodesse possit. Itẽ quia de bonis amabilibus & appetibilibus eis nihil remansit. Nã quamdiu viuebant in mundo, habebant bona tẽporalia in re, sed nec à spe futurorũ bonorum erant adhuc exclusi, sed in gehenna existentes, omnibus priuati sunt, & bonis supernis siue æternis, quibus fruũtur beati: & bonis internis scilicet gratiæ & virtutibus, quibus abundant iusti, & etiã externis id est tẽporalibus, quibus abundãt viui. Nihil ergò boni remanet in eis nisi tantũ esse naturæ, quod tamen est ita miserũ, vt potius detestentur ipsum vt malũ, quàm diligant vt bonum. Vndè secundum probatos doctores, potius vellent non esse, quã in tanta miseria esse. Ad nihilũ ergò bonorum redacti sunt, quia sic omni bono priuati sunt. Vndè Isai. *Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum.* Isai. 30.

SE-

SECVNDO in themate proposito agitur de offuscatione mētis, cùm dicitur, *& nesciui*. Maxima enim mentis offuscatio est, nō videre peccata sua. Vndè glossa exponit, nesciui scilicet peccatum meum. Ista est periculosa ignorantia, quia sicut ille qui nescit se esse infirmum, non quærit medicinæ remedium, & ideò tendit ad mortem. Sic ille qui suum non cognoscit peccatum, non quærit remedium pœnitentiæ, & sic tendit ad mortem æternam. Et ideò Seneca dicit, quòd initium salutis est notitia peccati: quoniam qui peccare se nescit, corrigi nō vult. Et idcirco de peccatoribus talibus dicitur in Psalm. *Nescierunt neque intellexerunt qui in tenebris ambulant.* Psal 81.

In quibus quidem verbis tangitur triplex ignorantia, quæ in peccatoribus inuenitur.

Vna est quæ causatur ex auaritiæ affectu, & de hac dicit, *nescierunt.*

Secunda est quæ causatur ex superbiæ contemptu, & propter hāc dicit, *neque intellerunt.*

Tertia est ex concupiscentię dominatu, & propter hanc dicit: *in tenebris ambulant.*

¶ Circa primum attendendum est, quod diuites auari tantum afficiuntur ad ista bona, quæ quærunt vel possident exterius, quod nesciunt nec attendunt damna & mala, quæ patiuntur interius. De quo habetur figura Iosue 8. in viris vrbis Hai, qui egressi ad quærendum Israel exterius, perdiderunt vrbem interius. Sic tales auari ignorant quomodo propter ista bona exteriora perdunt bona interiora, & incidunt in mirabilem ignorantiam. Mirabilis enim ignorantia esset, si aliquis quandò esset miser, crederet se fęlicem: & vndè esset pauper, crederet se esse locupletem, & si vndè cæcaretur, putaret se esse illuminandum, & si etiam quandò esset nudus, putaret se esse vestitum. Sic accidit per omnia diuiti peccatori, secundum illud Apoc. *Dicis diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* Iosue 8. Apoc

¶ Quod breuiter sic exponitur. *Tu dicis* id est videris posse dicere: *diues sum*, scilicet in possessionibus, *& locupletatus*, etiam in rebus mobilibus, *& nullius egeo*, quātum ad corpus, quia sufficientia habeo ad vitam, *& nescis quod* quantum ad animam *tu es miser*, propter infirmitatem culpæ, *& miserabilis* propter reatum pœnæ, *& pauper* quia priuatus virtutibus. Gregor. Illæ verę diuitiæ sunt, quæ nos virtutibus diuites faciunt. Sequitur, *& cæcus*, scilicet per ignorantiam & malitiam offuscatus, *& nudus* à bonis operibus. Secunda ignorantia est in peccatoribus ex contemptu superbiæ: & ideò dixit, *nec intellexerunt*, id est nec scire curauerunt scilicet ex contemptu superbiæ. Iob: *Dixerunt Deo: recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Et sic eorum ignorantia affectata est, siue voluntaria. Potest enim ignorantia esse voluntaria, vel directè, vel indirectè, vel per accidens. Directè quidem, quandò aliquis directè vult ignorare scientiam salutis, vt non retrahatur à peccato quod amat. Psalm. *Noluit intelligere vt benè ageret.* Talis ergò ignorantia affectata est grauissima, quia videtur procedere ex magno amore peccandi, quod aliquis detrimentum scientiæ patiatur ad hoc, quod libere vacet peccato. Vndè talis ignorantia non excusat peccatum, nec in toto, nec in parte, imo magis auget. Item potest esse ignorantia voluntaria indirectè, vt cum aliquis non adhibet studium ad cognoscendum ea, quæ scire tenetur Iob 21. Psal. 35

tur

tur, & hęc est ignorantia negligẽ-
tiæ. Et intelligitur esse negligẽtia,
cũ nõ applicat animum ad scien-
dum ea, quę cognoscere debet vel
simpliciter, vel secundum omne
tempus. Vndè ignorantia iuris ad
negligentiam reputatur. Sicut si
aliquis ignoraret furtum vel ad-
ulterium esse prohibitum à Deo.
Vel etiam in aliquo casu; sicut si
aliquis emitterit sagittam in ali-
quo loco, vbi solẽt homines trãs-
ire. Ad negligentiam sibi reputa-
tur, si scire non studeat, an tunc
aliquis transeat; & sic talis igno-
rantia, per negligentiam contin-
gens, voluntaria iudicatur, & est
Hier. 10 periculosa. Et de hac ignorantia
dicitur Hiere. *Non quæsierunt pro-
pterea non intellexerunt.* Vnde talis
ignorantia non excusat actum se-
quentem à toto, sed à tanto, in
quantum actus sequẽs ex eo mi-
nus est voluntarius, quàm si sciẽ-
ter talem actum aliquis eligeret,
absque omni ignorantia. Item est
ignorantia voluntaria per acci-
dens, ex eo, scilicet, quod aliquis
directè vel indirectè vult aliquid,
ad quod sequitur ipsum ignora-
re. Directè quidem, sicut patet in
ebrio, qui vult superfluè potare,
Isa. 28. per quod priuatur vsu rationis Isa.
*Hi quoque præ vino nescierunt, &
præ ebrietate errauerunt. Sacerdos &
Propheta nescierunt præ ebrietate, ab-
sorpti sunt à vino, &c.* Et nota,
quod si aliquis propter ebrietatẽ
faceret homicidium, vel aliud ma-
lum, mereretur duplices maledi-
ctiones, vt dicit Philosophus ter-
tio Ethic. quia scilicet duo pecca-
ta facit, minus tamen peccat in
homicidio, quàm si non ebrius
occideret. Indirectè verò est igno-
rantia per accidens, cum aliquis
negligit repellere insurgẽtes mo-
tus passionum, qui postea crescẽ-
tes, ligant rationis vsum in parti-
culari eligibilis, secundum quod
dicitur, quod *omnis malus est igno-
rans.* Vndè talis ignorantia simili-
ter non excusat à toto, sed à tan-
to ipsum actum sequentem. Vn-
dè quia motus passionum inflã-
mãt, & ligãt rationis vsum & im-
pediũt intellectum, dicitur de ta- Isa. 42.
li passione. Isa. *Combussit eum in
circuitu & non cognouit: succendit
eum, & non intellexit.* Talibus ergò
ignorantiis offuscati peccatores
non cognoscunt mala vndique Iudi. 20
sibi istantia. Cuius figura habe-
tur in filiis Beniamin, de quibus
dicitur quod non intellexerunt,
quod ex omni parte instraret illis
interitus, scilicet à superiori ex
Dei sententia, ab inferiori ab in-
ferni gehenna, à parte antè ex vi-
ta malè acta, à parte post ex mor-
te peccatorum pessima, ex parte
dextra ex prosperitate malè habi-
ta, ex sinistra, id est ex aduersitate
impatienter tolerata. Tertiò quo-
que ignorantia est in peccatori-
bus ex concupiscentię dominatu;
& propter hanc dicitur, quod *in
tenebris ambulãt.* Ille enim qui am-
bulat in tenebris, & habet viam
lubricam, frequenter cadit. Sic il-
le cui carnis concupiscentia do-
minatur, ambulat in tenebris;
quia passio concupiscentiæ offus-
cat lumen rationis, sicut nebula
multùm densa intercipit lumen
solis. Vndè Aug. in li. confessioni. Augu.
Exhalabãt (inquit) nebulę de li-
mosa concupiscentia carnis, &
scatebra pubertatis, & offuscabãt
& obnubilabant cor meum ita vt
non discerneretur serenitas dile-
ctionis à caligine libidinis. Itẽ ha-
bent lubricũ carnis, & super hoc
diabolus impellit eum tẽtationi-
bus suis, & ideò non mirũ si fre-
quenter in peccatum cadit. Psal. Psal. 34
*Fiat via eorum tenebræ & lubricum,
& Angelus Domini persequens eos.*
Et dicitur diabolus Angelus Do-
mini; non solum quia à Domino
fuit creatus, non quidem malus,
sed bonus; tamen etiã quia nihil

potest facere contra nos, nisi Domino permittente & iustę concedente. Ab his ergo tenebris Dominus nos eripiat, & perducat ad lucem æternæ claritatis. Qui viuit & regnat in sæcula sæcul. Amen.

SERMO II.

De vilitate hominis mortui.

EGo *autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*, Psal. 21.

Deus ab initio dotauit hominem in tribus.

Primò in ratione; quia fecit ipsum animal rationale.

Secundò in honore, quia insigniuit ipsum sua imagine. Genes. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.*

Tertiò in prælatione, quia præfecit ipsum aliis creaturis. Genes. *Præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, &c.* Creauit ergò eum cum facultate rationis, cum nobilitate suæ imaginis, & cũ dignitate dominationis. Sed heu ostenditur in verbis propositis, quod propter ipsius hominis peccatum, omnia vertuntur in contrarium. Quoniam rationalis homo per peccatum transformatur in brutũ. Vndè dicit: Ps. *Ego sum vermis & non homo.* Honor nobilitatis imaginis commutatur in opprobrium. Vndè subdit, *opprobrium hominum*. Et dignitas prælationis conuertitur in abiectionis contemptum. Vndè addit, *& abiectio plebis*. Sed si sumantur verba proposita ex persona hominis mortui, continentur tria, quæ per morte m contingunt.

Et primum est, quia transformatur ex corruptibilitate corporali: vndè dicit: *Ego sum vermis.*

Secundum est, quia priuatur nobilitate naturali: quia *non est homo*.

Tertium est, quia repudiatur à communitate sociali, quia *opprobrium hominum.*

A CIRCA primum attendendum est, quòd corpus humanum post mortem in putredinis corruptionem resoluitur, & ex eius putredine vermes generantur, & ideò dicere potest homo: *Ego sum vermis*, scilicet futurus, quia in vermem resoluendus. Et ista est mirabilis transmutatio, scilicet de homine in vermem. Non enim similis est processus in hominis corruptione, sicut in eius generatione, quia videlicet in generatione hominis est processus ab ignobiliori ad nobilius esse, quia embrio, sicut dicit Philosophus, prius viuit vita plantæ, deinde vita animalis, & vltimò vita hominis. Seb in morte & corruptione hominis à nobiliori proceditur ad ignobilius: quia prius resoluitur in cadauer exanime, deinde in cadauer putridum, deinde corrumpit in vermes, & eorum nutrimentum. Propter quod dicitur in Iob: *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Iob. 25.

B In quibusquidem verbis primò describitur corruptio abominabilis, quia *Homo putredo*. Secundò generatio vilis, quia *fililiushominis vermis*. Ex primo autem istorum tollitur triplex gloriatio, qua cõsueuerunt homines gloriari secũdum carnem. Dicitur enim *Homo putredo*: tum quia est secundum corpus ex putredine generatus, tum etiam quia est intra corpus putredinis contentiuus, tum etiã quia est faciliter in putredinem resoluendus. Consueuit autem homo aliquando gloriari de originis nobilitate, sicut de quibusdam dicitur in Osea: *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.* Sed Dominus ad hanc gloriam tollendã dedit partum hominis cũ apertionis dolore & vterũ cũ

cor-

corruptionis fetore, & conceptum ex humoris putredine, & cum libidinis pudore: ergò gloriatio veræ nobilitatis non debet sumi à carnis generatione, quia à quocunque parente homo sit natus, semper genitus est ex putredine. Vndè vera nobilitas hominis non attenditur ex origine carnis, sed ex origine virtutis. Vndè Philosophus 2 Rhetor. quod nobile est secundùm virtutem generis, scilicet quia illi sunt nobiles, qui sunt nati ex genere digno & virtuoso. Sed si natus ex genere nobili & virtuoso degenerat: puta quod sit vilis & vitiosus, sicut etiam videmus in quibusdã terris naturaliter accidere, quod ex bono frumẽto nascitur malum bladum. Et similiter plerumque cõtingit, quod ex nobili & virtuoso genere nascitur homo inutilis, vel malus: tunc si talis velit se iactare de nobilitate generis, potius est ei talis iactantia ad ignominiam, quàm ad gloriam, cum non sit generosus, quia degenerat à nobilitate parentum. Et sic patet, quod gloriari de carnis origine est gloriari de putredine. Vndè dicitur in Iob: *Putredini dixi pater meus es.* Quandoque verò homo consueuit gloriari de carnis pulchritudine siue formositate. Sed etiam hæc gloria inanis est: quia cum corpus hominis sit plenũ putredine, simile est sepulchro dealbato, quod deforis apparet hominibus speciosum, & intus plenum est spurcitia, & cadaueris putredine. Et sic refert Boëtius, Aristot. dixisse, Si linceis oculis homines vterentur, nonne illud pulcherrimum Alcibiadis corpus, introspectis visceribus, fœtidissimum videretur? Simile est corpus hominis, quantumcunque pulchrum appareat, cumulo sterquilinij, quando est niue coopertus, quia extra habet niuis cãdorem, & subter sterquilinij fętorem: ergò gloriari de pulchritudine carnis est gloriari de coopertura putredinis. Et ideò dicitur in Prou. quod *fallax gratia & vana est pulchritudo.* Vndè etiã exterior pulchritudo corporis ex modica infirmitate putrescit. Iob: *Induta est caro mea putredine.* Quãdoque vero gloriantur homines de sepulturæ solemnitate. Vndè quidam ante mortem faciũt fieri sepulchra sumptuosa, & iubẽt fieri solẽnia fũeralia. Sed quid prosunt ista vel animæ defuncti, vel corpori, certè corpori nihil facit plus esse in alto quam in imo sepultum. Sicut narrat Valer. Max. dixisse Theodorũ Cyreneũ, quando iussus est à Lisimacho Rege cruci affigi. Tunc enim dictus Theodorus dixit ei: hęc crux purpuratis tuis terribilis est, mea autem nihil interest, an humi an in sublimi putrescam. Vndè siue sepeliatur in alto, siue sepeliatur in humo, siue in marmore, siue in muro: oportet nihilominus quod putrescat, & corrodatur à vermibus. Iob: *Quasi putredo consumẽdus sum, & quasi vestimentum quod cõeditur à tinea.* Quantum vero ad animam, si talem sepulturam põposam homo sibi fieri propter hominum gloriam procurasset, dico quod sibi obesset, & de ista vana gloria acriter puniretur. Et ideo sepultura cadaueris non est opus ostentationis & elationis, sed potius deiectionis, & humiliationis, & detestationis. Quod patet, quia licet multi deducãt ipsum & sociẽt vsque ad sepulchrum; nullus tamẽ vellet eum sociare in sepulchro. Vndè Isa. dicit moriẽti: *Quasi cadauer putridum non habebis consortium.* Secundo consideranda est in auctoritate præallegata generatio vilis, quę procedit ex corruptione: quia *filius hominis vermis.* Et potest hoc intelligi tam de

Iob 27. Boëtius Prou. 31. Iob 7. Valer. Max. Iob 13. Isai. 14.

verme spirituali, quàm de verme corporali, quia enim corruptio vnius est generatio alterius, sicut in homine fit duplex corruptio; ita & duplex generatio. Fit enim in anima corruptio spiritualis per
Psal. 13. peccatum. Vndè in Psalm. de peccatoribus dicitur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Et de tali corruptione oritur vermis spiritualis, scilicet conscientiæ remorsus. Quia dicitur vermis in quantum oritur ex putredine peccati, & animam affligit; sicut vermis corporalis ex putredine ortus affligit pungendo, & iste vermis in damnatis erit immortalis, id est indeficiens, secundum
Isa. 49. illud Isaiæ: *Vermis eorum non morietur.* Secundò fit in homine corruptio corporalis, sicut quandò corpus eius putrescit post mortem. Et tunc ex eo siue in eo vermes generantur, qui etiam ex
Isa. 14. ipso pascuntur. Vndè in Isaia dicitur: *Subter te sternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* Ergò qui corpus suum delitiis impinguat, bonam escam vermibus præparat.

C SECVNDO ostenditur in themate assumpto, quod homo per mortem priuatur nobilitate naturali, cùm dicit ex persona defuncti, *& non homo*, supple, *sum*. Et ratio est, quia homo dicitur quid compositum ex anima rationali & corpore. Et ideò proprie loquendo anima sola non est homo, sed pars hominis: & multò magis corpus, quod est pars minus principalis, & de hoc principaliter dicit, *non homo*, scilicet de corpore mortuo. Sed attendendum est, quod duobus modis dicitur aliquis ab esse humano deficere, scilicet per mortem spiritualem & naturalem. Nam per mortem spiritualem culpæ siue peccati, deficit ab humana dignitate, qua perdita assimilatur bestiis, & dicitur quasi non esse vt homo. Sed per mortem naturalem dicitur non esse homo, quia deficit ab humana integritate. Sciendum est autem, quod principalis dignitas hominis in ratione consistit, quia in hoc ab aliis animalibus homo differt, quod est animal rationale. Sed sicut dicit beatus Bernardus: Quid bestialius homine rationem habente, & ratione non vtente? Vndè etiam Philosophus in primo Metaphisicor. inter hominem & animalia cætera hanc differentiam ponit; quia alia animalia omnia memoriis & imaginationibus viuunt, hominum vero genus arte & rationibus viuit: ergò qui secundum rationem non viuit, sed contra rationem facit, sequitur quod nō inter homines, sed potius inter bestias debeat computari. Et ideo dicit Psalmista: *Homo cùm in honore esset*, scilicet rationis, *non intellexit: & ideò comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Bernard. Psal. 48.

D In quibus quidem verbis possumus cōsiderare tria.

Primò quidem hominis dignitatem, cùm dicitur: *Homo cum in honore esset.*

Secundò eius cæcitatem, quia *non intellexit.*

Tertio eius vilitatem, quia *comparatus est iumentis, &c.*

¶ Circa primum nota, quod in magno honore posuit Deus hominem, quādo posuit in eo imaginem & similitudinem suam: & fecit eum dominum omnis creaturæ. Est enim in homine imago Dei, id est totius Trinitatis: & hæc imago attenditur in homine, secundum actus intellectus & volūtatis, prout ex notitia rei quā habemus, quæ repræsentat patrem, cogitando interius concipimus verbum, quod personam filij repræsentat, & ex hoc in amo-

rem

tem prorumpimus, in quo Spiritus sancti persona repræsentatur. Sed hæc tria sunt in vna mentis essentia; quia vna est essentia trium personarum. Nō enim poterat homo fieri ad pulchrius exemplum, quàm ad exemplū imaginis diuinæ. Super hoc fecit Deus homini alium honorem, quia præposuit eū omnibus creaturis, & ideò dixit sancta Trinitas in Gen. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, &c.* Sed tamen peccatores pro honore reddunt Deo iniuriam, & beneficium dominationis sibi datæ contemnunt. Primò quidem, quia imaginem Dei in se fœdare non verentur, & deformare, siue per peccatum superbiæ, siue luxuriæ, siue auaritiæ, quę est triplex imago imaginantis imagini contraria. Nam superbia opponitur patris potentiæ; luxuria filij sapientiæ; & auaritia Spiritus sancti bonitati & communicationi. Propterea dicit Paulus ad Roman. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.* Nam in volucribus quæ altè volant, intelliguntur superbi, in quadrupedibus luxuriosi: propter corpus ex quatuor elementis compositum, in quo exercetur luxuria. Per serpentes vero terræ inhærentes, & de puluere terræ viuentes, significantur auari terrenorum cupiditate occupati. Legitur quod Theodosius Imperator multos occidit propter imaginem siue statuam vxoris suæ fœdatam, siue destructā. Vndè multo magis digni sunt morte, qui fędant imaginem diuinam. In eo autem quod Deus præposuit hominem piscibus, & volatilibus, & bestiis, ostēditur quale debet esse dominium rationis in homine, quia debet pręesse piscibus, id est passionibus cōcupiscibilis, vt sunt amor, gaudiū, delectatio, & huiusmodi, quæ diligunt aquas delitiarum. Itē volatilibus, id est passionibus irascibilis, vt sunt ira, timor, audacia, & similia. Item debet dominari bestiis, id est exterioribus sensibus, quos habemus communes cū bestiis. Qui ergo imaginem Dei deformant, & à passionibus superati Deum offendunt: patet quod pro honore & beneficio recepto iniuriam rependunt. Vndè de quocunque tali dicitur Eccli. *Pro honore & beneficio reddit illi contumeliam.*

Gen. 1. — Rom. 1. — Eccli. 39

E Secundò in auctoritate allegata ostendit Psalmista hominis cæcitatem, quia non intellexit. Glossa: Suam dignitatem, quę quidem dignitas apparet in quibusdam nobilibus proprietatibus, quas Deus dedit homini super omnia alia animalia, sicut est quod est animal intellectuale, id est quod potest intellectualibus considerationibus speculari, & in eis delectari, quod est quasi pasci pane Angelorum. Et propterea dicit regius Propheta Dauid in Psalm. quod *panem Angelorum manducauit homo.* Vnde quandò homo prætermisso studio considerationis spiritualium, solum circa sensibilia occupatur, non intelligit dignitatem suam, quia prętermisso cibo Angelorū, id est delectatione intellectuali, vtitur quasi cibo bestiali, id est delectatione sēsuali. Maximè autem hoc facit ad dignitatem hominis, vt per intellectum eleuari possit vsque ad contemplationem diuinorum. Quia licet de diuinis homo possit parum capere in vita ista, tamen sicut dicit Philosophus de partibus animalium, illud modicum quod capere possumus delectabilius est quàm omnia alia, quę sunt apud nos. Et ideò dicit Gre. quod

Psal. 77. — Gregor.

quandò aliquid æternum mente capimus, iam non in hoc mũdo ſumus. Et ideò interdum ſancti homines ex tali delectatione ita capiuntur, vt quaſi non aduertant ſi ſint in corpore, an extra corpus, ſecundùm illud Apoſto-
2.Cor.12 li Pauli: *Scio hominem, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum*. Quandò ergo aliquis, homo, ſpre tal cõtemplatione Dei occupatur tantummodo circa contemplationem mundi, nec in iſtis recognoſcit Deum, talis non intelligit ſuam dignitatem, & ideo quaſi in vanum eam habet: propter quod dicitur Sapientiæ
Sap.13. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Nam ex his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex*. Item facit ad dignitatem hominis, quod eſt animal diſciplinæ perceptibile, propter vſum rationis. Vnde homo qui non vult diſcere aliquam ſcientiam nec facit filios ſuos ſtudere non intelligit ſuam dignitatem,
Seneca. nec aduertit illud quòd dicet Seneca, quod otiũ ſine litteris mors eſt, & viui hominis ſepultura. Et Ptol. dicit alma geſti. quod non eſt mortuus, qui ſcientiam viuificauit, nec fuit pauper, qui intellectum poſſedit, vndè de his qui
Psal.8. nihil addiſcunt dicitur in Pſalmo: *Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*. Item facit ad dignitatem hominis, quod eſt animal amicabile, ſecundum omne genus amicitię, eò ſcilicet quod amicitia tantũ ſolatium eſt, quod vt Philoſophus dicit in 8 Ethicorum, ſine amicis nullus eligeret viuere, etiam reliqua bona habens. Et in hoc differt etiam homo à brutis, quæ non habent amicitiæ ſpeciem, licet ſit in eis mora alicuius complacentię, propter connutritionem, vel concupiſcentiam, ſed nõ eſt in eis amicitiæ delectatio ſecũdum electionem. Ille ergo qui neſcit aliquem amicum habere, vel tenere, ſicut eſt homo vel nimis iracũdus, vel nimis cupidus vel nimis ſuſpicioſus: talis etiã non intelligit ſuam dignitatem, & ſicut ille qui habet amicitias turpes & inhoneſtas. Et ideò dicit Tullius lib. de amicitia: Tullius
Hæc prima lex in amicitia ſanciatur, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. Qui ergò cõtrarium faciunt, non intelligunt ſuam dignitatem. Ezechiel: *Inter pollutum & mundum non intellexerunt*. Item facit ad dignitatem Ezech.
hominis, quod eſt animal coniugabile, eo quod legibus ordinatis faciat honeſtas nuptias. Illi ergo miſerrimi hominum, qui occupati vel infecti ſodomitico vitio, nolunt contrahere matrimoniũ, & illi qui non legitimè matrimonia contrahunt, vel qui contracto matrimonio in adulteria cadunt, vel qui etiam matrimonio ipſo beſtialiter vtuntur, omnes inquam iſti non intellexerunt ſuam dignitatem, ſed beſtijs comparantur. Vndè in Pſal. *Nolite fieri* Psal.31
ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Vndè exponens hoc Angelus Tobiæ ait: *In eos qui con-* Tob.6
iugia ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, habet ſuper eos dæmonium poteſtatem. F

Tertiò poſſumus conſiderare in auctoritate Pſalmi ſuperius allegata hominis vilitatem, cùm dicitur, *comparatus eſt*, ſcilicet non ex natura à Deo data, ſed ex culpa contracta, *iumentis inſipientibus, &c*. Nam ſecundum Boetiũ: Boetius
Cum homo ſit medius inter Deũ & beſtias, cùm dimittit dignitatem humanam, ſcilicet non viuẽ-

do

do secundùm rationem sed secundùm aliquam inordinatam passionem, cùm in diuinam naturam transire non possit, restat vt in bestias redigatur. Vndè secundum diuersas passiones, diuersis bestiis efficitur similis, vt dicatur, fieri per concupiscentiam porcus, per iram canis, per fraudulētiam vulpes, per rapinam leo, & sic de aliis, quod Plato vocauit secundum animarum incorporationē.

Eccle.3. Plato. Vndè Eccle. *Dixit in corde meo de filijs hominum, vt probaret eos Dominus, & ostenderet similes esse bestijs.*

B TERTIVM malum quod contingit ex morte, est; quia homo mortuus repudiatur à communitate sociali; vndè dicit ex persona defuncti, *opprobrium hominum*, supple sum, *& abiectio plebis*. Vbi notandum quod corpus hominis mortui efficitur putridū & fœtidum, & ratione putredinis est in opprobrium. Vndè dicit

Aug. August. quod putredo & vermis est opprobrium humanæ conditionis. Vndè competit defuncto

Psal. 30. illud Psalm. *Factus sum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui videbant me, foras fugerunt à me: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde*, Vbi attende mirabiles & contrarias mutationes. Nam ille qui erat viuus honorabilis, post mortem efficitur opprobrium putredinis. Ille cuius societas dū viuebat præstabat securitatem, cùm est mortuus incutit timorem etiam notis suis. F Dum viuebat cum desiderio vedebatur ab his, qui fugiūt ne mortuum videant. Et qui erat celebris in hominum fama & recordatione postquam defunctus est obliuioni datur à corde, & suorum charorum. Vel possunt prædicta verba exponi de conditione flebili cuiuslibet peccatoris, quando erit in vltimo iudicio. Tunc enim dicere poterit quilibet peccator: *factus sum opprobrium.*

In quibus quidem verbis pirmò ostendit conditionem suam esse vituperabilem, propter maledictum, cum dicit: *Factus sum opprobrium.*

Secundò formidabilem propter tormentum cum subdit, *& timor notis meis.*

Tertiò detestabilem propter delictum, cùm addit: *Qui videbant me, foras fugerunt à me.*

Quarto miserabilem propter despectū, quia *obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.*

¶ Ostendit ergò primò conditionem suam vituperabilem, cùm dicit: *Factus sum opprobrium.* Opprobrium enim, sicut dicit Papias dicitur crimen vel maledictum. Et vtroque modo peccatores sustinebunt opprobriū, scilicet ex crimine, scilicet quia omne crimen eorum efficietur omnibus manifestum, & tunc omnes erunt vicini & præsentes. Item ex maledictione, cum dicet eis iudex illud Matth. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Mat.25. Et regius Propheta dicit: *Percussit inimicos eorum in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis.* Psal.77. Priora namque Christi fuerūt beneficia gratiæ & misericordiæ, quam exhibuit in primò aduentu. Sed posteriora erunt iudicia iustitię, quę faciet in secundo aduentu, & tunc percutiet inimicos gladio sententiæ suæ, & dabit opprobrium eis maledictionis æternæ. Secundo erit eorum conditio formidabilis propter tormentum, quia ibunt in ignem æternum, & ideo dicit, *timor notis meis.* Illi noti erunt Sancti, quia tunc, scilicet in iudicio, erunt noti boni malis, & mali bonis. Non autem hoc nunc est notum, qui sunt damnandi vel sal-

uandi, sed in iudicio notum erit, & ideò notis meis, scilicet Sanctis, qui noscent & videbunt dānationem meam. De ipsa damnatione mea erit timor, scilicet quia tunc maximè erit eis notū, quàm timenda fuerit illa damnatio
Apo. 18 quam recipiet tunc quilibet malus. Apoc. *Longe stabunt propter timorem tormentorum*, id est propter timenda tormenta. Tertiò ostenditur eorum conditio esse detestabilis propter delictum, cum dicitur, qui *videbant me, foras fugerunt à me.* Notandum quod sicut sancti viri videntes in mūdo peccatores malè agere, fugiunt eorum peccata; ita in iudicio quando viderunt ipsius tormenta. Vnde Hieremias: *Fugite de medio Ba-*
Hiere.2. *bylonis*, id est à participatione vitæ confusibilis hominis peccatoris, *ut saluet vnusquisque animam suam. Nolite cadere super iniquitatem eius, quoniā tempus vltionis eius est Domino, & vicissitudinem ipse retribuet ei.* Quartò ostēditur peccatoris damnandi conditio esse miserabilis propter despectum. Ita enim despicietur à Deo & Sanctis eius, quod videbitur ab eis esse perpetuæ obliuioni traditus; & ideò dicit, *obliuioni datus sum à corde*, scilicet Dei & Sanctorum, *tanquam mortuus*, scilicet æterna morte. Oseas:
Oseæ.1. *Non addam vltra misereri*, scilicet *obliuioni obliuiscar eorum.* Sanctus
Iob 24. Iob: *Obliuiscatur illius misericordia.* Sed iterum corpus hominis mortui ratione fetoris abiicitur à plebe & à consortio hominum, scilicet dum sepelitur, ne suo fetore inficiatur. Et ideo vltimo dicitur in themate ex persona defuncti, & *abiectio plebis*, supple sum. Vndè qui olim sequebantur eum, nunc abiiciunt tāquam quid abominabile & inutile, & abscondunt in sepulchro, ne amplius videant ipsum. Vndè competit illud Ionæ: *Abiectus sum à* Ionæ 2.
conspectu oculorum. Sed talis abiectio hominum nihil obest his, qui non abiiciuntur, sed recolliguntur à Deo in cœlo. Nam in talibus Deus inhabitat per gloriam & nō abiicit eos ad pœnam. Leui.26
Vndè talibus dicit Deus in Leuitic. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & nō abiiciet vos anima mea.* Hoc autem erit in cœlo in gloria paradisi. Ad quam Deus nos, &c.

SERMO III.

De bonis quibus priuati sunt mortui.

MOrtui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem, quia obliuioni tradita est memoria eorum, Eccle.9.

Nihil videtur esse quod ita reddat contemptibilia homini bona præsentis vitæ, sicut profunda cōsideratio mortis. Vndè beatus Hieronym. dicit quod facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se esse moriturum. Et huius Hieron.
ratio esse potest, quia tanto aliquid redditur magis contemptibile, quantò magis eius defectus apparet. Sed mors maximè facit homini apparare defectum bonorum præsentium, ex eo quod patenter ostendit, quod illa bona pro quibus habendis homines magis laborant, dum hic viuunt, illa omnino tolluntur per mortem. Nam quidam maximè laborant pro vita sustentanda & conseruanda: quidam autem pro scientia addiscenda vel vtenda: & quidam pro mercede pecuniæ congreganda: & non nulli pro fama sui & memoria extendenda. Sed omnia hæc Salomon in verbis propositis ostendit, quod totaliter tolluntur per mortem, scilicet & vita, quia mortui: & scientia,

tia, quia nihil nouerunt amplius; & merces seu lucrum, quia non habent vltra mercedem ? & famã siue memoria, quia obliuioni tradita est memoria, &c.

A Tanguntur ergò quatuor bona, quibus homines priuantur per mortem.

Nam primò priuantur actu vitę, quia *mortui* sunt.

Secundo visu scientiæ: quia *nihil nouerunt amplius.*

Tertiò augmento pecuniæ: quia *non habent amplius mercedem*, id est lucrum de aliquo opere suo.

Itèm affectu amicitiæ: quia *obliuioni tradita est memoria.*

CIRCA primum aduertendũ est, quod plantæ siue arbores tẽpore veris & æstatis habent vitam manifestam, & amabilem, & decoram, quia frondibus vestiuntur floribus adornantur, & fructibus sapidissimis adimplẽtur, sed tempore hyemis, quandò sunt omnino spoliatę omnibus prædictis, videntur esse vt mortuæ, & habent vitam absconditam intra se. Sic etiam homines, dum in mũdo existentes adornantur frondibus diuitiarum, & floribus delitiarum, & fructibus bonorum, videntur habere vitam amabilem & notã. Sed postquam per mortem sunt omnibus expoliati, & remanet cadauer exanime, vidẽtur esse omnino mortui, & tamen remanet vita in anima, quæ tamen abscondita est, licet Deo sit nota. Vnde posset dici mortuis quod dicitur Coloss. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Coloss. 4.

B In quibus quidem verbis, secũdum quandam allegoriã sumptis, agitur de tribus.

Primò de hominum corruptibilitate, scilicet per mortem, cum dicitur, *mortui estis.*

Secundò de animarum immortalitate, quarum vita remanet, & post mortẽ corporis, licet sit abscondita nobis, vt subditur: *& vita vestra abscondita.*

Tertiò de sanctorum fęlicitate, quæ *est cum Christo in Deo.*

¶ Circa primum aduertendum est, quod illi dicuntur mortui qui sunt vita priuati. Est autẽ triplex vita, qua homo priuari potest scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Quidam ergò dicuntur mortui, quia priuati sunt vita naturæ. Et hãc priuationem & mortem nullus hominum euadere potest, quia quamdiu homo viuit, semper ad mortem tendit, sicut nauta nauigans semper mouetur, & nauis semper vadit etiam si dormiat. Sic est de homine & de morte. Vndè puer quando nascitur statim vocem doloris emittit, quasi iam sentire incipiat calces mortis. Mors enim cuilibet facit suas monitiones, vt compareat coram ipsa, & recipiat iudicium suæ curiæ. Quid enim est canicies in capite, pallor & rugę in facie, turbatio oculorum, amissio dentium, nisi monitiones mortis? Vnde potest dici cuilibet: Mors salutat vos & ideò dicitur Eccli. *Benefac tecum, & Deo dignos oblationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat.* Eccli. 14. Ipsa enim nec propter regẽ, nec propter papam, differet per vnam diem. Vndè nec ratione dignitatis, nec ratione sanctitatis parcit alicui. Et ideò Iudæi arguentes contra Christum dixerunt Ioann. 8. *Abraham mortuus est, & Prophetæ mortui sunt, & tu dicis. si quis sermonẽ meum seruauerit, mortẽ non gustabit in æternum.* Ioan. 8. Sed Christus non loquebatur de morte corporali, sed de spirituali, quod illi non intelligebant. Quidam vero dicuntur mortui, quia sunt priuati vita gratiæ scilicet propter culpam. Et ista mors, quæ dicitur mors culpæ, habet similitudinem cum morte naturæ, quæ aliquam do-

do ex diuersis ægritudinibus cau-
Hier.16. satur secundum illud Hierem.
Mortibus ægrotantium morientur.
Sunt enim diuersa peccata quasi
diuersæ ægritudines, quibus spir-
tualiter homines moriuntur. Et
sunt aliquando intra vterum quę-
dam ægritudines dolorosæ, quæ
multum affligunt, & sic peccata
intra conscientiam, quod figura-
tur 2 Paralipom. Vbi dictum est
Iorā qui fecerat multa mala, nec
secutus fuerat Dominum sicut
2.Pa.21 Iosaphat. *Tu ægrotabis pessimo lan-
guore vteri.* Pessimo languore vteri
laborat, qui habet venenum pec-
cati, vnde sequitur quod languo-
re ægrotauit, & vita caruit: lan-
guore, quia delectatio peccati
transit: vita, quia vitam gratiæ a-
mittit. Et mortuus est infirmitate
pessima, scilicet morte culpæ. 2.
Paralip. *Ægotauit Asa dolore pe-*
2.Pa.16. *dum vehementissimo.* Asa interpre-
tatur extollēs, id est peccator, qui
tantum extollitur, quod non obe-
dit Deo. Talis ægrotat dolore pe-
dum, id est affectionum, habet e-
nim malam affectionem carnali-
tatis, cupiditatis, & vanitatis. Nec
in infirmitate sua quæsiuit Do-
minum per pœnitentiam, & mor-
tuus est non solum scilicet in cor-
pore, sed etiam in anima. Quidam
verò dicuntur mortui, quia sunt
priuati vita gloriæ, sicut damnati,
qui sunt in inferno. Et illa mors
inferni habet similitudinem Vm-
bræ, habet enim similitudinem
vmbra cum illo, cuius est vmbra,
& tamen non est illud. Sic mors
inferni habet similitudinem cum
morte corporali, & tamen non
est illa. In hoc enim assimilatur,
quod nulla pœna est maior ea. In
hoc autem disconueniunt, quod
mortuus, quātum ad corpus, nullā
pœnam sentit vel læsionem. Sed
isti non sic, bene enim esset eis, si
ita mortui essent in inferno, quod
de amissione gloriæ non dolerēt,
vel pœnam inferni non sentirent.
Sed non est sic, quia post mortem
corporis viuunt in anima, sed ta-
men mortui sunt. Psal. *Veniat mors
super illos, & descendant in infernum* Psal.
viuentes, Vndè mors depascet eos,
herba enim pascitur, & iterum
crescit, vt iterum pascatur. Sic
quantumcunque puniantur, ad-
huc viuunt, vt semper puniantur.
Et ideò dicitur in Apocalyp. *Desi-* Apoc.
*derabunt mortem, & fugiet mors ab
eis.*

Secundò in auctoritate allegata
agitur de animarum immortali-
tate, quæ innuitur, cùm dicitur:
Vita vestra, id est animatum ve-
strarum, *abscondita est,* scilicet à
vobis hic viuentibus. Iob: *Abscon-* Iob
dita est ab oculis omnium viuētium.
Hoc autem facit Deus, vt maius
sit meritum fidei nostræ, dum sci-
licet credimus quod nō videmus,
scilicet vitam & statum animarū
post mortem, quia beati qui non
viderunt, & crediderunt. Vnde
Psal. *Absconde eos in abscondito fa-* Psal.
ciei tuæ. In hoc abscondito animę
sanctorū maxima dulcedine per-
fruuntur, scilicet diuinæ visionis,
de qua Psal. *Quam magna multitu-* Ps.30.
*do dulcedinis tuæ Domine, quam abs
condisti timentibus te.* Sic ergò
quāuis mortui Deo, tamē viuunt,
quia non est Deus mortuorū, sed
viuentium. Vndè adhuc in viuen-
tibus vita eorū, vt dicitur Ezech. Ezec.
7. Anima enim hominis incorru-
ptibilis est, habens in se imaginē
incorruptibilis Dei. Et patet etiā
incorruptibilitas animæ intelle-
ctiuæ, secundum Aug. ex eo, quod
susceptibilis est incorruptibilis
veritatis. Nam sicut dicit Philoso-
phus in 6. Ethi. Omne quod reci-
pitur in aliquo, est in eo secūdum
potestatem eius, in quo recipitur,
& non secundū potestatem eius,
quod recipitur. Et ideò si incorru-
ptibilis veritas recipitur, & est in
intellectu animæ, qui vocatur ad-

eptus oportet quod ipse incorruptibilis sit. Et ideò dicit Abfrag. in lib. de intellectu & intelligibili, quod omnes Philosophi radicē immortalitatis animę posuerunt in intellectu adepto. Vndè Ps. *Intellectum da mihi & viuā.* Et iterū: *Anima mea illi viuet.* scilicet Deo. Ps.118.

Tertiò agitur in auctoritate prędicta de Sanctorum fęlicitate, quę scilicet est cū Christo in Deo, quia si sunt hæredes Dei, cohæredes autem Christi, sicut Aposto. dicit. Habēt enim beati simul cū Christo vitam æternam, in visione diuinitatis, id est in cognitione beatissimæ Trinitatis, & vnitatis diuinę essentię, secundū illud Ioan. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solū verū Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Sic præsentari potest, vt cognoscat te, scilicet Patrē, & filium tuū, scilicet Iesum Christum, quem misisti, esse solum in vnum verum Deum, sed cum his intelligitur etiā Spiritus sanctus, qui est vtriusque connexio. Christus ergò in quātū Deus, est simul cū patre beatificās eos in sui cognitione, sed in quātū homo, est simul beatificatus cū eis in Dei visione. Et sic patet quasi quædam allegorica expositio prędictæ auctoritatis Aposto. Sed literalis expositio est, mortui enim estis, scilicet peccato per baptismum vel pœnitentiā, vita vestra, scilicet futura ęterna, & immortalis, abscōdita est vobis nūc, quę est cū Christo, quia iā immortalis vitę resurrectio, quā vos habetis cū Christo inchoata est vobis in Christo capite, & sic in Deo .i. in virtute Dei. Rom. 8. Ioan. 17.

SECVNDO in themate assumpto ostenditur secundum bonū, quo mortui sunt priuati, scilicet profectu scientiæ. Vndè subdit, quod *nihil nouerunt amplius,* scilicet post mortē. Quod quidam sic intellexerunt, quod nihil de sciētia hic acquisita remanet post mortē in anima separata; quibus etiam dictū Apost. fauere videtur dicentis: *Siue scientia destruetur;* & secundū illud non est verū, quod cùm intellectus sit corruptibilis, & remaneat in anima separata, sicut patet per Philosophum in 2. Metaph. vbi dicit quod anima est talis dispositionis, vt possit separari non tota, sed intellectus. Ex quo patet quod intellectus, qui est pars animæ, cum ea separatur. Remanēte ergò intellectu, oportet quod remaneat etiam sciētia, id est scientiæ habitus, qui est in eo acquisitus. Vndè Hieron. dicit: Discamus in terris, quorū scientia nobis perseueret in cœlis. Illud autem quod dicit Apostolus, non sic intelligitur, quod destruatur scientia quantum ad habitū sciētiæ, qui est in intellectu, sed quātum ad modum sciendi, qui nunc est; quia neque per sensum acquiremus scientiam, sicut nunc facimus, nec actus considerandi siue intelligendi erit per conuersionē ad fantasmata sicut nunc est. Et ideò quidā alij exposuerunt prædictum verbū quod nihil nouerūt amplius, id est quod nihil actu recordabuntur amplius eorum, quę hic sciuerunt, id est quod nullo modo vtentur scientia acquisita hic. Sed contra istud est, quia dicitur ad diuitem positum in inferno: *Recordare quia recepisti bona in vita tua:* ergo anima separata poterit recordari eorū quæ hic sciuit, & poterit vti scientia hic acquisita, & poterit intelligere quæ prius intellexit, non tamē eodem modo, scilicet per conuersionem ad fantasmata, sed per modum conuenientem animæ separatæ: quia modus operandi est secundum modum essendi. Et ideo dicunt Doctores, quod anima separata tribus modis intelligit. Vno modo per scientiam infusam id est per species, quę infundū tur 1. Cor. 13 Hiere. Luc. 16

sibi

sibi diuinitus in ipsa sua separatione à corpore, quarum tunc anima fit particeps, sicut & aliæ substantię separatæ quamuis in inferiori modo. Et quia talis infusio specierum pertinet ad conditionem naturæ animæ separatæ, & natura non subtrahitur etiam malis & damnatis, licet subtrahantur dona gratuita, ideo non solum animæ puerorum quæ sunt in limbo, sed nec etiam animæ damnatorum qui sunt in inferno, tali infusione priuantur. Et ideò per talem influxum multa scire & intelligere possunt etiam particularia, non tamen omnia, ad quæ quodammodò determinantur, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel natura em aut diuinam ordinationem. Secundò intelligit anima separata per scientiam hic acquisitam, id est per species quas acquisiuit in corporę. Sed quia tales species, prout sunt in intellectu; repræsentant solum naturam communem, non possunt per illas cognosci singularia, nec directè, nec per conuersionem ad fantasmata, quæ ibi non sunt, possunt tamen huiusmodi naturalia applicare ad singularia, quorum notitiam, per aliam cognitionem habent. Tertio modo intelligunt animæ separatæ inquantum vident angelos, vel dæmones, species rerum in eis intuendo, sed hoc non est in arbitrio ipsius animę, sed est in arbitrio ipsius angeli, vel dæmonis, qui suam intelligentiam aperiendo, dicitur loqui animæ, vel claudendo eam, dicitur tacere. Fuerunt enim alij qui prædictum verbum thematis aliter exposuerunt, scilicet quod mortui nihil nouerunt amplius, id est de cætero eorum scilicet quæ fiunt in vita ista, secundum illud Psalm. *Nos non cognoscer amplius.* Quod quidē secundum naturalem cognitionē

Psal. 73.

verum est, scilicet quod animæ mortuorum nesciunt quæ hic aguntur. Vndè Iob: *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelligent.* Et secundum hoc dicit Augustin. in libro de cura pro mortuis habenda, siue agenda, quod nesciūt sancti etiam mortui quid agunt viui, & eorum filij. Et ponitur hoc in glossa super illud Isai. *Abraham nesciuit nos*, quod verum est quantum ad naturalem cognitionem tantum. Sed secundum cognitionem beatam, quam habent sancti in cognitione Dei dicit Gregor. hoc non esse sentiendum, quia qui intus Dei claritatē vident, nullo modo credendum est, quod sit foris aliquid quod ignorent, Et ideò animæ sanctorū Deum videntes, omnia præsentia quæ hic aguntur agnoscunt. Sunt enim angelis æquales, de quibus etiam August. dicit quod ea quæ apud viuos aguntur, non ignorant. Vndè dicunt quidam quod etiam de sanctis Augustin. dicit, quod nesciunt ea, potius dubitando quam asserendo, & ideò permittit illi, vt volet accipat quisque. Possunt etiam scire mortui quæ hinc ad eos accedunt, vel per angelos, seu dæmones, vel etiam spiritu Dei reuelante. sicut Augu. in eodem libro dicit. Et ideò glossa quædam prædictum verbū thematis exponit dicens, quod ideò nihil nouerunt amplius, quia non proficiunt amplius. Sed si hoc intelligatur de profectu cognitionis, scilicet quod non possit proficere amplius in cognoscēdo, tunc sequitur quod mortui nihil possunt intelligere eorum, quæ prius non intellexerunt, quia sic iam proficerent in cognitione, Sed hoc falsum est, quia constat quod pœnas inferni, quas nunc non cognoscunt, tunc cognoscēt. Et ideò sicut dicit sanctus Thom. in quæstionibus de mortuis, dicendum

Iob 1

Isai. 63

Augu.

est,

est, quod loquitur de profectu meriti. Quod patet ex alia glo. quæ ibi dicit, quod quidam asserunt post mortem crescere & decrescere merita. Vndè debet intelligi quod nihil proficiunt amplius in cognoscēdo, ita vt ex hoc sint maioris meriti vel pręmij, vel quod lepidior cognitio eis debeatur, non autē sic quod nihil prius ignotum postea cognoscant. Meritò autem damnati hanc iram Dei merentur, vt priuati sint omni notitia vtili, ex eo, quod ipsi Deum creatorem suum non cognouerunt, sicut debuerunt. Vndè
Psal. 78. in Psal. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt.*

D TERTIVM bonum, quo priuati sunt mortui, est augmentum pecuniæ siue diuitiarum, vndè dicit, quod non habent vltra mercedem. Nam quamdiu fuerūt in mundo, de diuersis operibus suis potuerunt lucrari & diuitias suas augere etiam licitè, quia dignus est operarius mercede sua, sicut Dominus dixit Lucæ 10. Vn-
Mat. 20. dè Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Sed postquā mortui sunt, nullum tale opus agunt, vndè vlterius consequerētur mercedem, id est lucrum. Vndè Ezech.
Ezec. 16 *Mercedes vltra non dabis.* Vel potest verbum prædictum thematis intelligi de mercede spirituali, quæ scilicet redditur à Deo hominibus pro laboribus & operibus eorum, secundum illud Apostoli 1.
1. Cor. 3. Corint. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Vndè mortui secundum glossam non habent vltra mercedem, quia scilicet non proficiunt in merito vel in præmio. Quod quidem post diem iudicij de omnibus mortuis, tam de damnatis quā de saluatis, ab omnibus doctoribus Catholicis verum esse conceditur, quia tunc erit vltima consummatio bonorum & malorum, ita quod nihil erit vlterius addendum de bono vel de malo. Vndè & bona voluntas in beatis non erit meritum, sed præmium. Et sic mala voluntas non erit in damnatis demeritum, sed pœna tantum. Operationes enim virtutis sunt præcipuè in felicitate, & eorum contrariæ sunt precipuè in miseria, vt dicitur 1. Ethi. Sed antè diem iudicij dixerunt quidam, & beatos mereri, & damnatos demereri, sed hoc non potest esse nisi respectu præmii accidentalis, vel pęnæ. Sed animæ possunt augeri vsque ad diem iudicij, & hoc præcipuè in dæmonibus vel angelis bonis, quorum officio aliqui trahuntur ad saluationem, ex quo beatorum angelorum gaudiū crescit, vel ad damnationem, ex quo crescit pœna dæmonum. Sed de hominibus non est sic, quia ad damnatorum hominum officium non pertinet aliquos ad damnationem pertrahere sicut pertinet ad officium dæmonum, ratione cuius demereretur quantum ad animam secundum pœnam. Et dato quod postea ex doctrina hæreticorum damnatorum multi trahantur ad damnationem, Dicunt quidam quod totum demeritum sequens pertinet ad primam culpam præsentis vitæ; vndè potest dici de mortuis illud Sap. *Neque* Sap. 2.
mercedem sperauerunt iustitiæ, scilicet aliam essentialiter quam habeant, scilicet post mortem nequeunt merita mutari, sicut dicit gloss. super Lucam: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, &c.* Luc. 16.

QVARTVM bonum quo mortui ostenduntur esse priuati, est affectus amicitiæ, quia etiam ab his qui fuerunt amici, & chari obliuioni tradita est memoria eorum. Et ratio huius est, quia amicitia talium erat propter vtile, quod ex eo habebant, vel habere sperabant. Sed sicut dicit Seneca:

Amicus qui vtilitatis cauſa aſſumptus fuerit, ſicut canis amplectitur os, quãdiu inuenit quod rodat de eo, poſtea dimittit. Sic talis amicus tamdiu durat, quantum vtilis ei fuerit. Vndè poſt mortem, quia nõ ſperat amplius vtilitatem ab eo, deſinit amicitia, & obliuiſ-
Pſal. 30. ſcitur eius. Vndè Pſal. *Obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde.* Sed nota differentiam inter iuſtos & iniquos, quia ſcilicet de iuſtis, apud hic viuentes, remanet memoria laudabilis. Sed de impijs, ſi aliqua memoria eſt, eſt vitupera-
Prouer. 10 bilis, ſecundùm illud Prouer. *Memoria iuſti cum laudibus, nomen impiorum putreſcet.* Item apud Deum iuſti ſunt in æterna recordatione, ſecundùm illud. *In memoria æterna erunt iuſti*, ſcilicet Dei & beatorũ. Sed iniqui ſunt apud Deum in æ-
Pſal. 87. terna obliuione, ſecundùm illud Pſalm. *Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorũ nõ eſt memoria amplius, ipſi de manu tua repulſi ſunt.* In quibus verbis primò nota impiorum afflictionem, ſcilicet quia ſunt ſicut vulnerati. Nam in inferno habent vulnera inſanabilia peccatorum, quia vt dicitur Iſai. 1.
Iſai. 1. *Vulnus*, ſcilicet luxuriæ, *& liuor* auaritiæ, *& plaga tumens* ſuperbię, *non eſt circumligata*, *ſcilicet faſcia* contritionis, quæ reſtringit à peccatis, & aſtringit ſanie culpæ: *neque lota oleo* pietatis per ſatisfactionem eleemoſinarum: *neque curata medicamine*, ſcilicet confeſſionis. Item habent vulnera affligentia tormentorum. Geneſ. 34.
Gen. 34. *Grauiſſimus dolor vulnerum eſt.* Secundò nota ipſorum humiliationem, quia dormierunt in ſepulchris, hæc ſunt palatia ipſorum. Pſalm. *Sepulchra eorum domus eo-*
Pſal. 48. *rum.* Sed dicit *dormientes*: quia iterum excitandi ſunt, vt reſurgant in die iudicij, vt ſicut in corpore peccauerunt, ita & in corpore
Pſal. 40. damnationem accipiant, Pſalm. *Nunquid qui dormit non adiiciet vt reſurgat?* Tertiò nota ipſorum deſperationem. Primò quantum ad pœnam ſenſus, quia non eſt memor ſcilicet Deus amplius eorũ, ſcilicet vt liberet eos de pœnis. Et hoc meritò, quia ipſi nec in morte fuerunt memores Dei, vt pœniterent, ſecundùm illud Pſalm. Pſal. 6.
Non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? quaſi dicat, non habet ibi locũ confeſſio vel pœnitentia. Itẽ nota deſperationem quantum ad pœnã damni, quia de manu tua repulſi ſunt, per quam nũquam deducentur ad gloriam, ſicut dicebat in Pſal. *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Repulſi ſunt ergò à te dicente: *Diſcedite à me maledicti*, & ab illa manu, de qua dicitur Sapien. Pſ. 138.
Iuſtorum autem animæ in manu Dei ſunt. Et in Pſalm. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal*, id eſt hominem, ob cuius ſeruitium factum eſt omne animal *benedictione*, ſcilicet quã dices Matthæi c. 25. *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Ad quod nos perducat Deus, &c. Sap. 3. Pſ. 144. Matt. 25.

SERMO IIII.

De loco æternitatis ad quem homo vadit.

IBIT *homo in domum æternitatis ſuæ.* Eccle. 12

Homini exeunti de terra ſua, & eunti ad alium locum, multum expedit ſcire, quanto tempore debeat ibi ſtare. Et hinc eſt quod angelus, quando mandauit Ioſeph, quod acciperet puerum & matrẽ eius, & fugeret in Ægyptum, etiã indicauit ei quanto tempore deberet

beret ibi stare, dicens illud Matth. *Et esto ibi vsque dum dicam tibi.* Et quamuis nõ determinauerit sibi tempus, quia ipse curam eius gerebat, ideò voluit eum stare ad prouidentiam suam, tamen aliis hominibus est communiter necessarium scire, & determinare, quandò sciri potest, & ratio est: quia secundum quod debent stare plus vel minus, sic oportet plus vel minus prouidere de necessariis sibi. Et ideo in Prouerb. dicitur de eo, qui abiit viam longissimam, in die plenæ lunæ reuersurus, id est quousque luna esset plena moraturus, quod *sacculum pecuniæ secum tulit.* Multò ergò magis expedit animæ de terra sui corporis per mortem exeunti, & viam lõgissimam, scilicet propter distantiam status abeunti, sacculum pecuniæ, id est thesaurum bonę conscientię & bonorum operum cumulum secum ferre, cum debeat non per mensem vel annum, sed in regione ad quam vadit in æternum manere, & indè ad hanc vitam nunquam redire. Et hoc ostenditur in verbo proposito, cùm dicitur: *Ibit homo, &c.*

Mat. 2. Prou. 7.

A In quibus quidem verbis tria breuiter describuntur.

Nã primò describitur transitus mortalitatis, quia *ibit*, scilicet moriendo.

Secundò excessus nobilitatis, quia *homo*, qui omnia animalia excedit in naturę nobilitate.

Tertiò terminus stabilitatis, quia *in domum æternitatis suæ.*

CIRCA primum aduertendũ est, quod licet mori sit commune bonis & malis, tamen post mortẽ ad alium locum vadunt iusti, & ad alium peccatores. Et ratio est, quia secundum diuersas qualitates prædominantes, res habent diuersos motus, & diuersi motus habent diuersos terminos. Nam ea, in quibus prædominatur leuitas, ascendunt, ea verò, in quibus grauitas, descendunt: terminus autem ascensus est locus sursum, sed descensus est locus deorsum. Sic ergò accidit de animabus hominum, de corporibus post mortem egredientibus, quia illę quæ sunt alleuiatæ, siue per baptismũ, siue per pœnitentiam perfectam, ascendunt sursum ab cœlũ, & eunt ad vitam æternam; quæ verò sunt grauatę peccatis, descendunt inferius ad infernum, & eunt ad æternum supplicium: quod magis euidenter & generaliter complebitur in die iudicij, vndè dicitur Matth. 25. *Ibunt hi,* scilicet mali, *in supplicium æternum, iusti autẽ in vitam æternam.* Matt. 25.

B In quibus quidem verbis agitur de duobus.

Primò de damnatione impiorum.

Secundò de retributione iustorum. Damnatio autem impiorum ostenditur miserabilis triplici ratione.

¶ Primò ratione recessus vituperabilis, qui notatur, cùm dicitur; *ibunt*, scilicet recedentes à conspectu Dei, & consortio sanctorum, tanquam vituperabiliter expulsi, scilicet cũ dicet eis Christus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* Sed quomodo poterunt discedere à Deo, cũ ipse sit vbique? Dicendum, quod sicut anima secundũ suam essentiã est in toto corpore tota, & in qualibet parte eius, secundum verò diuersas potentias & actus eorũ est in diuersis partibus corporis, quia secundũ potentias in videntia & actu videndi est tantũ in oculis, & secundum audientiam & actũ auditus est tantũ in auribus, & sic de alijs Sic Deus est quidẽ vbique, & in toto mũdo, & per suã essentiã, & præsentiam, & potentiã, secundum

dùm tamen aliquos effectus determinatos, dicitur esse in determinatis locis, sed magis congruentibus illis effectibus, sicut per actum glorificationis dicitur esse in cœlo, siue super cœlos, secundum illud Psalm. *Super cœlos gloria eius*: & ideò cœli enarrant gloriam Dei. Secundum verò actum vltimæ & æternæ punitionis iustitię dicitur esse in inferno Et secundum hoc damnati, licet sint separati à Deo glorificante, non tamen possunt discedere à Deo iustè, & æternaliter puniente. Et ideò ignis inferni dicitur esse instrumentum diuinæ iustitiæ. Vnde licet ex natura sua ignis non habeat quod possit affligere spiritum, habet tamē ex virtute Dei, cuius est instrumentū, sicut dolabra non ex virtute formæ suæ, sed artificis, habet quod faciat scamnum. Quia igitur diuinæ iustitię & virtutis non possunt effugere præsentiam, dicebat Psa. Deo: *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c.* Secundò ostenditur miserabilis conditio impiorum, ratione reatus inexpiabilis, cum quo recesserunt hi, scilicet, qui modo fuerunt in vita ista purgati à peccatis per Ecclesię sacramenta, quorum reatus post vitam istam non potest expiari, sicut nec maculæ vitiorum, quibus fuerunt maculati, siue maculati fuerint vitio gulæ, siue superbię, siue auaritiæ, siue acediæ, siue iræ, siue luxuriæ, siue inuidiæ, Vndè de ipsis dicitur in epistola Iudæ: *Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuātes, sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferūtur, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fructus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum reseruata est.* In hac enim auctoritate impij damnati primò ostenduntur fuisse maculati vitio gulæ, cùm dicitur: Hi sunt in epulis suis, scilicet gulæ, vltra modum studentes, maculæ conuiuantes, id est in cōuiuiis suis se & alios maculantes sine timore Dei & maiorum semetipsos pascentes, non pauperes Christi. Secundo ostenduntur fuisse elati vitio superbię cùm subditur nubes, id est superbi in altitudinem extollentia per appetitum tendentes sicut vapores nubium eleuantur, sed parum durant, & disperguntur à vento. Lucas: *Dispersit superbos*, sine aqua gratiæ; quia *superbis Deus resistit, & humilibus dat gratiam*, ait Iacob. qui à vento vanitatis circumferūtur, stabilitatem non habentes. Tertio ostenduntur infructuosi fuisse per vitium acedię, sicut arbores autumnales, scilicet carentes humore deuotionis & gratiæ. sicut enim arbores in autumno infructuosæ sunt sibi & aliis, quia non faciūt fructus, nisi fortè malos; bis mortuæ, quia in ramis & in radice, id est in voluntate & opere. Quarto ostendit quòd fuerunt feruidi per vitium iræ, sicut fluctus feri maris, scilicet crudeliter & amarè alios percutientes, & inquietantes. Quintò ostendit quod fuerunt immundi per luxuriam: quia despumantes suas confusiones, id est in spuma luxuriæ suam confusionem ostendentes. Sextò ostendit quod fuerut peruersi per inuidiam; quia sydera errantia, quibus claritas prosperitatis alienæ vertitur in errorem affectus; quia odiunt quod deberēt amare, scilicet bonum proximi, & dolent vndè deberēt gaudere, scilicet de aliorum fœlicitate. Septimò ostenditur quod fuerunt tenebrosi propter vitium auaritiæ. Nam sicut dicit Chrysost. Tenebræ animæ sunt diuitiarū cupido & ideo eis procella tenebrarum reseruata est, procella propter inquietu-

quietu.

Ps. 112. Ps. 138. Iudæ. Lucæ. 1 Iaco. 4 Chrys.

quietudinem mentis, & tenebræ propter amorem terrenorum: ſicut terra interpoſita inter nos & ſolẽ cauſat tenebras noctis. Tertiò oſtenditur miſerabilis conditio impiorum; ratione cruciatus interminabilis, quia in ſupplicium æternum. Vbi notandum, quod ſupplicium licet omnium damnatorum ſit æquale, quantum ad extenſionem, quia omnium ſupplicium erit æternum: tamen non erit æquale quantum ad intenſionem, quia qui plura vel maiora commiſerunt crimina, patientur acriora ſupplicia. Sicut illi qui directè peccant in Deum, & ſicut illi qui blaſphemant, ſeu contemnunt Chriſtum, & quantum ad diuinitatem, & quantum ad humanitatem, & qui peccant contra Spiritum ſanctum, habebunt deteriora ſupplicia quam illi, qui directè peccãt in proximum. Vnde Paulus: *Quanto magis putatis*
Heb. 10. *deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit:* duratione tamen omnium ſupplicium erit æternũ.
2. Theſſ. 1 Vndè idem Apoſto. *Pœnas dabunt in interitu æternas.*

C

Et ſi tu fortè dicas, quomodo hoc pertinet ad iuſtitiam Dei, vt pro peccato temporali & finito pœnam inferat infinitam & æternam? Dicendum eſt ad hoc, quod hoc non eſt contra rationem diuinæ iuſtitiæ, quod aliquis pœnã perpetuam patiatur, quia nec ſecundum leges humanas hoc exigitur, vt pœna commenſuretur culpæ in tempore. Nam pro peccato adulterij vel homicidii, quod in tempore breui committitur, lex humana infert quandoque perpetuum exilium, aut etiã mortem, per quæ aliquis in perpetuũ à conſortio ciuitatis excluditur. Et quod exilium non in perpetuum datus homini per accidens contingit, quia vita hominis non eſt perpetua, ſed intentio iudicis ad hoc eſſe videtur, vt eum ſicut poteſt perpetua puniat. Vndè etiã non eſt iniuſtum ſi pro momentaneo peccato & temporali Deus pœnam æternam inferat. Sic etiã conſiderandum, quod peccatori pœna æterna infertur; qui de peccato non pœnitet, & ſic in ipſo perdurat vſque ad mortem, & quia in ſuo æterno peccauit, rationabiliter à Deo in æternum punitur. Habet etiam quodlibet peccatum in Deum commiſſum quãdam infinitatẽ ex parte Dei, contra quem committitur malum. Quia quanto maior eſt contra quem peccatur, tantò peccatum eſt grauius, ſicut qui dat alapam equiti auarato, grauius reputatur, quam qui daret ruſtico, & adhuc multo grauius ſi Principi, vel Regi. Et ſic cum Deus ſit infinitè magnus, offenſa contra ipſum commiſſa eſt quodammodo infinita, vnde & aliqualiter ei pœna infinita debetur, non autẽ poteſt eſſe pœna infinita intenſiue, quia nihil creatum ſic infinitum eſſe poteſt. Vnde relinquitur quod peccato mortali debetur pœna infinita duratione. Item in eo qui corrigi poteſt, pœna temporalis infertur ad eius correctionem, vel purgationem. Si igitur aliquis à peccato corrigi non poteſt pœna temporali, ſed voluntas eius obſtinatè firma eſt in peccato, ſicut eſt in damnatis, eius pœna terminari non debet; vnde claret iuſtitia Dei æterna in æterna damnatorum pœna, & ſic impletur illud Pſal. *Iuſtitia tua iuſti-* Pſ. 118.
tia in æternum.

D Tertio in auctoritate allegata agitur de iuſtorum retributione, cum dicitur, *Iuſti autem in vitam æternam*, ſupple ibunt. Siquidem vltima retributio iuſtorum con-

sistit in visione Dei, quæ est perfecta eius cognitio. Vndè Augu. dicit, quod visio est tota merces. Et hæc visio est tantæ virtutis, quod à vidēte excludit omne nociuum. Cuius figura habetur in serpente ęneo, quem aspicientes ab omni nocumento serpentum liberi efficiebantur. Item est tantę virtutis, quod implet omne desiderium. Cuius figura habetur in Heliseo, cui Helias dixit: *Si videris quando tollar à te, erit quod petisti.* Vndè si visio Heliæ dedit Heliseo quod appetiuit & petiuit, multo magis visio Dei implebit appetitum videntis. Visio autē illa siue cognitio Dei, est idem quod vita æterna, secūdum illud Ioan: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solū verū Deum.* Et hoc solum iustis redditur pro mercede, ideò dicitur Sap. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.*

Augu.

Nu.21.

4.Reg.2

Ioan.17.

Sap.5.

SECVNDO in auctoritate principali ponitur excessus nobilitatis, cùm subditur, *homo*: quia homo omnia animalia & naturalia in naturę nobilitate transcendit. Ex hoc patet, quia tāto creatura est nobilior, quanto est Deo creatori similior; sed homo inter omnia animalia & naturalia, magis est similis Deo: vndè magis repræsentat in se similitudinē sanctæ Trinitatis, scilicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Dicit enim Adamus, quod homo est animal intellectuale, arbitrio liberum, & præceptiuū. In quantum ergò est animal intellectuale, habet similitudinem Filij, qui est verbū intellectus diuini. Inquantum verò est arbitrio liberum, habet similitudinem Spiritus sancti, quia sicut dicit Apostolus: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Inquantum verò est præceptiuum: habet similitudinem Patris cui appropriatur potentia. Vndè Gen.1. dicitur: quod creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: quod de nullo aliorū animalium dicitur. Sed multi miseri, ingrati Deo de tanto nobilitatis honore, hanc Dei similitudinem deprauant. Nā nobilitatem intellectus deprauāt per prauas cogitationes; nobilitatem liberi arbitrij, deprauant per indebitas electiones, præeligendo mala bonis: sed nobilitatem potestatis & dignitatis, deprauāt per illicitas operationes. Et de huiusmodi homine dicitur in Psal.48. *Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

1.Cor.3.

Gen.1.

Psal.4

TERTIO ponitur in auctoritate principali terminus stabilitatis: quia *in domum æternitatis suæ.* Est enim duplex domus hominis post mortem. Vna ad recipiendū corpus: & ista est sepulchrum, & dicitur esse domus æterna siue æternitatis, secundum illud Psalm. *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Quod potest intelligi esse dictum, vel secundum errorem gentilium seu Saducæorum, qui negauerunt esse futuram resurrectionem corporum, & sic semper in sepulchris manebunt: vel dicitur propter illos, qui ad perpetuādum nomen suum, faciunt fieri sepulchra sumptuosa & lapidea, ac si deberet esse domus eorum in æternum. Sed tamen nec corpus de hoc aliquod commodum sentit, & anima manet in inferni supplicijs. Vndè de tali dicitur Isai. *Quid tu hic aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum: excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi: Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus.* Alia domus est ad recipiendum animam: de qua Apostolus dicit. 1.Cor. 5. *Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur quod ædificationem*

F

Psal.4

Isai.22

2.Cor.

ex Deo habemus domum non manu factum, sed æternam in cœlis. Vbi facit mentionem de duabus habitationibus animæ, quæ habent cōditiones oppositas. Vna est terrestris & ruinosa, de qua dicit, *si terrestris domus nostra dissoluitur.* Alia est cœlestis & perpetua, de qua subditur, *quod ædificationem ex Deo habemus*, &c. De prima describit primo eius vilitatem, quia terrestris est, scilicet vel quia de terra facta, vel quia procliuis ad terram. Iob. 4. *Qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum.* Secundò eius incommoditatem, scilicet ex inquietudine: quia *huius habitationis.* Vbi semper inquietatur anima; caro enim concupiscit aduersus spiritū. Et in Psalm. dicit anima. *Habitaui cum habitātibus cedar.* Cedar enim interpretatur mœror, quia pugna carnis contra spiritum, est ei causa mœroris & doloris. Et ideò dicitur 2. Corinth. *Ingemiscimus habitationem nostram.* Tertiò ostendit eius corruptibilitatem, cùm dicit, *dissoluatur.* scilicet per mortem; quam dissolutionem sancti viri valdè appetunt, vt ad meliorem veniant habitationem, sicut homo vult quod destruatur domus antiqua & vetusta, vt ædificetur noua & pulchra. Vndè Apostolus Philipp. 1. *Desiderium habens dissolui & esse cum Christo.* Sic ergò domus corporis nostri habet vilitatem in ingressu; incommoditatem in progressu; & corruptiuitatem in egressu. Secunda habitatio animæ est cœlestis & perpetua: de qua subditur *ædifi. habi.* &c. Vbi ponuntur tres conditiones oppositæ primæ habitationi. Nam contra vilitatem ponit eius nobilitatem, quia habemus, scilicet nunc in spe, postea in reædificationem, id est mansionem ędificatam ex Deo opifice; non enim humani labores sufficerent ad eam ædificandam.

[Margin: Iob 4. — Ps. 119. — 2. Cor. 5. — Phil. 1.]

Psalm. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Secundo contra corruptiuitatem ponit eius perpetuitatem, quia domum nō manu, id est non opere humano factam, sed æternam; id est perpetuam, sine fine duraturā. Sed aduerte qualis est domus cœlestis, quia est alta localitate. Isai. 2. *Erit domus Domini mons in vertice montium.* Per istum montem potest intelligi locus cœlestis gloriæ, scilicet cœlum empyreum, quod est super omnes cœlos, de quo in Psalm. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Et subditur. *Innocens manibus & mundo corde, &c.* Vel iste mons Domini est Christus, in cuius diuinitatis & humanitatis visione, fundata est beatitudo sanctorum, & ipse est in vertice montium, id est, angelis & hominibus præsidens. Item est ampla spaciositate, capiens sine angustia omnes angelos, & homines beatos. Baruch. *O Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.* Est etiam distincta mansionum varietate. Ioan 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Istæ mansiones, sunt diuersi gradus beatitudinis sanctorum. Vndè sicut in vana domo sunt diuersæ mansiones; Ita in vna beatitudine sunt diuersi gradus, & isti gradus attenduntur secundum gradus perfectionis in operando. Nam perfectio operationis, in qua beatitudo consistit, ex duobus pensatur; scilicet ex parte operantis, & ex parte obiecti: Obiectum autem operationis, in qua beatitud consistit, est omnino vnum & idem, scilicet diuina essentia, ex cuius visione omnes erunt beati. Vndè ex hac parte non erit aliquis gradus in beatitudine, sed ex parte operantium, operatio beatitudinis non

[Margin: Ps. 126. — Isa. 2. — Psal. 23. — Baruc. 3. — Ioan. 14.]

erit eodem modo perfecta: quia secundum quod habitus perficiēs ad operationem prædictam, scilicet lumen gloriæ, erit perfectior in vno quam in alio, secundum hoc operatio erit perfectior, & delectatio maior. Et sic ex ista parte erunt diuersi gradus, qui dicuntur diuersæ mansiones in eadem domo; vt sic veritas domus respondeat veritati beatitudinis, quę est ex parte obiecti: & pluralitas mansionum respondeat differentiæ, quæ est in beatitudine ex parte Beatorum. Sic etiam videmus in naturalibus, quod est idem locus sursum ad quem tendūt omnia leuia, sed vnumquodque pertinet propinquius secundum quod est leuius, & ita habēt diuersas mansiones secundum differentiam leuitatis. Item illa domus cœlestis est plena bonorum copiositate. Psalm *Gloria & diuitiæ in domo eius*. Sed ad istam gloriam non admittuntur superbi. Psalmist. *Non habitabit in medio domus meæ: qui facit superbiam*. Vnde solum humiles ibi erunt, secūdū illud Iob: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria*. Ad illas autem ęternas diuitias non admittitur aliquis auarus, quia auari regnū Dei non possidebunt. Item nec piger, aut ociosus, sed solum fortis & operosus. Prou. *Manus fortiū diuitias parat*. Tertio contra incommoditatem inquietudinis ponit loci tranquilitatem, quia *in cœlis*, vbi est quies perfecta, & tranquillitas æterna, & ideo cœlum empyreum, in quo sunt beati, est cęlum omnino immobile, vt sit cōforme eis qui sunt in omnimoda quiete, ex eo quod non est ibi aliquid impediens, aut perturbans; aut repugnans. Vnde Augu. O vita, vita dulcis & amabilis, & semper memorabilis, vbi non est hostis impugnans, vbi nulla illecebra, sed summa & certa securitas secura tranquilitas, tranquilla iucunditas, & iucunda tui visio, atque laudatio; Deus. Propterea dicitur in Isa. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Ad quam nos perducat, &c.

Ps. 111.
Ps. 100.
Iob 22.
Prou. 10
Augu.
Isai. 32

SERMO V.

De gratia & cura mortuis impendenda.

MOrtuo non prohibeas gratiam, Eccli. 7.

Quanto aliquis est in maiori indigentia, tanto est maior crudelitas negare vel prohibere ei subuentionem. Et ratio est, quia sicut crudelitas venit defectu ignis siue caloris, ita crudelitas ex defectu amoris. Sed maxime ostēditur defectus amoris & charitatis, quando non cōpatitur, neque subuenit indigenti, secundū illud 1. Ioan. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausērit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei in eo manet?* Et ideo crudelitatis indicium est non subuenire indigenti, & maior crudelitas est prohibere subuentionem, & maxima crudelitas est, si istud fiat maxime indigenti. Mortui autem sunt maxime indigentes; quia iuuare se nō possunt per seipsos, neque in sua indigentia sibimet subuenire. Ne ergo circa mortuum crudelis sit homo viuens, admonetur in verbo proposito, cum dicitur: *Mortuo, &c.* A

1. Ioa.

In quibus quidem verbis continentur tria.

Nam primo præsupponitur necessitas, scilicet in homine *mortuo*.

Secundo dissuadetur crudelitas, scilicet homini viuo, cū subditur, *non prohibeas*

Tertio persuadetur pietas, scilicet in gratiæ suffragio, in eo quod dicit *gratiam*.

CIR-

CIRCA primum aduertendum est, quod quãdo homo mortuus est, habet duplicem indigẽtiam siue necessitatem. Vnã quãtum ad carnem mortuam. Aliam quantum ad animam separatam. Quantum quidem ad carnem mortuam est necessaria sepultura: quia nõ debẽt humana corpora remanere inhumata, sicut corpora brutorum, sed piè sepelienda sunt. Vndè dicitur Tob. *Cum*
Tob.4 *acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli.* Et debetur sepultura corporibus mortuis triplici ratione. Primò propter exercitiũ. Nam sepelire mortuos inter pie-
Tob.1. tatis opera computatur, de quo & Tobias laudatur, vbi dicitur: *Esurientes alebat, nudisq; vestimenta prabebat, & mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.* Et hæc exhibitio sepulturæ erat opus Deo tam gratum, quod reddebat ei orationes acceptas, sicut dici-
Tob.12. tur Tobiæ, quod dixit Angelus ei: *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandiũ tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos: ego obtuli orationem tuam Domino.* Secũdo debetur sepultura corpori mortuo, propter testimoniũ virtutis morientium, sicut è contra dictum fuit viro Dei, qui non obediuit Domino.
1.Re.13. 3.Reg. *Non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum.* Propter quod de Rege Ioas, qui verbis Domini obediẽs fuit in principio, sed non in fine, dicitur in Paralyp. *Mortuus est Ioas, & sepe-*
2.Pa.24. *lierunt eum in ciuitate Dauid, sed non in sepulchro Regum.* Quia enim benefecerat in principio, sepultus est: sed quia male consummauerat, sepulturam non habuit in sepulchris Regum. Et de Iosia Rege iusto & sancto dicitur: *Mortuus est Iosias, & sepultus est in mausoleo patrũ suorũ.* Tertio debetur sepultura corporibus defunctorũ, propter articulum resurrectionis ipsorum. Propter quod & Patriarchæ mandauerunt sua corpora sepeliri in terram promissionis, Gen.50.
sicut patet in Genesi, vbi Ioseph dixit: *Pater meus adiurauit me dicens: En morior, in sepulchro meo, quod fodi mihi in terram Chanaam, sepelies me.* Vndè August. dicit in Augu.
libro de ciuitate Dei: Antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepulchra prouisa, ipsique dum viuerent de sepeliẽdis & transferendis suis corpori- Idem.
bus filiis mandauerunt. Et sicut etiam ipse Augustinus dicit in li. de cura pro mortuis agenda: Hæc fecerunt ad resurrectionem mortuorum astruendam, cuius fidem in hoc astruebat, quod curam se habere ostendebãt de carnis mor- Heb.11.
tuę sepultura. Vndè dicit Paulus: *Fide Ioseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit.* Et in sig- Eccli49
num etiam huius dicitur in Ecclesiastico, quod ossa ipsius visitata sunt, & post mortem pro- Eccli.48
phetauerunt. Et de Heliseo dicitur in Ecclesiastico, quod *mortuũ prophetauit corpus eius.* Quod qui- 4.Re.12
dem dicitur, quia sicut narrat historia quarti Regum, Quando cadauer cuiusdam mortui sepultum est, & tetigit ossa Helizei, à mortuis resurrexit. Alia necessitas hominis mortui est, quoad animam separatam. Nam quædam animæ separatæ à corporibus receptæ sunt in cœlo, & istæ non indigent adiuuari, quia ibi nulla est indigentia vel defectus, quia talium mortuorum animæ, scilicet iustorũ, sunt in plena beatitudine, quæ omnem indigentiã Apo.14.
excludit. Vnde Apocalyp. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Quorundam vero animæ recipiuntur in inferno, sicut dicitur de

de diuite epulone, scilicet quod mortuus est diues, & sepultus est in inferno, id est positus in profunditate pœnarum. Isti ergò indigent, sed tamen non possunt iuuari, sicut de prædicto diuite patet, qui non potuit impetrare guttam aquæ ad refrigerium gehennæ, quia in inferno nulla est redemptio. Quorundam verò defunctorum animæ, siue pro venialibus, siue quia hic non plenè de peccatis suis satisfecerunt, nec compleuerunt pœnitentiam debitam, recipiuntur in purgatorio, vbi in pœna, licet non æterna, tamen valdè afflictiua purgantur: quia illa pœna, sicut Augustinus dicit, excedit omnem pœnā istius vitæ præsentis. Et ideò tales mortui multum indigent adiuuari, vt exeant de illa pœna, & possunt tales à nobis adiuuari dupliciter. Primò per precamina intercessionis. Secundo per suffragia satisfactionis. Et ratio huius est, quia suffragia viuorum prosunt defunctis, secundum quod intentio viuentium refertur in mortuos, & secundum quod ipsi mortui vniuntur viuentibus in charitate. Et sic potest vnus pro alio satisfacere, sicut vnum membrum pro alio, dum sunt in vnitate corporis. Sed ex parte intentionis directæ in mortuos, præcipuè valent orationes & preces pro eis factæ. Quia oratio secundum suam rationem, non solum dicit respectum ad orantem, sed directius ad illum, pro quo oratur. Et ideò dicitur in lib. Machab. quod *sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.* Sed secundùm vnionem charitatis, tam illi, qui sunt in purgatorio, qui cum charitate decesserunt, adhuc sunt coniuncti nobis, valent ad satisfaciendum pro eis opera charitatis. Vndè quia sacramentum Eucharistiæ præcipuè ad charitatem pertinet, cum sit sacramentum ecclesiasticę vnionis, continens illum in quo tota Ecclesia vnitur & solidatur, scilicet Christum; ideò quia Eucharistia, quę celebratur & offertur in Missa, est quasi quædā charitatis origo, præcipuè valet defunctis. Et quia etiam eleemosyna est præcipuus charitatis effectus, post Eucharistiæ oblationem præcipuè suffragatur defunctis, & cōsequēter omnia alia charitatis opera quę pro eis fiunt, siue ieiunia, siue oblationes, siue quęcunque alia eis prosunt. Propterea dicitur de Iuda Machab. quod *duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymā offerre eas ibi pro peccatis mortuorum.*

Augu.

2. Mach. 12

2. Mach. 12.

B

SECVNDO dissuadetur crudelitas homini viuo, cùm dicitur, *non prohibeas.* Vbi aduertendū est, quod si crudele est non benefacere indigenti, quādo homo potest multo crudelius est prohibere vel impedire benefacerę volentem. Et ideo dicitur in Prouerb. *Noli prohibere benefacere eum qui potest, sed si potes & ipse benefac.* In quibus quidem verbis si referantur ad beneficentiam, quæ debet exhiberi defunctis, duo Salomō facit; quia primò dissuadet crudelitatem, cùm dicit: *Noli prohibere benefacere eum qui potest.* Prou. 3.

Secundo persuadet pietatem, cùm addit, *sed si potes & ipse benefac.*

¶ Circa primum aduertendum est, quod illi qui impediunt eleemosynas dimissas pro anima defuncti, vt non dentur; & qui impediunt executionem testamenti ab huiusmodi legatis, vel restitutionibus fiendis pro anima defuncti, illi sunt qui prohibent benefacere ipsi defuncto eum qui potest, & debet de iure. Sed quæritur, quandò tales eleemosynæ negliguntur, vel impediuntur, quas

quis ipse defunctus fieri manda-
uit dū viuebat, an ipse defunctus
ex hoc patiatur aliquod detrimē-
tum? Ad quod dicendum, quod
quantum ad meritum eleemosy-
næ nullum detrimentum patitur
defunctus ex retardatione vel im
peditione talium eleemosyna-
rum: maxime si quantum in ipso
fuit, causam adhibuit, vt huius-
modi eleemosynæ cito darentur.
Quia meritum principaliter ex
voluntate & intentione depen-
det, & ideo quam cito moriens
disponit aliqua suffragia sibi fie-
ri, prœmium suffragiorum plenè
consequitur, ante etiam quam
fiant. Sed quantum ad affectum e-
leemosynæ, defunctus patitur de-
trimentum, si eleemosynæ non
fiant, vel retardentur; non qui-
dem vt pro huius tarditate pu-
niatur, sed quia remedium non
adhibetur, dum suffragia retar-
dantur, vel non fiunt, quibus
plurimum iuuaretur. Et si prius-
quam fiant, contingat eum à
pœna liberari, quantum ad hoc
priuabitur suffragiorum fructu,
quod redundabit ad illos, quo-
rum culpa defraudatus fuit. Non
enim est inconueniens, quod ali-
quis fraudetur per culpam alte-
rius in temporalibus, pœna au-
tem purgatorij temporalis est,
quamuis ad æternam retributio-
nem nullus defraudari possit. nisi
per propriam culpam. Patet igi-
tur, quod tales qui prohibent vel
impediunt benefacere defunctis,
non habent in se spiritum sapiē-
tiæ, sed spiritum insipientiæ &
erroris, quia de spiritu sapientiæ
Sap. 7. dicit Salomon, quod est amans
bonum actum, & nihil vetat be-
nefacere. Secundo in auctorita-
te allegata, persuadetur pie-
tas subueniendi defunctis, cum
dicitur, *si potes & ipse benefac.* Et
dicit, *si potes*: quia non omni
modo potest quilibet defunctis
benefacere, sed eo modo, quo po-
test, debet quilibet subuenire,
præcipue charis suis defunctis.
Tobias: *Quomodo potueris ita esto* Tob. 4.
misericors? Nam qui non potest
celebrare Missam pro eis, faciat
eleemosynas, & si non potest e-
leemosynas dare, faciat pro eis o-
rationes, vel alia pia opera quæ
potest. Et si homo fuit solicitus
seruire amico suo hic viuēti mul-
to magis debet solicitari, vt sub-
ueniat ei defuncto, cū magis in-
digeat Vnde Ecclesiasticus: *bene-* Eccl. 14.
fac amico tuo. Et ideo existens in
purgatorij pęna, affectuose & do-
lenter amicos viuentes requirit. Iob 19.
Iob. dicens: *Miseremini mei, mise-*
remini mei. &c. C

TERTIO etiam in auctori-
tate principali ad pietatem inui-
tamur, vt scilicet homini defun-
cto, suffragiorum gratiam nō im-
pediamus, sed impendamus, &
ideo nominat gratiam Ratio autē
est, quia nos videmus in corpore,
quod vnum membrum gratis ser-
uit alteri, dum est vnitum corpo-
ri, sicut oculus seruit pedi ipsum
dirigendo, & manus ori cibū por-
rigendo, & os stomacho ei cibum
præparando. Sed omnes qui sunt
in purgatorio, sunt in charitate,
per quam membra Ecclesiæ ad-
inuicem vniuntur, & nondum
peruenerunt ad terminum, & vl-
timum finem suum, qui est bea-
titudo Ecclesiæ triumphantis, &
ideo adhuc censentur vt membra
Ecclesiæ militantis, & ideo à fi-
delibus viuentibus, qui sunt hu-
ius Ecclesiæ membra, recipere
possunt, & debent gratiam sub-
uentionis, sicut poterāt, & debe-
bant etiam hic viuentes. Cuius fi-
gura habetur in Ruth, vbi Noemi
dixit de Booz, *Benedictus sit à Do-* Ruth. 2
mino quoniā eamdem gratiam quā
præbuerat viuis, seruauit & mor-
tuis. In quibus quidem verbis duo
facit, Quia primò imprecatur

premium, cum dicit: *Benedictus sit à Domino.* Secundo commendat suffragium, cum subdit, *quoniam eandem gratiam, &c.*

¶ Circa primum notandum, quod misericordibus debetur pro prœmio diuina benedictio, sicut
Mat. 25 patet in Matth. vbi Christus dicet in iudicio, *Venite benedicti Patris mei, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare:* Et alia misericordiæ opera enumerantur ibi. Et ideo in Psalmo: *Tota die miseretur &*
Psal. 36. *commodat, & semen illius in benedictione erit.* Sed misericordia est mortuis subuenire, qui sunt in pœna maxima, & se iuuare non possunt, & ideo qui eis subuenit, erit à Deo benedictus. Nam si ille benedicitur à Deo, qui est pius in mortuum corpus sepeliendo, si-
2. Re. 2 cut Dauid dixit viris Iabes Galaad: *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc in Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis Dominus misericordiã & veritatẽ, & ego reddam gratiam, quia fecistis verbum istud:* constat quia magis benedicetur, qui pius fuerit ad animam viuentem à pœna liberando. Et ideo ad animam, sicut ad vitam, potest referri illud Ruth: *Sit bene-*
Ruth 2. *[illegible] qui misertus est tui.* Secundo in auctoritate allegata commendatur suffragium, quia *eandem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis* Notandum est, quod viuentibus potest exhiberi gratia & beneficium, vel in corporalibus, id est in his quæ pertinent ad animam: vel in accidentibus, id est in his, quæ pertinent ad consanguineos, attinentes eis. Et hæc eadem gratia debet conseruari mortuis, vt subueniatur eis. Primo de corporalibus, scilicet in exequiis & sepulturis corporum suorum. Ad quas libenter homines debent conuenire duplici ratione. Primo propter suimet edificationem, vt scilicet intuendo mortuum cogitet quilibet quod cito futurus est ipse talis. Vnde Eccl. dicitur in Ecclesiaste: *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiui. In illa enim finis cunctorum admonet hominem: & viuens cogitat quid futurum sit.* Diuus Gregorius 13. Moral. Pene Greg. mortuum se considerat, qui se moriturum minime ignorat. Secundo propter compassionem & ideo non cum risu, sed potius cum fletu debemus interesse funeribus, siue propter compassionem ipsius mortui, quem videmus secundum carnem deuenisse ad tantam inopiam & miseram. Propter quod dicitur in Ecclesiastico: *Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plo-* Eccl. *rare.* Siue propter compassionem suorum charorum afflictorum, & lugentium, vt simul condolendo consolemur eos. Vnde dicitur in Eccli. *Non desis plorantibus in con-* Eccli. *solatione.*

¶ Secundo debet exhiberi gratia mortuis, vt subueniatur eis de spiritualibus, scilicet de suffragiis animæ, precipue per orationes & eleemosynas. Debet enim nos mouere ad libenter orãdum pro defunctis, non solũ pietas & charitas, quam debemus ad eos habere, qui in pœnis purgatorij detinentur; sed etiam nostra vtilitas, ex eo quod ipsi defuncti, postquam purgati sunt, & ad cœlum euolauerunt, orant ipsi pro nobis viuentibus. Vnde de Hieremia iam defuncto dicitur, quod apparuit Iudæ simul cũ Onia sũ- 2. Mac. mo pontifice & defũcto, & dictũ est Iudæ: *Hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias Propheta Dei.* Et Apoc. quod *ascendit fumus incen-* Apoc. *sorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Ergo viuentes orare debent pro mortuis pur-

purgandis, vt ipsi versa vice ab ipsis valeant iuuari. secundum illud Iacob. vlt. *Orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Si enim tãtum valuerunt orationes Sanctorum, vt possent contra naturam animas ad sua corpora reducere; multo potius potuerunt afflictis & indigentibus diuinam misericordiã impetrare. Est enim suffragium eleemosynarum defunctis impendendum, quia eleemosynæ sicut multũ prosunt viuis, sic etiam & defunctis. Vnde Tob. 4 dicitur: *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur anima ire in tenebras.* Et in eodem cap. 3. dicitur: *Eleemosyna à morte liberat: & ipsa est quæ purgat peccata, & faciat inuenire vitam æternam.*

¶ Tertio debet gratia mortuis seruari in suis propinquis, & successoribus, in quibus ipsi defũcti quodammodo adhuc viuunt, & ideo debent reddi propinquis viuis, quæ debebantur mortuo. Vnde in lege Dei statutum est, vt propinqui succedant mortuis in hæreditate, sicut patet Numeri 27 vbi dicitur quod filiæ Salphaad dixerũt: *Pater noster mortuus est in deserto, &c. Date nobis possessiones inter cognatos patris mei.* Et sequitur quod Dominus dixit: *Iustam rem petũt filiæ Salphaad. Homo cum mortuus fuerit absque filio ad filiam eius transibit hæreditas.* In quo satis innuitur, quod illud quod debebatur viuenti, post mortem eius reddi debet eius propinquitati. Debetur ergo propinquitati mortui triplex gratia.

Prima est gratia dilectionis: de qua dicitur Ecclesiast 30. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus reliquit enim similem sibi.* Ideo amor & dilectio, qui habebatur ad eũ, qui mortuus est, haberi debet ad eum qui viuit. Vnde Gene. 50. dixerunt filij Iacob ad Ioseph: *Pater noster præcepit nobis antequam moreretur, vt tibi verbis illius diceremus, obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Nos quoque oremus, vt seruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc.* Quasi dicant quod nobis dimittas, & patri,

Secundo debetur propinquitati mortui gratia compassionis, quia non solum debemus compati amicis, sed etiam inimicis. Eccli. *Noli de mortuo inimico tuo gaudere, sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium volumus venire.* Minus dicit & plus significat: quia non tãtum non est gaudendum, sed etiam lugendum, exemplo Dauid 2. Regum, de quo dicitur, quod audita morte Saul, apprehendens vestimenta sua scidit, & omnes viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsq; ad vesperam. Nec tantum Dauid compassus est mortuis, sed etiam propinquis viuis, prout dicitur 2. Regum quod ait Dauid: *Nunquid super est aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam?*

Tertio debetur mortuo in suis propinquis gratia subuentionis, de quo etiam exemplum habemus in Dauid 2. Reg. vbi dicitur: *Factum est autem vt moreretur Naas Rex filiorum Ammon. Dixitq; Dauid. Faciã misericordiam cũ Ammon filio Naas, sicut fecit pater eius mecũ misericordiam.* Vnde voluit, pro recepta gratia, eandem gratiam reddere, secundum illud Zachar. 5. Gratiam exæquabit gratia. Et qui talia facit acquirit gratiã Dei, per quam peruenitur ad gloriã æternam. Ad quã nos perducat Deus, qui viuit & regnat, &c.

SERMO VI.

De retributione bonorum operum post mortem.

OPera illorum sequuntur illos, Apoc.14.

Communiter videmus, quod spes mercedis reddit hominem sollicitum ad operandum. & inde est quod precium non soluitur communiter ante operis completionem, ne scilicet soluto pretio, & cessante spe vltra recipiendi, negligentior operarius fiat ad opus prosequendum. Vnde etiam Deus iustis pro laboribus, & operibus eorum, non reddit mercedem in præsenti tempore, quod est tempus laboris, & operis, sed in futuro reseruat, vt semper hoc durante, spe premij sollicitentur magis. Et ideo dicitur Ecclesi.51.
Eccl. 51. *Operamini opus vestrum ante tempus, & recipietis mercedem vestram in tempore suo.* Figura huius habetur Matth.20 vbi cum sero factũ esset, scilicet completo cursu diei, & operis, dixit Dominus procuratori suo. *Voca operarios, & redde illis*
Matt. 20 *mercedem.* Hinc est ergo quod de iustis dicitur in verbo proposito, quod opera eorum, id est, mercedes operum non dantur in præsenti, sicut hypocritæ in præsenti recipiunt mercedem suam, sed sequuntur, scilicet in futura vita, ergo opera illorum. &c.

A In quibus quidem verbis commendantur boni viri ex duobus.

Primo de excitatione meriti, cũ dicit, *opera illorum.*

Secundo ex consecutione premii: quia *sequuntur illos.*

CIRCA primum attendendũ, quod si homo vult benè mori, ita quod post mortem recipiat æternæ vitæ mercedem, oportet eum insistere ad faciendum bona opera, & ad hoc eum inducit ipsa natura sua. Generaliter enim videmus, quod quælibet res naturalis habet suam propriam operationem, propria autem operatio, quę naturaliter competit homini, est operatio bona. Nam sicut propria operatio rei artificialis, dicitur esse illa ad quam est facta, sicut propria operatio securis est scindere, sic & hominis, & cuiuslibet rei creatæ, illa est propria operatio, ad quam est facta & creata, sed ad hoc homo est factus & creatus, vt bene operetur. Sed quia sola natura ad hoc non sufficit, additur ei auxilium gratiæ, per Christi sacramenta & idcirco ad bona opera debet intendere. Et hoc est quod ostendit Apostolus Ephes.2. vbi ait. *Factura Dei sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis.* Ephes.2.

In quibus verbis Apostolus tria de nobis ostendit.

Et primò quidem ostendit nobilitatẽ originis: quia *factura Dei sumus.*

Secundò ostendit dignitatem muneris, quia *creati in Christo Iesu.*

Terriò necessitatem finis, quia *in operibus bonis.*

Primum pertinet ad perfectionem naturæ, secundũ ad refectionem gratiæ, tertium ad executionem gloriæ. Dicit ergo quantum ad primum: *Dei factura sumus.* Quando aliqui faciunt aliquem episcopum per electionem, solet dici, ipse est eorũ factura. Et certè Deus fecit honorem homini, quia fecit eum regẽ. Quod patet, quia facto mundo, Deus voluit ponere regem, & dixit. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris.* &c. Gen.1.
G.1. enin hoc patet quod fuit ibi personæ electio, quia non solum Pater habuit ibi vocem, sed & Filius & Spiritus sanctus. Et ideo dicitur. *Faciamus ad imaginẽ & similitu-*

similitudinem nostram, sicut si imago, quæ est in sigillo regis, viueret, diceretur quod esset rex. Item Deus quasi hominem inunxit regem, quando eum benedixit, vndè in benedictione attenditur cõsecratio. Item dedit dominationẽ, cũ dixit, *præsit piscibus maris*, &c. Hoc idem facit Deus cuilibet, quia in creatione, animæ homo est ad similitudinem diuinã, in baptismo inungitur & consecratur, & per gratiã habet dominium super volucres cęli, id est, super spiritualia peccata: & super pisces maris, id est super peccata carnis, & super bestias terræ, quantum ad dæmones. Et ideò peccator rusticitatem Deo facit, quãdo peccat, quia conculcat in se imaginem suam, Isa. 45. sicut si aliquis conculcaret sigillum regis. Vndè Isa. 45. *Væ qui contradicit factori suo.* Sap. 16. Cuius contrarium faciunt multi. Sap. 16. *Creatura enim tibi factori deseruiens.* Isa. 17. Et Isai. 17. *Inclinabitur homo ad factorem suum.*

Secundo in auctoritate allegata ostendit Apostolus dignitatẽ muneris gratiæ, per quam creati sumus in Christo Iesu. Creare enim est de nihilo aliquid facere, homo autem per peccatum fit quasi nihil, sed per Christum est creatus, id est de nihilo ad aliquid adductus, hoc modo, quia Deus fecit primum hominem de limo terrę, & est omnis homo de semine terreno, quantum ad corpus. Deinde animam creauit ex nihilo, quod tunc accidit in primo homine, & accidit quotidiè in peccatore, quia sicut caro Adæ quæ prius fuit tempore quam anima eius, & etiã nostra, superauit animã eius, ita & superat in peccatore. Vnde ne contristaret vxorem suam comedit, & fuit victus carnalitate, & vincitur homo à carne. Et sicut ad nihilum adductus fuit, similiter & peccator, sed creati sumus in Christo Iesu. Dominus enim cogitauit vt faceret hominẽ, in quo illud quod prius esset, superaret illud quod esset posterius. Iste fuit Christus, cui diuinitas prior existens quam humanitas, sibi subiecit humanitatem, vndè sic fuit conuersum respectu primi hominis, quia ibi carnalitas vicerat animam, hic anima per diuinitatem vicit carnem. Vnde sicut per carnem Adæ quæ fuit causa culpæ, & vicit animam, sumus dissipati, ita per carnem Christi diuinitati vnitam, sumus recreati, vndè altissimus de terra creauit medicinam. Et ideò 2. Corinth. 5. dicitur. 2. Cor. 5. *Si qua ergo in Christo noua creatura vetera transierunt, & ecce noua facta sunt omnia.* Et ideò dicitur quod *Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Tim. 1. Tim. 1.

Tertiò in auctoritate allegata ostenditur necessitas finis, cum dicitur *in operibus bonis*, quasi dicat ad hoc facti sumus & creati, vt benè operemur, vnde si finem ad quem facti & creati sumus volumus habere, oportet nos bona opera facere. Vnde nota, quod de qualibet arbore, quæ est in horto hominis vult homo habere fructum, & si est sicca succidit eam & comburit. Sic Deus de quolibet quem posuit in mundo vult fructum bonorum operum, aut si sit homo siccus in ignem mittitur. Ecclesiastic. 3. Eccl. 3. *Cor sapiens & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit.* 2. Corinth. 9. 2. Cor. 9. *Abundetis in omne opus bonum.* Sed heu dicitur de multis Tit. 1. Tit. 1. *Ad omne opus bonum reprobi.*

B

Et si petatur quare? Responderi potest, quia omne opus quod faciunt de genere bonorũ faciunt indebito modo, scilicet aut factè

aut

fiut tarde, aut parce, aut diminute, aut imperfecte. Ficte quidem, ficut hypocritæ, qui ostendunt se bona facere propter Deum, & faciunt propter mundum, & propter fauorem humanum. Tales similes sunt nunciis, qui portant arma regis picta in pixide, nec intus habent litteras Domini sui, & ideo non creditur eis. Isti sunt hypocritæ, quibus non credetur in iudicio, quando libri aperti erunt, & tunc litteræ eorum, id est opera, falsa aparebunt, & dicetur eis: *Nescio vos*, quia signum nō habetis meum, id est intentionem rectam, ideo vt falsarij comburētur in æternum. Propterea admonetur quilibet Galat. 9. *Opus suum*
Galat. 6 *probet vnusquisque*, id est diligenter insciplat, qua intentione fiat, *& sic in semetipso*, id est in Domino qui est in ipso, *gloriam habebit, & non in altero*. Hypocritarum opera inutilia sunt, sicut poma vacua, quæ exterius videntur pulchra, & interius vacua sunt, propter defectum intentionis bonæ & charitatis veræ. Apocalyp. *Scio*
Apoc. 3. *opera tua*. glo. quia quæris hominum laudem, & parum post: *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo*. Item quorundam opera reprobantur, quia fiunt tarde, puta in morte, vel si credat quod post mortem faceret. Irridendus esset qui tunc surgeret ad operandum, quando redendum esset ab opere, & tunc vellet seminare, quando esset metendum Propterea dicitur Ecclesiast. *Quodcunque facere*
Eccli. 9. *potest manus tua, instanter operare: quia nec opus*, id est tempus operādi, *nec ratio* excusandi, *nec sapientia* allegandi, *nec scientia* defendendi, *erunt apud inferos, quo tu properas*, id est ista non valebunt post mortem. Item quorundam opera reprobantur, quia tepide sunt facta. Materia mollis cito dissoluitur, & parum proficit. Sic opus mollium & tepidorum cito deficit, & parum prodest, vnde Prouerb. *Qui* Prou.
mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Nota quod feruenter & quam solicite laborant homines in operibus, de quibus exspectant magnum lucrum temporale, & ita negligentes & remissi sunt in operibus spiritualibus, pro quibus merces æterna datur. Contra quod dicitur
Ioann. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*: Hierem. *Maledictus qui opus Domini facit negligenter*: alias fraudulenter. Item quorundam opera reprobantur, quia fiunt nimis parce, qui enim nimis paruum & vile encæniū mitterit vni magno Domino, non esset acceptum: sic qui parum boni Deo. 1. Corinth. 1 Cor.
Abundantes estote in omni opere Domini. Itē quædam reprobantur opera, quia incompleta propter imperseuerātiam. Si enim operarius aliquis dimitteret opus suum statim hora prima, vel tertia, non repotaret mercedem de opere suo: vnde oportet eum vsque ad finem diei ab opere non desistere. Et sic in bono opere non debet homo vsque ad finem desistere, si vult remunerari. Galat. *Bonū* Gal. 6.
facientes non deficiamus, tēpore enim suo metemus non deficientes. glo. Si homo non imposuerit finē bono operi, nec Deus imponet finē remunerationi.

C

SECVNDO in auctoritate principali agitur de consecutione præmij, cum dicitur: *Sequūtur illos*. Vbi aduertendum, quod ad mala opera consequitur generaliter duplex pœna. Vna statim in præsenti, scilicet perturbatio, & remorsus conscientiæ. Alia in futuro, scilicet damnatio pœnæ æternæ. E contra autem ad bona opera consequitur duplex fructus. Primus est conscientiæ quietatio, tenetur enim homo non solum absti-

abstinere à malo, sed etiam operari bonum. Et ideo sicut inquietatur conscientia ex perpetratione mali, ita ex omissione boni. Et è contrario: sicut quietatur & pacificatur ex remocione mali, id est peccati, ita quietatur & consolatur in impletione boni. Secundus fructus erit in futuro, scilicet gaudiosa retributio. Et de his duobus
Prou. 12 dicitur Prouerb. *Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.*

In quibus quidem verbis tanguntur tria, quæ pertinent ad bene operantes.

Nam primo quidem, bona opera debet præcedere prouida deliberatio, & hoc intelligitur per *consilia*, cum dicitur, *qui ineunt consilia.*

Secundo sequitur ad ea conscientiæ quietatio, quæ intelligitur in nomine *pacis.*

Tertio recipietur propterea gaudiosa retributio, & ideo subiungitur quod *sequitur eos gaudium*, scilicet bene operantes gaudium vitæ æternæ.

¶ Circa primum attendendum est, quod homines ineunt consilia, vt deliberent, & prouideant de
2. Re. 16 his, quæ sunt agenda ad aliquem finem exequendum. Vnde 2. Reg. dicit Absalon ad Achitofel. *Inite consilium quid agere debeamus.* Siue autem homo ineat cõsilium in semetipso, siue cum alio, ita debet in inquirendo procedere, quia supposito fine quem intendit, de quo non est consilium, debet primo discutere quæ sit via perueniendi ad talem finem. Et quia plures esse possunt viæ ad illud, debet discutere quæ sit efficacior & expeditior, qua electa, debet videre à qua sit incipiendum, & quando, & qualiter, & quomodo, & sic posteà ad actum procedere. Sed notandum, quod circa consilia contingit multipliciter errare Aliquando quidam propter iniustitiam, puta quando aliquis consulit alicui, quod faciat rem iniustam, vel iniquam: puta quod capiat aliena, vel furetur: quando ex tali consilio sequitur furtum, vel rapina, vel damnũ aliud, vel probabiliter creditur esse secutum, tenetur in solidum, alias non tenetur, licet peccet grauiter. Et dicit Innocentius, quod secundum consilium animæ, si damnificatus haberet actiones contra alios, sed eas nollet exercere, siue ex iusta siue ex iniusta causa, quod consiliarius in hoc casu satisfacere debet, nisi spoliatus liberaliter dimitteret raptori, tunc enim non tenetur consiliarius, si nihil ad eũ de rapina peruenit. Sed si quid ad eum de rapina peruenit, etiamsi liberaliter liberaretur principalis raptor, non propterea liberaretur consiliarius, quin debeat restituere, nisi alius pro eo satisfecisset. Vndè in hoc casu dicendũ consiliario, quod satisfaciat illi principali, qui pro eo satisfecit, nõ autem offenso, quia ei iam satisfactum est. Est etiam magis iniquũ consilium, quando aliquid consulit alicui, quod offendat proximũ in persona, prȩter ordinem iuriũ & iniquè etiam consulit alicui: quod faciet aliquod peccatum: sicut Achitofel consuluit Absaloni: quod peccaret cũ concubinis
patris sui Dauid. 2. Regum 16. Et 2. Reg. 16
Ionadab cõsuluit Ammõ quomodo violaret Thamar sororem suã vndè secuta est occisio ipsius Ammon, 2 Regum 13. Illi etiam con- 2. Re. 13
siliarij ciuitatum vel dominorũ, qui audiunt proponi aliqua iniqua contra Deum, vel Ecclesiæ libertatem, non solum non debent consentire, sed etiam de bono & æquo, & pro securiori parte, tenẽtur publice contradicere: maximè si est malum, quod possit multos lædere & grauare. Si autem pusillanimis est qui hoc audit proponi,

ni, & non vult votum ſuum pub-
lice dicere ne incurrat ſuſpitio-
nem infidelitatis & huiuſmodi, ſi
non eſt de numero conſentientiũ
& aliqua mala ſtatuantur per in-
ualentiam maiorem alterius par-
tis, dicunt quidam iſtum non te-
neri de damno dato per illud
conſilum, licet peccato omiſſio-
nis peccat non reſiſtendo huic &
illi malo, aut non impediendo. De
talibus ergo iniquis cõſiliis quod
homo non debeat conſentire, ha-
betur figura Gen.49. vbi dixit Ia-
cob *Simon & Leui vaſa iniquitatis*
Gen.36. *bellantia, in conſilium eorum non ve-
niat anima mea.*

Secundo erratur in cõſiliis pro-
D pter inſipientiam & ignorantiam
conſulentium, ſicut dicitur Iſai.
19. *Stulti principes Thaneos: ſapientes*
Iſa.19 *conſiliarij Pharaonis dederunt conſi-
lium inſipiens*. Stulti conſiliarij
ſunt qui non reſpiciunt an liceat
& an deceat, & an expediat, & ſi
reſpiciunt neſciunt eligere. Sed ſi
ſapientes erant cõſiliarij Pharao-
nis quare dederunt conſilium in-
ſipiens? Dicendum quod erant ſa-
pientes ſecundum opinionẽ Pha-
raonis aut aliorum, ſed non erant
ſapientes ſecundum Deum, vel ſe-
cundum veritatem. Dicitur in fa-
bula quod quando vulpes petiuit
à formica cuius conſiliis credere
deberet: formica reſpondet ei, cre-
dere debes conſilio ſapientis, ſciẽ-
tis, & magnanimi, Deumque ti-
mentis. Nam non poteſt bene cõ-
ſulere qui non eſt ſapiens, neque
etiam ſapiens ſi non ſit ſciens, id
eſt expertus, neque expertus niſi
ſit magnanimus, qui ex timore
veritatem dicere non refugiat, vel
bonum cõſilium quod nouit da-
re. Sed nec adhuc iſtud ſufficit,
niſi ſit timens Deum, qui nullo
modo contra iuſtitiam conſulat,
Pſ. 110. Pſalm. *Magna opera Domini in con-
ſilio iuſtorum.* Tob. 4. *Conſilium*
Tob. 4. *ſemper à ſapiente perquire*. Ali-
quando vero cõtra conſilia erra-
tur propter ſuperbiam, ſicut nar-
rat Valerius de Xerxe rege Perſa-
rum, quod indicẽs bellum Græ-
cis, congregatis principibus cõſi-
liariis ſuis, dixit eis quod vocabat
eos ne non crederet vulgus, quod
faceret hoc ſine conſilio aliorum,
ſed nunc præparate vos magis ad
obediendum quam ad conſulen-
dum. Et ſic ex ſuperbia deſpexit
eorum conſilia, nec voluit etiam
audire. & ideo de guerra illa malè
ceſsit ei poſtea, quia fuit turpiter
debellatus & victus. Contra hoc
dicitur Prouer.13. *Quod qui agunt* Pro.1
*omnia cum conſilio reguntur ſapien-
tia.* Aliqui vero errant propter
inobedientiam, quia quidem bo-
nis conſilijs ſibi datis, nolunt obe-
dire, ſicut Roboam filius Salomo-
nis noluit obedire conſilio ſenio-
rum 3. Regum 12. Tales ergo ſi-
cut dicit Philoſophus ſunt ſimiles 3.Re.1
infirmis qui audiunt conſilium
Medici, ſed nolunt facere, ideo
frequenter moriuntur. Vnde con
tra hoc dicitur Gen.27. *Nunc fili
mi acquieſce conſilijs meis.* Gen.27.

Secundo in auctoritate allega-
ta tangitur primus fructus qui E
ſequitur ex bonis operibus cum
debito conſilio factis, ſcilicet
quietatio conſcientiæ, quæ deſig-
natur nomine pacis. Vbi aduer-
tendum quod eſt triplex pax quæ
conſequitur ex bonis operibus.
Nam eſt quædam pax interior,
quæ dicitur pax pectoris, id eſt
conſcientiæ. Et iſta reformatur
per opera pœnitentiæ, quæ ſunt
deflere mala comiſſa. Item eã-
dem emundare. Item mandatis
Dei inceſſanter inſiſtere. Iſta eſt
pax in qua poſt pœnitentiam re-
miſit Dominus Magdalenam Lu- Luc.7.
cæ 7. dicens. *Vade in pace* ſcilicet
conſcientia. Secunda pax eſt exte-
rior ſcilicet inter proximos, quæ
dicitur pax temporis. Et iſta ſe-
quitur ex operibus iuſtitiæ quan-
do

do vnusquisq; reddit alteri quod sui iuris est, de quo dicitur Isa. 32. *Opus iustitiæ pax*. Perfecti tamen viri assequntur pacem temporis per tres alias virtutes, scilicet per abdicationem temporalium, pro quibus mundus pugnat, litigat & inquietat. Item per patientiam, quæ non repercutit imo cedendo pacem sibi facit. Item per humilitatem quæ nulli molesta est & neminem angustiæ aut comprimit, imo etiam comprimentes se velut inane quoddam & vacuum & sine resistentia infra se recep-tat. Qui ergo tales sunt implent illud Psalm. 119. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus*. Tertia est pax superior quæ dicitur pax æternitatis, quæ acquiritur per opera gratiæ & charitatis. Psalm 118. *Pax multa diligentibus legem tuam*, &c. Sic ergo patet quomodo ex bonis operibus sequitur fructus pacis. Vnde Romanor. 1. Gloria, honor, & pax, omni operāti bonum, gloria scilicet apud Deum, honor apud homines, & pax in conscientia propria omni operanti bonum.

E Tertio in auctoritate allegata ponitur læta retributio bene operantium, cum dicitur sequitur eos scilicet post mortem gaudium æternum. Vbi aduertendum quod istud gaudium non potest dare mundus sed solus Deus. Primum horum scilicet, quod mundus date non possit tale gaudium apparet quadruplici ratione. Prima ratio est, illud gaudium de quo loquitur est gaudium verum. Vnde Beatus Augustinus dicit, quod beatitudo est gaudium de veritate, sed gaudium mundi est gaudium falsum. Nam verum gaudium non est nisi de bono, sed homines mundi frequenter gaudent de malo, secundum illud Prouerbior. 2. *Lætantur cum malè fecerint & exultāt in rebus pessimis*. Vlterius etiam patet quod verum gaudium est de vero bono, sed bona illa præsentia de quibus mundani gaudent sunt bona apparentia potius quam existentia. Vnde de talibus paruum & falsum gaudium haberi potest. Quod etiam probatur, quia illud quod est falsum non est, quia de non ente non est scientia, ergo nec gaudium, & sic quod est, verum est, quia ens & verum conuertuntur, & ideo bonum falsum id est apparens est paruum & non magnum, sed in eo quod non est magnum & est falsum habetur fragile gaudium. Et hinc est quod gaudium mundi non durat, quia modo gaudes, modo tristaris, & nunquam in eodem statu permanes, vt dicitur Iob 14. Ex hoc etiam patet quod non est gaudium verum, quia veritas est res fortissima & firmissima, quia super omnia vincit veritas, vt dicitur 2. Esdræ 3. Sed è contrario res falsa fragilis est & cito permutabilis, vnde gaudium mundi fragile est & cito corrumpitur, scilicet per vnum verbum iniuriosum. Et ideo dicitur Iob 20. *Et gaudium hypocritæ ad instar puncti*. Secunda ratio est quia illud gaudium est gaudium plenum, secundum illud Ioan. 16. *Petite & accipietis vt gaudium vestrum sit plenum*. Sed gaudium mundi est vacuum, quia quasi nihil boni habet in se, sed est de tribulatione aliorum. Item de paruis rebus quæ nihil sunt, vnde vacuum est, quia vacuum dicitur illud secundum Philosophum quod non includit finem intentum. Et sic est de gaudio mundi, quia inducit finaliter tribulationem magnam. Vnde dicitur Prouerb. 14. Quod *extrema gaudij luctus occupat*.

Tertia

Tertia ratio est, quia illud gaudiū
est stabile & firmum. Vnde Ioan.
Ioan. 16 *Gaudebit cor vestrum, & gaudium*
vestrum nemo tollet à vobis. Sed gau-
dium mundi non est firmum, quia
Iob 18. modo est, modo non est. Iob:
Nonne lux impij extinguetur? Et vo-
cat lucem gaudium mundi, quia
lux inter alias qualitates minus
habet de esse fixo. Nam sicut di-
cunt Philisophi, Non est quod tā
cito deficiat sicut lux: vnde remo-
to sole, statim remouetur lux, &
vnam candelam accensam statim
extingere potes, & sic gaudium
mūdi cito extinguitur. Vnde Iob:
Gaudent ad sonitum organi. Et post:
Iob 26. *Ducunt in bonis dies suos, & in pun-*
cto ad inferna descēdunt. Sicut cito
extinctum est gaudium Alexan-
dri Magni, qui post multas victo-
rias, quibus sibi Orientem subiu-
gauerat, rediens in Babyloniā, quę
erat in Chaldæa: recipit ibi simul
de diuersis partibus mundi tria
millia ambasitorum, & dum ce-
lebraret conuiuium in maxima
gloria, datum est eum venenū: &
cognouit mortem suam, & defe-
cit gaudium suum. Quarta ratio
est, quia illud gaudium est conti-
nuum: Apostolus, Philip. 4. *Gaude-*
Phil 4. *te in Domino semper.* Sed gaudium
mundi non est continuum, quia
interrumpitur occupationibus, &
accidentibus varijs, & interdum
tristabilibus: ita vt risus dolore
misceatur & interrumpatur gau-
dium. Tobiæs. *Quale gaudium mi-*
Tob. 5. *hi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen*
cœli non video. Secundum autem
quod dictum est, scilicet quod
gaudium ęternum non possit ha-
beri nisi in Deo, patet triplici ra-
tione.

Primo, quia tale gaudium est
gaudium originale: quia ab illo
omnia alia gaudia debent originē
sumere. Nam sicut motus sempi-
ternus cœli est principium omnis
motus secundum Philosophum,
ita gaudium sempiternum & su-
percęleste est principium omnis
gaudij, sed tale gaudium est diui-
num gaudium. Nā illud quod est
essentiale, de necessitate debet es-
se principium aliorum, sicut lux
quæ est essentialis proprietas so-
lis, est principium aliorum lumi-
num; & calor ignis est principiū
aliorum calidorum. Vnde cum
diuinum gaudium sit essentiale,
quia ipse est Deus: qui habet Deū,
habet gaudium essentiale Vnde
de necessitate diuinum gaudium
est regula omnium gaudiorum.
Et ideo si non habeas istud gau-
dium saltem imperfecte, partici-
pando aliquid in vita ista, non po
tes recte gaudere, quia non habes
regulam gaudij. Vnde si vis gau-
dere de creaturis, habeas de isto
gaudeo, quia omnia gaudia ordi-
nabit ad Deum, & licet sit malū
sumere gaudium extra diuinum
gaudium, quod est regula & recti-
tudo omnis gaudij, tamen adhuc
peius est sumere contra istam di-
rectionem gaudij. Et hoc faciunt
qui mortaliter peccant, quia rece-
dunt ab isto gaudio, quod est
nobilissimum, cum sit originale,
quia virtus semper nobiliori mo-
do est in sua causa, quam in suis
effectibus. Et propterea dicebat Abac.
Abacuc: *Ego autē in Domino gaude-*
bo, & exultabo in Deo Iesu meo. Se-
cunda ratio est, quia gaudiū istud
æternum est gaudium finale. De
quo dicitur Eccli. Quod *omnes in* Eccli.
gaudium volumus venire. Sed finale
gaudium est gaudium diuinum,
& ideo summum: quia finis habet
rationem optimi, eo quod conti-
net in se perfectionem omnium,
quæ sunt ad finem. Et ideo omnia
gaudia quasi nihil sunt, quia non
sunt finalia, & ideo de eis non est
curandum, imo qui ponit finem
in eis, mortaliter peccat, quia fa-
cit creaturam finem, vnde si vis
habere summum gaudium, pro-
cura

cura habere diuinū, quia cum sit finale, habendo finē non curabis de his quæ sunt ad finem; vt gaudium filiorū & diuitiarū & huiusmodi similiū. Sicut si aliquis vellet habere equum, vt iret Romā, si esset ibi nō curaret habere equū, quia haberet illud propter quod volebat equum: & si moreretur equus & non reciperet inde damnū postquā peruenisset Romā nō curaret: sed si moreretur in via, nunc doleret, quia nōdū esset in fine. Et iterū si haberes medicinas, & antè sanitatem, quæ est finis, perderes, doleres, & si haberes finē, scilicet sanitatē, & perderes, ita tamen quod nihil valeret alteri illa medicina, nisi tibi, & pro infirmitate tantū de qua sanitatē recepisses: certè non curares si perderes, ex quo haberes finē, scilicet sanitatē. Sic ergo iusti & in mundo isto participantes aliquid de gaudio diuino, nō curāt de amissione cuiuscūq; rei & gaudij mundani, vt peruenire possint ad perfectū gaudium futurū.

Psal. 76. Vnde Psal. 76. dicebat *Renuit consolari anima mea*: & subdit caussam *quid memor fui Dei & delectatus sum*.

Iac. 1. Vnde super illud Iac. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei dum in tentationes varias incideritis*.

August. Dicit beatus August. Spe illius boni ad quod tenditis quicquid vobis in vita cōtigerit, gaudere debetis. Vnde habēdo illud vltimum gaudiū diuinū habebitur perfectio omnis gaudij.

Esa 35. Et ideò sicut dicitur. Esa. 35. Gaudiū & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Tertia ratio est: quia gaudium vltimū est in comparatione, de quo dicitur

Eccl. 30. Eccles. 30. *Non est oblectamētum super cordis gaudium*. Et tale est gaudiū diuinum, quia nullum aliud gaudiū sibi potest assimilari: quia omnia alia accidētalia sunt, ideò parua, & quasi nulla: quia illud vt dictū est: est gaudium finale & finis cōtinet in se effectum eorum quæ sunt ad finem. Vnde tale gaudiū erit perfectum quod faciet cessare omnem tristitiam. Ioan. 16. *Tristitia vestra vertetur in gaudium* scilicet æternum. Ad quod nos Deus perducat, qui viuit & regnat, &c. Ioan. 16

In anniuersario vel translatione diu ante mortui.

SERMO VII.

H*Omo cum mortuus fuerit, nudatus atque consumptus vbi quæso est.* Iob 14. Cum in homine sit sensus & intellectus. Iob 14.

In quorum primo cōuenit cū brutis: in secundo cum angelis: & sensus non reflectatur supra se, vt scilicet cognoscat se sicut alia: quia oculus videt alia sed non se: sed intellectus reflectitur: quia intelligit se sicut & alia: secūdùm philosophum in tertio de anima, & quilibet homo debeat viuere secundum rationem & intellectū: quilibet debet conari vt dum alijs intendit, intendat etiam sibi. Propterea Seneca dicit. *Ita alijs prodesto vt tibi non noceas, age sic alienum vt tuum non obliuiscaris negotium.* Seneca.

Et hinc est quod memorias & anniuersaria mortuorum facimus. Primò quidem propter eos, id est ad eorum vtilitatē, vt eos per suffragia missarū & orationum & eleemosynarum iuuemus. Et fiunt mortuorū memoriæ in diuersis locis, diuersis temporibus. Nàm aliqui faciunt die secūda: vt scilicet ipse defunctus secundam mortē euadat, quæ est damnationis æternę. Quidam verò die tertia, vt cum illo beatitudinem habeat qui die tertia resurrexit. Alij autem die 7. vt scilicet quiescat à pęnis quia dies 7. fuit dies quietis, & quia 7. est ætas. Alij verò die 30. vt scilicet

regnet cum illis qui habuerunt fidem Trinitatis cum decalogi præceptis. Quidā autem die 40. vt per merita pœnitentiæ veniā habeat indulgentiæ: vt de sinistra perueniant ad dexteram. Alii verò faciunt anniuersaria, vt perueniant ap perfectam & æternam gloriam, quæ designatur in circulo anni, qui dicitur corona: secūdùm illud Psal. 64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Secundò huiusmodi mortuorū memoriæ fiunt etiā propter nos, id est propter nostram informationem: vt memores simus similiter nos esse morituros: & ideò nosmetipsos ad mortem præparemus. Et idcirco in verbis propositis conditio hominis iādiu mortui nobis consideranda proponitur: cū dicitur: homo cùm mortuus, &c. In quibus quidem verbis de homine iamdiu mortuo ad nostram instructionem quatuor describuntur.

Psal. 64.

A

Primū est præterita corruptio, cùm dicitur: homo cùm mor. &c.

Secundum est omnimoda expoliatio: cùm subditur, nudatus.

Tertium est completa defectio: quia consumptus.

Quartum est incerta locatio: cum infertur: vbi quæso.

CIRCA primum cùm dicitur: Homo cum mortuus fuerit. Est notandum, quod dum homo viuit videtur esse magni valoris & ponderis: sed cùm mortuus fuerit tanquam nihil quasi valēs traditur obliuioni: secundum illud Psalm. 30. *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.*

Psal 30.

In quibus quidem verbis tangitur triplex defectus, qui accidit erga hominem mortuum.

Primus est defectus humanæ considerationis, cum dicitur: obliuioni datus sum: scilicet ab his qui non considerant amplius de me.

Secūd. est defectus humanę corruptionis: cùm dicitur, mortuus.

Tertius est defectus humanæ dilectionis: cùm dicitur, à corde.

¶ Circa primum aduertendum quòd homo cito obliuiscitur eorū quæ non considerat & de quibus non cogitat. Vndè quia homo non cogitat de mortuis: nec considerat quæ pertinent ad eos: faciliter obliuiscitur eorum: sed dato quod propter eos non curemus recordari eorum: saltē propter nosipsos non debemus obliuisci, quia dum hominis mortui recordamur: ex ipsius morte admonemur, vt de nostra morte futura cogitemus. Quę quidē si sępe haberetur, valeret nobis ad tria. Primò quidē ad nostræ vitæ directionē. Et ratio est: quia quæ sunt ad finem, ordinātur secundū rationem finis, sicut patet in artificialibus & naturalibus & ciuilibus. In artificialibus quidē, quia domus est propter habitationem. Et ideò sic ordinatur & disponitur vt in ea possit conuenienter habitari. Patet etiam in naturalibus; nam arbor est propter productionem fructuum, & ideo taliter disponitur à natura, vt possit fructus producere & eos conseruare, & ideo habet radices in terra ad sugēdum humorem ad fructuum generationem & nutritionem, & folia sursum ad fructuum defensionem. Patet etiam in ciuilibus: nam pugna est propter victoriā; & ideò acies militum ordinātur & disponuntur, vt possint ad victoriam peruenire, sicut docet Vegetius in libro de arte militari. Et secundùm hunc modum ex cōsideratione mortis quę est finis vitæ hominis, tota vita hominis dirigitur, quod est quādo bene viuit vt bene moriatur. Nam sicut dicit B. August. *Mala mors putanda non est quam bona vita præcessit.* Hanc vitæ nostræ directionē per consi-

August.

cõsiderationem finis etiam volatilia nos docent, quæ scilicet, in suo volatu cauda sua se dirigunt, quæ finis corporis est. Vndè, Iob. 12. *Interroga volatilia cœli & indicabunt tibi.* Secundò valet cõsideratio mortis & memoriæ ad animæ sanationẽ. Sicut enim in corpore sunt diuersę infirmitates, ita requiruntur diuersæ medicinæ, quia contraria contrariis curantur. Sed infirmitates animæ sunt passiones vitiorũ, sicut dicit Tullius; periculosissima autem infirmitas animæ est peccatum mortale, cõtra quod est ordinata pœnitẽtiæ medicina, qui secundùm Ambros. est virtus perfecta, quæ omne imperfectum reducit ad perfectũ. Ad pœnitentiã autem sumendã inducit potissimè mortis memoria, & frequẽs cõsideratio eius. Quod pręcipuè apparet exẽplo Niniuitarum in lib. Ionæ, qui ex comminatione mortis ad pœnitentiã moti sunt. Vndè dicitur Ionæ 2. quod cũ Iona prædicaret, adhuc 40. dies & Niniue subuertetur, Rex surrexit de solio suo & abiecit vestimentum suum à se, & indutus sacco sedit in cinere, &c. Vnde Dñs Mat. 12. contra Iudæos impœnitentes eorũ exẽplum induxit, dicens: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista & condemnabũt eam quia in prædicatione Ionæ pœnitentiam egerunt.* Et ecce plusquã Ionas hic. Tertiò valet memoria siue consideratio mortis ad propriæ fragilitatis recognitionẽ. Valdè enim vtile est quod homo seipsum cognoscat, quia sicut dicit Bernard. *Multi multa sciunt & se ipsos nesciũt.* Nam quidã habent notitiam elemẽtorũ, sicut Philosophi, quidã notitiã cõplexionũ, sicut medici, quidã corporum cælestium, sicut Astrologi, quidã operationũ ciuilium, sicut Iurisperiti, sed suiipsorum notitiã non habent. Scilicet vtilis sui noticia magis haberetur ex consideratione mortis, quã ex inspectione librorũ. Et ratio est, quia tale est cõpositũ qualia sunt cõponentia: sed per mortem homo resoluitur in componẽtia, & in hac resolutione apparet euidenter, quot fœtores, quot putredines, quot abominationes sunt ex quibus homo cõponitur. Propter quod dicit Bernar. Quid fœtidius humano cadauere, quid horribilius homine mortuo, cuius erat in vita gratiosus amplexus sicut in morte horribilis aspectus. Quid ergò prosunt diuitię: quid delitie, quid honores. Diuitiæ non liberant à morte, nec delitiæ à verme: nec honores à fœtore. Et sic in noticiã suę vilitatis venit homo per mortẽ. Propter quod Alexander vulneratus sagitta dixit: Vos vocatis me Iouis filium, sed hoc vulnus monstrat me esse hominem. Sed hoc magis demõstratur per mortem. Est enim homo animal mortale. Et hoc attendere est valde vtile, vt homo de se non præsumat. Propter quod dicitur in Psal. 9 *Sciãt gentes quoniam homines sunt.* Sed notandum quod multis accidit de mortuo siue de morte, sicut accidit de speculo. Nam quãdiu aliquis inspicit se in speculo, videt qualis est; sed postea recedens à speculo, obliniscitur figuræ suæ. Sic homo aspiciens alium mori vel iam mortuum, concutitur in corde & cogitat de morte sua, & considerat mortalitatẽ & vilitatẽ suã; sed postea recedẽs à mortuo & tendens ad fauorẽ mundi, obliuiscitur mortalitatis suæ, extollitur in superbiã. Vnde Iac. 1. *Comparabitur viro cõsideranti vultũ natiuitatis suæ in speculo;* scilicet mortis. Consideraũit enim se & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit.

Secundò in authoritate allegata describitur defectus humanæ

Margin notes: Iob. 12. — Ionæ 2. — Mat. 12. — Bernar. — August. — Psal. 9. — Iac. 1. — B

corruptionis scilicet per mortem cum dicit: tanquam mortuus. Sed aduertendum est quod corruptio mortis licèt dissoluat corpus, animæ tamē hominis qui benè moritur valdè proficua est. Et ratio est quia perducitur de pœna ad perfectā tranquillitatē, ad supernam ciuitatem, ad sanctorū iucunditatē, & ad æternam felicitatem. Primò dico ad perfectam tranquillitatē. Nam vita hominis, sicut dicit Iob, est militia super terram. Iob. 7. ex eo quod à multis impugnatur. Impugnatur enim à componentibus corpus, ex quorū actione & passione corpus corrumpitur. Impugnatur à complexionibus, ex quarum dissolutione corpus infirmatur. Impugnatur à sensibus: ex quorum incauta relaxatione anima inficitur. Impugnatur ab exterioribus, quia à vaporibus inficimur: à delectationibus decipimur: & à dæmonibus seducimur. Quia secundùm Apostolum Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē tantum, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarū harum* id est huius aëris obscuri. Sed per mortē ab his omnibus liberatur, qui benè moriuntur. Vndè, de Lazaro paupere & iusto dicitur Luce. 16. *Factū est vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ.* per quem sinū intelligitur requies & securitas iustorū ab omnibus impugnationibus & pugnantibus. Itèm perducimur, per mortem ad supernam ciuitatem. Nam in hoc mundo peregrini sumus, secundum illud Apostoli. 2. Corinth. 5. *Dum sumus in corpore peregrinamur à domino.* Nam vt habetur. Heb. 13. *Non habemus hic manentē ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Et hæc est superna ciuitas celestis? quæ per Hierusalem figurata est, ad quam per mortem

Iob 7.

Ephes. 6

Luce. 16.

Augu,

Cor. 5.

Heb. 13.

ascendimus. Hoc benè figuratum est Matth. 20. vbi Dominus noster dixit. Ecce ascendimus Ierosolymam. & filius hominis tradetur, &c. per hoc figurare volens quod sine morte non ascenditur ad celestem Ierusalem. Itèm per mortem peruenitur ad sanctorum societatem. Nam in hoc mundo non est iucunda societas, quia mali sunt mixti cum bonis, & est hic dissimilitudo & discordia in opinionibus & in affectionibus & in operationibus.

Mat.

Sed in cælo est societas omninò cōcors & læta, sine discordia sine varietate & semper sunt in lætitia. secundum illud Esa. 2. *Gaudium & lætitiam tenebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Sed ad istud gaudium peruenire non possimus, nisi moriamur, & ideo dicitur Eccle. 8. *Omnes morimur & in gaudium volumus venire*; quasi dicat non possumus ad gaudium perfectum venire nisi moriamur. Itē peruenit homo per mortē ad æternam felicitatem siue beatitudinem, quæ quidem beatitudo in hoc mundo inueniri non potest: quia beatitudo est status omniū bonorū aggregatione perfectus: sicut Boëtius dicit. Mundus autē iste non est plenus bonis, sed potius multis miserijs, quia hic est defectus multiplex & in bonis naturæ, & in bonis fortunæ, & in bonis animę: vndè hic *Homo breui viuens tempore repletur multis miserijs*: sicut dicitur Iob. 14. Sed per mortem homo absoluitur ab istis miserijs si benè moriatur, & perducitur ad fruitionem bonorum æternorum, vbi perfectè satiabitur omnis eius appetitus. Et ideò dicit Gregorij loquēs Deo. Cum peruenerimus ad te fontem vitæ & dulcissimam speciem erit nobis ex visione tua impressa sitis simulque satietas: sed longè abe-

Esa

Eccl.

Boeti

Iob. 1

erit

erit à siti necessitas & à satietate fastidium, quia sitientes satiabimur & satiati sitiemus. Quia igitur ad hanc beatitudinem per mortē peruenitur, dicitur Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Tertiò in auctoritate superius allegata, tangitur defectus dilectionis in eo quod dicit à corde. Nam homines in mundo isto vt plurimum diligunt se propter vtile: sed sicut Seneca dicit. *Amicus qui vtilitatis causa aßumptus fuerit: tandiu manebit quādiu vtilis erit.* Vndè quia homo mortuus non videtur amplius esse vtilis, sicut recessit ab aspectu hominis, ita ab amore cordis, vndè possent dicere mortui de amicis & consanguineis suis illud Esaiæ 29. *Cor eorum longe eſt à me.*

Apoc. 14. — Seneca. — Esa. 29.

G SECVNDO in auctoritate principali describitur omnimoda expoliatio, scilicet ipsius hominis mortui, cū dicitur, nudatus. Vbi aduertendum est quòd defunctorum animæ nudatæ recedunt duplici nuditate. Prima est quia per mortem nudantur à suis corporibus. Secunda, quia expoliātur omnibus bonis temporalibus. Et de ista duplici nuditate dicitur Ioëlis 1. vbi ait de anima migrante. Nudans expoliauit eā quasi dicat, mors nudās animam à corporis indumento expoliauit eam à temporalium ornamento. Vnde in verbis prędictis notatur duplex defectus, qui accidit animæ per mortem.

Ioel 1.

Primus est in bonis naturæ, quia nudatur à corporis veste.

Secundus est in bonis fortunę, quia expoliatur temporalium ope.

¶ Sed circa primum notādum est quòd in Angelo esse nudū à materiali corpore pertinet ad naturæ perfectionem, quia Angelus est naturaliter substantia incorporea & immaterialis per se subsistens, in esse speciei completo. Et ideò apud antiquos Angeli figurabantur nudi. Sed anima intellectiua licet remaneat per se subsistens & sit substantia immaterialis, tamē nō habet sine corpore esse completum in humana specie. Quia secundùm philosophum in his quæ sunt composita ex materia & forma vtrūq; pertinet ad essentiam speciei. Vnde nec anima nec corpus per se est homo completus, sed diminutus. Et indè est quod sicut dicit Apostolus 2. Cor. 5. *Nolumus scilicet naturali voluntate siue appetitu expoliari*, scilicet à corpore: sed, superuestiri scilicet immortalitate, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Vndè etiam in anima separata remanet desideriū resumendi corpus, per quod secundū Hieron. etiā animæ beatæ ex tali desiderio aliquantulum retardātur, ne totaliter ferantur in Deum. Et ideò postquā reassumpserint corpora post resurrectionem, tūc habebunt totaliter perfectā beatitudinem. Sed aduertendum est quod animæ damnatorum non solum recedunt nudatæ à corporibus, sed etiam nudatæ omnibus virtutibus. Et de hac nuditate habetur figura 1. paralip. 10. Vbi dicitur de Saul quod Philistæi, id est dæmones vel peccata, cū expoliassent eū scilicet animā eius à corpore educendo, & amputassent caput eius, id est bonū propositū, & abstulissent scilicet per finalē impœnitentiam, & nudassent eum armis, scilicet virtutū, quę quidem dicuntur arma, quia protegunt cōtra vitia, vt charitas contra auaritiam, castitas contra luxuriam, humilitas cōtra superbiā, & sic de alijs, sequitur quod miserunt in terram suam, scilicet in infernum. Et nota quod anima sic denudata incurrit triplex incommodum secundùm quod

2. Cor. 5

veſtis ad tria valere poteſt,ſcilicet
ad tegendum;ad ornandum,& ad
protegendum à frigore & calo-
re.Sed talis anima miſera denu-
data veſte virtutum non habebit
veſtimentũ quo protegatur à ſua
confuſione in iudicio.Et tũc im-
Naum 3 plebitur in ea quòd dicitur Naum
3. Oſtendam gentibus nuditatem
tuam & regnis ignominiam tuã,
& proijciam ſuper te abomina-
tiones tuas,& contumelijs te af-
ficiam. Item non habebit veſti-
mẽtum, quo ornata recipiatur in
cœlo, hoc eſt veſtimentum chari-
tatis, quo qui indutus non fuerit
excludetur à conuiuio cœli, ſicut
Mat.22. dicitur. Matth.22. de eo qui in-
trauit ad nuptias non habens ve-
ſtem nuptialem, id eſt charitatẽ,
excluſus eſt, & dictũ eſt de ipſo:
Proijcite eum in tenebras exteriores, &c. Item non habebit veſtimentũ
quo protegatur à paſſione in in-
ferno,quæ erit in frigore & calo-
re, quia tranſibunt ab aquis ni-
uium ad calorẽ nimiũ, vt dicitur
Iob. 24 Iob 24.Et ideò Apocal. 17.dici-
Apo.17 tur. Deſolatam faciet eam & nu-
dam,& carnes eius manducabunt
& ipſam in igne concremabunt.
Secundò in auctoritate ſuperiùs
allegata tangitur defectus perſo-
næ mortuæ quantum ad bona
fortunæ: quia mors expoliauit
eam omnibus temporalibus bo-
nis, quæ bona fortunæ vocantur,
Videmus in ſeminibus quòd fi-
nis correſpondet principio; ſicut
enim à principio ſeminatur gra-
num nudum & expoliatum, ſic
in fine recolligitur & reconditur
granum expoliatum & nudum.
Et ita eſt de homine,quia ſicut in
principio nudus naſcitur,ſic nu-
dus per mortẽ egreditur in fine.
Oſee 2. Oſeæ 2. *Expoliem eam nudam & ſtatuam ſecundùm diem natiuitatis ſuæ.* Ex quo apparet quòd tempo-
ralia bona ſunt homini acciden-
talia. Quod apparet,quia nec af-
fert ea ſecũ naſcẽdo, nec aſportat
moriendo. Vnde Apoſt. 1. Tim.6 1.Tim
Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid poſſumus. Et ideò ſi etiam in vita
contingat perdere iſta accidẽtia
remanente ſubſtantiali bono a-
nimæ,nõ debet homo triſtari. Sic
fecit Iob,qui dicit Iob.1.perditis Iob.1.
bonis ſuis: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ: & nudus reuertar illuc, Dominus dedit,&c.*

TERTIO in themate tangitur
cõpleta defectio, cũ dicitur,con-
ſumptus. Vbi notãdũ quod aliter
cõſumitur corpus defuncti,& ali-
ter anima. Nã corpus cõſumitur
per putrefactionẽ & corroſionẽ
vermiũ, ſicut veſtimẽtũ vetuſtate
conſumptũ comeditur à tineis.
Vnde Iob.13. *Quaſi putredo conſumendus ſum: & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea.* Animalia Iob.13
enim ſecundũ philoſophũ ex eiſ-
dem nutriuntur ex quibus ſunt.
Vnde vermes de putrida carne ge-
nerati & de ipſa viuũt,ipſam co-
medendo & conſumendo. Vnde
antiqui ne iſtud fieret condiebãt
corpora mortuoũ aromatibus,ne
putreſcerent,aut vermes genera-
rẽt. Vnde ex corporibus ſic con-
ditis præcipuè balſamo & myr-
rha,ſicut adhuc apud paganos fit
circa Babyloniã,vbi multa eſt co
pia balſami,egreditur quædã ſpe-
cies medecinalis quę dicitur mũ-
mia,quæ ſecundũ Cõſtãtinum eſt
calida & ſicca in 4. gradu,& prę-
cipuè inuenitur circa cerebrum,
quia ſanguis ad cerebrum calore
balſami maximè attrahitur & ex-
coquitur, ſic vt cerebrũ aduritur
& deſiccatur & in mũmiã trãſmu
tatur. Inuenitur etiã mũmia circa
ſpinã. Illa autẽ mũmia eſt melior
quam nigra & lucida & fœtida,&
habet virtutes medicinales, quia
puluis eius cum ſucco ſãguinario
naribus appoſitus ſanguinẽ ſiſtit.
Valet etiam contra diſſynteria,
quæ

quæ fit vitio inteſtini ſuperioris, ſi detur puluis eius cum puluere gummi arabici exuſto & cõfecto cum aqua roſacea & cum ſucco plantaginis. Si verò ſit diſſinteria vitio inferiorum, tunc per clyſtere immittatur puluis mummiæ cum aqua infuſionis de gra. Sed licèt corpus mortuum ex virtu te balſami & myrrhæ tale quid generet, per ſe tamen ſolum generat putredinem & vermes. Vnde
Iob.25. Iob.25. *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Animæ verò damnatorum quamuis conſumi non poſſint vt deficiant ab eſſe naturæ, metaphoricè tamen dicuntur cõſumi dupliciter. Primò ex famis cruciatu. Nam ſicut corpus quando habet vehemẽtem appetitum cibi & non poteſt ipſum habere. dicitur fame conſumi. Sic animæ quæ ſunt in gehenna habentes vehemens deſiderium habendi aliqua bona ad pœnæ ſuæ refrigerium, & non valentes habere, dicuntur fame conſumi, id eſt, vehementia deſiderii affligi, ſicut
Luc.16. Luc,16. diues epulo ait Abrahæ. *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, &c.* nec vnquam quod petiuit potuit habere. Dicũtur etiam cõſumi à deuoratione auium & morſu earũ. Per aues enim cæli intelliguntur ſancti, qui ſunt in cœlo, quos dãnati videntes eſſe in maxima gloria & ſe eſſe in maxima pœna, mordẽtur in ſe ipſis morſu amariſſimo, id eſt dolore maximæ amaritudinis, vnde Deut.32. *Con-*
Deut.32 *ſumentur fame, deuorabunt eos aues morſu amariſſimo.*

E QVARTO inquiritur in propoſito themate de locatione, quæ eſt incerta, cum dicitur: *vbi quæſo eſt.* Non enim pro certo de anima defuncti poſſumus ſcire determinatè, vbi ſit. Vndè ad dictam quęſtionem, non poſſumus reſpõdere niſi ex ſuppoſitione: quia quæſtio de vbi, eſt quæſtio de loco. Videmus autẽ in corporibus quòd corpora, ſecundùm diuerſa pondera, ſortiuntur diuerſa loca. Nam inter elementa, ea quæ ſunt ſimpliciter grauia, habent locum infimũ, vt terra: quæ verò ſimpliciter leuia, habẽt locum ſupremum, vt ignis: quæ verò habẽt aliquid de leuitate, & aliquid de grauitate, tenẽt locum medium, ſicut aqua, & aër, quia aqua reſpectu terræ eſt leuis, reſpectu verò aëris eſt grauis, & ſic eſt de aëre reſpectu extremorũ. Et ſimiliter poteſt dici de animabus decedẽtiũ, quibus ex quadam cõgruẽtia deputantur ſpecialia loca, quia illæ quæ decedunt peccatis mortalibus grauatæ, ſunt in inferno, id eſt, in infimo; quę verò à peccato totaliter alleuiatæ ſunt in ſupremo, ſcilicet in cœlo; quæ verò ſecundũ aliquid alleuiatæ, vt quæ ſine mortali decedunt & ſecundũ aliquid grauatæ, vt quæ decedunt cũ venialibus, vel cũ debito pœnæ tẽporalis, propter pœnitentiam hic nõ cõpletã, iſtæ ſunt in purgatorio: cuius cõmunis locus dicitur eſſe ſupra locũ inferni, ſed remotus à cœlo. Sed de primo vbi, **Io.10.**
id eſt de loco inferni dicitur Iob 10. *Vadã, & nõ reuertar ad terrã tenebroſam, & opertam mortis, &c.* In quibus verbis tanguntur octo cõditiones, peſſimæ pœnæ infernalis. Quarum prima eſt, quia eſt irreuocabilis, vndè dicit, *vadam,* ſcilicet ad infernum, *& nõ reuertar,* ſcilicet ad ſtatum iſtum. Vndè Sap.2. *Non eſt qui agnitus ſit re-* **Sap.2.**
uerſus ab inferis. Et ſi obijciatur de Lazaro, & quibuſdam infidelibus, à ſanctis reſuſcitatis, qui redierũt indè ad iſtam vitam. Dicẽdum eſt ad hoc, quod Deus nõ alligauit potentiam ſuam alicui legi. Et ideò licèt ita ſit de cõmuni lege, tamen ex ſpeciali priuilegio Deus cõceſſit aliquibus quod indè reuocarẽtur; ſed tamen priuilegium paucorum nõ facit legem

communem. sicut Hieronymus dicit. Vndè non ex communi lege hoc fuit, sed de gratia speciali. Et ideò Sapi. 2. secundum legem communem loquens Sapiens dicit: *Non est reuersio finis nostri*. Secunda conditio illius pœnæ est: quia est odibilis ex eo, quod est *terra tenebrosa*. Nam sicut lumē est amabile: ita tenebra odibilis. Dicitur autem infernus terra tenebrosa, propter carentiam diuinæ visionis, sicut exponit sanctus Thomas: quamuis sint ibi infra terram, vbi infernus esse dicitur, etiam tenebræ corporales, quia ex opacitate terræ non ingreditur illuc lumen cœleste: & ignis qui est ibi, plurimum ardet, & minimè lucet: sicut Basilius dicit, vnde Esa. 60. *Ecce tenebræ operiēt terram*. Tertia conditio est, quia est inexpiabilis: quia *opertam mortis caligine*, id est peccatū originale quod fuit causa obscuritatis & mortis, quæ scilicet post mortē est inexpiabile: & multi sunt ibi cū peccato originali: sicut infideles, qui nullo fidei sacramento hoc peccatum expiauerunt: & pueri etiā qui sunt in limbo, qui sine baptismo decesserunt: qui licèt non habeant pœnas sensibiles, carent tamē diuina visione. Iob. 3. *Obtenebrentur stellæ caligine eius*. Quarta conditio est: quia est valdè grauis ratione miseriæ pœnarum in qua sunt, & ideò dicitur *terra miseriæ*, Psalm. 139. *In miserijs non subsistent*: id est, nec subsistent. Quinta conditio est, quia irremediabilis, quia lumen diuinæ misericordiæ vel gratiæ, non habet ibi locum: ex eo quod est terra tenebrarum, scilicet propter obscuritatem peccatorum actualiū, à quibus purgari non possunt: & manente culpa, non potest auferri pœna: vndè quilibet eorum potest dicere illud Psal. 54. *Contexerunt me tenebræ*. Sexta conditio est, quia summè terribilis, quia scilicet ibi est *vmbra mortis*, & mors est finis terribilium. Dicitur autem vmbra mortis secundùm Thomam super Iob, quia sic patiuntur, ac si semper morerentur. Luc. 1. *In vmbra mortis sedent*. Septima conditio est, quia est cōfusibilis, quia ibi nullus ordo, sed omnimoda confusio. Et si tu obijcias illud Apostoli Rom. 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: & illa pœna à Deo est statuta, ergò & ordinata. Dicendum est ad hoc quod secundū aliquid est ibi ordo, & secundū aliquid non. Erit enim ibi ordo triplex. Primò diuinæ iustitiæ, quia sicut dicit Augustinus, peccatores in supplicijs ordinantur, vt nunquam sit dedecus culpæ sine decore iustitiæ. Vndè ita pulchrè & ordinatè stat peccator in inferno, sicut in anulo gemma, sicut latro in furca, & sicut seruus in cloaca. Secundò ordo culpæ: quia illi qui fuerunt similes in culpa, sociabuntur in pœna: vndè super illud. Matth. 13. *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*: dicit Gregor. Fasciculos ad comburendum ligare, est hos, qui æterno igni tradēdi sunt, pares paribus associare: & quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat. Tertio etiā erit ibi ordo pœnæ: quia non omnes æqualiter punientur: sed iuxta mensuram peccati, datur mensura supplicij Deuter. 25. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus. Dicitur autem ibi non esse ordo, quoad tria: scilicet quoad elementa, quæ ibi non erunt distincta, sed commixta & confusa, vndè infernus vocatur cahos. Lucæ decimo sexto, quasi quid confusum. Item elementa non seruabunt ibi proprietates suas. Nam proprietas ignis est, niuem & glaciem resoluere: tunc autem non resoluet secundùm illud Sapien.

Marginalia (left): Sap. 2. — S. Tho. — Esa. 60. — Iob. 3. — Psl. 139. — Psal. 54.

Marginalia (right): Luc. 1 — Rom — Mat — Greg — Deut — Luc. — Sap.

Sap.16. 16. *Nix & glacies sustinebunt vim ignis & non tabescebat.* Proprietas autẽ aquæ est ignem extinguere: tunc autem nõ extinguet secundùm illud, Sapi.19. *Ignis in aqua* Sap. 19. *valebat supra suam virtutem: & aqua extinguẽris naturæ obliuiscebatur.* Proprietas aëris est lumẽ recipere: tunc autem non recipiet, sed erit tenebrosus. Sap.17. *Nec* Sap.17. *syderum lympidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Proprietas terræ est infimum locum tenere: tunc autem peccator habebit terram sursum & deorsũ, à dextris, & à sinistris. Iob. 20. Iob.20. *Terra consurget aduersus eum,* scilicet peccatorẽ: quia scilicet eum tenebit vndiquẽ conclusum. Secundò non erit ibi ordo quo ad loca: res enim inordinata dicitur, vel quando non tenet locum suum vel quandò frequenter locum mutat: sed ibi homo qui deberet esse super omnia, secundum illud Psal 8. *Omnia subiecisti, &c.* Psal.8. erit locatus infra omnia. Itẽ dãnati frequenter mutabunt locum Iob.24. *Transibunt ab aquis niuiũ.* Iob 24. *&c.* Tertio, non erit ibi ordo quo ad actiua & passiua. Nam ordine naturæ ignobilia & debilia, patiuntur à nobilioribus & fortioribus, & non econuerso: quia secũdum Augustin. Omne agens est August. præstantius patiente. Sed ibit cõtrario, spiritualia vt animæ & dæmones, patientur ab igne corporeo. Item ordine naturæ corpora mixta dissoluẽtur ab excellentia cõtrariorum, sicut lignũ ab igne: sed ibi humana corpora ab igne non corrumpentur, neque consumentur. Octaua conditio pœnę infernalis est: quia est horribilis. Nam ibi sempiternus horror inhabitat, quia scilicet post pœnas præsentes, semper timent futuras, quia nunquam terminantur: vel quia damnati sunt in sempiterno horrore Dei & sanctorum, & vnus horret alium, & quilibet seipsum. Vndè *horrendum est incidere in manus Dei viuentis:* sicut dicitur Hebre.10. De vbi autẽ, siue Heb.10. de loco purgatorij sciendũ, quod licet animę quæ sũt ibi à corporibus exutæ non habeant sensum corporalem, nihilominus sũt in amaritudine & afflictione magna. Tum propter retardationẽ à gloria, quam summè desiderãt: tum propter afflictionem ignis, cui ex diuina iustitia alligatæ detinẽtur inuitè: vndè ad eas referri potest quod dicitur Ecclesiasti.21. *Non* Eccl.21 *est sensus, vbi amaritudo animæ,* quasi dicat, nõ est ibi sensus corporalis, sed tamen est ibi amaritudo animæ in pœna detentæ. De vbi verò, siue de loco Paradisi sciendum, quod est ibi cognitio clara, virtus perfecta; & contemplatio alta? duratio æterna, refectio sapida, mãsio lucida, & habitatio pacifica. Et de his omnibus dicitur Bar.3 *Disce vbi sit prudentia:* & Baru.3. accipitur prudentia pro scientia beata, secũdum illud. Prouerb.9. Prou.9. *Scientia sanctorum prudẽtia.* Et sequitur in auctoritate Baruch. *vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax.* Ad quem nos Deus, &c.

In anniuersario de oblationibus faciendis.

SERMO VIII.

IVdas collatione facta 12. milia drachmas argenti misit Ierosolymã offerri pro peccatis mortuorum 2. Machab.12. Sicut nos videmus in mundo corporali, inferiora corpora imitantur superiorum corporum motum, sic elemẽta motũ corporis cœlestiũ. Nam mare sequitur motũ lunæ. Sicut enim adamas trahit ferrũ post se, sic luna mouet & trahit post se mare oceanum: & ideò in

ortu lunæ intumescit, & crescit mare ex parte oriētali, & decrescit ex parte occidentali:& è conuerso quandò luna est in occasu: secundùm autem quod luna plus vel minus proficit in lumine, ita plus vel minus in suo fluxu extēdit, vel retrahit ipsum mare. Et sicut dicit Maurus in lib. Ciceronis. Oceanus in incremento lunę retinet istum modū. Primò enim die crescentis lunæ fit copiosior solito, & abundat in summo, sed secundò minuitur:& sic decrescit vsque ad diem septimum, deinde iterum crescit per septē dies, ita quod in quarto die iterū est plenum in summo; vnde in nouilunio nō semper est mare plenum, & etiam in plenilunio. Similiter sphęrę cœlestes inferiores, sequūtur motum superioris sphæræ, scilicet primi mobilis. Sic ergò accidit etiam in hominibus, quia minores & inferiores, sequuntur faciliter exemplum superiorū & maiorum. Vndè quædā decretalis dicit, quod illud quod à superioribus agitur, facile trahitur à subditis in exemplū. Vndè Dominus
Ioan.13. discipulis ait Ioan.13. *Si ergo laui pedes vestros Dominus & Magister, &c.* Et ideò sancta Ecclesia in propositis verbis, quæ legi consueuerunt in anniuersarijs defunctorum, volens nos mouere ad pietatē erga mortuos nostros, vt eos per nostra suffragia iuuemus, recitat nobis exemplum huius magni & fortissimi princi-
Mach. pis, scilicet, Iudæ Machabæi: qui de mortuis populi & exercitus sui iuuandis, magnam curam & solicitudinem ostendit, largā pro eis oblationem faciendo; vndè ait quod *Iudas collatione facta, &c.* In quibus quidem verbis exemplo Iudæ ostenditur, quod circa suffragia quæ fiunt pro mortuis quinque sunt obseruanda.

Et primum est vt fiant cū cordis puritate: quod signat *Iudas.*

Secundum, vt fiant ex communi charitate: & ideo dicit *collatione facta.*

Tertium, vt fiant cum muneris largitate: & ideò dicit quod *12. milia dra. arg. mis.*

Quartum est, quod fiant cum discretionis sagacitate. vnde *misit Ierosol.*

Quintum, vt fiant pro expiationis necessitate: & ideò dicit, *offerri, &c.*

CIRCA primum aduertendū, quod suffragia quæ fiunt à bonis, qui sunt à peccato mortali purificati: puta orationes, & eleemosynæ, & huiusmodi, sunt validiora & vtiliora, quàm illa quæ fiunt à peccatoribus: imò si peccator à seipso tātū motus, & per seipsum facit aliquid talium, nec sibi nec alteri per talia meretur: secus autem est, si aliquis qui bonus est, & facit talia per peccatorem. Vnde valida suffragia sunt, quæ fiunt pro his qui boni sunt, & purgati à peccatis mortalibus. Purificatur autem homo à peccato, per pœnitentiam & confessionem: & hanc purificationem signat Iudas, qui interpretatur confitens. Et ideò etiam ad literam Iudas, quia ipse purus erat à peccato, etiam alios hortabatur ad illud. Vnde 2. Machab. 12. dicitur quod *fortissimus Iudas hortabatur populum vt conseruaret se sine peccato.* Mach. 12.
Et ideò Iudas signat hominē per pœnitentiam & confessionem à peccato purificatum: cuius suffragia valida sunt pro defunctis. Vnde cùm quidam defunctus apparuisset post mortē cuidā amico suo, & reuelasset ei quod esset in grauibus purgatorii pœnis, & rogasset pro se orationes fieri: petiuit ille, vtrum vellet quod faceret eos fieri à tali, vel à tali sacerdote, & defunctus ad hoc nihil respondens, caput more renuentis

tis concussit, deindè petiuit viuēs, an vellet quod talis heremita pro se oraret. Cui ille: Vtinā pro me oraret. Et cū ille promisisset quod procuraret hoc fieri. Respōdit defunctus: Et ego dico tibi, quod ab hac die vsque ad duos annos, tu etiam morieris. Et hoc dicto disparuit. Et ille viuēs, vitā suam in melius mutauit: & tēpore sibi prædicto in Dño obdormiuit.

B SECVNDO debent suffragia fieri ex charitate cōmuni vndè dicit *collatione facta*. nā aliqua collatio facta fuit, ad quam multi ex charitate & pietate contulerūt de pecunijs suis: vndè & aliqui textus habent, *collatione facta*. Sic quilibet debet libenter conferre eleemosynas, & oblationes pro suffragijs defunctorū. & maximè ad imperandū missas, & orationes sanctorum virorū. Et sic dicitur

2. Machab. 12. 2. Macha. 12. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*. Nam si opus magnæ pietatis est, collationem facere ad subueniendū pauperibus viuis in mundo: maioris adhuc est facere, ad subueniendum indigētibus, qui affliguntur in purgatorio. Vndè ad hoc posset referri illud, de quo Apostolus comēndat

Rom. 15 Macedones ad Rom. 15. *Probauerūt etiam*, inquit, *Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorū*. Vbi ostēdit quod suffragia pro defunctis indigentibus, debent fieri quadrupliciter. Primò libenter: vndè dicit quod *probauerunt*, id est approbauerunt. Secundò vnanimiter: quia *collatione facta*. Tertiò misericorditer: quia *in pauperes*. Quartò vtiliter. quia *sanctorum*. Ostendit ergo primò exēplo Macedonū & Achaicorum, quod talia suffragia debēt fieri libēter: quia isti probauerūt, id est placuit eis, & iudicauerunt bonum esse quod fieret. Et sic patet quod non coactè, sed voluntariè & libenter fecerunt. Quando vxor vel dispensator alicuius facit eleemosynam pro viuis, vel etiam pro mortuis, vir vel Dominus qui est pius & misericors, approbat & gaudet, quòd tales eleemosynæ factæ sint. Et tales, quia pii & misericordes sunt, approbātur à Deo qui est Pater pauperū, & Dominus viuorum & defunctorum. Sed viri siue Domini, qui sunt duri & crudeles, non gaudent de talibus eleemosynis, nec approbant: imò dolent & conqueruntur, & contradicūt. Ideo tales tāquam crudeles non approbabit Deus, sed condemnabit. Vndè dicitur Sap. Sap. 11.

11. *Hos quidem*, scilicet misericordes, *tanquam Pater monens probasti*: id est, approbasti: *illos autem* scilicet immisericordes, *tanquam rex durus interrogans condemnasti*. Secundò ostendūt isti exemplo suo, quod debet fieri vnanimiter: vndè collationem aliquam fecerūt: id est collectam de cōcordia. Sed aliqui crudelissimi sunt, qui nihil volunt conferre vel dare pro suis defūctis, de quibus quilibet, postquam purgatus fuerit, conqueri poterit Deo dicens Gala. 2. *Nihil mihi contulerunt*. Et multi faciunt Gal. 2.

peius, quia nec eleemosynas, nec restitutiones, quas ipsi defuncti in testamento reliquerunt, persoluere volunt. Psal. 77 *Nec fideles habiti in testamento*: scilicet defuncti sui. Psal. 77.

TERTIO ostenditur, quòd debent fieri suffragia misericorditer: vndè dicit *in pauperes*. multum enim est pauper, qui indiget auxilio, nec potest se in aliquo per se ipsū iuuare: tales sunt existētes in purgatorio, qui multum indigent auxilio, quia sūt in maximis pœnis, nec per seipsos iuuare se possunt. Nota si aliquis esset in profundo carcere detētus, grauissimè infirmitatibus & doloribus afflictus, magno debito onera-

ratus, & ad ipsum debitum persoluendum ex se facultate priuatus, & tamen pro modico præcio posset redimi, & ab omnibus dictis malis liberari, & post liberationem statim esset potētissimus ab retribuendum his qui sibi tribuissent & subuenissent: crudelissimus esset ille saltem consanguineus, vel amicus, q; nollet cōferre aliquid ad eius liberationē. In tali ergò statu sunt illi, qui in purgatorio detinentur. Sūt enim primo in profundissimo carcere inclusi, quia locus cōmunis purgatorij est ibi, vbi est locus inferni, vnde & eodem igne affligi dicuntur qui sunt in inferno, & illi qui sunt in purgatorio. Nam secūdum Gregoriū. Sicut sub eodē igne aurum rutilat, & palea fumatur, ita sub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur: ergò sunt in eodem loco inferiore ordinandi. Cùm ergo locus inferni sit infra terram profundissimus, secundum illud Iob decimo septimo. *In profundißimū infernum descendent omnia mea:* sequitur quod locus purgatorij etiā sit profundissimus, & ad modum carceris vndique conclusus, & ita qui in purgatorio sunt, in profūdissimo carcere sunt. Itē sunt grauissimis pœnis afflicti. Habent enim, qui sunt in purgatorio, duplicem pœnam. Vnam damni, inquantum retardantur à diuina visione. Aliam sensus, secūdū quod ab igne corporali puniuntur. Et quantum ad vtranque pœnā, minima purgatorij pœna excedit maximam pœnam huius vitæ. Nā quantum ad pœnam damni ostēditur ex hoc, quia quantò aliquid magis desideratur, tanto eius absentia molestior est: & quia affectus quo desideratur summū bonum post hanc vitam, in animabus sanctis est intensius, quia nō retardatur affectus mole corporis: & est quia terminus fruendi summo bono iam aduenisset, nisi aliquid impediret, ideò de tardatione maximè dolent De pœna autem sensus, id est ignis purgatorij, dicit Augustinus, in quodam sermone, quod ille ignis purgatorij durior erit, quā quidquid in hoc sęculo pœnarum aut sentire, aut videre, aut cogitare quis potest: & sic sunt maximis pœnis afflicti. Item sunt graui debito onerati. Quod patet: quia vbi exigitur grauis satisfactio, præsupponitur quod sit graue debitum, vnde cum in purgatorio exigatur satisfactio per grauissimas pœnas, sequitur quod graue sit debitum, & reatus purgandorum. Sed aduertendum, quod grauitas pœnarum purgatorij non est tantū ex quantitate peccati, quantum est ex dispositione puniti: quia idem peccatum grauius punitur ibi quam hic. Sicut ille qui est melioris complexionis, magis punitur, eisdem plagis impositis, quā alius: & ideò ex leuibus culpis, grauior est ibi pœna quam hic. Sunt etiam per se impotentes ad remouendum, vel minuendum illam pœnam per aliqua opera satisfactoria: quia illa pœna taxata est eis, ad expiandum reatum suū, reatus enim nihil est aliud quam debitum pœnæ, quam quis meruit accipere: & per hoc aliquis à debito absoluitur, quod ipsū debitum exoluit, & ideò ex hoc à reatu absoluitur, quod pœnā sustinet, quam debebat. Possunt tamen à nobis hic viuentibus, ab illa pœna subleuari in parte, vel ex toto liberari per suffragia, quæ pro ipsis facimus propter duo. Primò propter communicationē in radice operis, quæ est charitas, & in operibus meritoriis, & ideò omnes qui inuicem charitate cōnectuntur, aliquod emolumētum ex mutuis operibus reportant.

Gregor.

Iob.

Augu.

Cha-

Charitas autem, quæ est vinculum vniens membra ecclesiæ, nō solum ad viuos se extendit, sed etiā ad mortuos, qui in charitate decedunt: quia charitas vita corporis nō finitur. vndè 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*. Et ideò possunt mortui, qui in charitate decesserunt, sicut fuerunt qui in purgatorio detinētur, quia illi qui sine charitate decesserūt, omnes sunt in inferno, per opera viuorum iuuari. Secundò propter intentionem ad eos directā, scilicet eius, qui aliqua opera ad hoc facit vt talibus prosint: vndè talia opera quodammodo efficiuntur eorum pro quibus fiunt, quasi eis à faciēte collata. Vndè cum mortui adhuc viuant in memoriis hic viuentium, intentio ad eos dirigi potest. Et sic suffragia viuorum possunt valere mortuis, tum propter charitatis vnionē, tum propter intentionem ad eos directā. Sed mortuis qui sunt in inferno, suffragia prodesse non possunt: tū quia sunt extra vinculum charitatis, secundum quod opera viuorum continuantur defunctis: tum quia totaliter ad viæ terminum peruenerunt, recipiētes vltimam pro meritis retributionem: vndè nostra suffragia non prosunt dānatis, nec pro eis ecclesia orare intendit. Pro mortuis autem qui sunt in patria, non est competens suffragia facere: quia suffragiū de sui ratione, importat quandā auxiliationem, quæ non competit ei qui defectum non patitur. Nulli enim iuuari competit, nisi ei qui indigēs est. Vndè cum sancti, qui sunt in patria, sint ab omni indigētia immunes, inebriati ab vbertate domus Dei, nō competit eis per suffragia iuuari. Restat ergò, quod suffragia fieri debeant solū pro illis mortuis, qui sunt in purgatorio, quia tales iuuari possunt, quia & in charitate decesserunt, & ad vltimum vitæ terminū adhuc non peruenerunt, & intentio viuentium ad eos dirigi potest. Item tales adiutorio indigēt quia sunt in pœna, quę pœna est supplementum satisfactionis, quæ non fuerat plene in corpore consumata, vndè cum suffragia pro eis facimus, pro eis satisfacimus. Et ideo per nostra suffragia pœna eorum minuitur: & tantum posset multiplicari, quod potius pœnæ satisfactionem impleret, & sic à pœna totaliter liberaretur. Patet ergò quod pium est eorum paupertati, id est necessitati, subuenire. Vndè ex persona eorum dicitur cuilibet charorū, siue consanguineorum suorum. *Animas pauperum tuorum ne obliuiscaris*. Et obliuiscenti & non subuenienti dicit: *quia obliuisceris inopiæ nostræ & tribulat. nostræ*. Et maximè debet nos ad eos iuuandū sollicitare, quia statim postquam liberati sunt, perueniunt ad regnum cœlorum, in quo copiosè retribuere possunt illis, qui eos iuuerunt. Propterea beatus qui intelligit super ægenum & pauperem, nam meritò ipsius pauperis adiuti, & de purgatorio eruti, in die mala liberabit eum Dominus. Quartò debent suffragia fieri vtiliter, quod ostenditur in auctoritate superius allegata, cum dixit: *sanctorum*. Tantò autem eleemosyna est vtilior facienti, & tantò maioris meriti: quantò ille cui fit est melior, & magis indigens. Sed illi qui in purgatorio sunt, licet pro aliquibus leuibus offensis in purgatorio sint detenti ad tēpus, melioris tamen conditionis sunt, quam isti qui sunt hic viuentes, quia iam de sua salute securi sunt & magis suo fini id est ęternę beatitudini propinqui. Et sunt etiam magis indigentes, quia à sua necessitate magis affligūtur: & ideò maioris meriti videtur esse subuenire

Corin.

uenire eis mortuis, quam viuis. Vndè circa eos præcipuè est adimplendum illud Apostoli, Roman. 12, *Necessitatibus sanctorum communicantes.*

Rom. 12

D TERTIO in auctoritate principali innuitur, quod debēt suffragia fieri pro defunctis, cū muneris largitate. Quod ostenditur exemplo Iudæ, qui magnā argenti quantitatem, pro mortuis offerendā misit, scilicet duodecim millia drachmas argenti. Apparet autem magnificentia huius muneris ex tribus. Primò ex oblationis quantitate: *quia duodecim millia.* Secundò ex monetæ qualitate, quia *drachmas*. Tertio ex monetæ nobilitate, quia *argenti*. Quę etiam in se continent mysticam rationem, ex eo quod per huiusmodi drachmas, intelliguntur animæ in purgatorio detentæ, quæ virtute suffragiorum citiùs mittuntur ad vitam æternam. Ratio autem quare istæ drachmæ argēti significant animas in purgatorio cruciatas, est triplex. Prima est, quia ibi sunt tantum animæ fidelium, & vitam Christi sequentiū, & ideò significantur per drachmas, quia drachma erat moneta ponderis trium scrupulorum, in quo pondere signatur fides sanctæ Trinitatis, quam illæ animæ tenuerūt. Item drachma habebat in se imaginem & figuram regis. Christus autem est rex regum, & Dominus dominantium, sicut dicitur in Apoc. cuius imaginem & figuram tenet, quicunque eius vitam & conuersationem sequitur. Vnde Apostolus 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus: secūdus vero.* i. Christus, *de cœlo cœlestis, Si portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Vel ideò dicuntur drachmę, quia post purgationem collocandę sunt in collegio angelorum, & hominū beatorum, qui per decem drachmas figurantur, quorum nouem significant nouem ordines Angelorū, decima verò naturam humanam, quæ per peccatum perdita fuit. sed per Christum reinuēta & saluata. vnde Luc. 15. *Quæ mulier habes drachmas decem, &c.* Secunda ratio quare per istas drachmas significantur animæ purgandæ, est, quia illæ animæ sunt de numero prædestinatorum, ad quos refertur numerus signatorum de vnaquaque tribu filiorum Israël: qui intelliguntur hic duodecim millia drachmæ, propterea quia computantur Apoc 7. de vnaquaque tribu *duodecim millia signati, &c.* scilicet signo seu sigillo diuinæ prædestinationis, de quo dicitur, 1. Tim. 2. *Fundamentum Dei stat habens signaculum hoc cognouit Dominus qui sunt eius.* Hoc ergò signaculo signati sunt de quibus dicitur Apoc. 7. *De tribu Iuda duodecim millia signati. &c.* Et ideò, quia animæ quæ in purgatorio sunt, de numero prædestinatorū sunt, & inter beatos futuri sunt, in numero duodecim milium drachmarum congruè designatur, qui numerus etiam eorum perfectionem ostendit, quia continet decem, & duo, & mille, siue milia; decem quidem, quia decem præceptorum legis Dei obseruatores fuerunt, quibus adduntur duo, propter duplicē charitatē quam habuerunt, scilicet Dei & proximi, sed millenarius numerus cōpetit perseuerātibus, quia est vltimus limes, vltra quē non progreditur, nisi reincipiatur à capite, vndè signat perseuerātiam vsque ad vltimum, quam tales tenuerunt, vnde etiam ipsi sunt significati per equites Salomonis, de quibus dicitur 3. Reg. 10. quod congregauit Salomon equites, & facti sunt ei duodecim milia equitum.

1. Cor. 15.

Luc. 15

Apoc

1. Tim

Apoc

3. Re.

Salom

¶ Tertia ratio dictæ significationis

tionis

tionis est, quia dictæ animæ sunt in afflictione tormentorum, scilicet ad sui purgationem: & idcirco prædictæ drachmæ dicuntur fuisse argenti, quia scilicet per modum argenti in igne purificãtur. Psal. 11. *Argentum igne examinatum, &c.* [Psal. 11.]

E QVARTO ostenditur in auctoritate principali, quod debent suffragia fieri cum discretionis sagacitate: sicut Iudas discretus fuit & sagax, in eligendo locum debitum ad suffragia mortuorũ: vnde misit Hierosolymam, vbi erat ecclesia siue templum, quod erat locus debitus sacrificiorum, & oblationum, & etiam orationum. Ioan. 4. *Hierosolymis est locus vbi adorare oportet.* [Ioan. 4.] Signat autem Hierosolyma ecclesiam catholicam, extra quã, sicut dicit August. non est locus veri sacrificij. Sacrificium autem quod offertur in missa, potissimum suffragium est quod possit pro mortuis fieri; deinde eleemosyna; deinde oratio; deinde ieiunium; deinde oblationes fidelium, quę pro defunctis fiũt; siue offeratur cera, siue oleũ, siue etiam pecunia, vel quicquid aliud vtile. Vnde dicitur in decr. 13. q. 2. [Decret.] Animæ defunctorum soluuntur quatuor modis, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Et Damasc. [Damasc.] in sermone de dormientibus, docet ceras, & oleum, & huiusmodi pro defunctis offerri. Ratio autẽ dictorum est; quia suffragia viuorum prosunt defunctis, secundùm quod vniuntur viuẽtibus charitate, & secundùm quod intentio viuorum refertur in mortuos. Et illa opera præcipuè nata sunt mortuis suffragari, quæ maximè ad coniunionem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem sacramentum Eucharistię pręcipuè pertinet, cùm sit sacramentum ecclesiæ vnionis, continens illum in quo tota ecclesia vnitur & consolidatur, scilicet Christum. Vndè Eucharistia est quasi quędã charitatis origo, siue vinculum: sed inter charitatis effectus, præcipuè est eleemosynarum opus. Et ideò ista duo ex parte charitatis præcipuè suffragantur mortuis, scilicet sacrificium ecclesiæ, & eleemosynæ. Vnde etiam oblatio candelarum, vel olei, & aliæ oblationes possunt prodesse defuncto, in quantum sunt eleemosynæ quædam: dantur enim ad cultum ecclesię, licèt etiam in vsum fidelium. Sed ex parte intentionis directæ in mortuos, præcipuè valet oratio, quia oratio secundum suam rationem, non solùm dicit respectum ad orantem, sicut & cetera opera, sed directiùs ad illud, pro quo oratur. Et ideò illa tria ponuntur, quasi præcipua subsidia mortuorum, scilicet sacrificium ecclesiæ, eleemosynæ, & oratio, quamuis quæcumque alia bona ex charitate fiant pro defunctis, eis valere credenda sunt, vndè Greg. addit ieiunium, quia eis prodesse potest & ratione charitatis, & ratione intentionis in defunctis directæ. Pro omnibus ergò his remittuntur debita peccatorum, nõ solùm viuis, sed etiã defunctis, & præcipuè per sacrificiũ, quod in Hierosolyma, id est in ecclesia quotidiè offertur. In cuius figura 1. Mach. 11. sacrificãtibus hierosolymis remisit rex Demetrius alia debita, quæ sibi debebantur. [1. Machab. 11.] Et sic Deus per sacrificium, quod in ecclesia offertur, remittit debita peccatorum.

F QVINTO ostenditur in themate assumpto, quòd debent suffragia fieri pro expiationis necessitate; quia scilicet necessaria sunt ad expiandum debita peccatorum

eorum

eorum, qui in purgatorio detinẽtur: & ideò dixit offerri eas ibi pro peccatis mortuorum. Vbi aduertendum, quod quando aliquis offendit aliquem Dominum & pro offẽsa facta fit obnoxius pœnæ, si vult remouere offensam & absolui à pœna, oportet primò, quod offerat dignam emendam. Vndè suffragia quæ fiũt pro mortuis, sunt sicut quædam emendæ, vel satisfactiones: quæ Deo offeruntur, ad expiandum reatum pœnæ, quam patiuntur ex peccatis præteritis.

Heb. 5. Heb. 5 *Offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Per dona intelliguntur eleemosynæ, quia donum secundùm philosophum, est datio irredibilis. Et eleemosynæ debent dari nõ diuitibus, qui possunt reddere siue retribuere, sed potius pauperibus, qui non habent vndè retribuant: sicut dicitur

Luc. 14. Luc. 14. *Cùm facis prandium aut cœnam noli vocare amicos tuos, &c.* sequitur: *neque diuites, &c.* Nec propterea perduntur, quia Deus retribuet pro eis. Nam fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Sed sacrificium altaris præcipuè valet ad expiandũ peccata, & viuorum & mortuorũ: & etiam orationes deuotæ: vnde

Baruch. 1. Baruch. 1. *Holocausta & thus offerte pro peccato.* Holo caustum erat sacrificium quod totum incendebatur igne, & signat sacrificium eucharistiæ: in quo cõtinetur Christus, qui fuit totus incensus igne passionis. Thus autem est deuota oratio. Et dicta tria, qui sunt dona eleemosynarum, & holocausta sacrificiorum, & thus deuotarum orationum, præcipuè iubentur offerri: quia pręcipuè satisfaciunt deo pro peccatis, non tantùm viuentium, sed etiam mortuorum. Et de oratione etiam dicitur.

2. Machab. 12 2. Machab. 12. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur:* à quibus postquam absoluti & expiati sunt defuncti, statim euolant ad gloriam. Ad quam, &c.

In die animarum de orationibus pro mortuis faciendis.

SERMO IX.

Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur. 2. Mach. 12. secundũ beatum Augusti. tria sunt genera defunctorum. Quia quidam sunt valdè mali & damnati, & istis suffragia non valent. Quidam verò sunt valdè boni & beati, & isti suffragijs non indigent. Quidam verò mali sunt malicia veniali & non damnabili, & isti per suffragia iuuari possunt, & necessitatem habent, sicut hi qui sunt in purgatorij pœna. Et de istis dicitur quod *sancta & salubris est cogitatio, &c.* 2. Machab. August.

In quibus quidem verbis quatuor continentur, de auxiliis talibus mortuis impendendis. A

Primum est iuuantis vtilitas: quia *sancta & salubris est cogitatio*

Secundũ est adiuti necessitas: quia *pro defunctis.*

Tertium est iuuantis facilitas: quia *exorare*: de quo nullus compos mentis excusare se potest.

Quartum est adiutorij opportunitas, quia *vt à peccatis soluantur.*

CIRCA primum nota quod cogitatio orandi pro defunctis ostẽditur multùm vtilis triplici ratione.

¶ Prima est quia multùm pia: vndè dicitur esse sãcta. Nã pietas annexa est sãctitati: quia propriũ est sanctis viris habere pietatẽ. Cuius figura habetur. Exo. 30. vbi dicitur Aarõ & filios eius vnges, sanctificabisque eos: vnde non fuissent sanctificati, nisi fuissent vncti, id est non potuissent habere munus sanctitatis, sine vnctione

ctione pietatis. Vndè Christus sicut fuit singulariter sanctus, ita fuit singulariter pius, imò ipse est fons & origo pietatis. vndè 1. Io
1.Io.2. 2. dicitur . *Vos vnctionem pietatis habetis à sancto*, id est à Christo. Hæc pietas maximè debet esse inter membra Christi & corporis sui quod est ecclesia, sicut etiam in corpore naturali vnum membrum compatitur alteri, & quãtò membrum est magis afflictum, tantò magis compatiuntur alia. Vnde pro vehementi dolore alicuius membri, oculi lachrymantur, os conqueritur; pes festinat ad medicum, & omnia alia compatiuntur aut coadiuuare conantur. Cũ ergò illi qui sunt in purgatorio, adhuc sint in via & inter membra militantis ecclesię computentur, propter charitatis coniunctionem, & maxima pœna
August. sint afflicti, quia ignis purgatorij, sicut dicit August. licet eis æternus non sit, miro tamen modo est grauis & afflictiuus, ita quod excedit omnem pœnam quam vnquam aliquis in carne viuens passus est vel pati possit. Patet, quod valdè pium, & sanctum est, quod nos qui sumus membra ipsorum, eis compatiamur, & subuenire curemus: & ex hac pietate proueniet nobis vtilitas, de qua
1.Ti. 4. Apostolus dicit 1. Tim 4. *Exerce* inquit, *teipsum ad pietatem*: & post *Pietas ad omnia vtilis est, promißionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.*

¶ Secunda ratio est, quia cogitatio orandi pro defunctis est valdè salutifera, & ideò dicitur salubris, quia scilicet prodest ad salutem, non solùm ipsius defuncti pro quo oratur, sed etiam ipsius qui orat. Nam defuncto pro quo oratur, ipsa oratio, vel alia suffragia quæ fiunt, prosunt ad salutis accelerationem. Et ratio est, quia ille qui in purgatorio detinetur, post purgationem cõsequitur æternam salutem: sed ante hoc oportet quod tamdiu crucietur in igne, quamdiu satisfactio pœnitentiæ suæ, quam in mundo non perfecit per illam pœnam purgatorij sit suppleta, & à leuioribus, & venialibus maculis, per ipsum ignem totaliter sit purgatus. Et hoc est quod Apostolus dicit. 1. Corint. 3. *Quia si quis supra fundamentum Christi.* 1.Cor.7
scilicet fidei & dilectionis Christi, *superædificauerit lignum, fenum, & stipulam, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit: sic tamẽ quasi per ignem*. Vbi secundùm August. per lignum, fenum & stipulam intelliguntur peccata venialia: quorum quædam sunt grauissima in genere peccatorum venialium & difficile purgabilia, & hic per lignum significatur; quædam minima, quæ per stipulam: quædam media, quæ per fenum significantur. Talis ergo in purgatorio patietur detrimentum pœnæ ignis, & etiam retardationis à gloria: quæ pœna in vno erit intensior, quam in alio, secundũ quod plus vel minus peccauit venialiter, & erit etiam in vno proxilior quam in alio, secundum quod quædam venialia sunt maioris adhærentiæ quam alia secundum quod affectus magis ad ea inclinatur, & fortiùs in eis figitur. Vndè quia ea quæ sunt maioris adherentiæ, tardius purgantur: ideò quidam in purgatorio diutius quam alij torquẽtur, secundum quod affectus eorum ad venialia fuit magis immersus. Vnde patet quod acerbitas pœnæ purgatorij, respondet quantitati culpæ, sed diuturnitas respõdet radicationi culpę in subiecto. Vndè potest contingere, quod aliquis in purgatorio diutius moretur, qui minus affligitur, & è cõuerso; sed quilibet post purga-

tionem saluus erit, sic tamē quasi per ignē, id est, ac si ille ignis cremasset peccata sua. Quia igitur per orationes & alia suffragia, quæ fiunt pro defuncto, prædicta pœna minuitur, vel totaliter aufertur: patet quod per ipsa suffragia citius indè exitur, & ad salutis æternæ requiem celerius peruenitur; vndè quandò multiplicātur suffragia pro aliquo, posset

Esa. 46. dicere illud Esa. 46. *Salus mea non morabitur.* Prosunt insuper orationes & alia, quæ fiunt pro defuncto, etiam ad salutem ipsius facientis: quia ratione charitatis ex qua fiunt, valent ipsi facienti ad meritum vitæ æternæ. Licèt enim non valeant ei qui facit pro defuncto, ad satisfactionem delicti, scilicet, inquantum sunt expiatiua pœnæ, quia solutio quæ fit pro debito vnius non absoluit alium, vndè si fit pro alio, nō absoluit facientem à reatu pœnæ: quia maiorem satisfactionem requirit reatus duorū, quam vnius tantùm. In quantum autem sunt meritoria vitæ æternæ, scilicet in quantū procedunt ex radice charitatis, magis prosunt facienti, & quantum ad hoc faciendo pro alijs, salutem suam operatur, se-

Phil. 2. cundum illud Philip. 2. *Salutem vestram operamini.* Tertia ratio quare prædicta cogitatio est vtilis: quia est in futurum prouisiua. Nam ille qui cogitat pro defuncto, qui est in pœna purgatorij, debet aliquid futurum cogitare, quod sicut ipse potest modo iuuare ipsum, ita citò veniet tempus, quod ille poterit iuuare eū, scilicet cum fuerit liberatus à pœna, & volauerit ad gloriam: & credendum est quod rependet ei vicem, vndè Dominus dicit,

Math. 7. Matth. 7. *In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.* Item debet pro seipso cogitare, quod sicut videt illum esse destitutum, & parum iuuari etiam à suis charis: ita continget ei, nisi etiam ipse sibi prouideat, scilicet vel quod ita viuat quod hinc liber exeat, & ad prædictam pœnam non vadat, quia sicut dicit Greg. Melius

Greg. est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere: vel saltem debet ipse viuens sic præuidere, & ordinare de suffragijs fiēdis pro se post mortem, quod benè & copiosè fiant. Pro defuncto autem cogitare debet, quia adhuc ipse forte erit vbi ille est, scilicet, in pœnis: & ideò gaudebit tunc quod habeatur memoria de eo & iuuetur. Sic debet ipse modò memoriam habere de illo & iuuare ipsum. Vndè ex persona defuncti in purgatorio existētis, dicitur consanguineo vel amico suo viuenti. *Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum.* Talia enim dū cogitat homo viuens de

Eccle. mortuo, implet illud Ecclesiast. septimo. *Viuens cogitet quid futurum sit.*

SECVNDO in themate assumpto tangitur adiuti necessitas, cùm dicitur, *pro defunctu*, qui scilicet se non possunt per seipsos iuuare: & ideò maior charitas est iuuare defunctos, quam viuos: sicut maior charitas est iuuare pauperem manibus priuatum, quam eum qui manus habet, & se iuuare potest.

¶ Sed notandum, quod quidam defuncti sunt, quorum damnatio est ita manifesta, quod ecclesia non orat pro eis: sicut sunt illi defuncti qui sine fide decesserūt.

Ioan. Ioan. 3. *Qui non credit iam iudicatus est.* Sed eorum defunctorum, qui in fide mortui sunt, & sacramentis fidei vsi sunt: non est ita certa & manifesta damnatio, imò etiam supposito quod tales essent in inferno, dixerunt quidam doctores, quod poterant eis orationes & suffragia ecclesiæ

valere

valere. Cuius ratio poterat videri quod suffragia magis videntur prodesse mortuis quã viuis. Vndè Diony. Dionysius dicit vlti c. cœlest. hierar. quod iustorum orationes secundùm hanc vitam; magis post mortẽ in his, qui digni sunt sanctis orationibus, operantur. Ex quo potest accipi, sicut dictũ est, quod suffragia magis prosunt mortuis, quã viuis: sed viuis prosunt etiã in peccato mortali existentibus, cum quotidie oret ecclesia pro peccatoribus, vt cõuertantur ad Deum: ergò & mortuis in peccato mortali, quia in inferno sunt, orationes & suffragia valent. Sed illud non approbatur à maioribus doctoribus, quia cum pœna inferni sit finita secundùm intensionem, quamuis duratione infinita existat, sequeretur si suffragia cõtra illam pœnam valere possent, quod multiplicatis suffragijs, pœna ista totaliter auferretur, quod est error Origen. Origen. Nec fieri potest quod auferatur pœna illa, vel interpolletur, vel diminuatur, quia æterna prouidẽtia nihil inordinatum in rebus dimittit. Culpa autem nõ potest ordinari nisi ad pœnam, vnde nõ potest esse quod pœna tollatur, nisi prius culpa expietur. Et ideò cum culpa continuè maneat in damnatis, nec minuatur, eorũ pœna nullatenus tolli, vel interrumpi, vel minui potest Vndè defunctis qui sunt in inferno, nullo modo valent suffragia siue fideles fuerint, siue infideles. Nec obstat ratio superiùs adducta, quæ dicit quod suffragia magis prosunt mortuis, quia quamuis magis acceptetur suffragium pro mortuis, quantùm ad hoc quod magis indigent quam viui, cùm non possent sibi auxiliari sicut viuus, & tamen quantùm ad hoc viuus est melioris conditionis, quia potest trãsferri de statu culpæ mortali ad statũ gratiæ: quod de mortuis dici non potest. Et ideò non est eadem causa orandi pro viuis & pro mortuis. Solis ergò illis defunctis prodesse possunt qui in purgatorio sunt. De quibus defunctis etiam exponi posset Heb. 11 quod dicitur Heb 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes non acceptis repromissionibus: sed à longe eas aspicientes.*

In quibus quidem verbis, de C defunctis qui sunt in purgatorio, tria describit Apostolus.

Primò finalem dispositionem: quia mortui sunt fideles: vndè ait iuxta fidem.

Secundò generalem migrationem: quia *defuncti sunt omnes.*

Tertiò pœnalem retardationẽ, quia *non acceptis*, &c.

¶ Circa primum notandum, quod ille moritur *iuxta fidem*, qui moriendo fidei inhæret sine dubitatione. Et hoc necessariũ est: quia diabolus in morte maximè tentat hominem de fide. Et ratio est: quia si posset ei tollere fidẽ, tolleret sibi Dei timorem, & Dei amorem, & Dei subiectionem, & sine istis non posset saluari. Quòd autem tollendo fidem, tolleret Dei timorem patet, quia ille qui non credit, non timet illud quod non credit, vndè si non crederet aliam vitam, nõ timeret pœnam inferni: & si non crederet Dei prouidentiam, non timeret Dei iudicium, & si non crederet aliqua esse peccata, puta vsuram vel rapinam, non timeret offendere Deum in eis, nec curaret pœnitere vel satisfacere de eis. Sed è contrario, si homo habet veram fidem, super omnia timet Deum & eius offensã. Et ratio est: quia nos videmus quod homo timet ferè de qualibet creatura, quia timet, publices, muscas, vespas, sed fortius timet lupum, viperam, vel leonem, vel vrsum, & sic de

alijs feris: & etiam timet homo hominem, ne lædat eum. Et iste timor creaturarum procedit ex aliqua potentia, quam creaturæ habent; quia omne quod timetur, propter potentiam suam timetur, & si omnis potentia inimicorum suorum, & omnium creaturarum esset in vnum collecta, tunc timeret homo quasi in immensum. Sed fides testificatur tibi quod Deus omnipotens est. Vnde primus articulus fidei est credere in vnum Deum omnipotentem, & alius quod ipse est Creator cœli & terræ, visibilium & inuisibilium. Ex quo sequitur, quod omnis potentia creaturæ, sit ab eo vnde ipse potest occidere & viuificare, sicut placet ei, & omnis potentia creaturæ, quasi nihil est in conspectu eius. Si ergò fides vera esset in te, quod tu bene crederes hoc, tu plus timeres eum quàm omnes creaturas, & non offenderes eum in peccatis tuis, sicut non offendis vnicornem, vel leonem propter timorem: quia aliàs bene offenderes, & caperes eos, si non timeres. ergò multò plus timeres Deũ offendere, & contra eum facere. Et ideo Christus dicebat. Matth.

Mat. 10. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum. &c.* Si autem tu dicas, ego benè credo Dei omnipotentiam, & benè timeo eam, & facis contra mandata eius, & frequenter offendis eum peccando: tunc dico, quod tu assimilias te dæmonibus: qui credunt Deum esse omnipotentem, & timent eum, sed tamen propter hoc mala facere non cessant, sicut ille qui habet fidẽ sine operibus, quia talis fides mortua est, & ergo non est fides: sicut homo mortuus non est homo. Et

Iac. 2. hoc est quod dicitur Iacobi 2. *Fides si non habeat opera mortua est in semetipsa.* Et post. *Tu credis quoniam vnus est Deus: & benefacis,* sed supple non sufficienter, & subdit. *Et dæmones credunt & contremiscunt.* Et ideò talis fides non saluat. Item si diabolus posset homini morienti, vel etiam viuẽti tollere fidem, tolleret etiam ei Dei dilectionem, quia si tu non credis, non amas. Nam credere, est quidem modus cognoscendi ea, quæ videri nõ possunt, ea autem quæ sunt omnino incognita, non non possumus amare. Vnde Au-

August. gustin. dicit, quod inuisa diligere possumus, sed incognita nequaquam. Et ideo de æternis & inuisibilibus bonis, quæ habentur in Deo. Et quæ transcendunt naturalem cognitionem sensus, & intellectus, cognitionem hic habere non possumus, nisi per fidem, quam habemus ab ipso Deo. Et si non credimus, nec habemus fidem, non possumus ea diligere, & si non diligimus ea, scilicet & bona vitæ æternæ, non curamus facere opera bona, per quæ perueniamus ad ea. Vndè diabolus tollẽdo fidem, tollit dilectionem, & tollendo tibi dilectionem, tollit etiam bonam operationem, & per consequens salutem. Vnde Apostolus dixit Ga-

Gal. 5. lat. 5. *Quod fides operatur per dilectionem.* Et ratio est, quia vnum quodque sicut se habet ad esse, ita & ad operari: vnde sicut res per formam suam habet esse, ita & moueri, vel operari. Dilectio autem siue charitas, est forma fidei, inquantũ scilicet fidei actus per ipsum charitatem perficitur, & formatur. Nam ex eo solum quod ego cognosco hominem, non moueor ad operandum aliquid propter ipsum; sed si cognosco & diligo, tunc efficaciter operor propter ipsum, & sic sola fides sine charitate, non mouet perfecte & efficaciter ad operandum

dum

dum propter Deum, vel beatitudinem quam credimus. Et propterea, dicit Apostolus 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habuero nihil sum.* Item si diabolus posset tollere homini morienti, vel viuenti, fidem, tolleret ei subiectionem Dei: quia non obediret Deo, & præceptis eius. Nam homo non vult obedire ei, nec eius legi subesse, quem non credit esse Dominum suum, imò dicit lex quod extra territorium ius dicenti non paretur impunè. Vndè miseri Manichæi, qui dicunt ista visibilia non esse à Deo, sed à diabolo, non obediunt Deo vel legi eius, quia nolunt recipere sacramenta, quæ sunt à Deo instituta. quia fiunt in materia corporali & visibili, quam dicunt esse à diabolo, nec volunt subesse potestati vicariorum Dei, quibus filius Dei dixit Lucæ 10. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit,* & Rom. 13. dicit Apostolus. *Non est potestas nisi à Deo. Itaque qui potestati resistit Dei ordinationi resistit.* Est ergo necessarium morienti & viuenti, si non vult decipi à diabolo, quod fortiter & indubitanter inhæreat, fidei veræ, nec in aliquo trepidet, quia fides innititur testimonio Dei, quod nec falli nec fallere potest, & si hoc fecerit, non poterit diabolus contra eum præualere, in pugna tentationis vitæ vel mortis: Vndè Apostolus Ephes. 6. monet dicens: *In omnibus assumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequißimi ignea extinguere.* Et 1. Petri 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, &c.*

1. Co. 13 / August. / Luc. 10. / Rom. 13 / Gal. 5. / Ephes. 6 / Petr. 5.

D Secundo describit Apostolus in auctoritate inducta, generalẽ migrationem, quia *defuncti sunt omnes.* Sed aduertendum est, quòd si loquamur de defunctis, de quibus agitur in themate assumpto, non videtur conueniens, quòd pro talibus fierent orationes, sicut Iudas fieri fecit. Et ratio est, quia pro his defunctis, de quibus certum esset quòd essent damnati, non esset orandum, sicut nec pro dæmonibus, sed de illis defunctis pro quibus Iudas Machabęus misit oblationem Ierosolymam, vt oraretur pro eis, apparuerũt certa signa damnationis, quia illi fuerũt interfecti in bello. Et de ipso dicitur secundo Machabæorum duodecimo, quod inuenerũt sub tunicis interfectorũ, de donarijs idolorum, à quibus lex prohibet Iudæos, & ideò constat eos mortaliter peccasse, contra legem agentes, & item in peccato mortali decessisse, & ad infernum esse translatos, & sic non debuerunt fieri oblationes, vel orationes pro eis. Sed ad hoc dicendum est, quòd donaria idolorum non fuerunt inuẽta apud illos defunctos, vt ex eis signum accipi posset, quod in reuerentiam idolorũ ea deferrent, sed ea acceperũt vt victores, quæ eis iure belli debebãtur, & indè per auariciã venialiter peccauerunt, vnde non fuerũt in inferno damnati, & sic suffragia eis prodesse poterãt. Quidam autem dixerunt, quod in ipsa pugna videntes sibi periculum imminere, de peccato pœnituerunt, secundum illud Psalm. 77. *Cum occideret eos quærebant eũ, &c.* Et hoc probabiliter potest æstimari, & ideò pro eis fuit oblatio facta. Pro solis ergo defunctis illis intendit ecclesia orare, qui sunt in purgatorij pœna. Et tales sunt trium modorum. Primus est eorum, qui decesserunt cum venialibus peccatis. Venialia enim peccata sunt, vt si quis plus debito afficiatur ad temporalia, puta diui-

Psal. 77.

diuitias, vel filios, & huiuſmodi, dum modo intra Deũ, vel ſi quis vtatur matrimonio magis ad delectationis, & concupiſcentiæ ſatisfactionem, quàm ad prolis generationem, ſed tamẽ infra Deũ: quia non propterea adulteraretur, vel fornicaretur, vel aliquid aliud faceret, vbi crederet eſſe mortale. Qui ergò de talibus aut ſimilibus, recedit non purgatus, purgabitur in purgatorio: quia nõ incurrit in illam, id eſt vitã æternam aliquid coinquinatum.

¶ Secundus modus eſt eorum, qui ſatisfactione ſibi iniuncta, nondum completa decedunt: veruntamen ſi antequam exirent, tantam haberent cordis contritionem, quæ ſufficeret ad delendum peccatum, liberi tranſirent ad vitam, etiam ſi ſatisfactionem minimè compleſſent: quia vehemens contritio maxima eſt apud Deum peccati ſatisfactio, & maxima peccatorũ deletio. Et ideò

Hiero. Hiero. dicit, quod apud Deum nõ tantùm valet menſura temporis, quantùm doloris: nec abſtinẽtia tantùm ciborum, quantùm mortificatio vitiorum. Sed qui non à Deo conteruntur, & antè completionem pœnitentiæ moriuntur: iſti igne purgatorij grauiſſimè puniuntur, niſi fortè eorum ſatisfactio, ab alio ſibi charo aſſumatur: & hoc fieri debet ſacerdotis auctoritate, & oportet etiam eum qui aſſumit eſſe in charitate, vt ſatisfactio eius poſſit eſſe meritoria & ſatisfactoria.

Tertius modus eſt eorum, qui ſatisfactionem quidem iniunctã compleuerunt, ſed tamen illa pœna, ignorantia vel negligentia ſacerdotis ſufficiens non fuit.

Hi enim, niſi magnitudo contritionis compleat, totum in purgatorio complebunt, quod minus in hac vita fecerunt. Deus enim qui modos, & menſuras peccatorum, & pœnarũ nouit, addit pœnam ſufficiẽtẽ: nec aliquod peccatum impunitum remaneat.

Vndè pœnitentia iniuncta, aut eſt maior quàm ſit neceſſariũ ad menſuram culpæ expiandæ, aut æqualis, aut minor. Si maior tunc illud quod plus fecerat, cedit ei ad augmentum meriti: ſi æqualis, tunc ſufficit ei ad deletionem totius culpæ & pœnæ: ſi autem minor, tunc in purgatorio poſt mortem illud quod reſtat ſuppletur ex virtute diuinæ iuſtitiæ.

Quomodocunque autem ſit, defuncti in purgatorio grauiſſimè affliguntur. Et ideò debemus eorum miſereri, & exaudire eorum locutionem & precem, quâ doloroſè ſuam pœnam exprimentes, à nobis auxilia petunt.

Sciendũ eſt enim, quod defuncti tribus modis nobis loquũtur, E
ſcilicet exemplo; & hoc modo nobis loquuntur ſancti viri, prout viuunt in noſtris memorijs: vndè tũc eorum locutiones audimus, quando recordamur bonorũ quę fecerunt, & exemplorũ quæ nobis reliquerunt, ſicut dicitur de 2. Mac.
Antiocho rege .2. Macha. 4. quod 4.
flexus ad miſericordiam lachrymas fudit, recordatus defuncti, ſcilicet omnem ſobrietatem & modeſtiam. Secundò loquuntur nobis verbo, ſcilicet Deo permittente aliquandò, in aliquo corpore aſſumpto apparendo: ſicut in transfiguratione Domini apparuerunt ei Moyſes & Helias Matt.
loquentes cũ eo, vt dicitur. Matt. 17. quorum Moyſes defunctus erat. Hoc etiam modo qui ſunt in purgatorio, permittuntur apparere: vt poſſint à viuẽtibus ſuffragia impetrare. Sicut narrauit mihi quidam magnus aduocatus curiæ Romanæ, qui fuit doctor vtriuſque iuris, & dictus eſt Dominus Porrina de caſu hoc, qui dum eſſet ipſe in curia tempore

Bonifacii papæ, dum quodam ſero vigilaret, ad ſtudium ſuum, apparuit ei quidam famulus ſuus, qui paucis ante diebus fuerat defunctus: & aſſeruit ſe grauiter in purgatorio pro culpis ſuis torqueri, ſed præcipuè pro debito cuiuſdam pecuniæ, quã dare cuidam alteri tenebatur, & expreſſit ei quantitatem, & nomen creditoris, dicens ſe in morte illius debiti nòn habuiſſe memoriam. Vndè dixit dicto Dominó, quòd poterat eum liberare à pœna, ſi prædictum debitum pro eo exolueret, & eleemoſynas alias faceret pro eo, & miſſas celebrari. Quod ille promiſit facere, & ſtatim ille inclinauit ei, & diſparuit. Et dictus aduocatus inueniẽs verum eſſe quod de debito dixerat, ſatisfecit creditori, & alia ſuffragia addidit ſecũdùm promiſſum factum. Tertiò defuncti qui in purgatorio cruciantur, loquuntur nobis & clamant deſiderio: quia multùm à nobis in illa pœna deſiderant adiuuari. Et clamant ad nos quilibet eorum di ens, & ſi non verbò, tamen deſiderio illud

Iob 19. Iob 19. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei.* Prædictis ergo modis verificatur de homine defuncto, illud quod de Abel

Hebr. 11 dicit Apoſtolus Hebræor 11 ſcilicet quod *defunctus adhuc loquitur.* Tertiò deſcribit Apoſtolus in auctoritate allegata pœnalem retardationem: id eſt, quia *non acceptis repromiſsionibus*, de præmiis ſcilicet vitæ æternæ, quæ ſcilicet ab antiquo multoties promiſſa ſunt ſanctis, & per Chriſtũ repromiſſa, id eſt iterato promiſſa: quas repromiſſiones, qui in purgatorio detinentur, adhuc nõ ſunt aſſecuti: & maximè quia eas deſiderant, ex ipſa retardatione maximè affliguntur, adhuc eas contemplando, de longè aſpicientes, & ad eas inhiantes. Sed ſancti qui ſunt in cœlo, iam eas ſunt adepti merito iuſtitiæ ſuæ, & in eis faciliter lętantur, ſecundum illud Hebræor. 11. *Operati ſunt iuſtitiam: adepti ſunt repromiſsiones.* Heb. 11 Sed tamen qui ſunt in purgatorio, magis facti ſunt propinqui ad eas: quàm eſſent hic viuentes, ſecundùm illud Apoſtoli Epheſ. Epheſ. 2 2. *Qui eratis, longè facti eſtis prope.*

F

TERTIO in themate aſſumpto tangitur iuuandi facilitas: cũ dicitur *exorare:* quod quilibet poteſt pro eis faciliter, facere. Nos videmus, quod auis quandò vult ſurgere ab imo, & ſurſum aſcendere, eleuat ſe & aſcendit virtute duarum alarum. Sic duo ſunt præcipuè, quorum virtute anima poteſt euolare ab imo purgatorii, & aſcendere ad gloriam paradiſi: ſcilicet eleemoſyna & oratio. Vndè qui volunt iuuare defunctos, qui ſunt in purgatorio, non debent iſta duo deſpicere; ſed multiplicare, Vndè dicitur Eccleſiaſti. 7. Eccl. 7. *Exorare & facere eleemoſynam ne deſpicias.* Et quia religioſi, & alii pauperes per eleemoſynas ſibi datas excitantur ad orandum & celebrandum miſſas: & pro dantibus, & etiam pro animabus defunctorum, pro quibus eis etiam dantur, dicitur Eccleſiaſti. 29. Eccl 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis: & hæc pro te exorabit,* id eſt ad orandum excitabit.

G

QVARTVM quod tangitur in themate aſſumpto, eſt auxilij opportunitas: ſcilicet *vt à peccatis ſoluantur*, id eſt, debitis pœnis pro peccatis. Sed nota, quod à pœnis debitis pro peccatis abſoluuntur animæ defunctorum, non ſolùm per orationes & eleemoſynas, vt dictum eſt: ſed etiam per indulgentias, Indulgentiæ enim poſſunt valere defunctis, non quidem directè, quia ſic non

valent, indulgentiæ nisi facienti illud, pro quo indulgentia datur; puta quia visitare limina alicuius sancti, quod non possunt facere mortui, sed possunt valere indirectè, in quantum pro eis fit illud pro quo indulgentia datur, dummodò forma, sub qua data est indulgentia, extendat se vsque ad defunctos. Vt si dicat quicunque fecerit hoc vel illud, ipse & pater eius, & quicunque ei adiunctus in purgatorio detentus, tantùm de indulgentia habebit: talis indulgentia non solùm viuo, sed etiam mortuo proderit. Non enim est aliqua ratio, quare ecclesia possit transferre merita communia, quibus indulgentiæ innituntur, in viuos & non in mortuos. Prælatis autem ecclesiæ
Io. 20. dictum est à Christo. Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Remittuntur autem peccata quo ad culpam, & pœnam æternam, per pœnitentiam: sed quo ad pœnam temporalem, ad quam post pœnitentiam remanent ligati, & remittuntur & viuis & defunctis per indulgentiam. Nec tamen propterea prælatus ecclesiæ potest, pro suo arbitrio, animas à purgatorio liberare & per indulgentias: quia ad hoc quod indulgentiæ valeāt, requiritur causa conueniens indulgentiā faciendi. Et talis causa est, quando datur indulgentia propter aliquid, quod vergit in honorem & vtilitatem ecclesiæ. Si autem forma indulgentiæ non includat defunctos, puta quod tantum dicat, quicunque faciet hoc vel illud, habebit tantum de indulgentia: tunc ille qui hoc facit, non potest ipsum fructum indulgētiæ in alios transferre, quia nō est eius applicare intentionē ecclesiæ ad aliquem, per quem communicantur communia suffragia, ex quibus indulgentiæ valent. Quocunque autem modo homo possit soluere à peccatis, id est à pœnis pro peccatis debitis in purgatorio, quæ sunt sicut fasciculi deprimentes, & impedientes ne possint ascendere, debet facere homo viuens, secundum illud Esa. 58. *Solue fasciculos deprimentes & omne onus dirumpe*. scilicet pœnæ, vt tali onere remoto, possit Esa. ad gloriam scandere. Ad quam Deus, &c.

De misericordia quam petunt defuncti in anniuersario facienda.

SERMO X.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Iob. 19. Iob
Vulgò dicitur quod qui sentit dolores magnos, emittit magnos clamores. Sic illi qui sunt in purgatorio, quia magnas patiuntur pœnas, magnos quærelarum clamores non vocis sono, sed mentis desiderio ad nos, qui eos iuuare possumus, emittere non desistūt. Vndè ex persona cuiuslibet eorum, clamat scriptura diuina in verbis propositis dicens, *miseremini mei, miseremini mei, &c.*
In quibus quidem verbis, anima A
ibi afflicta petit sibi misericordiā fieri à charis saltem, & amicis suis, triplici ratione: quæ multùm nos mouere deberet, ad eis subueniendum.

Et primò ratione maximæ indigētiæ: quę insinuatur circū dicitur, *miseremini mei, miseremini mei.*

Secundò ratione mutuæ beneuolentiæ, cum subditur: *saltem vos amici mei.*

Tertiò ratione punitiuæ iustitiæ: *quia manus Domini tetigit me.*

PETIT ergo à suis charis primò misericordiam, & ex ipsa in geminatione petitionis, osten-

oſtendit ſuam magnam miſeriam & indigentiam. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quod non quilibet defunctus in pœna, vel indigentia exiſtens, poteſt à nobis miſericordiā petere. Sunt enim communiter defunctis, quatuor receptacula deputata: ſcilicet cœlum, infernus, limbus, & purgatorium. Et ſecundum hoc ſunt quatuor modi defūctorum. Nam quidam ſunt ita boni, quod ſtatim egreſſis de corpore, aperitur porta cœli, ſicut pueris bapti-
Matt. 3. zatis, vnde Matth. 3. ſuper Chriſtum baptizatum aperti ſunt cœli. Item fidelibus pro Chriſto in martyrio baptizatis, quia martyrium purgat à culpa & à pœna: quia falce martyrij omnia vitia
Auguſt. reſecantur, vt Auguſtin. dicit. & ideò apertum eſt cœlum Stepha-
Act. 7. no lapidato. Actum 7. Item his qui perfectam ſatisfactionem, & pœnitētiam egerunt de peccatis.

In cuius figura aperti ſunt cœli Ezechieli iuxta flumen Chobar.
Ezec. 1. Ezech. 1. Chobar enim interpretatur grauedo, vel grauitas: & ſignat grauedinem ſatisfactionis, quam tolerare oportet perfectè pœnitentes. Iſti ergò non ſunt de numero defunctorum, qui à nobis miſericordiam petunt: ex eo quod nullam miſeriam ſeu indigentiam patiuntur, & ideò qui pro eis oraret, vel aliquod ſuffragium faceret, iniuriaretur eis: vn-
Auguſt. dè dicit Auguſt. quod iniuria eſt in eccleſia pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendare. Alij verò ſunt tam mali, quod ſtatim vt de corpore exeunt, aperitur eis porta inferni: ſicut his qui decedunt impœnitentes, cū aliquo peccato mor-
Iob 21. tali, De quibus dicitur Iob vigeſimo primo. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Et de his dixerunt quidam, quod ſaltem fideles qui fuerunt membra eccleſiæ, & habuerunt fidem, & vſi ſunt Sacramentis, & plura de genere bonorū egerunt: poſſunt ad minus vſque ad diem iudicij, à nobis miſericordiam recipere: & valent eis ſuffragia noſtra, vel ad totius pœnæ vſque ad diem iudicii ſuſpenſionem, vel ad aliquam ipſius diminutionem, vt ſaltem ad naturæ confortationem, vt pœnā illam facilius ferre poſſint. Sed illa falſa ſunt, quia pœnam illam habēt propter culpā tātum, & ideò niſi tollatur culpa, non poteſt tolli pœna: ſed pœna eorum ſemper manet eodem modo, nec vnquam expiatur, vel interrumpitur, vel alleuiatur, propter quod Pſalm. ait Pſal. 6.
Pſalm. 6. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Ergo nec pœna eorum vnquam ſuſpenditur vel minuitur, vel aliquo modo mitigatur, & ideò in inferno, nulla eſt redemptio. Et ideò dicit beatus Dionyſius. 7. c. cele. hierar. Dio. 7.
Summus ſacerdos pro immundis non orat: quia in hoc auerteret à diuino ordine. Et commentator ibi dicit quod peccatoribus non orat remiſſionem: quia non audiretur pro illis, & Greg. in 34. lib. Gre.
mora. dicit, quod nō orant ſancti pro hominibus infidelibus, impiiſque defunctis: quia de eis vtique, quos æterno damnatos ſupplicio iam nouerunt antè illum, qui eos damnauit, fruſtra fieret oratio. *Alij verò defuncti* vadunt ad limbum, qui eſt locus iuxta infernum, vt pueri decedētes ſine baptiſmo: qui non vadunt ad cœlum, quia ſi irent non poſſent habere paradiſum, quia paradiſus conſiſtit in viſione Dei. Ipſi autem cum decedunt ſine gratia, ſunt vt cæci, qui non poſſunt videre lucem diuinam: ſicut cæcus corporaliter, non poteſt videre lucem corpoream. Non etiam vadunt ad infernum damnatorum,

quia ibi nō punitur quis, nisi propter peccata propria : sed hi adhuc non peccauerunt. Nam peccatum originale non est peccatū personale, sed commune totius humanæ naturæ, vndè secundùm quosdam, tales, etiam si per infernum non transirent, ignem non sentirent. Vndè etiam isti nō sunt qui misericordiam petunt : quia eorū status immutabilis est. Quidam verò cùm moriuntur, vadūt ad purgatorium, sicut qui decedūt cum venialibus peccatis, vel non completa pœnitentia, siue satisfactione debita suis peccatis. Nam licèt per contritionem tollatur culpa, non tamen ex toto tollitur reatus pœnæ : nec etiam semper venialia, dimissis mortalibus, tollūtur: & iustitia Dei hoc exigit, vt peccatum per pœnā debitam ordinetur. Et ideò oportet quòd ille, qui post contritionem de peccato, & absolutionem decedit antè satisfactionē debitam, quòd post hanc vitam puniatur. Et hoc fit in purgatorio, vbi per pœnam quam sustinet ad tēpus, à reatu pœnæ satisfactoriæ quę debebatur post pœnitentiam, totaliter absoluitur : & à venialibus maculis etiam expiatur. Et pro talibus defunctis orat ecclesia, quia iuuari possunt. Vndè Greg.
Greg. Nazianz. dicit, Si aliquis Christo amico consentiens, in hac vita purgare peccata minùs potuerit; post transitum hic per purgatorii cōflationem expeditur. Hoc prædicamus, dogma veritatis seruantes. Hoc etiam ecclesia vniuersalis tenet, pro defunctis exorans vt
Dion.7. à peccatis soluātur. Et B. Dionysius dicit in 7. c. cęle. hierar. quod diuinus sacerdos pro mortuis orans, pro illis orat qui sanctè vixerunt: & tamen aliquas maculas habuerunt, ex infirmitate humana contractas. Tales ergò defuncti sunt, qui à nobis misericordiā petunt, ita vt quilibet eorum dicat: *miseremini mei, miseremini mei, &c. Bis autem dicit miseremini mei* duplici ratione. Primò, propter duplicem causam quâ affligitur. Prima potest esse, vt dictum est, propter aliquam venialem culpā, scilicet cū qua decessit; à qua oportet quod purificetur, antequam vitam æternā ingrediatur: quia nihil inquinatū incurrit in
illam, vt dicitur Sap. 7. Culpa autem Sap.
venialis in eo qui decedit cū gratia, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorij : quia pœna ista aliquantulum est voluntaria, inquantū, scilicet sciunt quod non possunt peruenire ad gloriam nisi per illam pœnam. Et ideò licet appetant ab ea liberari, nec sit ab eis voluntariè assumpta ; tamen supportant eam, & quantum ad hoc voluntaria dicitur: sicut infirmitas immissa à Deo alicui bono viro, quam voluntariè sustinet, ex quo Deus vult, & nihilominus vult ab ea liberari. Et sic quia pœna illa aliqualiter est voluntaria, virtute gratiæ, habet vim expiandi culpā omnem, cum quacum gratia stare potest. Sed quia etiam ab ea appetit liberari, & ad hoc per suffragia hìc viuentium adiuuari potest vt citiùs liberetur; propterea clamat dicēs, *miseremini mei*: quasi dicat, si misereamini mei, impendendo suffragia, citiùs purga-
bor & liberabor. Prouerb. 15. *Per* Pro. 15.
misericordiam & fidem purgantur peccata.

¶ Secunda causa quare cruciatur in purgatorio anima est, propter pœnitentiam hìc non completam : siue quia præuentus sit morte antequam compleuerit: siue quia iniuncta sibi pœnitentia, sufficiens non fuit secundùm iudicium Dei. Pœnitentiæ enim iniunctę triplititer taxantur. Nam quædam taxantur à canone ; & quæ-

quædam à sacerdote, cui peccator confitetur. A canone enim taxatum est regulariter, quod pro quolibet peccato mortali septennis pœnitentia peragatur: vt sicut propter peccatum septiformem gratiam amisit, ita & per septennem pœnitentiam recuperet eam 33.q.2. Hoc ipsum 23.q.1. Prædicandum. Sed in speciali, in canonibus Apostolorum, secundùm diuersa crimina & diuersas conditiones hominum, diuersæ pœnitentiæ iniunguntur. Verbi gratia, de aliquibus paucis. Nam dicitur ibi quod periurus per 40. dies in pane & aqua pœniteat per 7. annos & semper debet esse in pœnitẽtia, scilicet interiori, 6.q. 1. Quicunque. Falsificans mensuram. 30. diebus in pane & aqua pœniteat: extra de exẽpt. & ven. Vt mensuræ & pondera. Item qui contra naturam peccauerit, si est clericus, deponi debet, vel religioni tradi si corrigibilis appareat, ad perpetuam pœnitentiam peragẽdam. Si laicus, excommunicari & à cætu fidelium, vsque ad condignam satisfactionem, fieri alienus. extra de excessi præla. Clerici. Item si quis votum simpliciter violauerit, tribus annis pœnitere debet 27. Si vir. Itẽ quod qui alium iniustè accusat ad mortem 40 dies in pane & aqua pœniteat per 7. annos, si accusatus occisus sit: si membrum perdidit per triennium, extra de accu. Accusasti. Item si parentes frangunt spõsalia filiorum, triennio separentur à communione, & filij sic, si in culpa sint: si autem filij secundũ promissionẽ factam contraxerint, liberatur vterque. Intelligas quo ad pœnam ecclesiæ: non quo ad reatum: ex quo dederunt operam in contrarium 31.q.3. Si qui parentes. Et similiter taxantur ibi pœnitentiæ de multis aliis peccatis. Ergò semper septennis pœnitentia imponenda est, nisi maior vel minor inueniatur à canone expressa. In quo casu si crimen publicum sit, publica non minor vel maior quàm scripta sit, est pænitentia imponenda, nisi ex magna causa dispensetur. Si autem est occultũ, tunc indistinctè arbitrariè imponatur. Et ideò tenetur hodiè, quòd pœnitentiæ quæ à sacerdotibus confitentibus imponuntur, arbitrariæ sunt: & arbitrio sacerdotis taxandæ relinquũtur, etiam illæ quæ sunt per canones diffinitæ: & patet hoc extra de pœni. Deus qui. Vbi pro homicidio & fornicatione, mãdatur pœnitentia imponi secundùm arbitrium sacerdotis: cum tamen sit à canonibus diffinita. Ergo sacerdos pœnitentiam taxare potest & debet, consideratis circunstantijs, criminis qualitate, & quantitate. Item personæ dignitate, officio, & paupertate. infirmitate seu debilitate, complexione, consuetudine, societate, lachrymis, & deuotione. Item regionis & temporis qualitate, nec non & alijs circunstantijs. 26. q.7. Tempora. & de pæniten. distinc.1. Mensuram. Sed siue quantum ad pœnitentias quæ iniunguntur à canone, siue quantum ad eas, quæ à sacerdote, sciendum quod duplex est forus iudicij animarum, scilicet Dei & ecclesiæ. Contingit ergò aliquandò peccatorẽ esse absolutum in vno, & non in altero foro. Nam aliquandò absolutus in foro ecclesiæ, non est absolutus in foro Dei: & aliquando è cõuerso. Ergò si alicui sit iniuncta in foro ecclesiæ pœnitentia maior, quàm sit condigna in foro Dei; in foro ecclesiæ tenetur ad eã totam, sed in foro Dei, non tenetur nisi ad cõdignam: ideò quamdiu est in foro ecclesiæ, debitor pœnæ est, quousque totam eam cõpleuerit

uerit

uerit, sed si transeat ad forum Dei, peracta condigna, nullam pœnam sustinebit. Sed si minor fuerit iniuncta, quam fuerit condigna, cum transierit ad forum Dei, scilicet ad purgatorium, supplebitur per illam pœnam, quicquid minus fuit iniunctum; erit tamen acerbior illa pæna fere incomparabiliter, quam fuisset illa pœnitentia, quia in diuino iudicio plus ponderatur in valore vna modica pœna præsens voluntaria, quam multa in purgatorio, quæ non est sic voluntaria, sicut plus valet modicum auri, quam multum plumbi. Vndè fit quædam æqualitas, & iustitiæ recompensatio; quia pæna præsens est minor in acerbitate, & maior in valore, illa autem minor in valore, & maior in acerbitate, propter quam acerbitatem, iterum anima ibidem afflicta clamat, *miseremini mei*: quasi dicat, si mihi misereamini, & suffragia impendatis, liberabor ab hac acerbissima pæna. Et ideò 4. Reg. 1. dicit defunctus ibi afflictus consanguineo vel amico suo. *Obsecro vt
4. Regr. misercaris animæ meæ.* Secunda ratio quare bis dicit *miseremini mei* est, propter duplicem pœnam quam patitur, scilicet pœnã dãni de carentia visionis diuinæ, & pæna sensus de afflictione ignis. Et quantum ad vtramque, minima pæna purgatorij est maior maxima pæna mundi. Quantum ad pœnam damni patet, quia quãto aliquid magis desideratur, tantò eius absentia molestius toleratur. Et quia affectus quo desideratur summum bonum, post vitam istam ab omnibus sanctis, est intẽsior quam aliquis affectus rei temporalis in vita maximè cum tempus habendi iam aduenerit, ideò afflictio de carentia est maior.

Quantum autem ad pœnam sensus patet, quia cum dolor non sit essentialiter ipsa læsio, sed læsionis sensus tantò magis dolet anima, quantò magis sentit læsitiuũ aliquod: ideò ab igne immediatè in ipsã agente, quæ est origo sensus maximè affligitur. Et clamare possunt animæ, quæ talis pœnâ affliguntur, ad quemlibet consanguineum vel amicum hic viuentem, & dicere illud Marci. 9. *Si quid potes adiuua nos misertus* Marc. 9.
nostri.

B
In quibus quidem verbis, petunt suffragia pro se fieri tripliciter.

Primò ex facultate, *si quid potes.*

Secundò ex charitate, *adiuua nos.*

Tertiò ex pietate, *misertus nostri.*

¶ Dicit ergò quantum ad primum: *si quid potes.* Nam quilibet aliquo modo potest, scilicet quia aliqui sunt, qui possunt pro eis missas celebrare, sicut sacerdotes: aliqui qui possunt pro eis eleemosynas dare, sicut sæculares diuites: omnes autem generaliter possunt pro eis orare, etiam si sint pauperes vel infirmi, vndè Tobiæ. 4. *quomodo potueris ita esto misericors.*

¶ Quantum ad secundum, debemus eos ex charitate iuuare: sicut frater debet iuuare fratrem. Nam frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & ideò dicunt *adiuua nos*. Vndè si sit aliquis frater ipsius defuncti cognatione, sicut consanguinei dicuntur fratres: siue charitatis dilectione, sicut omnes qui sunt in charitate dicuntur fratres, de qua fraternitate dicitur Rom. duodecimo. *Chritatem fraternitatis* Rom. 12.
inuicem diligentes: debet defunctos fratres per suffragia iuuare.

In cuius figura dicitur. 1. Macha. 1. Ma. 3.

3. quod *adiuuabant eum omnes fratres sui.*

¶ Tertio petunt sibi subueniri ex pietate, cum dicunt *misertus nostri.* Vbi est maior miseria, ibi homo qui pius est magis cōpatitur, & magis miseretur: sed in purgatorio est miseria maioris inopiæ, quam sit in mundo, quia si possent pro vno denario liberari ab illa pœna, non habent vnde soluant, & sunt in tanta impotentia, quod si per vnū pater noster possent ab illa pœna erui, dicere illud non possunt: & ideo dicere stagitant cuilibet homini per illud Iudith. 7. *Tu qui pius es miserere nostri.* Iudit. 7.

SECVNDO defunctus in purgatorio existens, petit misericordiam à nobis, ratione mutuæ beneuolentiæ, quam habet nobiscum: quàm allegat dicens. *saltem vos amici mei.* Tria enim sunt quæ consueuit verus amicus impendere amico suo. Primo dilectionem, & hoc debetur omni tempore. Prouerb decimo septimo. *Omni tempore diligit qui amicus est.* Etsi omni tempore, ergo non solum antè mortem, sed etiā post mortem. Item compassionē, scilicet in aduersitate. Ecclesiast. 12 *In malitia,* scilicet aduersitatis, *amicus est.* Et si compatitur viuo, magis debet cōpati mortuo, qui est in maiori pœna. Item consueuit impendere subuentionē, scilicet in necessitate: alias nō esset verus amicus. Ecclesia. 6. *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Talis est, qui amico suo vel consanguineo defuncto, in tanta necessitate existēti sicut est in purgatorio nō subuenit per suffragia. Et de tali potest dici illud *Iob.* 6. *Qui tollit ab amico suo misericordiam: timorem Domini derelinquit.* In quibus quidē verbis tangitur triplex culpa, quæ plerunque circa defunctum amicum committitur.

Pro. 17.

Eccle. 6

Iob 6.

Prima est culpa crudelitatis, *in eo qui tollit misericordiam*

Secunda est peruersitatis: scilicet *tollere ab amico suo.*

Tertia est fatuitatis in eo qui *timorem Domini derelinquit.*

¶ Circa primum notandū, quod tollere misericordiam ab eo qui est in miseria, est culpa crudelitatis. Vndè cum illi qui sunt in purgatorio, sint in maiori miseria quā viuentes: ideò maior crudelitas est misericordiā eis non facere: propterea dicitur Iacob 2. quod *iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam.* Ad cuius euidentiam est notandum, quòd subueniendo defunctis qui sunt in purgatorio, impletur omne opus misericordiæ. Nam vnū opus misericordiæ est, pascere esurientem: & aliud potare sitientem: ipsi autem vehementer esuriunt illum, cibū, & sitiunt illum potum, de quo dicitur Luc. 22. *Dispono vobis sicut disponit mihi pater me, reg. vt eda. & biba. super men. meam in regno meo.* Iacob 2. Luc. 2.

Sed non possunt ad illius cibi vel potus satietatem peruenire, nisi prius soluatur debitum, quo in purgatorio detinentur: vndè qui pro eis tale debitum soluit, eos ad huius quodammodo societatem perducit. Aliud opus pietatis est vestire nudum: sed qui in purgatorio detinentur, habent animas nudas, non solùm à veste corporis, sed etiam à veste, siue stola gloriosæ beatitudinis: de qua dicitur Ecclesiasti. 45. *Induit eum stola gloriæ,* quam induere non possunt, quousque sint purgati, & à reatu illius pœnæ absoluti. Qui ergò eis vt absoluantur operatur, auxilium eis præstat, vt stolā glorię saltem citius induantur. Aliud opus misericordiæ est peregrinum, & hospitem in domo sua colligere. Sed illi non reci- Eccl. 45

recipiuntur in domo Domini, in qua mansiones multæ sunt, quousque sunt à reatu illius pœnæ detenti, vndè qui eos iuuat vt indè liberentur, quasi peregrinum & hospitem in hospitio cælestis mansionis colligi, ac recipi facit. Aliud opus pietatis est infirmum visitare vel iuuare. illi autē tanquam infirmi sunt, grauibus doloribus afflicti, & viribus destituti quibus se iuuare possunt: vndè qui eis suis suffragijs auxilium impendit, infirmum quasi per affectum visitat, & liberationis suæ medelam propinat. Aliud opus misericordiæ est ad carceratum ire: & eum pietatis auxilijs consolari. Sed illi qui sunt in communi purgatorio, quod iuxta infernum, in terræ visceribus esse creditur, quasi in centro & profundo carcere detinentur: & qui tali impendit suffragium, ille est qui carcerato præbet consolationis & liberationis auxilium. Qui autem eis suffragia misericordiæ non impendunt, hi sunt qui iudicium sine misericordia recepturi sunt: scilicet à Christo dicente pro eis, tanquam pro membris suis: vt habet Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum* &c. Et post. *quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis*. Et sic iudicium sinè misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Vndè in Psalm. 108. *Pro eo quod non est recorda. fa. mi*. Et post. *Dilexit maledictionem & veniet ei.* scilicet cum dicitur. Discedite à me male. &c.

Mat. 25

Ps. 108.

C Secundò in auctoritate inducta tangitur culpa magnæ peruersitatis: cum dicitur: *ab amico suo.* Nam sicut inimico suo gratiam impendere est magnæ charitatis: ita ab amico misericordiam subtrahere, est magnæ peruersitatis & iniquitatis. Et quia multi sunt, qui de defunctis amicis, & consanguineis defunctis quasi nihil curant, & eorum miseriæ nō subueniunt: dicitur ex persona defuncti in Psalm. 87. *Elongasti à me amicum & proximum & nō. me ami.* Multi enim amicum in miseria & aduersitate derelinquūt: qui ei in prosperitate adhærebāt & fauebant. Et tales faciunt, sicut fecerunt Christo discipuli sui, qui eum ad nuptias comitati sūt, & in passione relicto eo fugerunt, Sene. Mel muscæ: cadauera lupi: formicæ grana sequuntur: prædā sequitur turba ista, non hominē. Et ideò Gregor. ait. Cum quis Positus in prosperitate diligitur, incertum est valdè, vtrum possessor vel prosperitas diligatur: amissio felicitatis vim interrogat dilectionis. Qui enim in aduersitate proximum deserit: apertè cognoscitur, quod hunc in prosperitate non amauit Sed adhuc quidam alii sunt, qui erga amicos vel consanguineos defunctos, crudelius & nequius se habent quia nō solùm tollunt ab eis misericordiam, scilicet eleemosynas de proprio pro eis non faciendo: sed etiam auferunt ab eis iustitiam, legata & eleemosynas, quas pro se fieri ipsi defuncti indicauerunt, diripiendo, vel impediendo vel sibi retinendo. Et de tali conqueritur ipse defunctus dicens illud Iob 27. *Abstulit iudicium meum: & amaritudinem perduxit animam meam.* Tales non sunt amici, sed veriùs inimici. De quibus dicitur Matth. 10. *Inimici hominis domestici eius.*

Psal. 87.

Gregor.

Iob 27.

Mat. 10.

D Tertiò in auctoritate inducta tangitur culpa magnæ fatuitatis: quia amorem Domini talis derelinquit, id est Dei reuerētiam: in quo, & propter quem proximum diligere debet, & ipsi in necessitate subuenire: sed qui timorem Domini derelinquit, fatuus

tuus

tuus est. Stultus enim valdè esset, qui derelinqueret illud, quod excluderet ab eo omne malum, & conferret sibi omne bonum, & talis est, qui timorē Domini derelinquit. Omne enim malum quod habemus, aut est malum culpæ, id est peccatum quo inficimur, aut malum pœnæ quo affligimur. Sed vtrumque malum excludit à nobis timor Domini. Primo malum peccati Ecclesiasti
Eccle. 1. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Quilibet enim illud quod odit, à se conatur expellere, Prouerb. 8.
Pro. 8. dicitur quod *timor Domini odit malum* scilicet culpæ, & ideò non permittit illud intrare in domū cordis. Iterum custodit à malis pœnæ, vndè Ecclesiast. 33. *Timenti*
Eccle. 33 *Deum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit à malis.* August. in sen-
Augu. ten. Prosperi Custodit nos Dominus ab omni malo, non vt nihil patiamur aduersi, sed vt ipsis aduersitatibus anima non lædatur. Item timor Domini confert homini omnē genus boni. Quod est triplex secundùm philosophum, scilicet bonum vtile; delectabile; & honestum, sed per timorem Domini habentur bona vtilia, & temporalia, sicut ait Psal 33. *Timete Deum omnes sancti eius:*
Psal. 33. *quoniam non est ino.ti.eum.* Item bonum delectabile, secundùm
Eccle. 1. illud Ecclesiast. 1. *Timor Domini delectabit cor.* Et in Psal. 30. *Quàm*
Psal. 30. *magna multitudine dulcedinis tua Domine quam ab. ti. te.* Glosa. quam impius non sentit, quia de febri iniquitatis placatum cordis amisit. Item bonum honestum, sicut est lumen gratiæ intrinsecum. Quia vt dicitur Ecclesiast. 34.
Eccl. 34 *Timentis Dominum beata est anima eius.* id est, habebit beatitudinem æternam.

TERTIO in themate assumpto petit defunctus misericordiam, ratione iustitiæ, punitiuæ, quam allegat cùm dicit, *quia manus Domini tetigit me.* Vbi aduertendum, quod manus Domini est iustitia Domini, qui existētes in purgatorio nō occidit, sed tangit grauiter, quinque digitis, id est affligit eos quinque modis, siue quinque pœnis. Nam prima pœna est ex gloriæ retardatione, quam anima à corpore exuta, & ad eam habendam disposita, vehementissimè desiderat habere, & ideò impedita ex sui culpa, grauissimè affligitur, clamans die ac nocte illud. Psalm. 41. *Quando* Psal. 41.
veniam & apparebo ante faciem Domini. Secundus digitus, id est, secunda pœna affligens, est ex ardore ignis crudelissimi. de quo dicit August. in quodam sermone, quod ignis ille durior erit, quā quicquid in hoc sęculo pœnarum videre, aut sentire, aut cogitare quis poterit. Et patet etiā ratione, quia sicut dicitur Sap. 6. Sap. 6.
Fortioribus fortior instat cruciatio: spiritus verò separatus fortior est coniuncto, ergo fortiùs cruciatur. Et præterea, maior est pœna passionis, quàm compassionis, ergò maior est pœna, quàm anima in purgatorio per seipsam patitur, quam pœna quam hîc sustinet corpori compatiendo. Tertius digitus, id est, pœna est ex expectatione, quia à nobis expectant suffragia, cùm ex se nihil possint; & nos parum vel quasi nihil suffragij eis mittimus, & ex goc multum affliguntur, quia *spes quæ differtur, affligit animam.* Prouerb. 13. Quartus digitus, id Prou. 13.
est pœnę modus, est ex pœnitentiæ omissione. considerans enim quod propter modicam pœnitētiam in hac vita voluntariè factam, potuisset euadere tam crudelem pœnam; multùm dolet quod omisit eam. Quintus digitus, id est modus pœnæ est ex aduer-

aduer-

aduersarij irrisione, quia licet dęmones super animas, existētes in purgatorio non habent potestatem, tamē sequuntur eas ad purgatorium deductas, de earum pœnis gaudium ostendentes, & irrisio & exultatio aduersarij, dolorosa est in miseria existenti. De hac ergò manu dicitur. Io.13. *Manum tuam longè fac à me.* Sed post hoc est alia manus, de dextera ad gloriam deducens. De qua Psalm. ait 130. *Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua*, scilicet in æternitate gloriæ. Ad quam nos perducat Deus. Amen.

Io.13.

Psal. 1[30]

¶ Explicita est distinctio quarta: quæ egit de conditionibus hominis iam mortui.

DISTINCTIO QVINTA IN QVA AGITVR DE DIVERSITATE MORIENTIVM IN OFFICIJS: dignitatibus: ætatibus: ſexibus: fortunijs: infortuniis vel meritis defunctorum cuius ſunt ſermones 48.

In funere Domini Papæ.

SERMO. I.

Iudi. 15. SVmmus pontifex de Ieruſalem venit in Bethuliam. Iudith 15. videmus ad ſenſū in corporalibus rebus, quod vnùs & idem motus, propter duos oppoſitos terminos, duorum contrariorum cauſa eſſe poteſt. Sicut patet de occubitu ſolis, in quo ſol à nobis recedens, in noſtro hemiſpherio relinquit tenebroſitatē: ſed, deſcendēs ad locum oppoſitum, inducit ibi luminoſitatem: & ita occubitus ſolis, licet in locis diuerſis, & lumen & tenebras facit. In quo rectè repræſentatur occubitus, id eſt præſens trāſitus mortis ſanctiſſimi patris noſtri, & domini ſummi pontificis. Ipſe enim velut ſol noſter, in cœlo ſine culmine poſitus eccleſiæ militantis, non nobis tantum, ſed etiam toti eccleſię, ſiue mundo, tam ſcientiæ, quam gratiæ lumine præfulgebat. Qui licèt nobis propter ſuū deceſſum, magnam triſtitiæ tenebroſitatem reliquerit: ipſe tamen ad lumen vitæ, atque fruitionem letitiæ tranſijt ſempiternæ. In quo etiam felix tranſitus eius, aſcenſioni ſaluatoris noſtri aſſimiliari potuit: quæ licet ratione receſſus, ſuis, quos relinquebat Apoſtolis fuerit luctuoſa. Sicut enim in ſuo ſermone beatus Bernar. dicit, Quantus putatis fratres, dolor & timor irruperit apoſtolica pectora, cum viderunt Dominum à ſe tolli, & attolli in aëra: & poſt ſubdit: dolor nimiùs erat, quia videbant illum, propter quem omnia reliquerant, à ſuis aſpectibus tolli, vt non poſſent, ablato ſponſo, ſponſi filij non lugere. Timor verò: quia orphani relinquebantur in medio Iudæorum. Veruntamen ſi conſideraſſent apoſtoli, quod ad paternæ gloriæ dexteram conſcendebat: vndè indè omnes aduerſarij ſui ſubderentur ſcabello: ſecuritatis & gaudij materiam inueniſſent: vndè & ipſe Dominus dixit eis Ioan. 14. *Si diligeritis me gauderetis vtique: quia vado ad patrem.* Ioa. 14. Sic etiam tranſitus beatiſſimi patris noſtri: licet reſpectu noſtri, quos reliquit, ſit plurimum luctuoſus, reſpectu tamen ſui, qui ad felicem vitam tranſit, poteſt eſſe gaudioſus. Fuit ergo trāſitus huius ſanctiſſimi patris noſtri, per aduentum ſummi pontificis de Ieruſalem in Bethuliam, de quo in aſſumpto themate agitur, propriè figuratus: cum dicitur, *ſummus pontifex de Ieruſalem venit ad*

Bethuliam.

A In quibus quidem verbis, de quodam patre nostro & Domino, in cuius nunc funere sumus, ad exhortationem & consolationem nostram, describuntur per ordinem tria.

Nam primò quidem, prædicta figura describit nobis quod ad præteritum, excessum dignitatis: quia *summus.*

Secundo officium sanctitatis, quia *pontifex.*

Tertiò quo ad presẽs trãsitũ felicitatis: quia *venit de Ierusalẽ in Bethuliã*, id est de ecclesia militãte, ad ecclesiam triumphantem.

QVANTVM ad primum sciendum est, quod Papa dicitur summus, & respectu prælatorum, & respectu Christianorum, & respectu potestatum siue iurisdictionum. Respectu quidem prælatorum: quia ipse est vertex, & caput omnium tam patriarcharum, quam archiepiscorum, vel episcoporum, vel quorumcunq; Ioan.1. aliorum: vndè Ioan.2. Dominus dixit Petro, cuius vicẽ summus pontifex gerit. *Tu vocaberis Cephas quod interpretatur caput.* Et ideò, sicut Petrus caput erat omnium Apostolorum: ita Papa caput est omnium prælatorum: & omnes debent subesse sibi, sicut & membra capiti. Ex quo etiam apparet vlterius, quod cum prælatorum officium sit, res ecclesiasticas administrare, in administratione ecclesiasticarum rerum, magis obediendum est Papæ, quã cuilibet alteri prelato: imò etiã si viueret Paulus Apostolus, vel quicunque Apostolus alius præter Petrum, magis in administratione prædicta obediendum est papæ, quam ei. Quod patet etiam nunc. Nam Paulus dixit, quod oportet ordinandum sine crimine esse. vt 25.d.§. Nunc autem & tamen auctoritate pontificum episcopi dispensare possunt, in crimine adulterij, & in minoribus, & hoc quia Papa maior est Paulo in administratione vt.24. di §1 Nam Papa est loco Petri vt dictum est, & habetur 24.q.1. quoniam victus, & sicut etiam vicarius Iesu Christi, vt extra de trãsla. inter corporalia: & extra de benefic. ecclesi. si non di. consequ. vt nostrum, & Petrus in administratione maior fuit Paulo vel quolibet apostolo. vt 2. quæst.7. Puto.21. distin. In nouo.

Secundò Papa est summus respectu Christianorum. Nam in quolibet ordine ille dicitur summus, cui omnes alij subsunt, & ipse nulli subest eorum; sed omnes Christiani subsunt papæ, saltem ratione peccati. Vndè Dominus dixit Petro, & in Petro successoribus suis. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatũ, & in cœlis: & quodcunque solueris super terrã, erit solutum & in cœlis,* & nihil excipit, qui dixit quodcunque: vt extra de maiori. & obe. ca. Solite. Papa autem nulli alteri subest viuenti. In casu tamen potest subesse tripliciter alteri. Vno modo propter heresim. Sic enim ab alio & accusari, & iudicari potest: alias autem non 40 di. Si Papa 9. q. 3. Aliorum, Secundò si ipse se submittat iurisdictioni alterius 2. q. 7. Nos si incompetenter. ff. de iurisdi. om. iu.l. est receptum. Tertiò si ipsemet se deponat. vt.21. di. Nunc autem. Tertiò Papa dicitur summus respectu potestatum, siue iurisdictionum. Nam ille maior est dignitate, qui est vniuersalior in potestate. Quod apparet exemplo naturali: quia sol sicut habet virtutem vniuersaliorem quam luna, ita etiam habet naturã digniorem & altiorem, vndè & in altiori loco est positus, quia ordo situum, correspondet ordini naturarum. Papa autem habet potestatem magis vniuersalẽ, quom. ali-

aliquis aliorum. Nam imperator licet habeat potestatẽ super laicos in temporalibus, non tamen habet in spiritualibus. Sed Papa habet vtranque potestatem, & vtrunque gladium habet. 63. di. Tibi Domino. Vnde & reges deponit. 16. qu. 6. Alius. & ca. Nos sanctorum. & ca. Iuratos. 1. qu. 4. Quia præsulatus 96. di. Duo sunt & non solum regnum constituit, imo transfert. extra de elec. Venerabilem. imo etiã imperatorẽ electum Papa habet approbare electionem confirmare, vel infirmare, & ipsum confirmatũ etiam consecrare. Et hæc omnia probantur in prædicta decretali. Venerabilem. Item etiam Papa imperatorem deponere potest. Si enim Zacharias Papa regẽ Francorum, qui à Romano pontifice coronam non recipit, nec per eũ examinatur, nec approbatur, ab eo, vel reprobatur, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, à regno deposuit, & alium loco eius instituit. 15. q. 6. Alius multò fortius imperatorem, qui specialius subest ei, poterit remouere. 96. distinctio. Duo sunt & ca. Si imperator. Ad talem ergò summum apicem dignitatis, per legitimæ electionis consensum, iste noster defunctus pater peruenit: & summi pontificatus cathedram, tot annis laudabiliter tenuit, cum vigilanti cura, commissum sibi ex diuina prouidentia regimen, exercendo: ita vt ad ipsum referri possit quod dicitur 1. Macha. 14. *Consenserunt eum esse summum sacerdotem, & vt constitueret præpositos.* 1. Mach. 14.

E In quibus verbis pontificatus ex tribus commendatur.

Primò ex legitima electione, cui *consenserunt*, scilicet veri & legitimi electores.

Secundò ex sublimissima prælatione: scilicet *esse summum sacerdotem.*

Tertiò ex prouisa gubernatione, quia prouiderũt de gubernatore idoneo: cui scilicet *cura esset, &c.*

Ostenditur ergò primò, ad summi pontificatus apicem peruenisse per legitimam electionẽ, quia consenserunt veri & legitimi electores, scilicet Domini Cardinales: consenserunt, inquam, liberaliter; absque muneris cuiusquam receptione, vt excluderetur omnis simonia: propterea quod simoniacus consensus in electionibus, inducit reatum magnũ, non tam in dantibus cõsensum, quam etiam in recipiente. Vndè de sic electo vel eligentibus, dicit Deus Leui. 20. *Succidam ipsum, & omnes qui consenserunt vnanimiter sine dissensione,* vt excluderetur pertinax discordia: Leu. 20. quæ tamen sicut scitis electionem non impedit, dummodò duæ partes consentiant electorum, scilicet dominorum Cardinalium: aliàs non valeret electio, vt extra de electionum. Sed elegerunt quoque prudenter, & cum discretione, vt excluderetur scilicet indeliberata improuidẽtia; & hoc, quia consenserunt in hominem probum, iustum, litteratum, & vndequaque idoneum ad summam dignitatem: ita verè poterint dicere illud Psalm 54. Psa. 54. *In domo Dei ambulauimus cum consensu,* scilicet liberali, concordi, & prudenti.

Secundò quoque in auctoritate inducta commendatur status præteritus sanctissimi patris nostri, ex sublimissima prælatione: quia constat eum fuisse summum sacerdotem. Circa quod aduertendum, quod sacerdotes dicuntur quasi sacra dantes, id est dispensantes: sunt enim dispensatores sacramentorum. Vndè & ille, qui est principalis, & summus sal-

sacramentorũ dispẽsator;hic dicitur sũmus sacerdos:&hic inter fideles est vnus tãtũ, scilicet papa. Quod enim per superabundantiam dicitur, vni soli, convenit, prout philosophus dicit,summus autem dicit superabundantiam, & ideò tantum vnus est summus sacerdos super omnes sacerdotes,qui sunt in terris: qui scilicet est vicariusChristi,qui fuit sacrorum Dominus. Papa autem qui est eius vicarius,non dominus est vt Christus:sed principalis dispẽsator ipsius. Est enim quodammodo maior homine, sed minor Deo,extra de transla. Inter. Vndè ipse summus est inter omnes sacerdos, habens plenitudinem potestatis. Alij vero in parte sollicitudinis 2.q 6. Decreto. & ca. Qui se scit Quod autem papa sit principalis, & summus dispensator sacramentorum, ex hoc euidenter apparet: quia in omni sacramentorum genere, sunt aliqua sibi soli reseruata, ad quæ nulla aliorum sacerdotum potestas aliquatenus se extendit. Ad cuius euidentiam est notandum, quod tria dicuntur esse genera sacrorum. Sunt enim sacra signa: sacra mysteria:& sacra opera. Sacra namque signa dicuntur sacramenta: quia sacramentum est sacræ rei signum. In sacramentis autem aliquid potest papa, quod nullus alius potest. Verbi gratia primò,quo ad sacramẽtorum ordinis: quia ipse solus ordinat diaconum, quem ordinauit subdiaconum, extra de tempo. ordi. & quali. or. Cum in distribuendis. Item ordinat eodẽ die quo cõsecratur extra de elect. Quod sicut. §. Super eo. & ipse solus dispensat cum eo, qui excommunicatus celebrauit,vel recepit ordines 11 q.3. Si quis episcopus. Item solus potest conferre ordinem diaconatus die dominico, & alijs præcipuis festis. Item quo ad sacramentorũ confirmationis: quia solus potest committere sacerdoti, quod chrismet siue confirmet: quia hoc pertinet ad perfectionem ordinis mystici, super quod habet papa plenissimã potestatem: vt sanctus Thomas de Aquino dicit.Item quo ad sacramentum matrimonij: quia quo ad multos casus dispensare potest, & potest artare,& laxare impedimenta: extra de consangui. Nõ debet. Itẽ sunt sacra mysteria sicut mysteria fidei,vel sacræ scripturæ,Nã sacra scriptura, est scriptura fidei. Determinare autẽ vel declarare ea,quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneãtur,hoc pertinet ad auctoritatem summi pontificis: ad quem maiores, & difficiliores quæstiones ecclesiæ referuntur,prout dicitur in decre. Vnde & Dominus Lucæ 22. Petro dicit, quem summum pontificem constituit. *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquandò conuersus, confir. fra. tu.* Et ideò propriè ad ipsum summum sacerdotem,referri potest quod dicitur Mala. secundo. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Item sunt sacra opera, sicut vota, peregrinationes, animarum absolutiones,religiosorum professiones & sanctorum canonizationes & similia. In quibus omnibus, habet papa super omnes sacerdotes singularẽ potestatem. Nam ipse solus potest votum Ierosolymitanum commutare,& solus potest concedere, vt quis veniat contra votũ licitum, vel de quo dubitatur an sit licitum. Primum probatur extra de rescriptis, & extra de iureiurando. Veniens. Secundum probatur extra de electio. Venerabilem. Ipse quoque

Luc. 22.

Mala. 2.

1. Mac. 14.

que solus potest dare absolutionem, & dispensationem cum eis, qui inciderunt in canonem: in quibus papæ reseruata est auctoritas, & solum excommunicatum à se absoluere. extra de electio. Venerabilem. Ipse solus prohibet professionem in religione infra. 18. annos, extra de regularibus. Quod in insulis, quod tamen ibi speciale est, propter loci asperitatem: secus est alibi: quia profiteri possunt post tẽpus pubertatis, tam masculi quam feminæ, duodecima questione prima, capitulo primo & questione secunda. Si in qualibet, & ca. Puella, & quod intrans potest exire libere infra annum extra de regu Statuimus. & si interim fiat processio, non valet, vt in nouella Inno extra de regula. Non solum. Ipse quoque solus ascribi facit canonizatos cathalogo sanctorum. Et ita patet quomodo est principalis, & summus dispensator sacrorum, & dator. Et ideò non immeritò summus sacerdos vocatur, tanquam successor Simonis, id est Petri. Et figuratus est in illo Simone Machabæo, de quo dicitur. 1. Machabe.
1.Mac. 14. decimo quarto. *Audierunt quod Simon factus esset summus sacerdos.* Sed videte mutationem mirabilem: quia iste qui heri viuẽs, erat summus, hodie mortuus, factus est infimus: & qui heri regebat orbem, hodie factus est vt redigatur in vilissimum puluerẽ, vndè beatus Bernar. bene monebat Eugenium papam, dicens in libro de consideratione. *Videns te esse summum sacerdotem: cogita pariter te futurum in vilissimũ puluerem.* Sed adhuc tertio, in auctoritate inducta commendatur præsulatus ipsius, ex prouisa gubernatione: quia prouidè electus est ad summum pontificatũ, vt esset illi cura de sanctis, vt cõstitueret præpositos. Quia enim salus populorum fideliũ, ex manu ecclesiarum dependet, seu ministrorum ecclesiæ, & ministrorum salus ex sufficientia prælatorum; ideo summo pontifici specialior cura debet esse de sanctis, id est: de clericis, & ministris ecclesiæ qui sancti esse debent, quia ipsi specialiter sunt electi, vt diuinis sint ministerijs mancipati, vndè. Nu. 17.
Numeri decimo sexto dicitur de Leuitis, qui clericorum gerebant figuram. *Sanctos applicabit sibi: & quos elegerit appropinquabunt ei.* Et tales clericos & ministros, debet etiam summus pontifex suo collegio, & consortio seu ministerio applicare, non simoniacos: non fornicarios; & non immundos & peccatores: sed sanctos. Debet etiam eidem summo pontifici specialior esse cura ad præpositos: id est episcopos, de quibus dicitur primo Thimothei tertio, quod oportet episcopum esse modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum. Debet enim tales instituere præpositos in ecclesijs, id est episcopos vel prælatos: de quibus non posset dici illud secundò Esdræ octauo. *præpositi & magistratus, participes erant iniquitatis.* Esdræ. 8
Sed potius tales debet instituere, vt possit dicere ecclesijs vel ciuitatibus, quibus concedit episcopos, illud Esaiæ sexagesimo. *Ponam visitationem tuam pacem: & præpositos tuos iusticiam. Non audietur vltra iniquitas in terra tua: vastitas & contritio in terminis tuis.* Et talis profectò fuit cura, & sollicitudo ipsius peruigil, quantum in eo fuit. Esa. 66.

D SECVNDO, quod describitur in themate assumpto, est officium sanctitatis, quod habuit Dominus noster dum viueret: scilicet quia *pontifex fuit.*

Pontificatus enim requirit omnimo-

nimodam sanctitatem. Et ratio huius est: quia omne agens agit sibi simile, prout philosophus dicit. Hoc enim in naturalibus præsupponit perfectionem naturæ: quia tunc vnumquodque perfectum dicimus: quandò potest tale alterum facere, quale ipsum est: sicut dicimus perfectum esse hominem, quandò hominem generare potest. Hoc ergò quod in naturalibus videtur esse necessitatis, scilicet quod agens agat sibi simile: in moralibus & spiritualibus est congruitatis. Licèt enim sacerdos immundus, peccatores possit mundare, abhibendo sacramenta quæ mundant, vt est baptismus vel pœnitentia; quæ non in virtute sacerdotis immundi, sed ex virtute Dei, qui mundissimus est, habent purificare. Propter quod etiam Augusti. dicit, quod in ipsis sacramentis nihil minus à malo & nihil amplius à bono percipitur sacerdote: Et debito tamen congruitatis est, vt studeat ipse mundus esse, qui alios debet mūdare: alioquin mortaliter peccat, dum actum sibi incongruum agere præsumit. Et idcirco congruum est & debitum, vt pontifex qui alios habet consecrare & sanctificare, sit ipse sanctus perfectè. Et hoc est quod
Heb 7. Apostolus Hebre. 7. dicit. *Talis decebat vt nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Sanctus* in mente: *innocens* in opere: *impollutus* in carne: & *segregatus à peccatoribus* ex munda conuersatione.

TERTIO describitur in themate de isto patre nostro defuncto, transitus felicitatis: quia de Ierusalē venit, in Bethuliam. De isto autem transitu tria considerari possunt.

Primò terminus recessus quia *de Ierusalem*.

Secundò terminus motus medius: quia *venit*.

Tertiò terminus accessus: quia *in Bethuliam*.

¶ Terminus ergò recessus fuit Ierusalem: per quam præsens ecclesia designatur. Primò ratione veritatis: quia vidilicet veritas fidei, non inuenitur extra catholicam ecclesiam. Et ideò dicitur Zacharia. 7. *vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis*: quæ veritas introducta est per sanctorum Apostolorum doctrinam: vndè eis dictum est Actuum. 5. *Replestis Ierusalem doctrinâ vestrâ*. Et ideò ista est doctrina veritatis, à qua qui discordat, à veritate discordat & errat. Secundò ratione sanctitatis: quia sacramenta, per quæ homo purificari & sanctificari debet, non sunt nisi in ecclesia Christi, vndè Apoc. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem*. Tertiò ratione libertatis: quia qui facit peccatum, seruus est peccati, & vlterius seruus diaboli; vndè expulso peccato, efficitur homo liber ab vtraque seruitute. Sed non sunt remedia ad expellendū peccatum, nisi in ecclesia Christi 1. *Macha*. 10. *Ierusalem sit sancta & libera*. In hac ergo Ierusalem, habebat iste pater noster summam potestatem secundum illud Ecclesiast. 24. *In Ierusalem potestas mea*. Sed videte quod ista potestas breui tempore durauit: quia *omnis potentatus breuis vita*: vt dicitur Ecclesiast. 10. & nunc ex toto per mortem annihilata est. & quantum ad honores, & quantum ad diuitias, & quantum etiam ad delitias, & qui primò videbatur omnium habere potestatem, nullam potuit contra mortem habere defensionē: secundum illud Ecclesiast. 8. *Non est in hominis ditione prohibere spiritum: nec habet potestatem in die mortis: nec sinitur quiescere ingruente*

Zach. 7. · Apo. 21. · 1. Mac. 10. · Eccl. 24. · Eccl. 10. · Eccl. 8.

ante bello: neque saluabit impietas impium. Secundò tangitur secundùm ordinem auctoritatis, id est thematis, motus medius, quia *venit.* Nos videmus in igne, quòd durante materiâ combustibili, durat ardor eius, & flammæ splẽdor: sed deficiente materia & ardore deficit lumen & splendor. Sic fuit in isto patre nostro: quia durante valetudine corporis, & vita, splendebat toti mundo gloria & honore: nunc autem de sancto corpore extincta corporali vita, omnis splendor deficit pariter gloriæ mundanæ. Ezech.

Eze. 7. 7. *Finis venit, venit finis.* Finis venit scilicet vitæ: venit finis omnis mundanæ gloriæ: sed quia homo ignorat finem vitæ suæ: id est mortis suæ tempus: ideò frequẽter ex insperato mors superuenit, & imparatum inueniens, ad inferni supplicia ducit, secundùm illud Thes. 5. *Dies Domini sicut*

The. 5. *fur in nocte ita veniet.* Tertiò tangitur terminus accessus quia venit in Bethuliam. Bethulia enim secundum Hiero. interpretatur vno modo modus dolens Domino, & quã tum ad hoc signat statum pænalẽ purgatorii, quia qui ibi sunt, in doloribus quippe sunt quamdiu sint purgati. In doloribus dico sunt, tam grauis & afflictiuæ pœnæ: vt beatus Grego. testificatur,

Grego. quod excedit in acerbitate, quicquid in hoc seculo pœnarum videre, aut sentire aut cogitare quis possit. Vndè verè potest dicere anima, quæ illa pœna purgatur, nobis qui viatores sumus illud Thren. 1.

Thre. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus.* Et dicitur esse dolens Domino quia propterea est dolor ille seu pœna vt Domino satisfaciat de pœnitentia hic nõ completa, aut certe pro venialibus culpis, sed tamen secura est anima, quæ cruciatur in illa pœna, postquã purgata fuerit, quod ibit ad vitam æternam. Possunt tamen nostris suffragijs, scilicet eleemosynarũ, missarum, & orationum, ab illa, quæ ibi sunt, citius liberari. Vndè si forte anima istius nostri patris defuncti, pro aliqua dictarũ causarum venisset ad istam Bethuliam, id est, ad illam pœnam vt ibi purgaretur, certè debemus sibi compati, & eam aliquo suffragio quilibet adiuuare, vt ipse postea adiuuet nos versa vice, cũ peruenerit ad vitam æternam.

Sed heu, quam multi frequenter, qui deberẽt esse pleni aqua compassionis & pietatis deficiunt, & non curant iuuare eos, qui in tali Bethulia, id est qui in talibus purgatorij pœnis & doloribus commorantur. In cuius figura dicitur Iudith. 7. *quod defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnibus inhabitantibus Bethuliam.* Iud. 7.

Sed adhuc alio modo Bethulia secundum Hiero. interpretatur manens in Deo: & quantum ad Hiero. hoc signat statum beatorum, qui sunt in paradiso, qui semper in Deo manent eius visione beata, atque fruitione gaudentes: & hæc est vita æterna. Vndè. 1. Ioan 2. Ioa. 1. Vos in filio & patre manebitis. Et hæc est repromissio, quã ipse pollicitus est nobis vitam æternam. Considerata igitur vita virtuosa, & laudabili, quam hic sanctissimus pater noster duxit: insuper laudabili, & deuotissimo fine, quem nunc in obitu habuit, pietatis æstimari potest, quod aut iam ad Bethuliam prædictã peruenerit, aut citò sit peruenturus. Ad quam etiam nos si tandem peruenire appetimus, victores nos esse oportet vitiorum, & tẽtationum malarum, & impiarum cupiditatum etiam mundanarũ. In cuius figuram scriptum est Iudith decimo quinto, quod hi qui

victores extiterāt,reuersi sunt ad Bethuliam : id est ad vitam æternam, à qua per peccatum receditur,& per victoriam peccati reditur. Ad quam Deus nos perducat,&c.

In funere summi pontificis de eius obitu.

SERMO II.

Nu.27. *Pater noster mortuus est.* Nu.27. Plerumque videmus, quod vis amoris est hominibus causa doloris : quia quantò quis plus quod habet diliget,tantò de eius amissione plus dolet : sed pater plus diligit vnigenitum, quam si plures haberet.ideò de eius morte amplius dolet, & amarius luget. Propterea Dauid amare plo-
2.Re.1. rans mortem Ionathæ, quē multum diligebat, dicebat 2.Regum 1. *Doleo super te frater mi Ionatha, decore nimis,& amabilis super amore mulierum. Sicut mater vnicum amat filium suum: ita te diligebam.*
Iere.6. Propterea etiam dicitur Ieremiæ.6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* vndè amor est causa doloris. Debent autem filij patrem suum naturaliter amare.
Mala.1. Vndè dicitur Malach.1. *Si ego pater vbi est amor meus*, id est,quo me debes diligere. Et ideò etiam naturale est, quod de morte patris filij doleant,& luctum faciāt. Sed sicut ad dolendum & lugendum de morte patris carnalis, monet amor naturalis: ita ad dolendum & flendnm de morte patris spiritualis, mouere debet amor charitatis. Et de vtriusque patris luctu & dolore, exempla
Genes. patent in scriptura diuina Nam quantum ad patrem carnalem, prout legitur Genes.50. Mortuo Iacob in Ægypto fleuerunt eum filij eius,simul cum Ægyptijs 70. diebus: & in exequijs suis in terra Chanaam,vbi sepultus est. plāxerunt eum ploratu magno septē diebus. De patre verò spirituali patet exemplo Moysi vel Aaron : quia mortem Moysi fleuerūt filij Israel in campestribus Moab triginta diebus,sicut legitur Deuteronom. vltimo. Et in morte Aaron, qui erat summus sacerdos, & pater spiritualis, legitur Nu.20. Numer.20. quod fleuit eum omnis multitudo filiorum Israel triginta diebus. Et idcircò thema propositum annuncians nobis mortem sanctissimi, & spiritualis patris nostri summi pontificis, excitat nos ad effectum amoris, ex eo quod commemorat ipsius paternitatem,cum dicitur : *Pater noster* : & præbet insuper occasionem doloris ex eo, quod annunciat eius mortem dicēs: *quia mortuus est*, ergò pater noster mortuus est.

In quibus quidem verbis scriptura sacra tria insinuat de ipso. A

Nam primò quidem innuitur officium dignitatis in eo, quod dicitur *pater.*

Secundò verò exprimitur affectus charitatis in eo, quod dicitur: *noster.*

Tertio verò pandit defectum corruptibilitatis:quia dicit, quòd *mortuus est.*

CIRCA primum attendendum est, quod tanta est excellentia dignitatis in ecclesię Romanæ pontifice, quod non solum pater vocatur, sed etiam dicitur papa,quasi pater patrum. Et ratio est : quia est vicarius Dei, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur : sicut dicitur Ephes.3. Veruntamen quia papæ paternitas non est per carnalem generationem, sed per prælationis iurisdictionem: illorum papa propriè dicitur pater, qui eius iuris-

iurisdictioni subdũtur: id est eorum, qui sunt de ecclesia Iesu Christi. Sicut ergò Abraham fuit pater generalis totius populi Israëlitici: ita papa est pater generalis, sed tamen speciliater populi Christiani; qui fuit in ipso populo Israëlitico figuratus. Et ideò potest dicere papa illud Hierem. 31. *Factus sum Israeli pater.* In quibus quidem verbis, nota tria de Romano pontifice. Hier. 31.

Primò personæ promotionem, quia *factus sum.*

Secundò ecclesiæ præfigurationem: in eo quod subditur *Israëli.*

Tertiò curæ dispensationem: quia *pater.*

¶Nam sicut ad patrem carnalem, pertinet cura totius familiæ, & dispensatio rerum domesticarum: ita ad papam pertinet cura totius ecclesiæ, & dispensatio ecclesiasticarum rerum. Dicit ergò quo ad primum: *factus sum.* Vtinam possit dicere qui electus erit in summum pontificem, sicut poterat in primitiua ecclesia. *Factus sum*, scilicet ex inspiratione diuina. In primitiua namque ecclesia, quando fieri debebat electio, conueniebant electores ad eligendum pontificem, non ambitione, non ex emulatione, non ex coactione vt oporteret eos violenter intrudi sicut oportet modò propter dissensionem: sed solùm ex zelo Dei, & conscientiæ bonæ impulsione: idcircò inspirabantur à Deo, imò nonnunquam visibiliter apparebat spiritus sanctus in specie columbæ, ad ostendendum eum, qui erat eligendus: sicut legitur in chronicis de beato Fabiano. Vndè fiebant pontifices homines discreti, homines conscientiosi, & homines mirabilium operatiui. Quod quidem quandocunque acciderit posset dici de tali electo pontifice, illud Genesis secundo. *Spirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem.* Gen. 2. Spirauit scilicet Deus in faciem eius, scilicet ecclesiæ id est in collegium electorum summi pontificis, scilicet cardinalium. Quorum collegium rectè facies dicitur, ex eo quod facies est eminentior, & nobilior pars corporis: & sic eminentior, pars ecclesiæ, & etiam nobilior, est ipsum collegium cardinalium. Vndè in ista facie debet esse visus prouidentiæ: auditus obedientiæ: olfactus prudentiæ: os eloquentiæ: dentes iustitiæ: & gustus etiam sapientiæ. Debet etiam esse munda hæc facies à macula auaritiæ: luxuriæ: & superbiæ. Alioquin dicetur ecclesiæ, faciem tuam laua. Nec dubium quòd si benè esset munda hæc facies, quod susciperet, ad eligendum pastorem idoneum, à Deo spiraculum vitæ: ita quod fieret pastor, qui esset homo in animam viuentem; qui esset inquam homo, non brutum per insipientiam, & habens animam, id est conscientiam, & esset viuens non mortuus. Et talis esset idoneus & dignus ecclesiæ, pontifex, scilicet qui esset discretus, qui esset conscientiatus, qui esset viuus, quia vita secundũ philosophum ex motu manifestatur & sensu. Et sic viuentem oportet esse pontificem, quod sentiat subditorum defectus, & moueatur ad eorum profectus. Secundò nota in auctoritate inducta, ecclesiæ præfigurationem: cùm dicitur *Israëli:* quia per Israëlem significatur ecclesia, id est fidelium Christi populus cui iste noster Dominus defunctus, hactenus fuit pater & pastor.

Est autem triplex ratio, quare Israël significat statum ecclesiæ. B

Primò ratione pugnæ.
Secundò ratione victoriæ.
Tertiò ratione hereditatis promissæ.

Hoc enim nomen Israël impositum fuit Iacob, post luctam & victoriam quam habuit de angelo, in itinere existens quandò ipse Angelus dixit ei Genes 32.

Gen.32. ¶ *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum: sed Israel, Quoniam si contra Deum fortis fuisti: quanto magis contra homines prævalebis?* Et in hac lucta & victoria figuratur impugnatio, quam debebat habere populus Israël, ne ingrederetur terram promissionis, & etiam victoria, quam debebat contra hostes habere. Et vlteriùs figurabatur in hoc, impugnatio ecclesię Christi, & victoria de inimicis.

Primò ergò de impugnatione vnum exemplum figurale ponamus. Dicitur enim Exod.17. sic, Exod.17 *Venit Amalech & pugnauit contra Israël in valle Raphidim.*

Ista est figura impugnationis ecclesiæ, quæ impugnata est à mundo persequente, vel quam nunc quotidie patitur in suis fidelibus, à diabolo tentante. Nam Amalech interpretatur lambens sanguinem, & significat infideles, & tyrannos mundi, qui sitientes sanguinem fidelium, & qui fidem ecclesiæ persequentes, multorum martyrum sanguinem effuderũt. Nunc autem signat diabolum: quia canis quando lambit parapsidem, vel incisorium vacuum: ostendit quod ardenter desideret cibum. Vndè qui nimis ardenter cibum appetit, & quærit: dicitur esse leccator. Sic ergò, quia diabolus damnationem nostram, quasi cibum ardenter desiderat: leccetor, seu lambens vocatur: quia ipse totus ardet desiderio mortis nostræ, & ideò modum aquilæ habet. De qua dicit Iob 39. Iob 39. *quod pulli eius lambunt sanguinem.* 2.Re.21 Habet etiam modum canum. De quibus 2.Regum 22. *Linxerunt canes sanguinem eius.* Vndè potest dici de diabolo, quod sanguinem sanctorum sine intermissione sitiebat. Sed sequitur in isto Amalech, quod impugnabat Israel. Israël interpretatur vir videns Deum, quod signat fideles ecclesiæ, qui vident Deum per fidem, & qui sunt de parte Dei: & idcircò à Diabolo acriùs impugnantur, quam qui sunt de parte diaboli. Nam rex non pugnat contra homines suos, sed contra homines aduersarij sui. Sic nec diabolus contra infideles, vel malos, qui sunt in dominio suo, quia illos oppugnare negligit, quos quieto iure possidere se sentit, vt dicit Gregor. sed contra illos pugnat, qui sunt de parte Dei, & qui non curant de regno diaboli 3. Regum 22. *Rex autem Syriæ*, scilicet diabolus, *præcepit principibus curruum dicens. Non pugnabitis contra maiorem vel minorem quempiã, nisi contra regem Israël solum.* Numeri 21. Chananeus qui interpretatur æmulator, id est diabolus, qui inuidet homini, pugnauit contra regem Israël. Sed sequitur *in valle Raphidim* quæ interpretatur dissolutio fortium. Hac enim intentione impugnat diabolus, vt dissoluat fortitudinem hominis, & eum prosternat. Solet dici, quandò vnus luctatur cum multis, & plures fortes prosternit: iste est bonus luctator. Sic diabolus multos prosternit, qui tamen essent fortes si vellent: sed ipsi cadunt propter suam miseriam, & pauci fortes inueniuntur hodiè. Ideò diabolus multos eleuauit in solio superbiæ: alios prostrauit caro in lucta luxuriæ: alios inclusit mundus in foueam auaritiæ 2.Regum 1. 2.Re.1 *Inclyte tui Israel super montes tuos inter-*

Ama. Greg. 3.Re.22 Num.21

interfecti sunt. Et sequitur. *Ceci-*
runt fortes in prælio. Vndè diabolus
habet fortissimum luctatorem, s.
mulierum concupiscentiam: quæ
etiam fortissimos prosternunt, &
occidunt. Prouerb.7. *Multos vul-*
neratos, scilicet per consensu, *deie-*
cit, scilicet in peccatum actuale:
& fortissimi quique interfecti sunt
ab ea. Et fortissimus corpore vt
Sampson: & fortissimus animo
vt Dauid: & sapientissimus etiam
Salomon. Secundò Israël signi-
ficat ecclesiam Christi, ratione
victoriæ: quia solis fidelibus, qui
sunt in ecclesia, data sunt arma
potentia, ad expugnandum &
vincendum diabolum, & pecca-
tum. Et hæc figura tangitur. Exo.
Exod 17 17. vbi dicitur. *Cum eleuaret Moy-*
ses manus vincebat Israel. Vbi tan-
gitur triplex armatura, quæ fa
cit hominem potentem, ad dia-
bolum vincendum. Prima est fi
dei firmitas: quam significat Is-
1.Pet.5. raël: qui interpretatur videns
Deum scilicet per fidem 1.Petr.5.
Aduersarius vester diabolus tan
quam leo rugiens, &c. Alia arma-
tura est sacramentalis gratiæ pu-
ritas: quam significat Moyses, qui
interpretatur sumptus ex aquis.
scilicet baptismi vel pœnitentiæ,
quibus purgantur peccata. Tertia
armatura est boni operis assidui-
tas, quam signat manus. Vbi no-
ta, quod in manu sunt quinque
digiti. Primus est pollex qui po-
test dici à pollicendo, & signat
spem, quæ eleuat respectu super-
norum. Secundus est index, & si-
gnat mortem, quæ nos facit re-
silire à peccatis, propter pœnam
æternorum suppliciorum.
Tertius dicitur medius, qui est
eleemosyna data pauperibus, quæ
est mediatrix inter nos & Deū.
Quartus est medicus, qui signat
ieiunium, quod carnem domat,
animam conseruat, & pestes ani-
mæ eneruat.

Quintus est auricularis, qui po-
nitur in aure, & signat orationē,
quæ in aures Domini intrat.
Leuemus ergò digitos istos, & ita
vincemus diabolum. Psalm.143. Ps.143.
Qui docet manus meas ad prælium:
& digitos meos ad bellum. Tertiò
nota in auctoritate inducta, & di-
uisa superiùs, curæ dispensationē:
quia pater est ad quem principa-
liter pertinet cura, & dispensa-
tio totius domus, id est totius
ecclesiæ. Sed aduertendum est,
quod paternitas siue pater, tria
importare videtur; scilicet prio-
ritatem, vnitatē: & communica-
bilitatem. Prioritatem quidem;
quia pater est naturâ prior filio,
imò etiam tempore in homini-
bus: quia sicut præcedit filiū or-
dine naturæ, ita debet præcedere
etiam exemplo vitæ: vndè debet
esse talis, quod opera eius virtuo-
sa sint filijs in exemplum.
Propter quod Dominus dixit Iu-
dæis. Io.8. *Si filij Abrahæ estis:*
opera Abrahæ facite. Hoc autem Io. 8.
præcipuè cōpetit patri spirituali,
& maximè summo pontifici, qui
omnium pater est: & ideò omni-
bus dare debet exempla benè vi-
uendi, ita quod mereatur dicere
cuilibet Christiano illud Hier.3. Hiere.3
Patrem vocabis me: & post me in-
gredi non cessabis. Itèm pater im-
portat vnitatem, quia benè po-
test vnus pater, plures filios habe-
re, sed non potest vnus filius ha-
bere plures patres, scilicet natu-
rales: sicut etiā ecclesiæ filij vnū
tantùm habent patrem generalē,
& spiritualem in terris. scilicet
summum pastorem, quia Chri- Io.10.
stus dixit Iudæis Ioan.10. *Alias*
oues habeo quæ non sunt ex hoc oui-
li: & illas oportet me adducere, &
vocem meam audient, & fiet vnum
ouile & vnus pastor: & ille pastor
est pater omnium. Vndè dicitur
Matth.23. *Vnus est pater vester.* Mat.2
Et sicut iste est pastor & pater
vnus

vnus;ita etiam debet filiorum, id est christianorum, non diuisiuus esse, sed iūctiuus, & pacificatiuus, vt sequatur exemplum Christi: qui etiam mori voluit, vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum, prout dicitur. Ioan. 11. (Ioan. 11.) Item pater importat communicabilitatem: quia scilicet per generationem communicat filio suum esse, & insuper per gubernationem cōmunicat bona sua, dando alimenta, vestimenta, & alia necessaria. Sic summus pastor & pater, esse spirituale & virtuosum, quòd in se habere debet etiam filijs suis & subditis communicare debet, per doctrinam & bona exempla: & insuper prouidere pauperibus abundanter & alimenta, & vestimenta, & alia necessaria: sicut faciebat B. Gregorius (Gregor.), ita vt possit dicere finaliter illud Iob 29. (Iob 29.) *Pater eram pauperum.*

SECVNDO in themate assumpto, potest notari de isto sanctissimo patre, affectus charitatis: quia *noster:* scilicet propter affectum charitatis ad nos, ita vt verè dicere sibi potuerimus illud Esa. 63. (Esa. 63.) *Tu enim pater noster es, pater* scilicet prælatione: sed *noster* affectione, & etiam humilitatis subiectione. Fuit ergò nobis pater, paternitate prælationis. Vndè Deut. 32. (Deut. 32) *Ipse est pater tuus qui possedit te:* scilicet iure prælaturæ. Et ideò si obedire tenemur parentibus carnalibus, multò magis summo patri spirituali. Hebræor. 12. (Heb. 12.) *Patres carnis nostræ habuimus eruditores, & obediebamus eis:* aliàs reuerebamur eos. *Non multo magis obtemperabimus patri spirituum,* id est spiritualium filiorum. Sed vlteriùs iste pater dicitur esse *noster*, ex spirituali affectione, in qua non solùm erat vt pater, sed etiam vt amicus: ita vt dici possit de ipso illud Ioan. 11. (Ioan. 11.) *Amicus noster dormit:* scilicet dormitione mortis, quæ assimilatur dormitioni, propter quietem à labore, & propter spem excitationis, id est futuræ resurrectionis à mortuis. Potuit etiam dici *noster* ex humilitatis reputatione, quia quamuis esset Dominus, tamen reputabat se seruum omnium seruorum Dei, & hic est communis titulus in litteris summorum pontificum: & quantùm ad hoc non differt à seruo, cùm sit Dominus omnium. Sic ergò summi pontifices debent esse vt serui, in sui reputatione: sed tamen Domini sunt dignitatis prælatione. Iuxta illud Threnorum 5. (Tren. 5.) *Serui dominati sunt nostri.* Vndè & quidam dixit. Erant tibi Roma olim Domini Dominorumq; serui seruorum, nunc dominantur tibi. Vndè debent esse solliciti pro subditis, sicut serui pro dominis. Marci 10. (Marc. 10) *Quicunque voluerit inter vos primus esse: erit omnium seruus.* primæ Corinth. secundo (1. Cor. 2) *Omnium seruum me feci.*

D

TERTIO quoque in themate assumpto, notatur defectus corruptibilitatis: quia *mortuus est.* Vbi notandum, quòd sicut medicina amarissima, de se non est appetibilis, nisi in quantum perducit ad sanitatem; nec pugna, nisi perducat ad victoriam: sic nec mors est appetibilis, cùm sit malum naturæ, & priuatio vitæ; nisi solùm quantum perducit ad meliorem vitam: & hæc est vita beata quæ in solo Deo habetur. Et quia piè credere possumus, quod hic pater noster sanctissimus, qui nunc defunctus est; ad illam beatam vitam, vel iam transierit, vel saltem citò sit transiturus: ideò possit nobis lugentibus dicere illud Galat. 2. (Galat. 2) *Mortuus sum vt Deo viuam.* In quibus quidem verbis, duo nobis de suo statu insinuat.

Nam

Nam, primò quidem oestndit, se pertransisse terminum vitæ tẽporalis, siue naturalis: cùm dicit *mortuus sum.*

Secundò verò insinuat, se peruenisse ad præmia vitæ immortalis: cùm subdit, *vt Deo viuam.*

¶ Circa primum notandum est ad hoc, quod ex eo quòd est mortuus, assecutus esse creditur triplicem libertatem.

Primò quidem libertatem à peccato: quia non potest à peccato de cetero maculari. Nam quamdiu anima est in corpore corruptibili, habet voluntatem vertibilem ad bonum, & ad malum: nec est aliquis in carne viuens, qui possit ex toto absolui à peccato, nisi per gratiam specialem, sicut beata Virgo Maria fuit. Et ratio huius est; quia licèt voluntas non possit cogi à carne, tamen quia multùm inclinatur ab ea propter vehementes passiones, quas homo à corpore patitur: voluntas ad malum impellitur. Propter quod dicit Apostolus Romanor. 7. *Infelix ego homo quia me liberabit de corpore mortis huius*: id est peccati, & propter talem impulsum nullus est qui possit carere peccato. Vndè 1. Ioan. primò. *Si dixerimus quia peccatum non habemus: ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* Sed ab hoc liberamur per mortem; quia si homo sine peccato decedit, ita confirmatur in bono, quod non potest flecti ad malum. Illi enim qui moriuntur, aut sunt boni, aut sunt mali. Sed post mortem, sicut dicit Augustinus bonis voluntas, malis verò facultas non potest esse peccandi: & ita mortui ampliùs peccare non possunt, & ideò etiam in damnatis, mala voluntas ponitur esse pœna, non culpa. Vndè iste pater noster, qui per pœnitentiæ sacramentum, & per alia sacramenta, quæ deuotè assumpsit, purgatus à peccato recessit, & per mortem ipsam hanc libertatem accepit, vt ampliùs non possit à peccato maculari. Vndè Roman. 6. *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato.* Secundò ex eo, quòd est mortuus, liberatus est à mundo, vt nõ possit de cetero, vel ab eius prosperitate decipi, vel ab eius aduersitate turbari. Nam sicut in mundo est varietas & mutabilitas naturæ: ita & fortunæ. Mutabilitas naturæ apparet in elementorum qualitatibus; quia vno tempore dominantur elementa inferiora, scilicet quando sol vadit versus capricornum: & alio tempore dominantur elementa superiora, vt quando sol vadit versus cancrum; & tunc incipit fieri generatio, & secundùm hanc mutationem, generantur frigora & calores, venti & pluuiæ. Item apparet mutabilitas naturę in temporum vicissitudinibus, secundùm quatuor tempora anni, quibus distinguitur tempus; scilicet ver, æstas, autumnus, & hyems: quia sol in duobus tropicis, scilicet cancro & capricorno, facit æstatem & hyemem, & in duobus equinoctialibus punctis, quæ sunt aries & libra, facit ver & autumnum. Apparet etiam mutabilitas naturæ in hominibus, ex varietate ætatum, & complexionum, & diuersorum accidentium. Sic est in hominibus mutabilitas fortunæ, secundùm prosperitates & aduersitates, quas patiuntur diuersimodè secundùm diuersas miserias. Propter quòd dicebat Boëtius in primo libro de consolatione philosophiæ. *Quid me felicem totiens iactastis amici? Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.* Nec est aliquis tam magnus aut felix, qui frequenter non patiatur aduersa, & animum suum perturbantia, siue sit papa, siue qui-

Rom. 7. — 1. Io. 1. — August. — Rom. 6. — Boëtius

qui-

quicunque alius. Vndè Valerius
Maximus dicit, quod nulla est
prorsus tanta felicitas, quæ den-
tes malignitatis euadere possit. Et
Boëtius quoque dicit, quod hu-
manæ felicitatis dulcedo, multis
amaritudinibus est respersa. Sed
per mortem ereptus est pater no-
ster defunctus, ab omnibus huius
mundi laboribus, & varietatibus,
& anxietatibus. Et ex ista parte,
mors videtur quibusdam homi-
nibus esse melior, quam vita: vn-
Tob.3. dè Tob.3. *Expedit mihi mori magis*
quam viuere. Et ccclesiast.4 *Lau-*
daui magis mori quam viuere. Ter-
tiò, quia mortuus est liberatus à
prauorum consortio. Malorum
enim collegium & consortium,
periculosum est & subditis, &
prælatis. Subditis quidem est fre-
quentius, ad magnum impedi-
mentum salutis, propter quod
beato Arsenio, quærenti viam sa-
lutis, vox de cœlo dixit. *Arseni fu-*
ge homines & saluaberis. Nam sicut
nos videmus, quod elementa vbi
se contingunt, alterantur, & cor-
rumpuntur à proprietatibus suis,
sicut terra ab aqua humectatur, &
aër infrigidatur & ab igne in-
flammatur: ita homo à prauo
consortio, cui adhæret, inficitur
aut in vita, aut saltem in fama.
Vndè vnus prauus homo inficit
vnam totam congregationem: &
vna ouis morbida corrumpit to-
tum gregem: & vnus malus hu-
mor totum corpus. Et sicut etiā
1.Cor.5 dicit Apostolus 1.Cor.5. *Modicum*
fermentum totam massam corrum-
August. *pit.* Propter quod & Augustin. in
regula iubet tales eijci de mona-
sterio, ne contagione pestifera,
plurimos perdant: sicut medicus
putridum membrum abscindit,
& malum dentem extrahit de
maxilla. Vndè diligenter debet
se quilibet custodire à praua so-
cietate, quia *qui tetigerit picem,*
Eccl.1,5 *inquinabitur ab ea* Ecclesiast.13.

Est etiam periculosum prælatis,
habere malorum hominum con-
tubernium: quia quandoque præ-
latus decipitur eorum consilijs.
Item quia ex malorum familia-
ritate & adhærentia, creditur ipse
minus bonus. Vndè Bernard. ad Bernar.
Eugenium dixit. *Tu ne sanum di-*
xeris dolentem latera: neque bonum
innitentem malis. Præterea si præ-
latus sentit in collegio malos vi-
ros, si corrigit eos, habet implaca-
bile bellum: si sustinet & non
corrigit, fit particeps prauitatis
eorum; sed melius est bellare,
quam prauum fieri, sed illud am-
pliùs molestum. Sed ab his homo
bonus per mortē liberatur, quia
si benè moritur, exit de consor-
tio prauorum, & transit ad con-
sortium sanctorum Angelorum:
quia scilicet sancti in cœlo se-
cundùm Gregor. ad Angelorum
ordines assumuntur. In cuius si- Gregor.
gnum dicitur Luc. 16. *Factum est* Luc.16.
vt moreretur mendicus & portaretur
ab Angelis in sinum Abrahæ: per
quem sinum intelligitur requies
beatorum. Secundò in authorita-
te inducta, ostenditur hic pater
noster defunctus, peruenisse ad
præmium vitæ immortalitatis:
cùm dicit: *vt Deo viuat.* Nam li-
cèt sit mortuus mundo, viuit cum
Deo, & mors quidem fuit transi-
toria, & vita est perpetua: quia si-
cut dicitur de Christo Roman.6. Rom.6.
Mors illi vltra non dominabitur,
quod enim mor. &c. Et hæc est vita
gaudiosa, quam scilicet habet in
Deo: secundùm illud Abacuc. 3. Abac.3.
Ego autem in Domino gaudebo, sci-
licet gaudio interiori, videndo
diuinitatem: *& exultabo in Deo Ie-*
su meo, scilicet exultatione etiam
exteriori; videndo Iesu humani-
tatem. Ad quam nos perducat,
&c.

In

In funere vnius Cardinalis.

SERMO III.

VIdi *Dominum stantem super altare: & dixit. Percute cardinem: & commoueantur superliminaria.* Amos 9. Nos videmus in bellis accidere, quod quando illi qui fortiores sunt & probiores, percutiuntur & prosternuntur, & non valent resistere hostibus, quod alij terrentur & fugiunt. Vnde dicitur 1. Reg. 17. *Quod videntes Philistæi, quod mortuus esset fortissimus eorum,* scilicet Goliath, *fugerunt.* Et in eodem cap. dicitur quod *videntes filij Israel, qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quod mortuus esset Saul, & tres filij eius, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt.* Constat autem, quod post summum pontificem, potentiores & maiores sunt, in Romana ecclesia, Domini Cardinales. Et ideò quādò aliquis eorum à morte percutitur, & prosternitur, & velit nolit eijcitur ab omni gloria sua, nec morti resistere potest, quin priuet eum capello: inferiores prælati, ac minores clerici, magis terreri & commoueri debent ad compunctionem, & fugam peccati, & ad contemptum mundi, & ad præparationem sui, & hoc est quod licet figuratiuè, inuenitur in verbis propositis: vbi dicit quod Dominus dixit, scilicet morti *percute,* id est, fecit vt percuteret, quia dei dicere, est facere *cardinem,* id est Cardinalem, & sequitur: *& commoueantur superliminaria,* id est cæteri prælati. Dicit ergò meum thema. *Vidi Dominum stantem, &c.*

A In quibus verbis, de isto reuerendo Domino Cardinale defuncto, quatuor Amos propheta describit.

Et primò quidem officium sanctitatis, cùm dicit, *Vidi Dominum stantem super altare.*

Secundò statum dignitatis, cùm subdit, *cardinem,* id est cardinalem.

Tertiò obitum humilitatis, cum addit: *percute.*

Et quartò exemplum vtilitatis: quia *commoueantur superliminaria.*

CIRCA primum attendendum est quod Dominus, quem vidit, Christus est, qui stare super altare dicitur, quandò super altare offertur, siue sacrificatur in missa. Et in hoc innuitur præcipuum officium ipsorum Cardinalium, quod est officium sanctitatis: quia omnium Cardinalium officium præcipuum est, sicut scitis, circa altaris ministerium, siue sacrificium deseruire. Nam quidam eorum sunt episcopi; quidam presbyteri, quidam vero diaconi. Episcopi quidem, quorum tituli sunt septem; vt ostiensis Portuensis, Albanensis, Prenestinus, sanctæ Ruffinæ: & Tusculanus. Presbyteri verò Cardinales 28. numero, diuisi per numerum septenarium, residuis quatuor patriarchalibus ecclesijs sunt intitulati ad celebrandum. Diaconi verò Cardinales ad ministerium Domini papæ deputati sunt 16. Sed attendite, quales ministros oportet esse dominos Cardinales, vt circa altare Domini, & circa etiam ecclesiæ Dei regnum dignum possent ministerium & obsequium exhibere. Hoc enim propheta in Psalm. 25. ostendit breuiter dicens. *Laudabo inter innocentes, &c. vt audiam vocem laudis, &c.*

In quibus quidem verbis ostēdit eis quinque. Primò, quales debeant esse in operatione: quia debent habere opera munda: & ideò dicit. *Lauabo manus meas:* glosa, id est, munda faciam opera mea

Marginal notes: Amos 9. — 1. Re. 17 — Psal. 25.

mea. Et si quæris quomodò? respondet glossa, pœnitendo & cõfitendo: q. d. & si non possit fieri, quin aliquando inquinentur: frequenti tamen pœnitudine, & confessione lauentur. Sed ne periculosa lepra inficiantur, scilicet simoniæ, attendendum est illud Esaiæ 33.
Esa.33. *Qui proijcit auaritiam ex calumnia, excutit manus suas ab omni munere,* & subdit, *Hic in excelsis habitabit.* Debet ergò sic manus excutere, vt ex acceptis muneribus non afficiatur
Iob 15. simoniacus. Vndè Iob 15. dicitur quòd *ignis,* scilicet Dei *deuorabit tabernacula eorum*, id est animas, vel etiam corpora, *qui munera libenter accipiunt.* De quibus etiam
1.Re.8. dicitur 1. Regum 8. *Acceperunt munera, & peruerterunt iudicium.* Et ideò faciendum est, sicut legi-
Iaco.4. tur Iacob. 4. *Emundate manus peccatores: & purificate corda duplices animo.*

¶ Secundò ostendit propheta, qualis debeat esse cardinalis minister Domini, in conuersatione, quia *inter innocentes,* scilicet conuersari debet, sed hoc non potest facere si habet malos familiares, malos amicos, consiliarios, aut domesticos cupidos, blandientes, deceptores, aut iniquos. Dicunt ergò astrologi, quod planetæ, qui de se sunt beneuoli, ex cõiunctione malorum efficiuntur maleuoli. Sicut Iupiter est planeta beneuolus, & tamen dicunt, quòd si coniungitur Marti, qui dicitur planeta maleuolus, efficitur non bonus, quia causabitur, vt dicunt, ex tali coniunctione quæ dicitur coniunctio, media, corruptio aëris, & guerrarum. De Luna etiam dicunt, quòd quãdò coniungitur bonis, est bona; & cum malis, est mala: verbi gratia, dicunt enim quod si Luna coniungatur Saturno, qui propter excessum frigiditatis, tarditatis motus, dicitur planeta maleuolus; tunc Luna ei coniuncta dicitur infortunata: ita quòd tunc non est bonum dare medicinas, nec aliquod opus incipere corporale, cuius queritur bonitas finis. Si verò coniungatur Luna Ioui, qui dicitur planeta beneuolus, tunc est fortunata: & tunc est bonum incipere opera, quorũ queritur bonitas finis. Sic ergò accidit in hominibus testante Psalm. qui ait. *Cum sancto, sanctus eris, & cum innocente, &c.* Tertiò ostenditur, qualis debet esse in interiori compositione, cùm dicitur *circundabo altare tuum,* quod glo. exponit de altari interiori, scilicet cordis, quia debet circundari, id est ornari virtutibus: alioquin non dignè ministraret ad altare Christi exteriùs. Non enim sine mysterio, cum preciosis & varijs vestibus ministrat ad altare; quia illæ vestes preciosæ & variæ exteriores, significant interiores vestes, & habitus diuersarum virtutum, quibus mentes eorum debent circundari & ornari, secundùm illud Psalm. 44. *Astitit regina.* scilicet altari: tibi ministrando. Regina, id est anima cuiuslibet ministri, quæ in libertate arbitrij creata facta est, vt dominetur omnibus passionibus corporis, & omnibus quæ mundi sunt, tanquam regina quædam, & sponsa regis æterni. Sed *astitit à dextris tuis,* id est, in intentione æternorum bonorum: vel quia corpus Christi, ad quod ordinatur omne ministerium altaris, modò est à dextris, id est, in vita immortali, quod tamen primò fuit in carne mortali. Sequitur: *in vestitu deaurato,* id est in ornamento bonorum operum, quæ debent esse deaurata, id est auro charitatis informata, circundata, id est adornata, etiam varietate aliarum virtutum. Quartò osten-

ditur

ditur in auctoritate allegata, & diuisa superius, qualis debeat esse in Dei veneratione, cum subdit, *vt audiam vocem laudis tuæ:* non meæ. Non enim debet delectari in vocibus & verbis blanditorum, neque in vocibus vanarum cantilenarum, aut in sono viellarum & musicorum; sed in vocibus diuinæ laudis & officij, in quo Deus laudatur; & hoc est, quando diuinum officium quotidie & audiunt, & dicunt integraliter: vnde dicebat Psalm. 33.
Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Et idem 118. *Septies in die laudem dixi tibi, &c.* Quintò ostenditur, quales debent esse in prædicatione, cùm subinfertur: *& enarrem vniuersa mirabilia tua:* glossa, non mea. Debet ergo enarrare prædicando verba & opera Dei: quæ vniuersa sunt mirabilia. Nam sicut summus pontifex habet officium Christi, cuius ipse est vicarius; ita Domini Cardinales habent officium Apostolorum, de quibus in Psalm. 18. dicitur. *Cæli enarrant gloriam Dei:* & dicuntur cæli, propter altitudinem dignitatis, & conuersationis: de quo
Phi. 3. Apostolus Philipp. 3. *Nostra conuersatio in cælis est.*

B SECVNDO in assumpto themate, de isto Domino defuncto, describitur status dignitatis, quem habuit in ista ecclesia, in eo quod nominat *cardinem.* Fuit enim cardinalis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ. Status autē Cardinalium, factus & ordinatus est, nō ad pōpam sæcularis vanitatis, sed ad amorem & officium æternæ felicitatis: quod ostendit capellum rubeum quod portant super caput. Quid enim est capellum rubeum, & ignei coloris, nisi cor inflammatum, & feruidū flamma diuini amoris, quod quidem capellū eleuatur in medio, & ad latera demittitur, quia scilicet eorum charitas feruens, & eleuari debet per timorem Dei, & demitti siue deflecti ad amorem & obsequiū proximi. Et de talibus cardinibus, id est cardinalibus dicitur, Deu. 30.
Deuteronom. 30. *Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus: & assumet atque introducet in terram, quam possederunt patres tui.* In quibus quidem verbis, de Dominis Cardinalibus tria breuiter describuntur.

Nam primo, de eis Moyses describit dignitatis sublimitatem: quia vocat eos *cardines cæli.*

Secundo vero describit mortis humilitatem, cum subdit: *fueris dissipatus.*

Tertio beatitudinis felicitatem cum additur: *inde te retrahet &c.*

¶ Dicit ergo quoad primum: *Si ad cardines cæli,* id est, ad Cardinales, *fueris* supple assumptus, id est ad cardinalatus dignitatem. Sed hic notandum est, quod vocat eos cardines cœli: alij enim sunt cardines cœli, & alij cardines terræ: cardines enim terræ dicuntur, qui totum statum Cardinalatus sui, & studium non ornant nisi ad terrena, vel ad terrenas diuitias conquirendas, vel ad terrenas pompas ostendendas, vel ad terrenas consanguineitates magnificandas. Et de talibus dicitur. 1. Regum. 2. *Domini enim* 1. Reg. 2.
sunt cardines terræ: & posuit super eos orbem. Domini inquit sunt tales: & si non per gratiam: tamē subiecti per potentiam: quia scilicet quantuncunque sint magni subiecti, tamen sunt omnipotentiæ Dei, *& posuit super eos orbem.* dum viuunt Cardinales sūt, quasi positi supra orbem; sed ex quo se demergunt ad infima & terrena, demerget illos merito vt sint sub toto orbe: idem enim est

dicere poni sub orbe, & ponere super eos orbem, certè si infernus infra terram est, sub toto orbe est: quia omnia super se habet, & terram, & aquam, & ignem, & aërem, & cœlum. Idem ergo est poni sub orbe, quod poni in inferni gehenna, vt pugnet orbis terrarum contra insensatos. Sed cardines cæli dicuntur illi, qui habent affectum & studium suū, totum ad cœlestia directum: & circa tales Deus perambulare dicitur: Nam sicut de diabolo scriptum est

Iob. 1. Iob. 1. quod dixit. *Circumiui terram & perambulaui eam.* Ita è contrario de Deo dicitur

Iob. 22. Iob. 22. *Circa cardines cœli perambulat*: id est, circa Cardinales cœlestes perambulat, eos protegendo, eos dirigendo, & eos perficiendo. Protegit, vt maneant: dirigit, vt perficiant: perficit, vt gaudeant. Secundo autem in auctoritate inducta, describitur humilitas mortis cuiuslibet Cardinalis: cùm dicitur *fueris dissipatus.* Vbi aduerte, quod quilibet homo dicitur dupliciter dissipari. Vno modo quantum ad animam, per peccatum: sed potest hic per pœnitentiam reparari; alias non.

Psa. 34. Vnde in Psalm. 34. dicitur de impœnitentibus. *Dissipati sunt nec compuncti*: & tales pereunt per æternum interitum secundum

Iob. 6. illud Iob. 6. *Tempore quo fuerint dissipati peribunt.* Alio modo dissipatur homo secundum corpus; scilicet per obitum, vel interitum mortis, in qua dissipatur corporis vita, & valitudo, & pulchritudo, & tollitur omnis sensus, & motus, & dissipatur tota carnis substantia in putredinem, & in vermem, & in puluerem resoluta,

Esa. 24. vnde Esai. 24. *Dissipatione,* scilicet mortis, *dissipatur terra,* idest humanum corpus de terra factū, & in terram resolutum.

C

Tertio in auctoritate inducta, describit Moyses beatitudinis fœlicitatem, ad quam, per mortem mediam, perducitur homo iustus, cùm dicitur *inde te retrahet. &c.* Vbi aduertendum, quod anima iusti viri, recipit in morte triplicem gratiam, scilicet eductionis, deductionis, & introductionis. Primo educitur à miseriis, scilicet corporis & mundi: & quantum ad hoc dicit *inde*, scilicet à loco dissipationis & mortis *te retrahet.* Primo scilicet quantum ad animā in morte; & quantum ad corpus, in resurrectione: quando ipsa creatura, scilicet humana, liberabitur à seruitute corruptionis. Vbi nota, quod in homine iusto moriente, fit retractio à seruitute in libertatem, vnde postquam dixit Apostolus Rom.

8. *Liberabitur à seruitute corruptionis*: *Rom 8.* subdit. *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sed in homine peccatore fit retractio, à libertate in seruitutem. Nam ille qui baptizatur, vel pœnitet, dimittitur liber à seruitute diaboli vel peccati: sed quando postea peccat, retrahitur ad seruitutem. Vnde Iere.

34. *Retraxerunt seruos suos & ancillas, quos demiserunt liberos.* *Iere. 33.* Secunda gratia quæ fit iusto morienti, est deductionis. Ideo dicit, *& assumet*: quia quando assumi debet ad gloriam, deducitur cum honore ab Angelis: tunc enim deducitur anima tanquam sponsa ad nuptias viri, vnde Dominus dicit Sapien. 7. *Quæsiui sponsam mihi eam assumere.* *Sap. 7.* De ista assumptione dicitur. Deutero. 29. *Assumet ebria sitientem.* *Deu. 29* Ebria est ecclesia triumphans, vbi inebriatur ab vbertate domus Dei: quæ assumit ad se animam iusti sitientem, sic dicitur in Psalm. *Sitiuit* *Psa. 41.* *anima mea ad Deum fontem viuū. &c.* Tertia quæ fit iusto morienti, est introductionis in gaudium, Domini sui, in gloriam regni sui

in

in gloriam paradysi: & ideo dicit in auctoritate inducta. *Introducet in terram, quam possederunt patres tui.* Patres nostri sunt Apostoli: qui iam possederunt, & possident terram viuentium. Nota; si aliqui heredes haberent diuidere possessionem, nullus vellet habere partem suam in loco, in quo cito morerentur homines, sed in loco sano, vbi diu viuerent. Et in tali loco portionem suam petebat Psalm. dicens 141. Ps. 141 *Portio mea Domine sit in terra viuentium.* Et in talem terram introducitur anima iusti post mortem; vbi nunquam est infirmitas, nec mors, nec penuria, nec molestia, nec aliquid mali: sed est ibi abundantia omnis boni. Vnde Deuteron. 8. Deut. 8. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam: terram riuorũ, aquarumq; & fontium.* Et post. *Vbi absque vlla penuria comedes panem tuũ, & rerum omnium abundantia perfrueris:* & sequitur. *Vt cùm comederis & saturatus fueris, benedicat Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.*

D Tertio in themate assumpto notatur obitus humilitatis: quia dixit, scilicet Dominus morti: *percute* scilicet eum. Non est arbor ita alta & tam fortis, quæ à radicibus percussa, & succissa non prosternatur, & humilietur: sic nullus est tam potens aut magnus, quem non prosternat securis mortis, percutiens ipsum in radicibus vitæ: sed ecce *iam securis ad radicem arboris posita est.* Mat. 3. Matth. 3. Sed nota quod Deus percutit hominem aliquando leuiter, ad correctionem; aliquando fortiter, ad occasionem; aliquando fortissimè, ad damnationem. De prima percussione dicitur Oseæ 6. Oseæ 6. *Ipse percutiet & curabit nos.* Ista percussio est aliqua tribulatio vel infirmitas qua Deus percutit nos, & hoc facit ad curationem: quando enim est apostema in interioribus, tunc indiget magna cautela; & certe istud apostema oportet percutere, & comprimere aliquoties, & cum rasorio incidere: & hoc non fit ad mortem, sed ad curationem, ita certe apostema peccati est periculosa infirmitas, & ideo ipsum Dominus aliquando premit, immittendo aliquam infirmitatem, aliquando scindit cum rasorio, immittendo aliquam tribulationem; & multi curati sunt à peccato propter infirmitates & tribulationes, & emendauerunt vitam suam, & hoc non facit Dominus propter mortem, sed propter curationem, vel ad maiorem gloriæ cumulationem, sicut in Iob & Tobia, vel ad maiorem humiliationem. Prouerb. 23. Prou. 23 *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberasti.* Vnde sicut falx percutit fœnum, & facit ipsum arescere; sic tribulatio vel infirmitas, siccat in homine humorem peccati, iuxta illud Psal. 101. Ps. 101 *Percussus sum vt fœnum & aruit cor meum.* Iob 5. Iob 5. *Vulnerat & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Secundo percutit Dominus fortiter ad occisionem, scilicet quando facit hominem mori: & aliquando percutit Dominus morte subita, & improuisa, sicut legitur 2. Regum 6. de Oza: 2. Reg. 6 quod *iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei.* Iste percussus est morte, quia indebite & irreuerenter tetigit arcam Domini: & arca illa signabat ecclesiam. Vnde cum figuratum sit potius quam figura: si ille ira Dei, & percussione mortis dignus fuit, qui indebite contractauit arcam; ampliori ira Dei & percussione rei erunt, qui

indebite & indigne rexerint ecclesias Dei, vel secũdum glossam, illa arca figurabat Dominicũ corpus. Vnde si ille qui irreuerenter tetigit arcam, immatura morte punitus fuit, multo magis est dignus puniri, qui irreuerenter contingit corpus Domini. Aliquando vero percutit Dominus hominem ad mortem, per aliquã infirmitatem, seu læsionem præcedentem: sicut dicitur de Antiocho rege superbo & tyranno. 2.
2. Mac. 9 Macha. 9. quod *qui vniuersa conspicit, Dominus Deus Israël percussit eum insanabili & inuisibili plaga.* Et infra dicitur de ipso. *Igitur homicida & blasphemus pessime percussus: & vt ipse alios tractauerat, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est.* Quandoque vero percutit Dominus fortissime, gladio mortis vel sententiæ suæ, ad damnationem æternam. Ierem. 30.
Iere. 30 *Plaga inimici percussit te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ, duræ facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus.* Vbi aperte ostendit, homini damnato loquens, quod est super eum ira implacabilis: quod culpa eius est inexpiabilis; quod pœna eius est irremediabilis. Sed iste venerabilis Dominus, licet fuerit percussus ad mortem corporis, non tamen ad mortem animæ: sed potius ad
Num. 21 salutem: secundum illud Numer. 21. *Qui percussus fuerit, & aspexerit viuet.*

D QVARTO in themate assumpto subditur exemplum vtilitatis: quia *commota sunt superliminaria.* Vbi superliminaria possunt intelligi prælati, quia vt liminaria sunt subditis, super quos sunt prælati. Vnde superliminaria dicuntur prælati, qui videntes tantum virum, & tam magnum prælatum mortuum, admirari possunt de tam contraria mutatione, de viuo in mortuum; de diuite in pauperem; de honorato in abiectum. Et insuper commouẽtur ex horrore & terrore mortis, ad suiipsius directionem. Et ideo dicitur in Psalm. 47. *Ipsi videntes sic admirati sunt; conturbati sunt; commoti sunt; tremor apprehendit eos.* Ps. 47. In quibus verbis tanguntur quatuor effectus, qui sequuntur ex morte istius Domini. Primus est admiratio. Nam ex visione istius possunt admirari, & prælati & alij, videntes omnia magnalia eius esse penitus annihilata, scilicet & eius gloriam, & eius potentiam, & eius sapientiam, & eius reuerentiam, & eius abundantiam, & eius eloquentiam, & eius apparentiam: & sic de aliis. Sap. 11. *Commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.* Sap. 11 Commemorati inquit sunt Dominum istum, scilicet istum Cardinalem, quomodo erat, scilicet inclytus, & gloriosus, sapiens, eloquens, & honoratus, admirantes in finem exitus, scilicet mortis omnia annihilantis. Secundus effectus est perturbatio: quia *conturbati sunt:* scilicet familiares & consanguinei, & amici, lugentes eum, siue propter dilectionis affectum, quia quanto plus quis aliquem diligit, tanto plus conturbatur, quando ipsum perdit. Sed in hoc debet eos consolari spes melioris vitæ, ad quam vadit, propter quod Dominus dicebat Ioan. 12. *Si diligeretis me gauderetis vtique; quia vado ad patrem.* Ioan. 12 Et Apostolus 1. Thessal. 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent.* 1. Thes. 4 Quidam vero conturbati sunt propter damnum proprium, quod ex morte eius consequuntur, sed ista conturbatio mitigatur de homine, qui bene moritur, sicut beatus Dominicus consolatus est

fra-

fratres, qui lugebant vidētes eum mori, dicens. Non me lugeatis morientem; quia vtiliorem me habebitis mortuum, quā viuum. Vnde immoderata turbatio videtur procedere ex insipientia hominis, non rectè considerantis
Ps.75. Psal.75. *Turbati sunt omnes insipiētes corde.*

¶Tertius affectus est *commotio*, & ideo dicit *commoti sunt*, scilicet ad compunctionem: quia vidēdo mortem alterius, inducuntur ad considerationem mortis propriæ: ex qua consideratione sequitur timor, & ex timore sequitur cōpunctio de peccatis: propter quæ homo magis timet mori, & talis commotio valet ad sanitatem animæ, secundum illud Psalm. 59.
Ps.59. *Sana contritiones eius, quia commota est.*

¶Quartus effectus est trepidatio, vnde dicit: *tremor apprehendit eos.* Vbi nota, quod natura inducit ad mortis horrorem & timorem: sed fides inducit ad tremorem. Naturaliter animal timet, & horret illud quod est destructiuum sui esse: sed mors destruit vitam hominis; & per consequens esse, quia sicut philosophus dicit, viuere est viuentibus esse. Vnde de Christo dicitur Matth. 14. quod
Mat.14 circa passionem cœpit pauere, & tædere. Sed fides quæ tenet, quod post mortem sequitur districtum Dei iudicium, sicut dicitur Hebr. 9. quod statutum est homini semel mori, & post hoc iudicium: in quo si homo condemnabitur, nunquam liberabitur; inducit hominem non tantum ad timorem, sed etiam ad tremorem, propter quod dicitur in Psalm.
Ps.54. 54. *Timor & tremor venerunt super me*, sed si iste timor & tremor tantus sit, quod inducit ad veram pœnitentiam: per pœnitentiam postea consequemur gratiam, quæ si perseuerauerit, perducet nos ad gloriam. Ad quam nos, &c.

In funere alicuius episcopi vel archiepiscopi.

SERMO IV.

PONTIFEX *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum.* Hebr. 5. Hebr.5.
Status & dignitas episcopi, quādiu ipse viuit, est multum honorabilis: sed in morte est valde formidabilis. Et ratio est: quia quamdiu episcopus siue pontifex viuit, ipse præest omnibus, & habet eos iudicare: sed quando moritur, habet ipse iudicari à Deo, & pro hominibus rationem reddere. Et ideo ipse est similis peregrino, seu hospiti Domino, qui hospitatur in aliquo hospitio: quia quamdiu in hospitio manet, amicabiliter tractatur, & tota familia hospitis eum reueretur: sed quando debet exire, districta ratio exigitur, & de omnibus perceptis solutio & satisfactio expetitur. Nam quamdiu pontifex siue episcopus viuit in mundo, habet multos qui amicantur ei, & qui ei reuerentiam impendunt. Sed in morte quando assumitur ex hominibus statuitur ante iudicium Dei, ad reddendam rationem non solum pro se; sed etiam pro animabus sibi cōmissis. Et hoc est quod innuitur & tangitur in verbis propositis, cùm dicitur: *pontifex ex hominibus, &c.*

In quibus quidē verbis de episcopo nostro pontifice, seu episcopo defuncto, describuntur præcipuè tria.

Nam primo quidem ostēditur, quod ipse tenuit venerabile officium: quia *pontifex*, id est episcopus fuit.

Secundo, quod habuit ineuita-

bilem exitum: quia *ex hominibus assumptus est:* scilicet per mortem ad aliam vitam.

Tertio, quod peruenit ad formidabile iudicium: quia *pro hominibus*, scilicet, quos habuit regere, constituitur ante Deum ad reddendum rationem *in his, quæ sunt ad Deum*: id est, quæ pertinent ad Dei iudicium.

CIRCA primum ergo attendendum, quod officium quod habuit viuens, fuit sacrum & venerabile: quia fuit Pontifex. Pontifex enim siue episcopus, medius est inter Deum & populum: & ideo aliquid debet populo, & aliquid Deo. Populo quidem debet, vt sciat ad omnes debite se habere; & vt studeat indigentibus misericorditer subuenire; & vt nouerit sibi commissa fideliter custodire. Quo autem ad Deum, debet esse totus deuotus: & ad eius beneplacita feruenter intentus. Et de his omnibus dicit Apostolus Hebræ. 2. loquendo, scilicet propriè de Christo: cuius præcipuè pontifices, & pastores ecclesiarum suarum, debent esse imitatores in istis. *Debuit inquit, per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum.* Hebr. 2.

In quibus quidem verbis breuiter tangit 5. quæ debent in Pontificibus esse, vt Christum imitentur.

Nam primo quidem ostenditur, qualis debeat esse Episcopus in communi conuersatione, cum dicit: quod *debuit per omnia fratribus assimilari.*

Secundo, qualis debeat esse in miserorum subuentione: quia *misericors.*

Tertio, qualis debeat esse in commissorum cõseruatione: quia *fidelis.*

Quarto, qualis debeat esse in gregis sui deductione: quia *Pontifex.*

Quinto, qualis debeat esse in Dei veneratione: quia *ad Deum.*

¶Circa primum attendendum est, quod Episcopus debet omnes subditos suos, siue clericos, siue laicos, per humilitatem, non vt seruos, sed velut fratres reputare: exemplo scilicet Christi. De quo dicitur Hebræ. 2. quod non confunditur fratres vocare eos, scilicet, christianos: & etiam per charitatem debet omnes tanquam fratres diligere. Et quia amor siue dilectio, secundum Dionysium, habet virtutem assimilatiuam, quia assimilat amantem rei amatæ: propter quod dicit etiam Hugo de sancto victore. Scio anima mea, quia illius rei quam diligis similitudinem transformaris. Idcirco dicit, quod Pontifex debet per omnia fratribus assimilari. Et hoc facit, quando scit ad omnes debite se habere, & cum omnibus honeste conuersari, ita quod omnibus prosit. Et ratio huius est: quia illud quod est commune multorum, debet ita haberi, vt ad eorum vtilitatem applicetur. Episcopus autem est persona communis: & ideo debet se ad omnes habere, vt omnes ædificet, & omnibus prosit. Hoc autem exemplo suo ostendit Apostolus dicens 1. Corinth. 9. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Vbi dicit glossa, quod prudens & diuinus Apostolus ita omnibus cessit, quod formam veræ honestatis nunquam excessit. 1. Corinth. 10. dicebat idem Apostolus. *Sine offensione estote:* & post, *sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Vel per fratres ipsius episcopi, debent intelligi alij sancti episcopi, qui iam obierunt ante eum, quibus

Hebr. 2.

1. Cor. 9.

1. Cor. 10

fra-

fratribus debuit episcopus viuens per omnia bona quæ fecerunt assimilari, eorum sanctitatem per omnia imitando: quia si fuisset eis assimilatus in vita, esset nunc similis eis in gloria, secundum il-
Eccl. 46 lud Ecclesiast. 46. *Similem illum fecit in gloria sanctorum.* Secundo ostenditur, qualis debeat esse episcopus in miserorum compassione & subuentione, quia *misericors* Misericors enim dicitur, quasi miserum cor habens, scilicet per compassionem afflictorũ: vel misericors dicitur, qui miseretur ex corde, scilicet cum multo cordis affectu indigentibus subueniendo. Sed quid dicemus de illis episcopis, qui de his quæ habere possunt, non pauperibus subueniũt, sed potius consanguineos suos ditare, & magnificare contendunt. Caueant eorum consan-
Esa. 3. guinei, ne dicat eis Deus illud. Esa. 3. *Rapina pauperum in domo vestra.* Et reddit ibi rationẽ Hiero. eo quod bona ecclesiastica pauperũ sunt. Aduertendũ tamen est hic, quod bona ecclesiarum,
S. Tho. sicut dicit sanctus Thom. nõ sunt solum expendenda in vsus pauperum, sed etiam in alios vsus, vt ad cultum diuinum, & necessitates ministrorum. Et ideo si de eo quod vsui episcopi, vel alterius clerici deputatum est, ipse velit sibi subtrahere, & consanguineis vel aliis dare, non peccat; dummodo illud faciat temperate, id est, vt non indigeant: non autem vt ditiores inde fiant, vnde Am-
Ambro. bro. dicit in libro de officijs. Est approbanda liberalitas, vt proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas: non tamen vt illi diuites se velint esse, ex eo quod tu conferre potes inopibus. Sed quid rursus dicemus de illis, qui pauperibus & indigentibus subtrahunt, vt thesaurum possint facere, vel possessionem ecclesiæ suæ amplius augmentare? Certe dicit sanctus Thomas de S. Tho.
Aquino, quod bona ecclesiarum vsibus pauperum deseruire debẽt. Et ideo si quis necessitate non imminente, prouidendi pauperibus, de his quæ superfluunt ex prouentibus ecclesiæ, possessiones amat, vel in thesauro reponat in futurum vtilitati ecclesiæ & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si vero necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est & inordinata, vt aliquis in futurum cõseruet, quod Dominus prohibet Matth. 6. *Nolite solliciti esse in crastinum*, id est in futurum. Ergo Matt. 6.
imminente necessitate pauperũ, debet episcopus & clericus, facere vt scribitur Tob. 4. *Quomodo* Tob. 4.
potueris ita esto misericors. Tertio quoque ostenditur, qualis debeat esse episcopus in commissorum conseruatione, vel etiam dispensatione: quia scilicet debet esse fidelis. Est enim sibi commissa cura gregis sui, & animarũ subditorum suorum. Et ideo in custodiendis illis debet esse fidelis: vt plus curet de ouibus, quam de lana: & plus de salute animarum, quam de acquisitione pecuniarum. Dixit enim Dominus Petro. *Pasce oues meas*: non dixit, emulge aut tonde oues meas. Vnde si aliter facit infidelis est. Prouer. 22. *Qui fideliter agunt pla-* Pro. 22.
cent ei: scilicet Deo. Est etiam commissa episcopis dispensatio bonorum ecclesiasticorum, non solum bonorum spiritualium, sed etiam temporalium. Hic ergo vt dicit Apostolus. 1. Corinth. 4. 1. Cor. 4.
Iam queritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi aduertendum quod aliter est dicendũ de propriis bonis, quæ episcopi possidere possunt; & aliter de bonis ecclesiasticis. Nam propriorũ bonorum verum Dominum ha-

bent: vnde ex ipsarum rerum conditione, non obligantur vt talia dispensent, vel conferant alijs: sed possunt ea vel sibi retinere, vel aliis pro libito elargiri: possunt tamen in eorum dispensatione peccare; vel propter inordinationem affectus, per quem contingit vt vel sibi plura conseruent quam oporteat: vel quod etiam aliis non subueniant, secundum quod requirit debitum charitatis: non tamen tenentur ad restitutionem, ex eo quod huiusmodi res sunt eorum domino deputatæ. Sed ecclesiasticorum bonorum sunt episcopi dispensatores, vel procuratores. Dicit enim Augustinus ad Bonifacium. Si priuatum possidemus quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed illorum quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vindicemus. Ad dispensationem autem requiritur bona fides, Vnde Luc 12. *Quis putas est fidelis dispensator?* Bona autem ecclesiastica ad diuersos vsus debent dispensari. Vnde dicitur 12. q. 2. De redditibus ecclesiæ vel oblatione fidelium sola episcopo ex his vna portio remittantur: duæ ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum à presbytero, sub periculo sui ordinis ministrentur; vltima clericis pro singulorum meritis diuidatur. Si ergo distincta sint bona, quæ debent vsui episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui ecclesiæ eroganda; & episcopus sibi aliquid retinuerit de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel in vsus ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda: non est dubium quin contra fidem dispensationis agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem tenetur. De his autem quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ de proprijs bonis: vt scilicet propter immoderatum affectum & vsum, peccet quidem si immoderata sibi retineat, & aliis non subueniat, sicut requirit debitum charitatis. Si vero non sint prædicta bona distincta, eorum distributio fidei eius committitur. Et si quidem in modico deficiat, & superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento: quia non potest homo in talibus, punctualiter accipere illud, quod fieri oportet; si vero sit multus excessus nō potest latere: vnde videtur bonæ fidei repugnare, & ideo non est sine peccato mortali. Debet ergo ita fideliter & prudenter dispensare, vt possit de ipso dici illud Matth. 24. *Fidelis seruus, &c.* Quarto ostenditur, qualis debeat esse episcopus in sui gregis deductione, quia debet esse pontifex: id est pontem ei faciens, ad trāseundum per hanc vallem lachrymarum, & mundi fluuium, à bonis præsentibus ad bona futura. Heb. 9. *Assistens pontifex futurorum bonorum.* Debet enim Deo assistere, pro grege suo orando, & sacrificium offerendo: & debet esse pontifex futurorum bonorum, id est pontem, hoc est viam faciens ad bona futura: scilicet exempla bene viuendi, & contemnendi mundum eis exhibendo. Quinto ostēditur, qualiter episcopus habere se debeat ad Deum: quia debet esse ad Deum deuotus, & attentus. Debet ergo se habere ad Deum obedienter, scilicet vt Deo magis quam hominibus in omnibus obediat. Item fideliter, vt in omnibus suis operibus, ad ipsum intentionem dirigat. Item familiariter, vt orando, & contēplando, frequentius assistat: vt cum Psalm dicat. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est.*

Augu. — Luc. 12. — Mat. 24. — Heb. 9. — Psa. 72.

B SECVNDO ostenditur in themate assumpto, quod iste Dominus defunctus habuit ineuitabilem exitum, scilicet mortis; per quem scilicet est ex hominibus assumptus, scilicet ad aliam vitã: separat enim mors ab hominibus hic viuentibus, ita vt neque filios, neque parentes, aut fratres aut consanguineos alios quoscũque debeat amplius hic videre. Ecce iste qui heri habebat domicellos, & famulos, & clericos, & familiares multos sibi seruientes, de cetero nullum habebit qui sibi seruiat in aliquo ministerio. Danielis quarto. *Ejicient te ab hominibus.* Item mors assumit; id est aliud sumit; scilicet ad alium statum. Est ergo mors sicut aquila, de qua dicitur. Deuterono.32. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eas volitans expandit alas suas, & assumpsit eos.* In quibus verbis quinque describuntur de morte. Dani.4. Deu.32.

Et primum est ipsius officium: quia est *sicut aquila.*

Secundum vero est ipsius beneficium: quia *prouocat ad volandum pullos suos.*

Tertium ipsius iudicium: quia *super eos volitat.*

Quartum est ipsius instrumentum, quia *expandit alas suas.*

Quintum est morientium præmium: quia *assumpsit eos.*

¶ Assimilatur ergo primo mors aquilæ propter officium. Nam officium mortis, est educere vinctum de carcere: id est spiritum de corpore, & istum exitum exoptant sancti viri, sicut Dauid dicebat. Educ de custodia: id est de carcere Deus animam meam. Et Apostolus Philippen. primo *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Sed mali istum exitum expauescunt; ne post exitum deducantur ad supplicium: vnde nolunt egredi, sicut Ioab nolebat egredi de tabernaculo, vt non occideretur. Regum. 2. Istud officium mortis, scilicet educere spiritum de corpore, repræsentat figuratiue aquila illa grandis, de qua dicitur Ezechielis decimoseptimo, quod volauit ad cedrum, & tulit medullam cedri: quid est altitudo cedrorum, nisi supereminens dignitas ordinis episcoporum? Ezechielis trigesimo primo. *Cedri non fuerunt altiores eo,* scilicet episcoporum ordine. Sed medulla latens interius, est spiritus in corpore inclusus: grandis autem aquila est mors, quæ tantæ magnitudinis & potentiæ est, vt nullus ei possit resistere: & aquilæ volatus, est mortis inopinatus euentus. Modo ergo aquila volauit ad cedrum, quando inuasit episcopum istum, & Dominum, & medullam eius tollit, quia ipsius animam à corpore eduxit. Ezechielis decimo septimo, dicit mors. *Sumam ego de medulla cedri sublimis.* Et signanter non dicit medullam, sed de medulla: quia anima non est separabilis à corpore, nisi secundum partẽ intellectiuam: quia aliæ potentiæ eius, quæ dicuntur partes eius, vt sensitiuum, vel vegetatiuum, non remanent actu in anima separata: sed virtualiter tantum, sicut in radice, non sicut intellectus, qui nullius partis corporis est actus. Secundo, sub similitudine aquilæ tangitur beneficium mortis: quia prouocat ad volandum pullos suos. Pulli mortis dicuntur peccatores, qui sunt filij mortis, siue mortis temporalis, siue æternæ: quia vtraque propter peccatum debetur, vnde *anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Exechi. 18. & *Stipendia peccati mors.* Rom. 6. Quasi ergo volatus pullorum, est velox conuersio peccatorum: ergo aquila, id est mors, per sui cõsiderationem & terrorem, pro-

Phil.1. Re.2. Eze.31. Eze.17. Eze.18. Rom.6.

uocat pullos suos: id est homines peccatores ad volandum, id est vt velociter conuertantur & non differant: quia tempus eius aduētus incertus est. Ecclesiast. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito venit enim ira illius: & in tempore vindictæ disperdet te.* Auis stulta, quando videt arcum paratum ad sagittandum, tantum differt surgere & volare à loco, quod percutitur & occiditur. Et sic homo, qui videt cōtra se arcū mortis tensum, præcipuè si sit infirmus aut senex, non debet differre auolare à peccatis ad pœnitentiam: ne forte percutiatur à sagitta mortis, & cadat in mortem æternam. Apocalip. 12. *Datæ sunt mulieri*, id est animæ, *duæ alæ*, scilicet timor mortis, & timor gehennæ, *vt volaret in desertum*, id est ad pœnitentiam. Sed cogitationes stultorum, & vanæ spes, & quandoque vana somnia, promittunt eis longa spacia vitæ, ne ad pœnitentiā prouocentur. Vnde. Thre. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitētiam prouocarent.* De his autem qui velociter conuertuntur, dicitur Esa. 16. *Erit sicut auis fugiens, & sicut pulli de nido auolantes.*

Eccle. 5.

Apo. 12

Thre. 2.

Esa. 16.

Tertio in prædicta figura aquilæ tangitur mortis indicium: cùm dicitur: *super eos volitans*. Quando miluus diu volitat super locū, vbi sunt pulli gallinarum, signum est quod se proijciet ad aliquem capiendum: sed nescitur super quem, nisi quando descendit & rapit eum. Sed mors continuè volitat super capita nostra, vt capiat nunc istum, nunc illum; sed nescitur quis primus sit rapiendus à morte, quia multoties citius moritur iunior, quam senior: & ille qui videtur sanus, citiùs moritur, quam egrotans. Sed pulli timentes miluum, fugiunt ad matrem, id est gallinam; & ista protegit eos sub alis suis: sic homines, & præcipuè peccatores, vt sint securi à læsione mortis, debent fugere ad pœnitentiam, vt sub alis suis, quæ sunt remissio culpæ, & pœnæ, protegantur & saluentur. Vel gallina est ecclesia, & eius alæ sunt sacramenta, ad quas debent refugere pulli, id est ecclesiæ filij, quando timent miluum, id est mortem vel diabolum: quod dum facere nolunt, tunc potest dicere diuina misericordia maliciæ, & obstinationi eorum, illud Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti.* Debet ergo quilibet timere mortem, cùm ab omnibus dicatur, & per experientiam appareat, quod continue ipsa volitet super nos, vt rapiat, & non sit qui eripiat. Hester. 9. *Fama nominis eius*, scilicet mortis, *per cunctorum ora volitabat.* Quarto tanguntur instrumenta mortis, quæ sunt illatio violentiæ, & defectus naturæ: quia *expandit alas suas*. Duæ enim alæ mortis, sunt duo modi moriendi, scilicet vel per mortem naturalem, quæ est ab interiori; vel per mortem violentam, quæ est ab exteriori. Nam violentum dicitur secundū philosophum, cuius principium est extraneum, inferens vim passo. Quælibet istarum alarum habet multas pennas, id est multas causas, & varios modos. Et extendunt se istæ alæ mortis, super omnes viuentes in terra, secundū illud Esa. 8. *Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terræ.* Iob 39. *Plumescit accipiter, extendens alas suas ad austrum.* Accipiter qui rapit aues, signat mortē, quæ rapit homines: qui plumescit, quando homo canescit, & senescit, vel quando ægrotare incipit, sed

Mat. 23

Hest. 9.

Esa. 8.

Iob. 39.

ſed alas expandit, quando hominem extinguit, ſiue per mortem naturalem, ſiue per violentam. Sed iſta extenſio fit ad auſtrũ: per quẽ ſignificatur diuinũ iudicium: quia Deus ab auſtro veniet, vt dicitur Abachuc 3. Vnde mors expandit alas ad auſtrum; quia ducit ad diuinum iudicium, quia *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium*, ſicut dicitur Hebr.9. Quinto quoque, in ſupradicta figura tangitur bene morientium premium: quia *aſſumpſit eos*, ſcilicet, quos inuenit bonos, ad gloriam. Aliquando quando eſt commiſſum aliquod maleficium, capiuntur omnes qui inueniuntur in loco, & ponuntur in carcere. Sed poſtea qui inueniuntur innocentes, extrahuntur & liberantur cum honore: qui vero inueniuntur culpabiles relinquuntur in carcere vt puniantur. Sic omnes qui ſunt in mundo iſto, capiuntur à morte & includuntur in ſepulchris: ſed anima illius, quem mors reperit innocentem, & purgatum, aſſumitur ad libertatem gloriæ: anima vero illius, qui inuenitur malus, relinquitur æterno ſupplicio. Matth.24. *Tunc duo erunt in agro*, ſcilicet mundi: *vnus aſſumetur*, ſcilicet ad gloriam, *& vnus relinquetur*, ſcilicet ad pœnam.

Abac. 3

Hebr.9.

Matt.24

C TERTIO oſtenditur in themate aſſumpto, quod iſte Pontifex defunctus, peruenit ad formidabile iudicium, ſcilicet Dei, vbi cõſtituitur omnis defunctus poſt mortem: ſed iſte ſpecialiter oportet quod reddat rationem pro omnibus ſibi commiſsis, in his quæ ſunt pertinentia ad Deum: id eſt, ad diuinum iudicium. Et hæc videntur eſſe præcipuè tria, de quibus in iudicio diuino examinandi ſunt epiſcopi, ad curam animarum ſpecialiter ſpectantia. Nam primo requiretur, quomodo intrauerunt, ſcilicet ad eccleſiaſticam dignitatem & curam animarum, ſcilicet, an ſimoniace, an canonice: & ſi quis non inuenietur canonice intraſſe, dicetur ei illud Matth.22. *Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Et cùm ille obmutuerit, dicet rex miniſtris, vt ibi ſubditur *Ligatis manibus eius & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Secundo examinabuntur, quomodo gregem ſuum cuſtodierint: & dicet vnicuique eorum ipſe iudex, illud Ierem.13. *Vbi eſt grex qui datus eſt tibi pecus inclytum.* Et tunc de his, qui malam curam habuerunt de grege ſuo, implebitur illud Ezech.34. *Væ paſtoribus Iſraël*: id eſt, populi fidelis, ſcilicet chriſtiani. Et hoc propter duo, ſcilicet propter omiſſa circa gregem: & propter commiſſa. Nam quantum ad omiſſa, dicet eis iudex, quod ſubditur ibidem, *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis; & ægrotum non ſanaſtis: quod confractum eſt non alligaſtis: quod abiectum eſt non reduxiſtis.* Item quo ad commiſſa examinabit eos, ſi malo exemplo ſuos ſubditos corruperunt, aut ſcandalizauerunt; ſi iniuſtas exactiones in clericos, vel laicos fecerunt, ſi ſimoniace ſpiritualia vel eis annexa contulerunt; & omnia alia iniqua, quæ erga gregem ſibi commiſſum aliquando exercuerunt. Tertio quoque examinabuntur, quomodo ſe & alios rexerunt. Vnde nunc præuideant ſibi epiſcopi, vt ita ſe regant & alios, quod bonam rationem tunc reddere, & reſpondere poſſint. Et ideo Abachuc, ex perſona prudentis epiſcopi loquens, dicit Abachuc 2. *Contemplabor vt videam quid dicatur mihi: & quid reſpondeam ad arguentem me.* Iſte arguẽs erit ille, de quo dicitur Act 10. quod

Matt.22

Iere.13

Act.10.

quod *constitutus est à Deo iudex viuorum,& mortuorum*.Felix ergo erit episcopus, qui in eius iudicio inuenietur: vt dicitur Lucæ 12.
Luc. 12. *Fidelis dispensator & prudens,&c.* Et sequitur: *verè dico vobis,quia super omnia bona quæ possidet, constituet eum,scilicet in vita æterna.* Adquã nos perducat,&c.

In funere alicuius Præpositi, vel Plebani.

SERMO V.

PErcussit Dominus plebem plaga magna. 1.Regum 6. Si aliquis
1.Reg.6 tam valido ictu percuteretur cum ense,quod caput eius abscinderetur à corpore, bene posset pro certo dici magno ictu, seu plaga percussus.Sic accidit nunc isti plebi,id est, huic ecclesiæ,siue etiam populo eius. Nam ista ecclesia quoddam corpus est,cuius membra certe sunt singuli, qui sunt de ipsius plebanatu: caput autem eius dicitur ipsius plebanus. Sed heu, hodie cum ense mortis huic plebi,id est ecclesiæ vel populo eius, abscidit Dominus caput eius: quia scilicet abstulit ab ea venerabilem hunc patrem, Dominum plebanum,qui erat vir totius prudentiæ,& caput sanum omni virtute præditum. Vnde verè accidit nunc, quod dicitur in verbo proposito: quia *percussit Dominus plebem*, scilicet istam *plaga magna*.

A In quibus quidem verbis describuntur tria.

Nã primo,præmittitur aliquid, quod inducit ad patientiam, cùm dicitur: *percussit Dominus*.

Secundò ponitur aliquid, quod exigit prouidentiam:cũ subditur, *plebem*.

Tertio vero subditur aliquid, quod prouocat ad tristitiam: quia *plaga magna*.

CIRCA primum aduertendum est, quod quia percussio ista de morte istius reuerendi patris, non est ab homine sed à Domino,patienter ferenda est. Et ratio est,quia aliter percutit Deus malos,& aliter bonos. Malos quidem Deus aut percutit ad correctionem, sicut chirurgicus vlcus infirmi,vt sanetur,& hoc est misericordiæ: sicut dicitur Esaiæ decimonono. *Percutiet Dominus* Esa.19.
Ægyptum: id est peccatorem, *plaga,& sanabit eam: & reuertentur Ægyptij ad Dominum: & placabitur eis*. Aut percutit Dominus malos ad eorum damnationem; sicut iusticiarius percutit & occidit malefactorem:& hoc iuste Threnorum tertio. *Percussisti nos; occidisti, nec pepercisti.* Hoc dicitur Thren.3.
ex persona damnatorum, quos Dominus percussit viuentes, & occidit morientes: & non pepercit ab æternis supplicijs. Signum autem quod percussio præsens sit initium damnationis æternæ, est, quando percussionibus præsentibus, non corriguntur percussi, sicut dicitur Ieremiæ secundo. *Frustra percussi filios vestros,disciplinam non receperunt.* Sed boni viri Ierem.2.
percutiuntur interdum, non ex odio sed amore: sic filius percutitur à patre, quia *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Prouerb.vigesimo Prou.27.
septimo. Vnde non percutit eos Deus ad interitum, sed ad virtutis profectum: sicut miles vrget, & percutit calcaribus equum suum,quem amat, vt melius ambulet. Quia igitur ista percussio, quam patimur de morte istius patris nostri,à Domino est,qui ex amore & charitate hoc fecit, vt ipsum ad meliorem vitam perduceret, debemus nos patienter portare: vnde ad hoc potest referri, quod dicitur Iudith nono.
Percutiet eum ex labijs charitatis mea. Iud.9.

mea. In quibus quidem verbis datur intelligi triplex ratio quare mortem istius patris nostri, patienter ferre debemus. Prima attenditur respectu Dei, à quo scilicet est percussio ista, vnde dixit. *Percuties* scilicet tu Deus: tales enim percussiones, quæ dantur in vita præsenti, à Deo sunt, vnde
Ezec. 7. Ezechielis septimo. *Scietis quia ego sum Dominus percutiens.* Et ideo debemus dicere illud Iob primo, *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* Secunda ratio attenditur respectu sui, quia *eum* percussit; granum enim nisi sit trituratum, & percussum, & à paleis, & à thecis exutum fuerit, non portatur ad horreum; nec homo, nisi percutiatur morte, & exuatur à corpore, potest ire ad cœlum. Vnde Deus hūc patrem nostrum voluit mori, vt remuneraret eum de laboribus suis in cœlis: vnde propter bonum suum magis lætari, quam de eius morte dolere debemus. Vnde ipse posset dicere illud Ioannis decimoquarto.
Ioan. 14 *Si diligeretis me gauderetis vtique: quia vado ad patrem.* Certe ipse responderet nobis quod magis sit attendēdum ad amici bonum, quam ad damnum proprium. Et ideo dici-
Prou. 12 tur Prouerb. duodecimo, quod *qui negligit damnum propter amicū, iustus est.* Vnde & consanguinei & amici, & quicunque alij, debēt congratulari animæ eius, secundū illud Lucæ primo. *Vicini & cogna-*
Luc. 1. *ti eius congratulamini ei: quia magnificauit Dominus facere misericordiam suam cum illa.* Tertia ratio est ex parte nostri, id est cuiuslibet nostrum: & ideo dicit, *ex labijs charitatis*, labium, scilicet superius, & inferius, id est, duplex charitatis præceptum, vnum de dilectione Dei; & hoc est labium superius: aliud de dilectione proximi, quod est labium inferius. Vtraque ergo dilectio, ad habendam in hoc casu patientiam, nos inducit. Vnde patientia habenda est propter charitatem Dei. Charitas enim Dei, est amicitia quædam ad Deum. Amicorum autem est cōcordare in eodem volito, vt Tullius dicit, quod amicitia est idem velle, & idem nolle in rebus honestis. Cùm ergo ex voluntate Dei iste casus prouenerit, non haberet homo charitatem, si ab eius voluntate discordaret. Item propter charitatem proximi, id est ipsius plebani defuncti, qui etiam propter mortem desinere non debet: quia *Charitas nunquam* 1. Cor. 13
excidit vt dicitur 1 Corinth. 13. Vnde etiam post mortem, bona animæ suæ diligere ex charitate tenemur. Et non dubium, quin propter bonum suum, Deus subtraxit eum: vnde vtroque modo charitas exigit patientiam. Vnde 1. Corinth. 13. *Charitas patiens* 1. Cor. 13
est: id est ad patientiam inducit.

SECVNDO in themate assumpto, ponitur aliquid quod exigit prouidentiam, scilicet ex patre plebis, in eo quod nominat plebem: quia remoto pastore suo, oportet habere curam & prouidentiam, de habendo alio idoneo successore in patrem & plebanū, qui sit talis vitæ & prudentiæ, & doctrinæ quod possit dici illud Eccles. 30. *Mortuus est pater eius,* Ecc. 30
& quasi non est mortuus: reliquit enim similem sibi: imo si fieri poterit etiam meliorem. Qualis autem plebanus & pater, necessarius sit isti plebi, ostenditur Ecclesiast. 37. vbi dicitur, *Et sapiens anima*
Ecc. 37 *sua, & fructus sensus illius laudabiles sunt: vir sapiens plebem suam erudit.*

In quibus quidem verbis, quatuor continentur, quæ multum necessaria essent in istius plebis rectore.

Primo quidem, vt esset homo

ordi-

ordinatæ conſcientiæ: & talis eſt qui eſt *ſapiens animæ ſuæ*.

Secundo vt eſſet homo laudabilis vitę: & talis eſt cuius *ſenſus laudabiles fructus ſunt*.

Tertio vt eſſet homo ſufficientis ſcientiæ: & talis eſt *vbi ſapiens*.

Quarto autem quod eſſet homo ſanæ & fructuoſæ doctrinæ: & talis eſt *qui erudit plebem ſuam*.

¶ Circa primum aduertendum eſt, quod ſicut Philoſophus dicit, ſapientis eſt ordinare; & ideo ille eſt ſapiens animæ ſuæ qui ſcit animam ſuam debitè ordinare, ſcilicet reſpectu ſui, per conſcientiæ puritatem: & reſpectu Dei, per obedientiæ humilitatem: & etiam reſpectu proximi, per iuſtitiæ æquitatem. Tunc enim oſtenditur anima reſpectu ſui, id eſt in ſeipſa ordinata, cum habet conſcientiam mundam, quæ non remordeat eam de aliquo peccato: quia vbicunque eſt peccatum, ſemper eſt ibi aliquid inordinatum. Nam ſicut dicit Auguſt. Peccatum non eſt natura, ſed vitium naturæ appetentis illud quod non eſt ſui ordinis, & ideo non eſt pax in anima, quia non eſt ibi debitus ordo: quia tunc eſt pax & tranquillitas, quando omnia tenent ordinem ſuum, ſicut quando mens hominis, id eſt ratio, voluntas, & quæ ſunt vires ſuperiores in homine, manent ſubiectæ diuinæ legi: & inferiores vires animæ, vt iraſcibilis & concupiſcibilis, ſubijciuntur rationi: tunc eſt in anima pax & tranquillitas, & non dominatur ibi appetitus peccati, & tunc conſcientia habet pacem, quia manet munda à peccato. Propterea dicit Gregor. Nazianzenus, quod prima ſapientia eſt vita laudabilis, & apud Deum pura mens, per quam puri puro coniunguntur, & ſancti ſancto ſo- Augu. Grego.

ciantur. Et quia mens & conſcientia, per confeſsionem peccatorum purgatur: ille eſt ſapiens animæ ſuæ, qui pure peccata ſua confitetur. Vnde Iob 15. *Sapientes confitentur, & non abſcondunt peccata ſua*. Itē pertinet ad ſapientem, quod poſt confeſſionem à peccatis abſtineat, ne per recidiuum peccati, fiant nouiſsima eius deteriora prioribus. Ideo dicitur Eccleſ. 3. quod cor ſapiens & intelligibile, abſtinebit ſe à peccatis. Item, qui eſt ſapiens animæ ſuæ, ordinat eam ad Deum per obediētiæ humilitatem. Deus ſicut inſtituit primum hominem, quod quamdiu ipſe eſſet ſubiectus Deo, & ſibi obediens; quod animalia & aliæ creaturæ inferiores eſſent ſibi ſubiecta, & obedirent & ſeruirent ei: ſed rebellante eo Deo, & tranſgrediente diuinum præceptum, creaturę multæ factæ ſunt ei rebelles, & in ſtimulum & nocumentum. Sic accidit frequenter prælatis, quia Deum ipſum contemnunt, & male viuendo ipſi contradicunt, quod Deus de ſubiectis ſuis, & de alijs ſuſcitat eis aduerſarios & æmulos, qui perſequuntur eos: ſicut accidit Salomoni, qui quamdiu bene vixit & obediuit Deo, Deus dedit ſibi pacem cum omnibus: ſed quando incepit male viuere, Deus ſuſcitauit ſibi aduerſarios, ſicut dicitur 3. Regum 11. Et ideo ſapiens prælatus, ſi vult plebem ſibi ſubditam habere pacificam, debet humilis, & reuerens, & obediens eſſe Deo. Exod. 35. *Quis veſtrum ſapiens eſt, veniat & faciat quod Dominus imperauit*. Matthæ. 7. *Qui audit verba mea & facit ea aſsimilabitur viro ſapienti*. Item qui eſt ſapiens animæ ſuæ ordinat eam ad proximum per iuſtitiæ æquitatem. Iuſtitia enim, vt dicit Tullius, eſt conſtans & perpetua Iob 15. Eccl. 3. Exod. 35

tua

tua voluntas, ius suum vnicuique tribuens. Et talis debet esse voluntas in animo prælati; non solum vt aliena non rapiat, sed vt ius suum vnicuique reddat: est enim de iure subditorum, vt à prælato suo recipiant non precio, sed gratis, spiritualia sacramenta, Item salutifera verba & exempla: & etiam, si adsit facultas temporalium rerum, quando egent, subsidia. Et qui talia facere contemnit, non est iustus, & lædit animam suam, & ideo non est sapiens animæ suæ; quia non diligit eam. Contra illud Prouer. 23.
Pro. 23. *Esto sapiens & dilige animam tuam:* alias: & dirigit in via animum tuum. Secundum quod ostenditur in auctoritate inducta, esse necessarium in rectore plebis, est; vt sit homo vitæ laudabilis: & de tali subdit, quod *fructus sensus illius laudabiles sunt.* Vbi aduertendum, quod accidit de sensu hominis, sicut de arbore. Nam sicut est arbor mala, & bona, ita & sensus hominis, malus, & bonus est. Et sicut ex arbore mala, prodit fructus malus, quia non potest arbor mala fructus bonos facere: ita & ex homine malo opus malum prodit, sed sicut bona arbor facit fructus bonos, sic sensus bonus facit opera bona. Est ergo sensus aliquis malus, à quo procedunt fructus illaudabiles, id est, opera inconuenietia. Et de hoc dicitur Roma. 1. *Tradi-*
Rom. 1. *dit illos Deus,* id est tradi permisit, *in reprobum sensum, vt faciant illa quæ non conueniunt.* Talia enim opera, quæ non conueniunt, sunt opera vitiosa: & ista opera sunt, sicut fructus illaudabiles. Fructus illaudabiles, quoad arbores, dicuntur fructus qui sunt insipidi, vel amari, vel põtici, indigesti, frigidi, crudi, & duri: & qui etiam sunt corrupti & putridi. Fructus ergo insipidi referuntur ad accidiosos; qui scilicet spiritualia opera non faciunt, cum sapore delectationis, sed cùm tristitia & grauedine cordis. Habent enim infectum palatum cordis de febre iniquitatis: sicut Bernar. dicit. Vnde Prouer. 15. *In fructibus* Bernar. *impij conturbatio.* E contra autem Pro. 15. fructus laudabiles, sunt fructus sapidi, id est, opera bona, quæ fiunt cum suauitate deuotionis, & cum dulcedine & sapore delectationis spiritualis. Canticorum. 2. Canti. 2. *Fructus illius dulces gutturi meo.* Fructus autem qui sunt amari, referuntur ad inuidos: quia in inuidis est zelus amarus. De quo Iacob. 3. *quod si zelum amarum* Iaco. 3. *habetis inter vos:* vnde & Iudæi, qui Christum ex inuidia tradiderunt, felle amaritudinis potauerunt eum. Sed è contra vir sanctus, qui non habet animum erga aliquem amarum, per inuidiæ liuorem, sed dulcorosum, per charitatis amorem; facit fructus suaues & vtiles, id est opera vtilia, & grata, & laudabilia. Eccl. 11. Eccl. 11. *Initium dulcoris habet fructus illius:* quia scilicet initiatur dulcedinē charitatis. Fructus autem acetosi & pontici, referuntur ad iracundos: quia ira cor pungit, & alios pungere facit, sicut pontica & acetosa pungunt. Dicuntur autem tales fructus pontici saporis illaudabiles: quia sunt duri & stiptici. Et sic hominum iracundorum, quidam sunt stiptici, qui fæcem iracundiæ de ventre memoriæ non emittunt: vnde stiptici sunt, qui sunt difficiles ad iniurias obliuiscendum, & duri ad parcendum. Sunt tamen fructus pontici appetitus excitatiui, sic iræ motus excitant, seu incitant appetitum ad vindicandum. Sed è contra fructus laudabiles, sunt fructus mansuetorum: id est, qui non ex iracundia, sed in suauitate mansuetudinis opera sua

per-

perficiunt. Isti sunt velut ficus, quæ non producunt fructus asperos & ponticos, sed mites & suauissimos. Vnde Iudicum de-
Iud. 19. cimo nono. *Dixit ficus ad arbores, Nunquid possum deserere dulcedinem meã, fructusque suauissimos:* ita dicit homo mitis & mansuetus. Fructus autem indigesti, referuntur ad gulosos: quia vt plurimum indigestio prouenit ex cibi superfluitate; cuius causa esse consueuit gulæ appetitus. Item cibus indigestus est impurus, quia per digestionem humoris purum ab impuro separatur: & gulæ satietas immundiciam, & impuritatem generat corporis & animæ. E contra autem fructus mundos & laudabiles facit temperantia, & abstinentia, quæ & valet ad purgandum immundiciam peccatorum corporis &
Mich. 5. animæ. Vnde Micheæ, 6. *Dabo fructum ventris mei pro peccato animæ meæ.* Fructus autem frigidi & etiam crudi, referuntur ad auaritiam, quæ extinguens calorem charitatis in anima, frigidã eam
1. Io. 2. reddit, in amore tam Dei, quam proximi. Vnde dicitur. 1. Ioan. 2. quod *qui diligit mundum non est charitas patris in eo.* Et ideo August. dicit, quod venenum charitatis, est cupiditas rerum temporalium; augmentum verò eius, cupiditatis diminutio: perfectio vero nulla cupiditas. Facit etiam auaricia fructus crudos & acerbos: quia auari sunt aliis crudeles, & asperi, & incompassibiles erga pauperes. Et nota quod fructus crudi, sunt malorum humorum nutritiui, & gustus corruptiui: & præcipuè pueris, & debilibus sunt nociui. Sic auaritiæ lucra, & opera, malos humores, id est, malas affectiones interiores, & desideria nutriunt: quia sicut
Ti. 6. dicit Apostolus 1. Timo 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli: & in desideria multa, & inutilia, &c.* Item appetitus auaritiæ corrumpunt gustus animæ, vt non sapiant auari spiritualia, sed solum terrena lucra. Contra illud Apostoli Coloss. 3. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Item Colo. 3.
debilibus & imperfectis maximè nocent occupationes temporalium, quas auaricia multiplicat. De talibus ergo fructibus, id est, operibus auarorum, dicitur Sap. Sap. 4.
4. *Fructus illorum inutiles & acerbi.* Sed ècontra fructus laudabiles sunt fructus liberalitatis & pietatis. Prouerb. vltimo. *Date ei de* Pro. vlt.
fructu manuum suarum: & laudabunt eum in portis opera eius. Fructus autem duri referuntur ad superbos: quorum corda propter defectum pietatis & gratiæ sunt arida & dura: eis enim sub typo montium dicitur. 2. Regum 1. 2. Re. 1
Nec ros nec pluuia veniat super vos. Et ideo sunt fructus eorum illaudabiles. s. Ecclesi. vigesimo Eccl. 24.
quarto. *Flores mei fructus honoris?* dicit humilis. Flores sunt cogitationes humiles; sed fructus humilium opera, ad quæ sequitur exaltatio honoris: quia *qui se humiliat exaltabitur.* Sed fructus corrupti & putridi, sunt peccata luxuriæ: quæ propter sui turpitudinem, inducunt erubescentiam & confusionem Iere. 12. *Con-* Iere. 12.
fundimini à fructibus vestris. Sed fructus continentiæ & castitatis, sunt fructus laudabiles. Propter quod dicitur Malach. 3. *Non cor-* Mala. 3.
rumpet; supple luxuria: *fructus terræ vestræ*; id est corporis vestri. Isti ergo sunt fructus laudabiles hominis vere sensati: propterea dicitur alibi. *Fructus sensus illius fideles.*

Tertio requiritur in plebano & rectore, vt ostenditur in auctoritate inducta, vt sit sufficientis scientiæ seu literaturæ; & talis C

lat-

largo nomine vocatur hic sapiens vir; sicut apud vulgus, homines literati vocantur sapientes. Toleratur tamen in prælato, quod habeat & si non eminentem, tamen competentem scientiam. Sed videtur quod si quis vult habere copiam aquæ, debet ire ad fōtem siue venam: & ita si clericus vel prælatus vult habere de aqua sapientiæ, debet ire ad fontem, id est, ad sacram scripturam; quia inde oriuntur omnia flumina. Scitis quod viator calefactus & sitibundus, veniens ad fontem, auide bibit de aqua eius, vt potetur & refrigeretur: sic auide & affectuose, debet clericus ad studium diuinæ scripturæ intendere, vt potetur aqua sapientiæ salutaris,
Eccl. 5. secundum illud Ecclesiasti. 5. *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Huius enim aquæ fons diuina scriptura est: de quo Damascenus. Si erimus affectuose discentes; erimus multa discentes
Eccl. 26. Ecclesiast. 26. *Sicut viator sitiens ad fontem, os aperiet.* Sed conqueritur scriptura de clericis, qui relinquunt studium suum, & student in quibusdam aliis scripturis vel scientiis, quæ nihil valent
Hier. 2. pro anima, per Hierem. secundo. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ: & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas;* scilicet, salutares. Sed qualiter possit haberi de fonte scripturæ aqua sapientiæ, ostenditur figura-
Nu. 20. te Numeri. 20. vbi legitur quod populus vadens ad terram promissionis, sitiuit in deserto propter calorem & laborem viæ: tunc Moyses & Aaron rogauerunt Dominum dicentes. *Domine aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ.* Tunc de mandato Domini percussit virga bis silicē, & scaturiuit fons: vt abundanter biberet populus & iumenta. Iste populus vadens ad terram promissionis, est populus Christianus tendens ad terram paradisi, quæ est terra viuentium, quam repromisit Deus diligentibus se: hoc est ad refrigerandum æstum tribulationum, & releuandum tædium laboris quæ patimur in via, id est in mundo: desiderare debet aquam sapientiæ, ad quam impetrandam à Deo multum valent orationes iustorum, vnde Sapien. 7. *Inuocaui & venit in me spiritus sapientiæ.* Sap. 7. Vnde debet orare cum Samaritana. *Domine da mihi hanc aquam.* sed debet etiam virga, id est, rectitudine & subtilitate intellectus, silicem, id est textum & literam diuinę scripturæ, qui fortis & difficilis est ad impetrandum & intelligendū, bis percutere, id est, bis studere, scilicet primo ad habendum sensum literalem; secundo ad percipiendum sensum mysticum & spiritualem. Vel quia dupliciter debet homo studere in ipsa scriptura diuina. Primo speculatiue, ad intelligendum & sciendum. Secundo practice ad faciendum & seruandum, & tunc habebit aquam sapientiæ, vnde Matth. 7. Matt. 7.
Omnis qui audit verba mea: scilicet ad intelligendum & sciendū: *& facit ea*, id est, studet ad ea faciendum, *assimilabitur viro sapienti.* Et de hac aqua sapientiæ potantur homines & iumenta: id est, subtiliores & simpliciores.

Quarto requiritur in plebano & rectore, quod sit homo sanæ & fructuosæ doctrinæ: & ideo dicitur in auctoritate inducta, *quod erudit plebem suam.* Ista eruditio fit duobus modis, sicut dicit glossa: scilicet verbo, & exemplo, & plus ad bene agendū erudit homo exēplo quam verbo. Et ratio est quia simile generatur à simili, sicut homo ex homine, & equus ex equo: sed magis simile est operi factum, siue facti exemplū D

quam verbum : & ideo magis inducitur homo ad bona opera per exemplum operis, quam per verba tantum : & ideo vtroque modo debet erudire plebem suam. Eccl.18. Ecclesiast. 18. *Docet & erudit quasi pastor gregem suum.*

E TERTIO in themate assumpto ponitur aliud quoad tristitiam, scilicet *plaga magna* : qua percussi sumus in percussione mortis, istius patris nostri. Legitur enim in veteri testamento, quod quando moriebatur aliquis rector, seu princeps multitudinis, qui bene, & vtiliter rexisset populum; quod tota multitudo tristabatur & plangebat, quia scilicet in plaga mortis eius, totus populus reputabat se percussum, propter magnum damnum suum, ex carentia eius: sicut mortuo Moyse, eum planxerunt omnes filij Israël triginta diebus. Deuter. 45. Deu. 45 Item mortuo Samuele, qui fuerat iudex populi, congregatus est omnis Israel, & planxerunt eum nimis. 1. Regum. 25. 1. Re. 25 Et mortuo Iuda Machabeo in prælio, qui fuerat dux inclytus populi sui, fleuit eum omnis populus Israel planctu magno; & lugebant dies multos. 1. Machabeo. 9. 1. Mac. 9 In percussura ergo & plaga mortis istius patris spiritualis, qui sua misericordia erat substentator egenorũ, sua sapientia eruditor indoctorum; sua potentia defensor oppressorum; sua prudentia director deuiatorum, sua iustitia corrector vitiorum, sua gratia & beneuolentia concordator inimicorum, vere ecclesia ista & plebs eius tota percussa est plaga magna : & idcirco omnis populus eius, habet lugendi materiam. Vnde videtur hodie hic impletum quod dicitur. 2. Reg. 6. 2. Re. 6. *Luxit populus, eo quod percussisset Dominus plebem plaga magna nimis.* Rogemus tamen eum, qui vulnerat & medetur; percutit, & manus eius sanabunt; quod ipse sanet plagam nostram, animam istius patris nostri in gloriam suam recipiendo, & de alio nobis idoneo patre & rectore bono prouidendo : cum quo hic consolemur in gratia, & tandem beatificemur in gloria. Ad quam, &c.

In funere alicuius sacerdotis.

SERMO VI.

STet ante iudicium causam reddens facti sui, & moriatur sacerdos. Iosue. 10. Iosu. 10 Consuetudo dominorum est, exigere rationem ab officialibus suis; & quibus maiora facta pertractanda commiserunt, ab his districtiorẽ rationem exigunt. Sacerdos autem est præcipuus officialis Dei, cui Deus maximum officium commisit, sicut est pertractare corpus & sanguinem suum, & animas hominum posse soluere & ligare; quas ita charas habet, vt pro eis suum corpus tradiderit, vnde Deus citat eum per mortem ad iudicium suum, vt reddat causam, siue rationem factorum suorum. Et ita nunc accidit de isto nostro sacerdote defuncto: de quo ex persona dicitur. *Stet ante iudicium, &c.*

In quibus quidem verbis tria describuntur. A

Nam primo pręmittitur citatio hominis, cum dicitur. *Stet ante iudicium causam reddens facti sui.*

Secundo subditur sententia iudicis, cum dicitur. *Et moriatur.*

Tertio exprimitur dignitas ordinis in eo quod subinfertur : *sacerdos.*

CIRCA primum notandum, quod citatio fit ad duo. Primo

enim citatur, vt coram iudice cōpareat, vnde dicit, *Stet ante iudicium*. Secundò vt rationem reddat: & ideo subdit: *causam reddens facti sui*. Quoad personarum citationem est sciendum, quod ille qui vult coram Deo iudicante securus comparere, & ante eius iudicium sine suo præiudicio stare, debet primo iura sua discutere & præparare; vt ea coram iudice possit securè producere. Nam vt Apostolus ait 1. Corinth. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus*, id est, diligenter ad iudicium præpararemus, *non vtique à Domino iudicaremur*, scilicet iudicio condemnationis. Et idcirco tenere debet homo consilium sapientis, quod scribitur Ecclesiast. 18. *Ante languorem adhibe medicinam: & ante iudicium interroga teipsum, &c.* In quibus quidem verbis dat nobis duplex consilium.

1. Cor. 11

Eccl. 18

Vnum contra culpam, quando dicit: *ante languorem adhibe medicinam*.

Et aliud contra pœnam; cum subdit: *& ante iudicium, &c.*

¶ Primò ergo dat nobis consilium de remedio contra culpam: cum dicit: *ante languorem adhibe medicinam*. Nam quando aliquis videt aliquem malis humoribus plenum, & ad maximam infirmitatem dispositum, dicere consueuit. Oportet vos aliquam accipere medicinam. Sic homo plenus malis humoribus, id est, malis affectionibus, & sanguine corrupto peccati: curari nequaquam potest, nisi per pœnitentiæ medicinam expellantur: & in medicinis quidem corporalibus, ita est, quod non omnes possunt eas habere, sed tamen in spiritualibus bene possunt, eo quod summus medicus vnam nobis medicinam fecit, multum charam: & quæ ipsum multum grauauit, scilicet, de sanguine suo, quem tamen ex sua gratia, exhibuit nobis gratis: & ideo qui recurrit ad pœnitentiæ medicinam, curatur, quia virtutem habet à Passione Christi: vnde *altissimus de terra*, id est, de carne sua, *creauit medicinam: & vir prudens non abhorrebit eam*. Ecclesiast. 38. Et videmus quod quanto languor, seu infirmitas est prolixior, & magis radicata: tanto plus habet facere medicus. Incepit autem languor peccati ab ipso principio mundi, & durabit vsque in finem: non ergo sine magno grauamine fieri potuit, vt talem medicus Christus medicinam conficeret, quæ omnia peccata curaret, præterita, præsentia, & futura, sicut facit passio Christi. Ecclesiastic. 10. *Languor prolixior grauat medicum.*

Eccl. 38

Eccl. 10

¶ Magnus dolor est, quando mater moritur in partu, & oportet filios extrahi per latus: & sic accidit de carne Christi. Item mater maiorem dolorem sustinet, quando parit plures natos, quam quando vnum. Esa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit*. Et ideo ad pœnitentiam, quæ medicina est, debet recurrere infirmus: quia mediante pœnitentia, applicatur nobis virtus passionis Christi. Et ideo sicut Christus passus est in animo tristitiam, & in corpore pœnam: ita & in anima & in corpore, oportet peccatorem, qui vult curari à languore peccati, facere pœnitentiam. Secundum vero sapientis consilium est, de remedio contra pœnam, cum subditur, *& ante iudicium interroga teipsum, &c.* Si aliquis iniustam habens causam, esset à iudice aut à potestate citatus, certissime sciens quod si comparuerit cum tali causa, ad suspendium condemnabitur: libenter talis, si posset, ante iudicium placaret Dominum & iudicem, vt euadere posset suspēdium. Sic certè peccator citabitus

Esa. 53

tur imo iam citatur ad diuinum iudicium, per infirmitates vel senectutem, & habet malam causam, cùm qua si ad iudicium venerit, suspendetur: & ideo debet libenter ante pacificare Deum, & videre peccata sua, & interrogare seipsum, & emēdam facere Deo. Sapien.1. *In cogitationibus impij, interrogatio erit.* Et ideo dicitur Ecclesiasti.18. *Ante iudicium para iustitiam:* & sequitur illic: *& inuenies propitiationem.* Eccles.17. *Magna misericordia Domini & propitiatio illius conuertentibus ad se.*

Sap.1.

Eccl.18.

B Secunda citatio ad diuinum iudicium est, ad reddendam rationem factorum suorū: & ideo subditur in themate causam, id est, *rationem reddens facti sui.* Sed nota hic, in ista ratione reddenda triplicem differentiam. Primam ex parte causæ. In hoc enim differt iudicium particulare, quod fit in morte, & iudicium generale, quod fiet in fine mundi de vnoquoque homine: quia in iudicio post mortem agitur solum causa animæ, quia sola anima iudicatur. Threnor.3. *Iudicasti Domine causam animæ meæ.* Sed in finali iudicio ventilabitur non solum causa animæ, sed etiam corporis. Apostolus 2. Corint.5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi: vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.* Secunda differentia sumitur exemplo rationis reddendæ: quia in iudicio particulari post mortem, redditur ratio, non voce sed mente. Vnde quidem frater prædicator apparuit post mortem alteri fratri suo dicens, quod tunc astiterat diuino iudicio, & receperat sententiam, quod pro quibusdam culpis, & negligentijs suis, deberet ire ad pœnas purgatorij. Sed antequam, iret ad locum purgatorij, permissum erat sibi à Deo, vt appareret ei ad petendum suffragia ab eo. Et ipse petiuit à defuncto, qualiter sit illud animæ iudicium, & qualiter redditur ratio? Et ille respondit, quod fiebat mentaliter; & subito; quia ex præsentia Dei illuminata erat anima eius, quod subito vidit in mente eius omnia facta sua bona & mala; ita quod ipsemet cognouit, & iudicauit quali pœna vel præmio dignus esset. Et post promissa suffragia disparuit. Sic etiam dicit Apostolus 1. Corinth. 4. *Quod Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Sed in iudicio generali & finali, vbi erunt tam boni quam mali cum corporibus suis, dicunt quidam, quod reddetur ista ratio voce corporali, & non tantum examinatione mentali. Et ratio est; quia Christus non iudicabit tantum, vt Deus, sed etiam vt homo: vnde eius iudicium fiet, vt dicunt, non tantum modo diuino; sed etiam modo humano. Et ex hoc maius erit gaudium sensibile bonorum, & maior dolor & confusio sensibilis reproborum: vnde, vt dicunt, non erit hoc frustra, sed vtiliter, sicut & corporalis apparitio Christi iudicis. Sed sanctus Thomas de Aquino dicit, quod probabilius existimatur, quod totum illud iudicium, & quoad discussionem meritorum, quod est rationem exigere; & quo ad accusationem malorum, & commendationem bonorum, quod est rationem approbare, vel reprobare; & quoad sententiam vtrorumque, quod est pœnam vel mercedem determinare; mentaliter tantum perficiunt. Si enim vocaliter facta singulorum narrarentur; inæstimabilis magnitudo temporis ad hoc requireretur; sicut etiam Augustinus dicit 20. de

Thren.3.

2.Cor.5

1.Cor.4

S.Tho.

Augu.

de ciuitate Dei : quod si liber ex cuius scriptura omnes iudicabuntur,vt dicit Apocalyp.20. carnaliter cogitetur, quis eius magnitudinem , aut longitudinem valeat æstimare : aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptæ sunt vniuersæ vitæ vniuersorum : Non autem minus tempus requiritur, ad narrandum oretenus singulorum facta,quam ad legendum , si essent in libro materiali scripta. Vnde probabile est quod illa quæ dicuntur Matth.25. quod dicet rex. *Esuriui,&c.* non vocaliter, sed mentaliter intelligenda sunt esse proferenda. Tunc ergo homines, sicut dicitur 1. Petri 4. *reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos*. Tertia differentia est ex parte personæ iudicandæ, quia sacerdos non curatus, habebit reddere rationem solum de factis proprijs,sicut & quilibet aliorum hominum . Vnde Roman.14. *Vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Et ideo dicitur in themate: *reddens rationem facti sui* ; scilicet à se commissi , vel omissi . Reprobi enim duplici de causa damnabuntur. Primo, quia peccauerunt contra iustitiam , transgrediendo scilicet præcepta iustitiæ. Et ideo per iustitiæ sententiam, iuste & digne damnabuntur ad pœnam inferni. Vnde tunc cogentur dicere illud Luc 23. *Nos quidem iuste* supple patimur. *Nam digna factis recipimus*. Secundo damnabuntur reprobi , quia peccata non redemerunt per opera misericordiæ quia *iudicium sine misericordia, fiet illi, qui non fecit misericordiam*: sicut dicitur Iacobi secundo. Sancti ergo in aliquo modo cum reprobis conueniunt; primo, quia omnes, vel fere omnes peccauerunt:sed in hoc differunt, quia peccata sua per opera misericordiæ redemerunt : & propterea saluabuntur. Propter quod Tobiæ 4. dicitur: quod *fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Sed sacerdos curatus , cui animarum cura commissa est , non solum de factis suis propriis , oportebit quod reddat rationem , sed etiam pro factis alienis , scilicet parochialium suorum , & animarum sibi commissarum. Propter quod dicebat Apostolus Hebr.14. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri : vt cùm gaudio hoc faciant , & non gementes.*

(Matt.25 · 1.Pet.4. · Rom.14 · Luc.23 · Iaco.2. · Tob.4. · Heb.14.)

G

SECVNDO in assumpto themate subditur sententia iudicis, qui dixit *moriatur*. Consueuerunt enim iudices condemnare reos ad mortem, secundum formam statutam in lege.Natura autem humana in primis parentibus incurrit reatum mortis: quia comederunt cibum vetitum à Deo sub pœna mortis . De quo Genes. secundo . *Quacunque die comederitis ex eo , morte moriemini.* Et ideo factum est à Deo statutum generalis legis, quod omnis homo moriatur . Et de hoc ait Apostolus Hebræ.9. *Statutum est homini semel mori.* Sed aduertendum quod sancti viri cupientes exire à malis huius mūdi , ab huius statuti seu legis debito , sponte se exonerare expetunt , scilicet mori appetendo , & hoc à Deo postulando. Cuius figura habetur Ionæ 4. vbi dicitur. *Percussit sol super caput Ionæ , & æstuabat: & petiuit animæ suæ vt moreretur.* In quibus quidem verbis tangitur triplex ratio , quare sancti viri libenter moriuntur . Primo quidem, vt liberentur à mundi corruptione : quæ corruptio significatur in eo, quod dicit. *Percussit sol super caput Ionæ , &c.* Sol enim

(Gen.2. · Heb.9. · Ion.4.)

enim est prosperitas mundi, quæ caput, id est, mentem hominis percutit vulnere inordinati amoris, & tunc æstuare facit ardore auaritiæ vel ambitionis. Sciendum est igitur, quod mundus duobus modis homines corrumpit, vel in prosperis per superbiam, vel in aduersis per impatientiam; sed exiens à mundo per mortem, liberatur ab vtroque. Vnde tunc accidit, sicut dicit

Ps. 120 Psalm. 120. *Per diem sol non vret te, neque luna per noctem*: quod exponit glossa dicens. Neque per diem prosperitatis, vret te sol elationis: neque per noctem aduersitatis, vret te luna deiectionis. Secundo appetunt mortem sancti viri, vt securentur à periculorum trepidatione. Et ideo dicit in auctoritate inducta, quod *petiuit animæ suæ*, id est, pro securitate animæ suæ. Nam quamdiù viuunt sancti viri, semper timent pericula mundi; quia quamdiu sunt in carne, sunt in domo ruinosa: & quamdiu sunt in mundo, sunt in domo ab incendio occupata; quia *totus mundus in maligno*

1. Ioan. 5 *positus est*, id est, in maligno igne. 1. Ioan. 5, vnde appetunt exire per mortem, sicut homo de domo ruinosa, aut de incendio. Hinc est quod Helias territus ex persecutione Iezabel, fugiens per desertum, petiuit animæ suæ vt moreretur; & dixit. *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam*: vt dici-

3. Re. 19 tur tertio Regum 19. Nam Iezabel non permittebat Prophetas Domini prophetizare, aut veritatem annunciare. Tertio appetunt sancti viri mortem, pro præmiorum assecutione; sicut operarius appetit finem diei vt mercedem recipiat: sancti autem quamdiu viuunt, laborant & operantur, vt æternæ beatitudinis mercedem assequantur, quam assequi non possunt nisi moriantur. Vnde Ionas petiuit vt moreretur, sic sancti mortem appetũt, scientes, quia *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Apo. 14

TERTIO in themate assumpto tãgitur dignitas ordinis: quia *sacerdos*. Tanta enim est dignitas sacerdotalis ordinis, vt in sacra scriptura, sacerdos angelus nominetur. Malach. 2. *Labia* inquit *sacerdotis custodiunt scientiam: & legẽ requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est*. In quibus quidem verbis describitur quadruplex debitum ordinis siue officij sacerdotalis. D Malac. 2

Nam primo quidem sacerdos debet esse cautus in verborum prolatione: quod notatur cum dicitur, quod *labia eius custodiunt scientiam*.

Secundo debet esse idoneus in sui officij executione: quod ostẽditur conuenienter ex nomine, *sacerdotis*.

Tertio debet esse peritus propter aliorum instructionem: quia *legem requirent ex ore eius*.

Quarto debet esse mundus in sua conuersatione: quia *angelus Domini exercituum est*.

¶ Debet ergo primo sacerdos esse cautus in verbi prolatione: & ideo dicit quod *labia eius custodiunt scientiam*. glossa Hieronymi, vt congruo tempore verbum enunciet: sicut Ioseph custodiuit frumentum, vt proferret illud in tempore opportuno, & hoc ad sapientiam pertinet. Sed considera in dicta parte auctoritatis tria. Primo, locutionis instrumentum: quia *labia*: quæ quidem ex ipsis officijs ad quæ deputata sunt, & sacerdotem, & alios instruunt qualiter debent loqui. Nam primo quidem, labia sunt duriciei dentium temperatiua, & ideo facta sunt mollia & carnosa, sic verba sacerdotis debent esse talia, vt mollificent

cent & temperent duriciem peccatoris. Vel ideo ſunt labia mollia, vt oſtendant, quod reſponſio mollis frangit iram: nam verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Item labia ſunt vocis articulatæ formatiua: & vox articulata eſt vox ſignificatiua, exprimens aliquem ſenſum. In quo oſtenditur, quod labia ſacerdotis, & cuiuſlibet alterius loqui debent verba ſenſata, & non inſenſata vel ſtulta. Item labia ſunt aëris frigidi & calidi interceptiua. Nam labia aëri frigido, ſiue calido ſe opponunt: & ipſum retinendo deputatum interius reddunt. Ex quo inſtruitur ſacerdos, & quilibet alius, quod verba inflammantia ad iram, vel inducentia frigus malitiæ, qua homo à bonis retrahitur, etiamſi audierint referre non debent, ſed potius ſe opponere dicentibus: & ſi referre oportet, puriora ea, & placabiliora reportare. Item labia ſunt virtutis interpretatiuæ propria organa: & tales eſſe deberent labia ſacerdotum, vt ſcirẽt ſcripturam exponendo interpretari. Quando ergo ſacerdos talis talia haberet labia, vere dici poſſet ei illud Pſalm. 44. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* Secundo in ipſa parte auctoritatis inductæ, conſidera, depoſitum: quia *cuſtodiunt.* Sunt enim labia velut oſtia oris, ad cuſtodiam interioris cordis. Et quando oſtia domus non bene cuſtodiuntur, aliquando intret hoſtis, qui interius habitantem vel expoliat, vel vulnerat, vel occidit: ſicut accidit Isboſeth. 2. Regum. 4. Et ſic etiam plerumque quando homo non cuſtodit labia ſua ſiue linguam, intrat hoſtis, id eſt, peccatũ, quod occidit animam.

Pſal. 44.

2. Re. 4.

¶ Propterea dicitur Prouerb. 21. *Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam: cuſtodit ab anguſtia animam ſuam.*

Pro. 21.

Tertio in parte auctoritatis inductæ conſidera theſaurum, id eſt ſcientiam. Iſte theſaurus debet in archa memoriæ recondi, vt non deficiat: & iterum proferre alijs, vt proficiant. Dicit autem Anticlaudianus, quod ſciẽtia eſt nobilis poſſeſſio animi, quę diſtributa ſuſcepit incrementum; & auarũ dedignata poſſeſſorem niſi publicetur, elabitur. Eccleſ. 20. *Scientia inuiſa, & theſaurus abſconditus, quæ vtilitas in vtriſque.* & Prouerb. 15. *Labia ſapientum diſſeminabunt ſcientiam.* *Eccl. 20* *Pro. 15.*

SECVNDO oſtenditur in auctoritate inducta, quod ſacerdos debet eſſe idoneus in ſui officij executione. Quod ſpecialiter oſtenditur ex nomine ſacerdotis, quod ſcilicet eſt nomen officij, ſummi miniſterij Dei, & quanto eſt altius miniſterium, tanto quoque miniſtrum ſuum requirit magis idoneum. Eſt enim duplex officium, ſiue actus ipſius ſacerdotis. Vnus principalis reſpectu capitis, ſcilicet Chriſti, conſecrare, ſcilicet dominicum corpus, & quo ad hunc actum eſt ſummus miniſter, quia non dependet à poteſtate ſuperiori, niſi diuina. Alius eſt actus ſecundarius, ſcilicet reſpectu membrorum, & hoc eſt præparare fideles ad dignam ſacramenti perceptionem: non præparatione remota, ſicut faciunt minores ordines, quorum quidam præparant fideles ad dignam perceptionem ſacramenti, remouendo prohibens, ſcilicet aut excludendo malum hominem, quod pertinet ad oſtiarium; aut malum angelum, id eſt, dæmones, quod pertinet ad exorciſtas. Quidam vero ad hoc præparant conferendo aliquid diſponens, ſiue illuminando intellectum, quod fit per lectorem; aut inflammando affe- E

ctũ, id est, quod fit per acolytum cereũ, ad excitationem deuotionis portantem. Alij vero deseruiunt circa mysterium sacramenti, quia subdiaconus materiam accipit à populo, & offert diacono; & diaconus offert eam sacerdoti consecrandam. Sed sacerdos habet præparare ad perceptionem eucharistiæ ipsos fideles, præparatione propinqua, scilicet ligando & soluendo. Et quoad hunc actum, potestas eius dependet à potestate superiori: quia ordinatum regimen multitudinis debet procedere ab vno vniuersali rectore, per multos medios generales, vsque ad plurimos immediatos & particulares. Et ideo Hieronymus dicit & habetur 25. dist. Olim idem erat presbyter, qui & episcopus: & antequam diaboli instinctu in ecclesia, partium dissidia fierent, communi consilio presbyterorum ecclesiæ gubernabantur: postquam vero eos, quos vnusquisque baptizauerat, suos putabat nõ Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris præponeretur, vt scismatum semina tollerentur. Et ita episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispensationis dominicæ veritate presbyteros esse maiores. Quia igitur sacerdos, quoad suum principalem actum seu officium, quod est consecrare dominicum corpus, est summus minister Dei: ideo requirit summam idoneitatem. Et in huius signum, quando vadit ad altare ad consecrandum, spiritualibus & preciosis vtitur vestimentis, ad significandum idoneitatem virtutis quæ debet esse in eo. Nam primo induitur alba camisia totũ corpus cooperiens, quæ significat munditiam à macula malorum operum: deinde ponit amictum in humeris,

Hiero.

qui significat fortitudinem bonorum: & cingulo renes accingit, quod continentiam significat corporis: accipit etiam manipulum, qui est quasi sudarium ad extergendam lippitudinem oculorum, id est omnem negligentiam circa diuinum ministerium: stola vero super vtrumque humerum ponitur, ad significandũ arma iustitiæ à dextris & à sinistris, in susceptione aduersorum & prosperorum: his superadditur planeta rotonda, ad significãdam charitatem, quæ est superna omnium virtutum. Et propter ista dicitur in Psalm. 131. *Sacerdotes tui induantur iustitia*, per quam vt dicit philosophus intelligitur omnis virtus. Ps. 131.

¶ Tertio ostenditur in auctoritate allegata, quod sacerdos debet esse peritus propter aliorum instructionem: quia *legem requirent ex ore eius*. Vbi aduertendũ, quod sicut dictum est, sacerdos habet duos actus. Vnum principalem, super corpus Christi verum. Et alium secundarium, super corpus Christi mysticum. Secundus autem actus dependet à primo: sed non è contrario. Et ideo aliqui ad sacerdotium promouentur, quibus committitur primus actus tantum, scilicet cõsecrare corpus Christi; sicut religiosis, quibus celebratio committitur, sed cura animarum eis non committitur: & ex talium sacerdotum ore non requiritur lex, sed quod sacramenta conficiant: & ideo talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quod ea quæ ad perficiendum sacramentum spectant, rite seruare possint: alij autem promouentur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticum. Et à talium ore populus requirit legem. Vnde scientia legis in eis esse debet, nõ quidem vt sciant omnes difficiles F

quæ-

quæstiones legis, quia in his debent ad superiores haberi recursus: sed vt sciant ea, quæ populus debet credere, & obseruare de lege. Sed ad superiores sacerdotes, scilicet episcopos pertinet, vt etiam ea quæ difficultatem in lege facere possunt, sciant: & tanto magis, quanto in maiori gradu collocantur. Et ideo debent esse sic periti & iusti, vt de quolibet eorum dici possit. *Lex veritatis fuit in ore eius.&c.* Malac. 2. Quarto ostenditur in auctoritate inducta, quod sacerdos debet esse mundus in conuersatione, quia *angelus Domini exercituũ est.* De angelo enim Dionysius dicit, quod est speculum mundum: & ita sacerdos habere debet per mundiciam mentis & corporis aspectum, conuersationem angelicam. Actuum. 6. *Viderunt faciem eius, tanquam faciem angeli.* 1. Regum. 29. *Bonus es tu, sicut angelus Dei.* Et qui talis fuerit, perueniet finaliter ad consortium angelorum beatorum, quod est in vita æterna. Ad quam. &c.

Mala. 2. 2.

Act. 6.

1. Re. 29

In funere vnius Abbatis.

SERMO VII.

Rom. 8.

CLamamus abba pater. Rom. 8. Communiter dicitur, quod vbi sunt magni dolores, ibi sunt magni clamores: sicut mulieres parientes, sicut sentiunt magnos dolores, ita emittunt magnos clamores. Esa. 26. *Quæ concepit cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis.* Quia igitur de morte istius venerabilis patris, habemus materiam magni doloris: idcirco emittimus voces eiulatus, & clamores. Et sicut dicitur in verbo proposito. *Clamamus abba pater.*

Esa. 26.

A In quibus quidem verbis tria Apostolus innuit, de isto patre nostro defuncto.

Primo iudicium doloris: quia *clamamus.*

Secundo officium honoris: quia *abba.*

Tertio affectũ dilectionis: quia *pater.*

CIRCA primum notandum est, quod homines in morte charorum suorum, consueuerunt eiulando clamare, ad indicandum interiorem dolorem. Dolor autem de aliquo defuncto, tanto sentitur acrior: quanto ille qui defunctus est dum viueret erat vtilior. Sed quatuor communiter sunt quæ reddunt hominem aliis magis vtilem, scilicet sapientia; potentia, amicitia; & misericordia. Nam sapientia facit hominem esse vtilem in consiliis; potentia in auxilijs; amicitia in aduersis, misericordia in indigentijs. Et quia abbas, & quilibet prælatus est persona communis, qui debet non sibi tantum esse vtilis, sed etiam multis prodesse: sicut Apostolus dicebat. 1. Cor. 10. *Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis.* 1. Cor. 10

¶ Ita prædicta sunt multum ei necessaria: scilicet quod sit sapiẽs in consulendo, potens in defendendo; amicus in auxiliando; & misericors in subueniẽdo. Quãdo igitur moritur aliquis abbas, aut prælatus, qui talis fuerit merito dolere possunt, & vlulare omnes, Nam possunt clamare & vlulare homines imperiti, quia perdiderunt suum consiliatorem & instructorem; possunt dolore & clamare oppressi, quia perdiderunt suum protectorem, possunt clamare & vlulare amici, quia perdiderunt suum adiutorem: possunt etiam dolere & clamare egeni, quia perdiderunt suum benefactorem. Vnde Hierem. 17. *Clamabunt homines & vlulabunt.* Hie. 17

Sed licet in talibus toleretur clamor doloris, est tamen magis laudabilis clamor officij diuini, & sanctæ orationis: quæ scilicet fieri debet ad Deum, vt animam istius patris defuncti misericorditer suscipiat, & vt lugentibus & tribulatis de morte ipsius, summum auxilium & consolationem infundat. Scriptum est enim in
Ps. 106. Psalm. 106. *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos.* In quibus quidem verbis, de clamoribus orationum, de ipsis orationibus, ostendit quatuor. Primo, quod debent esse auidæ: & ideo dicit, *clamauerunt*. Nam ma-
Augu. gni clamores secundum August.
Ps. 118. magna sunt desideria: vnde Psal. 118. *Clamaui in toto corde*, id est, in toto desiderio cordis. Secundo ostenditur quod debent esse altę:
Damas. quia *ad Dominum*. Damascenus, Oratio est ascensio intellectus in
Psa. 54. Deum. Psalm. 54. *Ego autem ad Dominum clamaui, & Dominus saluauit me.* Tertio ostenditur quod debent esse oportunæ: & tunc maxime opportunum est orare, quando homo tribulatur, & ideo dicitur in auctoritate in-
Ps. 119. ducta: *cum tribularentur*. Psal. 119. *Ad Dominum cum tribularer clamaui & exaudiuit me.* Quarto ostenditur quod tales orationes sũt impetratiuæ: quia *de necessitatibus eorum liberauit eos*. Psal. 30. *Saluasti*
Psa. 30. *de necessitatibus animam meam.* 1.
1. Mac. 9 Macha. 9. *Clamate in cælum & liberemini.*

B SECVNDO in themate assumpto ponitur officium honoris: cùm dicitur *abba*. Sic enim hodie vocantur prælati maiores in quibusdam religionibus, scilicet Abbates. Quantæ autem dignitatis & potestatis sit officium abbatis, ostenditur tripliciter. Primo respectu sacramenti ordinis: quia scilicet abbates possunt tres minores ordines conferre, scilicet psalmistarum, ostiariatum & lectoriatum. dis. 69. capi. 1. &c. Et dicunt quidam, quod hos ordines potest abbas monachis suis, & aliis pleno iure sibi subiectis conferre, & hoc in suo monasterio: alijs autem, aut in alio loco, non debent abbates huiusmodi ordines conferre. ar. 69. distin. cap. 1. Si tamen contulerint, conferunt characterem. Et hoc est intelligendum de abbatibus qui sunt presbyteri, & quibus imposita est manus ab episcopo, secundum morem præficiendorum abbatum, prout dicitur in eodem ca. glossa tamen super idem decretum dicit, quod etiam monachos alterius monasterij potest ordinare, si inuitatus fuerit 9. quæst. 2. Lugdunes. Sed Innocentius dicit, quod abbas exorcistatum, & acholytatum cõferre non potest, nisi hoc ex priuilegio habeat. Sed aduerte, quod secundum theologos psalmistatus non est propriè ordo, scilicet prout ordo dicitur sacramentum, vocatur tamen alicubi ordo: vt 23. distin. psalmista. prout ordo est nihil officij; quia scilicet ipse psalmistatus officium quoddam est annexum ordini lectoris. Nã lector legendo excitat intellectũ, sed cantando deuotionem affectus. Item apparet dignitas & potestas abbatis, etiam respectu episcopi, ex eo scilicet, quod aliquando minus est deferendum seu obediendum episcopo, quam abbati. Verbi gratia. Si episcopus vellet monachum prælatum instituere in ecclesia sæculari, abbas autem noluerit, debet monachus obedire non episcopo, sed abbati 16. quæst. 1. Cum pro vtilitate & ca. Monachi. 58. dist. ca. 1. & 2. Dicit tamen Hostien. quod si exigeret hoc vtilitas ecclesiæ, cogendus esset abbas consentire, & mo-

monachum licentiare: vt in cap. pro vtilitate, & hæc compulsio fieret per superiorem. Item, si Episcopus vellet vocare monachũ ad officium cubiculariatus, inuito abbate non posset: quia hoc est priuilegium solius papæ, quemlibet ad se vocare clericum, vel monachum, 9. qu. 3. per principalem, quia Papæ sine dubio plus est obediendum, quam abbati 8. di. Quæ contra mores, 11. qu. 3. Qui resistit. Item dicunt quidam, quod si monachus confessus fuerit peccata sua episcopo, vel pœnitentiario eius, quod quidem facere potest, cum episcopus sit ordinarius singulorum qui sunt in sua diocesi, nisi forte in suis constitutionibus confirmatis à Papa contrarium sit expressum; vel nisi hoc ex priuilegio habeat speciali; sicut fratribus prædicatoribus prohibetur à Papa, ne peccata sua alicui confiteri præsumant, nisi prælatis suis, vel alteri fratri de prælatorum licentia: nihilominus, vt dicunt, etiam in eo casu, in quo potuit episcopo vel eius pœnitentiario confiteri, tenetur etiam abbati suo, vel de mandato eius iterato confiteri, si hoc præcipiat. Sed in hoc contradicunt theologi communiter: quia confessionem semel bona fide factam ei, qui potest absoluere, nunquam tenetur homo reiterare, nisi velit; vnde secundum sanctum Thomam de Aquino, non potest aliquis, auctoritate cuiuscunque hominis, compellere ad confitendum peccatum, quod alteri confessus est, qui absoluere potuit: quia confessio sacramentorum est quoddam sacramentale, diuino imperio subiacens, non humano. Item apparet dignitas abbatis respectu vocabuli: quia conuenit ei nomen Dei Patris, quia abba, est nomen Dei Patris in hebræo, siue syro sermone, & inuocamus eum abba, ex inspiratione spiritussancti, secundum illud Galat. 4. *Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem abba pater*, id est facientem nos clamare.

S. Thom.

Gal. 4.

C

In quibus quidem verbis notãtur præcipuè tria.

Primum est diuina processio: cum dicitur: *misit Deus spiritum filij sui.*

Secundum est humana inspiratio: quia *in nostra corda.*

Tertium est effectiua inuocatio: quia *clamantem*, id est, clamare facientem, *abba pater.*

¶Quoad primum ergo dicit, quod *misit Deus*: scilicet pater, *spiritum.*

Nam spiritussanctus ab eo mitti dicitur à quo procedit. Quia missio duo importat. Primò habitudinem missi ad eum à quo mittitur. Secundo habitudinem missi ad terminum ad quem mittitur. Sed ratione primi, per hoc quod aliquis mittitur, ostenditur processio quædam missi à mittente. Processio autem in diuinis personis, attenditur secundum originem vnius personæ ab alia. Et ideo solum illæ personæ diuinæ mitti dicuntur, quæ ab alio procedunt; sicut filius & spiritussanctus. Pater autem, quia à nullo alio procedit, mitti non dicitur: igitur missio alicuius diuinæ personæ importat processionem originis. Ab eo mitti dicitur aliqua persona diuina, à quo, secundum originem, procedit: sicut filius, qui à patre est genitus, à patre missus dicitur, secundum illud Ioan. 10. *Quem pater sanctificauit, & misit in mundum*, Galat. 4. *Misit Deus filium suum, &c.* Vnde quia spiritussanctus à patre procedit, secundum illud Ioan, 15. *Spiritum veritatis, qui à patre procedit*: ideo à patre

Ioan. 10

Gal. 4.

Ioan. 15

patre mitti dicitur. Sed quia procedit etiam à filio, propter quod in auctoritate inducta, dicitur, *spiritus filij*, scilicet quia etiam ab ipso procedit: secundum illud Athanasij. *Spiritussanctus à*
Athan. *patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Quod est contra errorem Nestorianorum, & Theodori, & Io. Damasceni, qui dixerunt, spiritum sanctum spiritum filij, sed non à filio:
Damas. quia à Nestorianis fuit iste error primo introductus, quod spiritussanctus tantum à patre procedit, & non à filio; sicut patet in quodam symbolo Nestorianorum damnato in synodo Ephesina: hinc est etiam quod dicitur ipse spiritussanctus ab ipso filio mitti; sicut ipse filius dixit
Ioan. 15 Ioan. 15. *Cùm venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre.* Et quia etiam à patre procedit, & mittitur, dixit Ioan. 14. *Paracli-*
Ioan. 14 *tus autem spiritussanctus quem pater, &c.*

¶Secundo vero, in auctoritate inducta ponitur humana inspiratio, cùm dicitur, *In corda nostra*, id est, in mentes nostras per inuisibilem inspirationem, siue per gratiæ suæ infusionem. Verum quia omne agens assimilat sibi passum, sicut ignis agendo in lignũ vel in ferrum, assimilat illud sibi, ipsum calefaciendo & igniendo. Ideo etiam, quando aliqua diuina persona inuisibiliter mittitur ad aliquem immutandum, oportet quod fiat assimiliatio illius ad ipsam diuinam personam, quæ mittitur ad eum, per aliquod gratiæ donum. Vnde quia filius Dei est verbum spirans amorem, vt Augus. dicit in 10. de Trinitate:
Augu. ideo quando ipse mittitur ad aliquem, assimilat sibi intellectum eius, per instructionem, ad cognitionem inducentem ad dile-
Augu. ctionem sui. Et ideo dicit Augustin. quod filius mittitur, cùm à quocunque cognoscitur atque percipitur; quæ scilicet perceptio per affectum amoris, quæ propriè dicitur sapientia, id est, sapida, scientia fit: ergo quia spiritussanctus amor est; siue charitas, quando mittitur in corda nostra, assimilat sibi ea per donum charitatis. Et ideo Apostolus dicit Ro-
Rom. 5 manor. 5. quod *Charitas Dei diffusa est in corda nostra per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Tertio quoque in auctoritate inducta, ponitur effectiua inuocatio; quia *clamantem*, id est, facientem clamare, id est, cum affectu inuocare, *abba pater.* Vbi aduerte, quod hoc quod dicit *pater*, est expositiuum eius quod dixit *abba*: quia abba est nomen Hebræum, vel secundum aliquos nomen Syrum: alij vero dicunt esse Hebræum & Syrum: & idem est quod pater. Attribuitur autem hoc nomen abbas prælatis maioribus monachorum: quia aliquid participant de Dei potestate. Nam Deo patri appropriatur potentia, vnde & Christus dixit Marci 14. *Abba pa-*
Marc. 14 *ter omnia possibilia sunt tibi*: ergo quia talis prælatus participat aliquid de Dei potestate, ratione prælationis: & ideo secundum regulam beati Benedicti, ea quæ sunt dispensabilia secundum regulam, omnia posita sunt in potestate abbatis: Ideo dicitur abbas; quasi ad similitudinem Dei Patris.

D TERTIO ponit in themate assumpto affectum dilectionis cùm dicit *pater*. Quia enim pater est amantissimus filiorum, ratione etiam charitatis qua debet subditos velut filios diligere; rationabiliter vocatur *pater*. Ioan.
Ioan. 16 16. *Ipse enim pater amat vos.* Sed aduertendum est, quod alia ratione dicitur Deus Pater noster: & alia ratione abbas dicitur pa-

ter. Nam Deus dicitur pater noster ratione creationis, quia scilicet creauit nos ad imaginem & similitudinem suam, quam aliis creaturis inferioribus non impressis. Vnde Deuteron. 32. Deu. 32. *Ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te.* Et ista de causa nos debemus ei honorem, vnde Exo. 20. ipse dixit Exod. 20. *Honora patrem tuum.* Et iste honor consistit in tribus. Primo in laudis deuotione quoad ipsum Deum, qui di- Psa. 49. cit in Psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et ista laus non solum debet esse in ore; sed etiam in corde: ne dicat illud Esa. 29. Esaiæ. 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Item consistit in corporis puritate, quoad se ipsum. 1. Cor. 1. Cor. 6 6. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Item in iudicij æquitate ad proximum. Psalm. 98. Ps. 98. *Honor regis iudicium diligit.* Item Deus dicitur pater noster, ratione gubernationis. Sapien. 14. Sap. 14. *Tu pater omnia gubernas prouidentia.* Et quamuis omnia alia gubernet tamen nos nobiliori modo gubernat: quia alia seruos; nos autem quasi dominos; & ideo di- Sap. 12. citur Sapi 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas; & cum magna reuerentia disponis nos.* Hac autem ratione debemus Deo tria. Primo subiectionem; scilicet obedientiæ. Nā si homo debet obedire patri carnali, multo magis Deo, qui est pater & spiritus noster, vnde He- Hebr. 12 bre. duodecimo. *Patres carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos. Non multo magis obtemperabimus patri spirituum & viuemus?* Secundo debemus ei imitationem. *Patrem vocabis me: & post me ingredi non cessabis.* Ie- Iere. 3. rem. 3. Et debemus ipsum patrem Deum in duobus imitari. Primo in mūditia præcipuè cōti-

nētiæ. Vnde ibidē Primo Hier. 3. 1. Iere. 3 *Amodo voca me pater meus dux virginitatis meæ.* Secundo in misericordia. Lucæ. 6. Luc. 6. *Estote misericordes sicut. &c.* Tertio debemus ei humiliationem, vt humiliter recipiamus & portemus ipsius castigationem. Hebre. 12. Hebr. 12 *Quis enim filius quem non corripit pater. &c.* Item Deus dicitur pater noster ratione adoptionis, quia aliis dedit quasi munuscula; nobis autem hæreditatem: quia si filij & hæredes; hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi, de quo Hebr. 1. Heb. 1. *Quem constituit hæredem vniuersorum. &c.* Et post. *Ego ero illi in patrem: & ipse erit mihi in filium.* Ex hoc autem sequitur, quod proximos nostros debeamus intime diligere, scilicet quia fratres nostri, & cohæredes sunt. Malach. 2. Mala. 2. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum?* Sed iste abbas noster qui modo defunctus est, quibusdam erat pater spirituali prælatione, scilicet monachis suis, qui nunc eo subtracto dicere possunt illud Threno. Thre. 5. 5. *Pupilli facti sumus absque patre.* Quibusdam erat pater spirituali affectione: sicut de quodam dicitur 2. Macha. 14. 2. Mala 14. quod pro affectu pater Iudæorum appellabatur. Quibusdam vero erat pater beneficiorum collatione, vt pauperibus religiosis, & miserabilibus personis, eo modo quo dicitur Ecclesiast 4. Eccl. 4. *Esto pupillis vt pater.* & Iob. 29 Iob. 29. *Pater eram pauperum.* Vnde modo tales non debent obliuisci eius, sed pro anima eius orare: ne forte dicatur de eis illud Psalm. 77. Psa. 77. *Obliti sunt beneficiorum eius.* Contra quod Apostolus Hebre. 13. Hebr. 13 *Beneficientia nolite obliuisci.* Ingratis enim accidit illud Sapien. 16. Sap. 16. *Ingrati spes tanquā hybernal is glacies tabescet, & disperiet tanquā aqua superuacua.* Sed gratis augentur in præsenti gratia, &

& in futuro gloria conferetur. Ad quem nos, &c.

In funere vnius Prioris.

SERMO VIII.

Ioan. 20 VEnit Prior ad monumentum. Ioan. 20. Licet de iure naturali ille qui est Prior alio tempore, id est antiquior in ætate, prius debeat mori, quia quod antiquatur & senescit prope interitum est, vt habetur Hebræ. 8. tamen ex
Hebr. 8 alijs causis frequenter contingit, quod citius moritur qui iuuenis est, quam qui antiquior. Et hoc est quod figuratione ostenditur
Ioan. 20 Ioan. 20. Vbi ad ostendendum quod quandoque qui iunior est citius moritur: dicitur quod Ioãnes, qui iunior erat, prior venit ad monumentum quam Petrus, qui erat eo antiquior. Sed rursus ad ostendendum ordinem, & debitũ naturæ, dicitur etiam ibi quod in ipsum monumentũ Christi prius Petrus quam Ioannes intrauit. Sed quoniam iste noster defunctus, qui modo est ad monumentum portandus, Prioris fungebatur officio; eo scilicet modo, quo hodie in quibusdam ecclesijs prælati vocantur priores, possumus etiam verba proposita ad ipsius mortem & sepulturam transferre: vt scilicet de ipso dicamus: *venit Prior, &c.*

A In quibus quidem verbis, de ipso tria principaliter describuntur.

Et primum est officij præeminentia: quia *Prior.*

Secundum est mortis ipsius instantia: quia *venit.*

Tertium est loci congruentia: quia *ad monumentum.*

CIRCA primum attendendũ est, quod Prior & quicũque alius prælatus, cui animarum cura incumbit, sicut excedit alios in dignitate & prælatione; ita quoque deberet præcedere in virtutum perfectione; sicut pastor excedit gregem, non solum vitæ gubernatione; sed etiam naturæ perfectione. Et hoc beatus Gregor. dicit in pastorali. Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque vt mereri tanta sollicitate studeat; quanta rectitudinis tenendæ necessitate constringitur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo cogitatione mundus; actione præcipuus; discretus silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus; præ cunctis contemplatione suspensus; bene agentibus per humilitatem socius; contra delinquentes per zelum iustitiæ erectus; internorum curam exteriorum occupatione non minuens; exteriorum prouidentiam interiorum solicitudine non relinquens. Et ita patet, quod priores siue prælati, sicut sunt maiores in imperijs; ita debent esse perfectiores in bonis: secundum illud Genes. 49. *Prior in donis, maior in imperio.* Gen. 49
In quibus quidem verbis modo prædicto figurate acceptis, prioratus officium commendatur ex tribus.

Primò ex præeminentia dignitatis: quia *Prior.*

Secundo ex sufficientia bonitatis: quia *in donis.*

Tertio ex obedientia sublimitatis: quia *maior in imperio.*

¶Circa primum notandum est; quod ille qui in hoc officio est Prior, non dicitur prior ex tempore, quia non ille qui antiquior est ætate vel religione, semper in hoc officio ponitur: sed dicitur prior ex dignitate, quasi principalior & honorabilior, sicut dicitur Ioan. 1. *Post me venit vir qui* Ioan. 1.

ante me factus est: qui prior me erat. Sed hæc attendenda est differentia inter bonum & malum priorem, seu quemcunque prælatum. Nam malus ea quæ sunt oneris, imponit subditis. Sed ea quæ sunt honoris & consolationis, illa vult habere sibi: & imponit aliis duras leges, & duras pœnitentias; & ipse pro se accipit libertates & delitias. Vnde de talibus dixit *Mat.23.* Dominus. Matth. 23. *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.* Sed bonus è contrario attendit illud, quod habetur extra de constitu. Cum omnes, vbi dicitur. Quod quisque iuris in alterum statuit; ipse debet vti eo: quia sapientis dicit auctoritas, patere legem quam ipse tuleris. Vnde bonus rector & prælatus, in his quę onerosa & laboriosa sunt, ad dādum exemplum aliis, vult ipse esse prior: vt scilicet dicat aliis, nō ite, sed venite. De hoc habetur *2.Re.28* figura 2. Regum. 28. vbi dicit speculator ad Dauid. *Contemplor* ait *cursum prioris quasi cursum Achimaas filij Sadoch.* Et ait rex Vir bonus est. Nam Achimaas interpretatur onus fratris: & Sadoch: id est iustitiæ filius: qui scilicet prior currit ad onera, quæ fratribus & subditis imponit. Vnde bonus prælatus & prior primus ordinat vitam suam & conscientiam, & postea dirigit vitam sub- *Eccl.32.* ditorum. Vnde dicitur Eccle. 32. *Præcurre Prior in domum tuam*, id est in mentem tuam ab exterioribus sollicite redeas: *& illic aduocare*, id est, totam intentionem tuam ibi congrega: *& illic lude*, id est, attente cogita vt illud facias, quod Deo placeat, & quod proximum ædificet, & tibi lucrū pariat: sicut ille qui ludit, studet placere, & alios recreare & sibi lucrū conquirere: *& illic age conceptiones tuas*, id est, ibi ordina qualiter facias bona, quæ erga alios facere concepisti. Secundo ponitur in auctoritate allegata superius, sufficientia bonitatis: quæ debet esse in priore, maximè quantum ad dona, quæ necessaria sunt ad regimen aliorum, ex hoc quod dicitur *in donis.* Sunt enim necessaria priori seu rectori, vt bene regat, præcipuè ista dona: de quibus Apostolus dicit *Rom.12.* Rom. 12. *Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, siue supple sit*, habens ministerium ecclesiasticum, id est, dispositionem sacramentorum: vtatur eo ad vtilitatem fidelium in ministrando, id est, ipsa sacramenta dispensando, nō simoniace, sed gratuite; non pigre, sed sollicite, non irreuerenter, sed deuote, non immunde, sed pure & caste. *Siue qui docet*, id est, qui gratiam docendi habet, eam ad vtilitatem aliorum erogando vt moneat. Debet enim illuminare intellectum, inflammare affectum, & monere ad actum. *Qui exhortatur*: id est, qui habet gratiā exhortandi: vtatur ea etiā ad vtilitatem aliorum *in exhorándo.* Nā sicut colloquia praua corrumpūt bonos mores; ita bonæ exhortationes, etiā simplicium hominum ædificant. *Qui tribuit*, scilicet eleemosynas tribuat supple *in simplicitate*: id est simplici intentione, in sua intentione vitæ ęternæ, vt nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. *Qui præest in sollicitudine* supple præsis: sollicitudo enim est annexa prælaturæ & dominio. Vnde Tullius. Quo celsior fueris, eo magis te anxium & sollicitum esse oportet, secundæ Corinthiornm vndecima. *In-* *2.Co.11.* *stantia mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum. Qui miseretur*, id est, qui opera misericordię impendit, *in charitate*, supple, hoc

faciat

faciat: quia *hilarem datorem diligit Deus.* Tertio ponitur in auctoritate allegata obedientia sublimitatis: quia *maior in imperio.* Notandum quod in ecclesiasticis officijs, qui maior est auctoritatę & potestate imperandi: ille debet esse minor in humilitate se reputandi, & in charitate seruiendi. Nam in luminaribus cœlestibus, illa quæ videntur esse minora sunt in quantitate maiora: sicut stellæ fixæ videntur esse minoris quantitatis, quam luna, & tamen sunt longè maioris.

Nam minima stellarum fixarum, secundum traditionem Alfagrani, est decies maior quam terra: Luna autem est vna pars de 39. partibus terræ. Et de his diffuse tractaui in libello de operibus 6. dierum ca. 2. videntur ergo minores propter elongationem ab aspectu nostro. Sic ergo qui maiores sunt potestate & dignitate, debent se minores ostendere seruiendi humilitate. Sic enim Christus præcepit Matth.
Mat.20. 20. *Quicunque voluerit inter vos*
Gen.15 *maior fieri, sit vester minister.* Genesis decimoquinto. *Maior seruiet minori.* Vnde dato quod sit maior imperio, non tamen debet cum austeritate imperare, sed cùm mansuetudinis & charitatis dulcedine, vnde Ezech. 34. re-
Ezec.34. darguit Dominus de hoc pastores Israël dicens. *Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: & dispersæ sunt oues meæ.* Chry-
Chrysost. sostomus. Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Vnde Apostolus dicebat ad Philemonem. *Multam fiduciam habens imperandi tibi, quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro, &c.*

B SECVNDO quoque in themate assumpto describitur mortis instantia in eo quod dicitur: *venit* scilicet, ad mortem, Vbi notandum, quod instantia mortis multum humiliat humanam superbiam. Et ratio est; quia mors innihilat omnia ex quibus homo superbire consueuit: scilicet dignitates potentiarum, rerum abundantiam, hominum sequelam; & reuerentiam. Exemplum huius habetur in Antiocho Rege, de quo instante infirmitate mortis, dicit scriptura secundi Macha. 9. quod *capit ex graui superbia deductus, ad agnitionem sui venire; diuina ammonitus plaga.* Vbi per plagam diuinam intelige mortis instantiam, quæ scilicet mors prouenit ex diuina sententia, quæ dicit Genesis secundo. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Hæc autem instantia mortis, triplicem effectum habet. Macha. Gen.2.

Primus est, quia est humiliatiua: quia deducit hominem à sua superbia: vnde dicit primo: *ex graui superbia deductus.*

Secundus, quia est illuminatiua: scilicet: ad *agnitionem sui* faciens hominem venire.

Tertius est correptiua: scilicet per admonitionem: vnde dicit: *diuina admonitus plaga.*

¶ Circa primum notandum, quod grauitas rei apparet ex casu, vel descensu ipsius. Sed casus vel descensus superbiæ, est in ignominiosam culpam, vel in grauem pœnam: & ideo sequitur quod sit grauis culpa. De ignominiosa casu patet: quia Deus excelsos viros, propter superbiã, permittit cadere in turpia peccata. Vnde Roman. primo dicitur, quod philosophi propter elationem cordis, *traditi sunt in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Nam sicut in syllogismis ducentibus ad impossibile, quandoque aliquis conuincitur per hoc, quod ducitur ad inconueniens magis manifestum. Rom.1.

Ita

Ita est, quod ad conuincendam superbiam hominum, Deus aliquos punit, permittens cadere in peccata carnalia; quæ etiam si sint minora, tamen manifestiorẽ turpitudinẽ continent. Vnde *Isidorus* dicit in libro de summo bono, omni vitio deteriorẽ esse superbiam; seu propterea quod à summis personis & primis assumitur; seu quod opera iustitiæ & virtutis exoritur, minusque culpa eius sentitur. Luxuria vero carnis ideo notabilis omnibus est, quoniam statim per se turpis est, & tamen, dispensante Deo, superbia minor est: sed qui detinetur superbia & non sentit, labitur in carnis luxuriam, vt per hanc humiliatus à confusione exurgat. Ex quo patet etiam grauitas peccati superbiæ. Sic enim medicus sapiens, in remedium maioris morbi, patitur infirmum in leuiorem morbum incidere. Ita etiam peccatum superbię, grauius esse ostenditur ex hoc ipso, quod pro eius remedio, Deus permittit hominem ruere in alia peccata. Prouerbiorum vigesimo nono. *Superbum sequitur humilitas.* Iere. 13. *Putrescere faciam superbiam Iuda.* Item grauitas superbiæ facit ruere in profundissimas pœnas: sicut patet de Lucifero. Esaiæ, 14. *Detracta est ad inferos superbia tua:* & 23. *Dominus exercituum excogitauit, vt detraheret superbiã omnis gloriæ.* Secũdo ostẽditur in auctoritate inducta, quod mortis instantia est illuminatiua intellectus: quia scilicet facit hominẽ in cognitionem sui venire, facit enim hominẽ cognoscere & suã imbecillitatem, & suã nuditatẽ & suam iniquitatem. Imbecillitatem quidẽ, quia scilicet videt se non posse morti resistere, vnde Alexander, qui omnium victor fuerat, cognouit se finaliter à morte esse vincendum: vnde dicitur 1. Macha. 1. quod *Alexander Philippi Macedo. &c.* Et sequitur. *Post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur:* id est, à morte vinceretur. Item facit hominem cognoscere suam nuditatem: quia mors compellit hominem exire de mundo, ita vt nihil eius secum deferre possit. Eccle. 5. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil afferet secum de labore suo.* Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic reuertetur. Item facit hominem cognoscere suam iniquitatem; quia mors est quædam citatio hominis ad diuinum iudicium: quia *statutum est hominẽ semel mori, & post hoc iudicium:* sicut dicitur. Hebre. 9. & hoc cognoscimus per fidem. Psalm. 139. *Cognoui quia Dominus faciet iudicium.* Sed ille qui citatur ad iudicium, vt examinetur de criminibus suis, cogitur recordari maleficiorum, & iniquitatum quæ fecit: & venit ad iudicium cum timore. Sapien. 3. *Veniens in cogitatione peccatorum suorum.* Tertio quoque, instantia mortis ostenditur esse correctiua, scilicet per admonitionem; quia admonet ad pœnitentiam & correctionem vitiorum, antequam homo recedat de vita ista: & ideo dicitur in auctoritate allegata: *diuina admonitus plaga.* Vnde Deus plaga infirmitatis, & timore mortis admonet peccatorem, vt relicta malitia redeat ad ipsum per fidem & charitatem, vnde Sap. 12. *Hos qui errant ex partibus corripis, & de quibus peccant admones: & colloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine,* imo etiam ex morte alterius admonetur homo de fine suo, vt cogitet quid futurum sit de se. Et ideo dicitur Eccl. 7. *Melius est ire ad domũ luctus quã ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum*

Iere. 13. Esa. 14. 1. Mac. 1. Heb. 9. Sap. 3. Sap. 12. Eccl. 7.

& viuens cogitat quid futurum sit.

TERTIO in themate assumpto ponitur loci congruentia, quia *ad monumentum.* Monumentum enim dicitur quasi admonens mentem, scilicet non solum de memoria mortis habenda, sed etiam de pœnitentia peragenda. Et hoc figuratè exprimitur in Maria Magdalena: de qua habetur Ioan. 20. quod *Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes.* In quibus quidem verbis, pœnitens peccator de quatuor admonetur. Ioan. 20.

Et primo quidem de interiori contritione: quia *Maria.*

Secundo de exteriori confessione: quia *foris plorans.*

Tertio de humili satisfactione: quia *inclinauit se & prospexit in monumentum.*

Quarto de consolabili consolatione: quia *vidit duos Angelos &c.*

¶ Circa primum aduertendum est, quod interior contritio peccati requirit tria. Primo conscientiæ discussionem, & hoc est monumentum visitare; quia monumentum est in quo clauditur corpus mortuum, & ideo cõscientiam significat, in qua latet mortale peccatum: quam primo pœnitens debet per diligentem discussionem visitare, sed tamen inueniendo ibi tenebras peccatorum, ingerunt sibi non solum pudorem, sed etiam horrorem. Vnde dicitur Ioannis 20. quod *Maria Magdalena,* quæ pœnitentem significat, *venit manè cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum.* Ad monumentum ergo visitandum, id est, ad discutiendum conscientiam suam, mane, id est, sollicite venit, quia vsque ad se- Ioan. 20

ro senectutis, vel noctem mortis, conuerti minimè distulit: sed adhuc ibi erant tenebræ peccatorum, quæ ingerunt sui displicentiam & dolorem, ita vt dicere debeat illud Tobiæ quinto. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo. &c.* Secundo contritio interior requirit culpę abominationem & peccati: quæ prouocat ad vomitum confessionis, & hoc est de ratione contritionis: scilicet peccati abominatio, cum amaritudine cordis, & cum proposito confitendi. vnde dicitur Thren. secundo. *Magna est velut mare cõtritio tua.* Tob. 5. Thre. 2.

¶ Tertio requirit contritio pœnitentiæ continuationem: Et hoc ostendit in auctoritate allegata, quia Maria stabat: nam ceteris recedentibus, non recessit à monumento: & sic non debet homo à pœnitentiæ dolore recedere toto tempore vitæ suæ. Et ideo dicit beatus Augu. *Dolor in pœnitentia continue custodiatur.* Sed aduertendum est, quod duplex est pœnitentia, scilicet exterior, & interior. Interior quidẽ est, qua quis dolet de peccato cõmisso. Et talis pœnitentia debet durare vsque ad finem vitæ: semper enim debet homini displicere quod peccauit: si enim homini placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Displicentia autem dolorem causat in eo, qui est susceptiuus doloris, qualis est homo in hac vita. Post hanc autem vitam, sancti non sunt susceptiui doloris: vnde displicebunt eis peccata præterita, sine omni iustitia: secundum illud Esa. 65. *Obliuioni tradita sunt angustiæ priores.* Pœnitentia vero exterior est, qua quis exteriora signa doloris ostendit, & verbotenus peccata sua confitetur sacerdoti absoluenti: & iuxta eius arbitri- Augu. Esa. 65.

arbitrium satisfacit. Et talis pœnitentia non oportet, quod duret vsque ad finem vitæ: sed vsque ad determinatum tempus, secundum mensuram peccati: sed iterum notandum, quod si consideretur pœnitentia quantum ad actum, sic impossibile est quod homo continuè pœniteat. Nam necesse est quod actus pœnitentis, siue interior, siue exterior, interpoletur ad minus somno, & alijs quæ ad necessitatem corporis pertinent. Si vero consideretur quantum ad habitum; sic oportet quod homo continuè pœniteat: & quantum ad hoc, quod homo nunquam contrarium pœnitentiæ faciat, per quod habitualis dispositio pœnitentis tollatur: & quantum ad hoc quod homo debet in proposito gerere quod semper sibi præteritâ peccata displiceant.

Eccles.2. Ecclesiast.2. *Sta in iustitia*, scilicet pœnitentiæ, *& timore*, scilicet cadendi. Secundo admonetur pœnitens in supradicta figura Magdalenæ de exteriori confessione: quia *stabat foris plorans*. Nam quando solum in corde conteritur, adhuc pœnitens quasi intus latet, sed dum sacerdoti confitetur, quasi foris prodit. Hoc videtur innuisse Christus, quando venit ad monumentum Lazari, & clamauit: *Lazare veni foras: & statim prodijt qui, &c. Dicit eis Iesus. Soluite, & sinite abire.* Vbi primo figurate præmittitur confessionis inspiratio, in eo quod clamauit Iesus *Lazare veni foras*. Secundo sequitur inspirati confessio, quia *statim prodijt qui fuerat mortuus*. Deinde innuitur confessi absolutio: quia dixit eis *soluite, &c.* Sed quia confessio debet esse lachrymosa, dicitur de Maria, quod *stabat foris plorans*. Nam lachrymæ confitentis, quæ prodeunt per foramina oculorum, sunt signa interioris tristitiæ peccatorum, vnde Hierem.48. *Plorans ascendet in fletu, quoniam in descensu Oronim*, quod interpretatur iustitiæ, vel foramen mœroris, *hostes vlulatum contritionis audierunt.* Hier.48.

Tertiò admonetur pœnitens in supradicta figura Magdalenæ de humilitate satisfactionis, cum dicitur, quod *inclinauit se, & prospexit in monumentum*. Dicitur quod camelus, quando debet onus suscipere super se, inclinat se genu flectendo. Sic pœnitens debet inclinare, id est, humiliare se ad suscipiendum onus pœnitentiæ, siue satisfactionis. Psalm.118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas*, id est, per opera satisfactoria, quibus homo iustificatur à peccato. Ps.118. Debet etiam prospicere ad monumentum, id est, ad conscientiam, vtrum sit ibi mortuus, id est, aliquod peccatum mortale, de quo propter obliuionem non fuerit confessus, vel quo non sit purgatus per satisfactionem, vnde conscientiæ dici potest illud Esa.14. *Ad te inclinabuntur teque prospicient.* Esa.14. Quarto in supradicta figura agitur de remissionis testatione, cum dicitur: quod *vidit duos Angelos, &c.* Isti duo angeli, qui fuerunt testes resurrectionis Christi, significant duas puritates, quæ ostendunt resurrectionem pœnitentis à mortalibus peccatis. Vna est respectu præteriti: sicut est non habere remorsum conscientiæ de aliquo peccato præterito, sicut dicebat Apostolus 1. Corinth 4. *Nihil mihi conscius sum.* 1.Cor.4. Secunda est respectu futuri: scilicet non amplius peccare de cetero. Vel significant isti duo Angeli, vigorem resistendi de cetero malo, & feruorem proficiendi in bono. Luc.24. *Venerunt dicentes se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.* Luc.24. Et hi dicuntur sedere in albis

albis: quia non nisi vbi sunt pacatæ, & mundæ conscientiæ reperiuntur. Acto. 1. *Duo viri astiterũt iuxta illos in vestibus albis.* Hi ergo annunciant resurrectionẽ à morte culpæ, ad vitam gratiæ, per quã peruenitur ad vitam gloriæ, Ad quam, &c.

In funere vnius Abbatissæ.

SERMO IX.

2. Mac. 7 MATER *mirabilis & bonorũ memoria digna.* 2. Machab. 7. Sicut prælati monachorum maiores communiter vocantur Abbates, id est, patres, ratione gubernationis, alicubi vero vocantur Priores, ratione Prælationis: Sic etiam & monialium prælatæ possunt eadem ratione dici matres, vel etiam priorissæ. Inter quas aliquando inueniuntur aliquæ, quæ ita religiosè viuunt, & ita laudabiliter præsunt, quod reddunt se, & in vita admirabiles, & etiam post mortem memorabiles. Et ideo de qualibet talium, potest post mortem eius proponi verbũ propositum, quod ait: *mater mirabilis* supple fuit: *& bonorum memoria digna.*

A In quibus quidem verbis describuntur tria.

Primum est communitas prælationis: propter quam dicitur *mater.*

Secundum est Honestas cõuersationis: propter quam vocatur *mirabilis.*

Tertium est communitas recordationis: quia *bonorum memoria digna.*

CIRCA primum notandum est, quod ista Abbatissa vel Priorissa potest dici vere fuisse vt mater subditarum suarum, quæ circa eas extitit affectuosa, argumentosa, studiosa, virtuosa & religiosa. Et talis potuit dicere illud Eccles. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris & agnitionis, & sanctæ spei: in me gratia omnis vitæ.* In eo enim quod dicitur *mater pulchræ dilectionis*, ostenditur quomodo fuit affectuosa: in eo vero quod *timoris*, ostenditur quomodo fuit argumentosa: quia timor facit hominem sollicitum, & argumẽtosum; sed in eo quod *agnitionis* ostenditur quomodo studiosa; & in eo, quod *sanctæ spei*, ostenditur quomodo virtuosa; quia sicut homines vitiosi habent spem vanã, ita virtuosi habẽt spem sanctam. Sed quia in ea etiam fuit *gratia omnis vitæ*, ostenditur quod ita fuit religiosa, vt esset omnibus alijs exẽplum bene viuendi. Vel possumus etiam dicere quod in primo commendatur de charitate; in secundo de humilitate: in tertio de sagacitate; in quarto de securitate; in quinto vero de communitate. Commendatur ergo primo in matre spirituali, scilicet in Abbatissa vel Priorissa, affectus charitatis. Nam sicut dilectio carnalis, est dilectio turpis & immunda; ita dilectio spiritualis, scilicet charitatis, est dilectio munda & pulchra: vnde beatus August. dicit in regula sua. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio. Dicitur ergo abbatissa esse vt mater, quando diligit sorores suas misericorditer, scilicet quando compatitur earum afflictionibus; subuenit earum defectibus; & piam & discretam correctionẽ adhibet earum excessibus: Talis ergo vero dicit cuilibet subditarum suarum illud, Esa. 49. *Nunquid obliuisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui. Et si illa oblita fuerit ego non obliuiscar tui.* Sed tunc dicitur abbatissa esse *mater dilectionis*, quando diligit veraciter, id est, non simulate & ficte. Cùm enim amare aliquem, sit bonum velle allicui, illum

Eccl. 24

Esa. 49

illum dici.ur aliquis vere diligere, cuius bonum appetit, & intendit. Vnde quando quis proximum se amare ostendit, tamen ex ipsa dilectione non illius bonum, sed suum proprium intendit & appetit, sicut est in amicitia vtili & delectabili: manifestum est quod seipsum quidem, & proximũ ipsum non vere, sed simulate diligit. Sed quando vere proximum diligit, etiam suum proprium damnum, propter illius vtilitatem negliget. Apostolus, Corinth. 10. Cor. 10. *Non quaerens quod mihi vtile est, sed quod multis prosit.* Tales sunt abbatissæ quæ pro sororum consolatione sustinent afflictionem, & laborãt pro earum quiete, & penuriam sustinent, vt aliæ abundent.

Talis ergo dilectio est, de qua dicitur Rom. 12. Rom. 12 *Dilectio sine simulatione.* Sed tunc est abbatissa mater *dilectionis pulchræ*, quando diligit fructuose: scilicet quando ita afficitur ad conuentum, & ita regit ipsum, quod facit abundare in fructibus, siue bonis spiritualibus & temporalibus. Sed de spiritualibus debet curare per se, de temporalibus vero quasi per accidens, & etiam moderate: & tunc dicere poterit illud, Psalm. 49. Ps. 49. *Pulchritudo agri mecum est.* Nam pulchritudo agri est abundantia segetum, & fructuum. Et tunc est abundantia & spiritualium, & tẽporalium in monasterio, quando bene facit seruare ea quæ religionis sunt. Secundo in auctoritate. Ecclesiast. allegata commendatur abbatissa de humilitate: quia dicitur mater *timoris*. Timor enim domini multum humiliat mentem. Debent autem sorores, propter timorem Dei abbatissam reuereri, tanquam superiorem, sed abbatissa propter timorem Dei, debet se reputare omnibus inferiorem: sicut etiam sanctus Augustin. dicit in regula sua, subditis de Prælato. Honore coram vobis pre. &c. Ephes. 5. Eph. 5. *Subiecti inuicem in timore Christi.* Considerans etiam prælatus vel prælata, quod debet coram summo iudice de suis subditis reddere rationem, multum timere debet, & solicitus esse de eis. Iob 23. Iob 23. *Considerans cum timore sollicitor.* Vnde Prælatis dicitur illud 2. Paralip. 19. 2. Pa. 19 *Sit timor Domini vobiscum; & cum diligentia cuncta facite.* Tertio commendatur de studiositate, siue sagacitate in eo, quod dicitur mater *agnitionis*: quia enim abbatissa habet de sororibus, suæ curæ commissis, iudicare; & philosophus dicit, quod vnusquisque bene iudicat quæ cognoscit, & horum verus est iudex: oportet eam studiose, & sagaciter ipsarum sororum suarum actus & vitam cognoscere. Et ideo dicitur ei Prouerbiorum 27. Prou. 27 *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.* Quarta commendatio matris spiritualis abbatissæ, vel priorissæ, debet esse de securitate. & ideo dicitur esse mater *sanctæ spei.* Spes enim sancta, id est, sancita & firma, est spes quæ ponitur in Deum. Nam illa spes quæ ponitur in hominibus, non est firma: quia sicut dicitur Prouerbiorum Prou. 11 11. *Mortuo homine impio nulla erit vltra spes: & expectatio sollicitorum peribit.* Et bene dicit *homine impio*: quia de iusto & sancto viro, bene potest hoc sperare etiam post mortem. Vnde beatus Dominicus moriens, promisit fratribus suis lugentibus, quod esset eis vtilior post mortem, quã fuisset hic viuens. Et ideo in officio suo cantatur de ipso sic. O spem nostram quam dedisti mortis hora te flentibus: dum post mortem promisisti, te profuturum fratribus. Imple pater quod dixisti, nos tuis iuuans precibus. Vnde quia sancti post mortem non à se, sed à Deo habent quod

nobis possunt auxiliari post mortem suam, ideo ponere spem in eorum auxilio, non est ponere spem in homine, sed potius in deo, à quo nobis impetratur auxilium. Item non est firma aut valida spes, quæ habetur in bonis temporalibus: tum quia deficiunt, tum quia decipiunt. Ecclesiastici vigesimo quarto: *Vana spes & mendacium viro insensato.* quarti Regum decimooctauo. *An speras in baculo arundineo confracto?* talis baculus est mundus. Sola ergo firma spes est, quæ ponitur in deo: quia sicut dicitur
Eccl. 2. Eccli. 2. *Nullus sperauit in illo & confusus est.* Vnde illa est ista sancta spes, quæ dat securitatem in omni pugna. Propter quod dicitur.
1. Mac 2. 1. Mach. 2. *Omnes qui sperant in eum non infirmantur*: quia ex infirmitate corporis, non deficiunt ab infirmitate animi: siue in angustia aduersitatis &
Hier. 17. afflictionis. Hieremi. 17. *Spes mea tu in die afflictionis*: siue cuiuscunque doloris & pænalitatis. Rom.
Rom. 12 12. *Spe gaudentes: in tribulatione patientes.* Item hæc est spes, quæ
Iob. 5. securat in omni indigentia: Iob.
Psa. 144 5. *Et erit egeno spes.* psal. 144. *Oculi omnium in te sperant domine:*
Esa. 25 *& tu das escam illis &c.* Esa. 25. *Factus est fortitudo pauperum, fortitudo egeno in tribulatione sua: spes à turbine, vmbraculum ab æstu.* Quinta commendatio matris spiritualis, est de vitæ communitate & de religiositate: quia fuit in ea *gratia omnis vitæ*, scilicet actiuæ & contemplatiuæ: vel quia eius vita debet esse omnibus exemplaris, ita vt possint sorores dicere, in vita tua viuimus i. exemplum vitæ habemus, vel posset illa dicere. In me omnis gratia vitæ: quia in omni vita sua perseuerasset in gratia dei. Et tales sunt, qui semper viuunt sine conscientia peccati mortalis,

Iob. 27. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: & iustificationem meam, quam cepi tenere, non deseram; neque etiam reprehendit me cor meum in omni vita mea.* De Iob. 27. hac perseuerantia, hortabantur Paulus & Barnabas fideles, Actuū. 13. *Loquentes suadebant eis vt* Act. 13 *permanerent in gratia dei.*

SECVNDVM Quod describitur in themate assumpto, est B honestas conuersationis: quæ tanta esse debet, vt possit dici mirabilis. Valde enim mirabilis potest dici mulier, quæ non obstante fragilitate sexus, in terra posita angelicam vitam ducit. Nam in carne præter carnem viuere, angelicum est, non humanum: sicut Hiero. dicit. Valde enim mirabile videretur, quam ignis existens in aqua non extingueretur: sed præualeret ipsi aquæ. Aqua est caro nostra, siue ipsius concupiscentia, quæ incontinens & fluxibilis est: sed si ignis diuini amoris in tantum in hac aqua præualeat, vt ipsam carnem virginem & continentem semper manere faciat, certe hoc est valde mirabile: Sapien. 16. *Quod enim mirabile erat: in aqua plus ignis* Sap. 16. *valebat.*

In quibus quidem verbis describuntur tria.

Primo laus castitatis: quia *quod mirabile erat.*

Secundo fluxus carnalitatis: scilicet *in aqua.*

Tertio virtus charitatis: quia *plus ignis valebat.*

Circa primum attendendum est, quam valde mirabilis diceretur illa virtus quæ de corpore faceret spiritum: & de terra faceret cælum. Et talis profecto est virtus continentiæ & castitatis. Nam facit de corpore spiritum: quia abstinentia à nuptiis, angelorum est imitatio: sicut dicit Damascenus. Vnde etiam do-

minus dixit, quod in resurrectione, quando neque nubent, neque nubētur erūt sicut angeli. Et ideo dicetur tunc corpus spirituale, Itē virtus cōtinentiæ est, quæ facit de terra cęlum, hoc est qua terra corporis corrūpitur, quæ per incorruptionem conscientiæ efficitur cælestis: vnde & celibatus vocatur. Cælum enim duo habet. Primum quod non est ponderabile, eo quod secundum philosophum non sit graue neque leue. Secundum quia est incorruptibile. Et ista duo quodammodo competunt virtuti continentiæ.

Eccl. 26. Vnde de primo dicitur Eccle. 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* De secundo dicitur

Sap. 6. Sap. 6. *Incorruptio facit esse proximum Deo.* Quidam philosophus, cum parasset se ad peccandum cum muliere, continuit se, dicens. Erubesce cælum intrare cęnum: quasi diceret: per continentiam es vt cœlum, per luxuriā efficeris vt cænum. Sic ergo patet, quod propter honestatem potest mulier dici mirabilis.

Hier. 5. Hiere. 5. *Stupor & mirabilia facta sunt in terra.* Stupor, propter sexus fragilitatem, scilicet mulieris: sed mirabilia, propter incontinentiæ difficultatem, quia frequentius impugnatur. Nam sicut dicit. Inter cetera christianorum certamina, duriora sunt prelia castitatis: vbi frequens pugna, & rara victoria. Facta sunt in terra, id est in carne humana terrestri, & corruptibili. Tertio in auctoritate allegata describitur fluxus carnalitatis, scilicet *in aqua.* Aqua enim propter sui liquiditatem, fluxibilis, & labilis est. Et sic caro nostra habet fluxibilitatem, & labilitatem naturæ: quia *omnes secundum carnem morimur & quasi aqua dilabimur in terram quæ non reuer.* vt dicitur. 2. Reg. 14 2. Re. 14

Habet etiam super hoc caro nostra fluxibilitatem concupiscentiæ. Propter quam dixit Iacob filio suo Ruben. Gen. 49. *Effusus es sicut aqua, non crescas. quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Gen. 49. Sed includenda est hæc aqua, & coartanda, ne damnose labatur infra limites aluei. i. matrimonij: vel in vase religionis. Conceditur enim matrimonium ne deficiat genus humanum, & ne effluat concupiscentia aquæ per alios modos illicitos luxuriæ, quibus animæ salus subuertatur. Iob, 12. *Si continuerit aquas omnia siccabuntur:* Iob. 12. quia si omnes essent continentes, omnino deficeret natura humana, *& si emiseris eas:* vt scilicet pro libito exerceantur carnales concupiscentiæ; subuertent terram. i. animæ fructum & salutem.

C TERTIO in prædicta auctoritate allegata describitur virtus charitatis: quia plus ignis valebat, supple, quam aqua. Et hoc est, quando in homine continente amor charitatis superat amorem carnalitatis: & amor spiritualis, vincit amorem carnalem. Sap. 16. In aqua, scilicet concupiscentiæ, *supra virtute*; scilicet naturæ carnis, *ignis* scilicet diuini amoris, *exardebat.* Sap. 16. Ecclesia. 38. *Vapor ignis.* i. feruor diuini amoris *vret carnes*: id est carnalitates. Assimilatur ergo charitas igni. Primo propter formalitatem; quia ignis inter cetera elementa est maxime formalis: multum enim habet de forma, & parum de materia. Et sic amor charitatis, quos replet, facit habere modicum de affectu materialium, siue temporalium rerum, & plurimum de appetitu formalium, id est spiritualium bonorum: vt iam non carnalia carnaliter, sed spiritualia spiritualiter diligant. Distinguit enim beatus Bernar-

quatuor modos diligendi, scilicet diligere carnem carnaliter; spiritum carnaliter; carnem spiritualiter, & spiritum spiritualiter. Vtrumque autem istorum vltimorum modorum, pertinet ad amorem charitatis. Ezec. 15. *Vtramque partem* scilicet carnis & spiritus *consumpsit ignis* scilicet diuini amoris; quia quando & caro & spiritus spiritualiter diliguntur, quicquid est in vtraque vitiosum, cōsumitur & purgatur. Gregorius. Tanto amplius peccati rubigo consumitur, quāto peccatoris cor magno charitatis igne crematur.

Ezec. 15

D TERTIO in themate assumpto describitur de matre spirituali, id est abbatissa vel priorissa, congruitas recordationis: quia *bonorum memoria digna.* Vbi aduertendum est quod ex duplici parte memoria, siue memoratio alicuius personæ, potest esse appretiabilis. Primo, ex parte memorantium, puta si sit in memoria bonorū viuorū, quia esse in memoria malorum hominum, non est appreciabile vel appetibile: quia eorum testimonium siue laus, potius est ad diminutionem, quam ad augmentationem bonæ opinionis & famæ. Et ideo Seneca dicit. Tantum sit si lauderis à turpibus, quam si lauderis ob turpia. Homines enim mali, sicut mendaces, & superbi, & dolosi, potius laudant & commemorant malos quam iustos, & bonos & sapientes; & potius mala quam bona. Vnde Ecclesiast. 15. postquam locutus est sapiens de sapientia & iustitia, subdit. *Homines stulti non videbunt eam. Longe enim abest à superbia & dolo. Viri mendaces non erunt ergo illius memores.* Est ergo appreciabilis tantum memoria bonorum, quia malorum commemoratio & laus, infidelis & peruersa est; quia de malo dicunt bonum, & de bono malum. Vnde Esa. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce & dulce in amarum.* Item bonorum memoria est magis vtilis defunctis, quam memoria malorum, quia boni habentes memoriam de persona defuncta, orant pro ea: & oratio boni viri plus valet defuncto, quam oratio peccatoris, quia magis est gratiæ impetratiua. Prouerborum 12. *Qui bonus est hauriet sibi gratiam à domino.* Secundo est appreciabilis memoria ex parte memorabilium: puta si habeatur memoria de his, quæ sunt memōratu digna. Et ideo vt ostendatur abbatissę memoria, ex omni parte esse laudabilis, dicitur quod *bonorum est memoria digna*. Vbi aduertendum, quod apud antiquos illud quo maxime reputabantur homines digni memoria, erat quando vtiliter, & strenue se habebant in bellis, magnam victoriā consecuti. vnde talibus reddebatur honor triumphi. De quo honore refert Valerius Maximus libro secundo capitulo. 3. quod lege cautum est, ne quis triumphet nisi quinque milia hostium vna acie occidisset. Et talibus ad perpetuam memoriam, fiebat arcus triumphalis in quo eorum victoria figuris, & imaginibus representabatur Vnde etiam de Saul, post victoriam habitam de Amalech. dicitur primi Regum decimoquinto. quod nuntiatum est Samueli, quod venisset Saul in Carmelū, & erexisset sibi fornicem triumphalem, scilicet in memoriam victoriæ habitæ. Sic ergo in ecclesia Christi, redduntur homines digni memoria, propter victoriam triplicis belli. Aut quia vicerunt bellum carnis, per castitatem siue virginitatem,

Eccl. 15.

Esa. 5.

Prou. 12.

E

tem,

tem. Vnde Sapientiæ quarto, *O quam pulchra est casta generatio cũ claritate &c.* Aut redduntur digni memoria, qui vicerunt bellum mundi. Bellum autem mundi, nunc qui prospera eius contemnit, & aduersa non pertimescit, vincit: sicut dicitur de Moyse Hebre. vndecimo, quod *negauit se filium esse filiæ Pharaonis*: ecce quod prospera contempsit: Et sequitur: *magis eligens affligi cum populo dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem*: ecce quod aduersa non timuit: & ideo dignus memoria fuit. vnde de eo Eccle- Eccl. 45. siasti. 45. dicitur, *Dilectus deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est*, Aut sunt digni memoria. quia vicerunt bellũ diaboli. Nam si memoria reputantur digni, qui vicerunt homines, multo profecto digniores sunt hi, qui vicerunt dæmones. Et ratio est, quia quanto fortior & difficilior est pugna, tanto gloriosior & memorabilior est victoria: sed longe difficilior est pugna dæmonum quam hominum. Tribus enim modis bella vincuntur, scilicet potẽtia; astutia; & perseuerantia: quia qui plus potest sufferre, & continuare guerram, ille vincit. Et de his tribus exempla multa patent, tam in diuinis scripturis, quam etiam in aliis historijs. Sed in his tribus dæmones excedunt quasi incomparabiliter homines, Primo in potentia naturali: quia vt dici- Iob. 41. tur de diabolo Iob. 41. *Non est super terram potestas quæ equiparetur ei.* Item in astutia intellectuali, & experimentali: quia vt di- Gen. 3. citur Genes. 3. *Serpens* in quo significabatur diabolus, *erat callidior cunctis animantibus terræ.* Itẽ in instantia pugnæ continua & incessabili: quia cum ipse sit tãtum spiritus, non grauatur carne, vt aliquando impediatur aut morbo, aut morte, aut cibo, aut somno, aut aliquo simili. Vnde *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus princ, &c.* vt dicit apostolus Eph. Eph. 6. 6. Et ideo à principio humani generis vsque ad finem mundi, nos impugnare non cessat. Sed habemus auxilium dei contra eos, & vincere possumus, quia deus pater sua potentia nos corroborat, & ne ab eorũ viribus superemur; filius dei sua sapientia nos illuminat, ne eorum insidiis capiamur, & spiritussanctus sua gratia nos sustentat, ne pugnæ assiduitate vincamur. Vnde etiam qui talibus confortati auxiliis, dæmones vincunt, multo magis memoria digni sunt, quam illi, qui quoscumque homines vicerunt, Et ideo figura huius victoriæ atque memoriæ fuit Iudas Machabæus, de quo dicitur. 1. Mach. 3. quod *repulsi sunt inimici eius præ timore eius; & omnes operarij iniquitatis conturbati sunt: & directa est salus in manu eius, & exercebat reges multos, & lætificabat Iacob in operibus suis, & in sæculum memoria eius in benedictione* 1. Mac. 3 scilicet illa qua dicetur Math. 25. Mat. 25. *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnũ &c.* Ad quam nos &c.

In funere vnius religiosi.

SERMO X.

Factus est obediens vsque ad mortem. Philip. 2. Phil. 2. Sicut dicit extra de reg. & transeuntibus ad religionem. c. porrectum. & c. ex parte. Habitus non facit monachum, sed professio regularis, & intelligitur de habitu sine professione: sed sola professio naturalis præsumpta, monachum facit, & solemnizat votum: vt dicit ibi glossa. Communis autem

forma

forma regularis professionis est, promittere obedientiam vsque ad mortem: & illa forma est sumpta ab exemplo Domini Iesu Christi, qui pro nobis, vt dicit verbum propositum, factus est obediens vsque ad mortem. Et quia illud exemplum Christi, sequi iste noster frater defunctus, non solum verbo in sua professione promisit, sed etiam efficaciter in suo opere adimpleuit laudabiliter: potest dici de eo quod factus est obediens &c.

A In quibus quidem verbis tria describuntur.

Primum est inchoatio conuersationis spiritualis, in eo quod dicit: *factus est*.

Secundum est executio professionis regularis: quia *obediens*.

Tertium est limitatio corruptionis naturalis: quia *vsque ad mortem*.

CIRCA primum attendendum est, quod homo dicitur factus non simpliciter, sed secundum quid, quando mutauit statum: sicut dicimus quod factus est episcopus, vel quod factus est miles, ita quod quando homo transit à vita sæculari ad statum religionis; factus est quodammodo nouus homo, quia assumpsit nouum modum viuendi, vt efficiatur magis amicus dei. Licet enim homo etiam in statu sæculari possit deo placere; tamen in vita regulari potest, & debet magis deum, diligere. Vnde ad talem referri potest quod dicitur Sap. 4. *Placens deo factus est dilectus: & viuens inter peccatores trãslatus est.* In quibus quidem verbis, notatur triplex studium, ad quod intendere debet bonus religiosus. Sap.4

Primum est respectu dei. s. vt eius gratiam habeat: & hoc notatur, cum dicitur, *placens deo factus est dilectus.*

Secundum est respectu proximi, specialiter respectu peccatorum, vt inter eos innocenter viuat, & ideo subditur: *viuens inter peccatores*: quia est maioris laudis. s. inter malos bene viuere.

Tertium est respectu sui, vt scilicet ad gloriã transeat: quia *translatus est*.

Circa primum aduertendum est, quod tunc dicitur aliquis habere gratiam alicuius, quando factum suum placet illi: & ad hoc sequitur quod etiam ab eo diligatur, quia homo non diligit nisi ea, quæ placent sibi. Et ita diuina gratia, quando est in religioso vel in alio homine, facit duo. Primum quia facit ipsum deo placitum: Secundum à deo dilectum Propter primum dicit, *Placens deo.* Vbi aduertendum, quod si aliquis miles esset factus de curia regis Franciæ, & ipse plus esset sollicitus de negocijs Regis Hispaniæ, quam de negociis domini sui: non esset verus miles, neque domino suo placeret. Quilibet autem Christianus est vt miles, de curia Christi: tamen multi eorum plus curant & soliciti sunt de negociis mundi vel carnis, vel diaboli, quã de seruitio Christi: vnde plura sustinent pro mũdo, vel pro corpore suo, vel pro implendis tentationibus diaboli, quam pro mandato vel seruitio Christi. Vnde contra tales dicit Apost. 2. Timot. 2. *Nemo militans deo implicat se negocijs sæcularibus vt ei placeat* &c. glossa. i. donauit: vnde quia præcipue clerici, & religiosi donauerunt se militiæ Christi; ideo specialiter eis interdicta est negociatio sæcularis: quia scilicet nimis animum implicat, & retrahit à diuinis, quibus scilicet ipsi sunt specialiter deputati. Sed, aduertendum est hic, quod sunt 2.Tim.2

quædam sæcularia negotia, quæ ex sui natura sunt inhonesta; sicut sunt omnia quæ sine peccato exerceri non possunt: vt contractus vsurarum, simoniæ, & similes. Et ista omnibus sunt prohibita indistinctè, tam laicis quam clericis, cuiuscunque sint conditionis vel ætatis: dummodo sint doli capaces, 14. quæstio. 4. Nec hoc prætereundum, 1. quæstio. 1. Reperiuntur in fine dist. 88. Fornicari. extra de delictis puerorum, capi. pueris. Alia plura sunt, quæ non sunt inhonesta ex sui natura: vt emptio, venditio, locatio, conductio, & similes contractus: & etiam exercitium artium mechanicarum, vt artis textoriæ, sutoriæ, & similium, quæ necessaria sunt vsui humano. Et ista concessa sunt laicis, dummodo fiant cum debitis circumstantijs, scilicet ex debita causa, scilicet vt non fiant ex intentione corrupta, scilicet propter cupiditatem vel alium finem malum. Sed fiant, vt ipsi possint de suo labore sibi, & suæ familiæ prouidere in necessarijs. Item vt possint hospitalitatem tenere, & cetera misericordiæ opera exercere, distinct. 86. Non satis, 11. quæst. 1 Sicut enim. Item si fiant congruo tempore: scilicet vt non fiant tempore festiuo, & feriato, quia tunc non est vacandum nisi orationibus, & diuinis officiis, & alijs operibus spiritualibus, & ab omni seruili opere est cessandum. Item si fiant in decenti loco. Nam aliquis locus est indecens ad talia negotia, propter ipsius loci sanctitatem: sicut ecclesia, quæ teste veritate, non debet esse locus negotiationis, sed orationis. Vnde ipse eiecit inde vendentes & ementes. Item cemiteria, & claustra ecclesiarum, non debent esse loca negotiationis. Aliquis vero locus est indecens ad talia, propter inhonestatem: quia non debent fieri in lupanari, vel alio loco inhonesto, ne inde oriatur infamia, vel suspicio, aut scandalum, & occasio ruinæ. Aliquis etiam locus est indecens ad talia, propter suspitionem, sicut locus solitarius & occultus: quia in talibus latibulis, consueuerunt committi adulteria, & doceri hæreticæ prauitates, & similia. Probatur hoc. 27. quæstio. 1. Si quis sacro. Item si fiant debito modo: scilicet vt non sit vitiosus contractus, scilicet cum deceptione vel fraude præcij. Sed tamen prædicta negotia clericis, & religiosis sunt regulariter prohibita. Vnde in Psalm. 70. secundum aliam litteram. *Quoniam non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini.* Vnde Hieronymus, vt habetur 88. distinct. Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Potest tamen clericus, si indigeat, recipere possessiones excolendas ad firmam quartam vel quintam partem, vel conducere ad sustentationem suam & suorum. argum. distinct. 86. Peruenit. vbi auaritiæ causa 91. Clericus. Potest etiam clericus artificio suo honesto sibi acquirere victum, dummodo occasione talis artificij, non desit diuinis obsequijs distinct. 91. per totum, de consecr. distinct. 5. Nunquam. extra ne clerici vel mona. ca. 1. Si ergo quia negotia sæcularia non ordinate facta, vt dictum est, trahunt homines implicantes se in eis, ad iniqua & illicita, oportet ergo volentem placere Deo, & ei militare, non implicare se in eis. *Eccl. 35.*
Eccli. 35. *Beneplacitum est Deo recedere ab iniquitate,* scilicet negotiorum sæcularium, & specialiter religio-

religiosum, qui magis debet esse Deo dedicatus, vnde de Enoch quæ interpretatur dedicans, vel dedicauit, vel cum Deo ambulans, per quem intelligitur religiosus, dicitur Sapien. 4. quod *placita erat Deo anima illius*. Secundum quod facit gratia Dei in homine est, quod facit eum esse dilectum adeo, diligit enim Deus eos, qui sibi placent, & ideo bene dixit; quod *placens Deo factus est dilectus*. Sed aduertendum, quod non potest esse dilectus à Deo, nisi habeat puritatem & charitatem. Et ratio est, quia dilectio, siue amor, vnit amantem amato: sed Deus non coniungitur animæ, nisi sit pura à peccato Propter quod bene dicit Gregor. Nazianzenus, quod prima sapientia est vita laudabilis, & apud Deum pura mens, per quam puri puro iunguntur, & sancti sancto sociantur. Item sicut calor ignis causat calorem in re cui vnitur, & facit ipsam calefactionem, vt patet in ligno & ferro: ita etiam amor, quo Deus hominem diligit, causat in homine, cui Deus vnitur per amorem charitatis, qua ipse diligit Deum. Et ideo oportet quod in homine, qui est à Deo dilectus, sit & puritas præueniens, & etiam charitas subsequens. Et propterea ex persona deitatis, dicitur Canticorum 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus*. Nam in candore intelligitur puritas conscientiæ, quæ est dispositio necessaria ad omnem virtutem, sicut albus ad omnem alium colorem: vnde pictores primo dealbant tabulam, & omnem parietem, quam ponant ibi alium colorem. Et sic Deus non ponit colores virtutum, & figuram gratiæ, nisi in anima dealbata & purificata. Apocalyp. 1. *Caput eius*, id est, mens, *& capilli eius*, id est, cogitationes & affectiones, *erant candidi velut lana alba, & tanquam nix*. Sed in rubore, quo dilectus debet esse etiam rubicundus, intelligitur charitas. Videmus enim, quod cùm corpus frigidum appropinquat calido, calor imprimitur in corpore approximato: sicut patet in lignis in quibus ignis imprimat calorem. Cùm ergo incorruptio facit esse proximum Deo, sequitur quod anima recipit formam diuinam, scilicet dilectionem, quia Deus charitas est. Vnde Matthæ. 16. *Rubicundum est cælum*, id est anima per munditiam cœlestis gratiæ. Isti ergo sunt duo colores, qui pulchritudinem spiritualem faciunt in dilectis Dei, scilicet candor puritatis, & rubor charitatis. Vnde & Threnor. 4. & de dilectis, & de odiosis sic: *Candidiores nazarei eius niue*, scilicet per puritatis & munditiæ conseruationem, quia in niue est frigiditas cum albedine; *nitidiores lacte*; per mansuetudinem & dilectionem; *rubicundiores ebore antiquo*, per charitatis feruorem. In antiquo enim ebore est rubor cum albedine, *saphyro pulchriores*, per cœlestem conuersationem. In saphyro enim est aëreus color cum splendore. Sed sequitur quantum ad malos, & odiosos Deo. *Denigrata est supra carbones facies eorum*: carbo enim extinctus est immundus; sic tales amittunt puritatem & munditiam. Item carbo extinctus amittit splendorem: sic isti honestam conuersationem. Item amittit calorem: & sic isti charitatem, & ideo non sunt cogniti in plateis. Secundum ad quod studere debet bonus religiosus, est, vt etiam inter malos conuersetur innocenter, & laudabiliter viuat: & ideo dicitur in auctoritate allegata, & diuisa

Sap. 4. | Cant. 5. | Apoc. 1 | Mat. 16.

diuisa superius : *viuens inter peccatores.* Vbi aduertendum est,quod carbo ignitus & viuens, manens inter carbones mortuos & extinctos, si habet modicum de igne, extinguitur ex eorum frigiditate: sed si multum habeat de igneitate,non solum non extinguitur, imo etiam ipsos plus accen dit, & viuos facit. Sic homo iustus inter peccatores viuens, si habet modicum de igne spiritus & charitatis, peruertitur faciliter ab eis. Vnde periculosum est homini imperfecto & debili conuersari inter malos : quia corrumpunt bonos mores colloquia praua, & exempla mala ipsorum, Et hinc est, quod vt docet sanctus Thomas de Aquino : christiani, qui simplices & infirmi sunt, prohibendi sunt maxime , ne magnam familiaritatem habeant cum infidelibus, vt cum Iudæis, & Sarracenis, & similibus; & quod absque necessitate non communicent cum eis,nec cohabitando, nec ad conuiuia recipiendo, vel cum eis comedendo, & in aliis similibus 28.quæst. 1. nullus.& cap. omnes.

Sed perfecti viri, qui multum habent de igne, id est de amore charitatis, & splendor sapientiæ, viuendo inter peccatores , non solum non peruertuntur ab eis, imo etiam eos conuertunt. Vnde tales qui firmi sunt, & stabiles in fide, ita quod ex eorum communicatione etiam cum infidelibus speratur magis conuersio illorum, quam horum subuersio, non sunt prohibendi communicare cum Iudæis, & Sarracenis; maximè si necessitas vrgeat. Et ideo euntes ad prædicandum Saracenis cibis eorum vti possunt; & hoc cum moderatione & gratiarum actione , seruata etiam temporum qualitate, scilicet ne carnes in quadragesima comedant, & eiusmodi extra de Iudæis & Saracenis, cap. quam sit laudabile . Et sic intelligitur 11. quæst. 3. Ad mensam. Et hoc intellige, nisi esset illud idolis immolatum: tunc enim sicut Augustin.dicit. satius esset fame mori, quam vesci idolothito. 32. quæst.4. sicut satius. Sed aliqui dicunt, quod in extrema necessitate posset quis idolothito vesci, sed non in reuerentiam idoli.Sic ergo inter peccatores viuens, si sit perfectus, non peruertitur ab eis, vt spiritualiter moriatur; sed virtuosis operibus, & sanctis orationibus, & prædicationibus conuertit eos ad vitam, & ideo potest dicere cum Psalm. 117. *Non moriar sed viuam, & narrabo opera domini.* *Non moriar* : scilicet cum peccatoribus peccando : *sed viuam*, scilicet in gratia perseuerando: *& narrabo opera domini* ; scilicet, aliis prædicando, vt conuertantur ad vitam.

Tertiò debet bonus religiosus studere ad sic viuendum , quod finaliter ad vitam æternam perueniat; quod notatur in auctoritate allegata , cùm dicitur, *translatus est*. Videmus quod quandoque contingit, quod ille qui fuit in aduersitate, & deiectione, quia bene & patienter se habuit, transferatur ad magnam dignitatem, & honorem : sicut accidit Ioseph qui de carceris squalore translatus est ad Ægypti dominium : & sicut Dauid de exilio & persecutione Saul , translatus est ad regnum : sic etiam qui in isto sæculo bene , & virtuose viuendo,scit fortiter & patienter portare huius exilij ærumnas, finaliter à Deo in morte transfertur ad regnum æternum. Et ideo ex persona talium dicit Apostolus Coloss. 1. *Eripuit nos de pra-*

pra-

præsenti sæculo nequam & transtulit nos in regnum dilectionis filij sui.

B SECVNDO in assumpto themate describitur executio professionis regularis, in qua obedientiam promisit: & ideo dicit, *obediens*. Vbi aduertendum est, quod secundum beatum Bernard. triplex est obedientia. Vna necessaria; qua scilicet obeditur in his, ad quæ homo ex necessitate tenetur, siue de iure communi, siue de iure speciali: sicut ex obligatione professionis, vel voti. Alia est perfecta; qua quis obedit in omnibus licitis. Alia est indiscreta, qua quis obedit in omnibus indifferenter, & indistinctè. Sed licet huius obedientia sit indiscreta, respectu hominum, non tamen respectu Dei, quia præcipienti est indistinctè obediendum in omnibus. Et ratio est: quia homo potest errare in præcipiendo, & deficere à iusto præcepto, & ideo indiscretum est homini in omnibus obedire: sed non sic Deo, qui deficere non potest.

Act. 5. Et ideo dicitur Actor. 5. *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus.*

In quibus quidem verbis tria de obedientia describuntur.

Primum est eius necessitas, quia *obedire oportet*.

Secundum est eius congruitas: quia *Deo*.

Tertium est obedientiæ quantitas: quia *magis Deo quam hominibus.*

Circa primum aduertēdum est, quod obedientia optima & necessaria, dicitur dupliciter. Vno modo, vt seruetur ordo diuinitus institutus. Nam sicut actiones rerum naturalium, procedunt ex potentijs naturalibus, ita etiam operationes humanæ procedunt ex humana voluntate: oportuit in rebus naturalibus vt superiora mouerent inferiora ad suas actiones, per expellentiam naturalis virtutis collatæ diuinitus. Vnde etiam oportet in rebus humanis, quod superiores moueant inferiores per suam voluntatem, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatæ: mouere autem per rationem & voluntatem, est præcipere. Et ideo sicut ex ipso ordine naturali diuinitus instituto, inferiora in rebus naturalibus necesse habent subdi motioni superiorum, ita etiam in rebus humanis, ex ordine naturali & diuino, tenentur inferiores suis superioribus obedire. Vnde & Dominus Matthæi 23. contra Pharisæos, qui obseruabant minora mandata legis, de decimandis oleribus, & transgrediebantur maiora mandata legis, dicit, *Hæc oportuit facere & illa non omittere*: ostendens, quod in omnibus obedire oportet legi, & ordini diuinitus institutis. Secundò, obedientia est oportuna ad assequendum multas vtilitates. Et prima est diuina inhabitatio: cuius figura habetur Luc. 4. Vbi Dominus introiuit in domum Simonis: qui obediens interpretatur. Item tunc filius Dei in vterum virginis conceptus est, cum Maria verbo angeli obediuit, dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Secunda est impetratio: vnde cæcus natus dixit Ioan. 9. *Quis Dei cultor est & voluntatem eius facit: hunc exaudit.* Vnde Isidorus dicit. Si quod præcepit Deus facimus, sine dubio illud quod petimus, obtinebimus. Et Augustinus. Citiùs exauditur vna obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. vnde econtra Prouerb. 28. dicitur. *Qui obturat*, alias declinat, *aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execra-*

Prou. 2
Exod. 1
Eccli. 1
Iosu. 10
Ioan. 9.

execrabilis. Tertia est victoriæ assecutio, Prou. 21. *Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam.* Testis mendax est, qui professus est obedientiam, & non seruat, qui in præsenti perit, quia in bello spirituali succumbit. Exemplum de populo Iudaico, qui promisit se seruare legem, & non fecit. Exodi 19. *Omnia quæ locutus est dominus faciemus*, ideo coram hostibus non poterat stare. Sed vir obediens loquetur victoriam: quia obedientia eum vbique defendit, & custodit tanquã suum. Eccli 15. *Si volueris mandata dei conseruare, conseruabunt te.* Sic castrum custodit ipsum custodientem. Obedienti enim obediunt omnia, scilicet creator & creatura. De creatori dicitur Iosu. 10. *Non fuit antea & postea tam longa dies obediente domino voci hominis.* Grego. Si obedientes fuerimus præpositis nostris, obediet dominus orationibus nostris. De creaturis patet in vitis sanctorum patrum, de illo qui adduxit leenam ligatam, & de illo, ad cuius iussionẽ, aqua ascendit vsque ad os putei. Secundo ostenditur obedientiæ congruitas: cum subditur in auctoritate allegata, *Dei*. Vnde si homo præciperet aliquid quod esset contra iustitiam vel charitatem, non esset ei obediendum. Sed non sic est de deo, quod patet: quia Gen. 22. dominus præcepit Abrahæ quod occideret filium suum innocentem. Et Exo. 12 præcepit Iudæis, quod furarentur res Aegyptiorum: quæ videbantur esse contra iustitiam. Item præcepit Osee quod acciperet mulierem adulteram: quod videbatur contra castitatem. Et ratio est: quia sicut deus nihil operatur contra naturam, quia hoc est naturale vniuscuiusque rei, quod in ea deus operatur, vt habetur in glo. Roma secundo, operatur tamen aliquid contra solitum cursum naturæ. Ita etiam deus nihil potest præcipere contra virtutem, quia in hoc principaliter consistit virtus, & rectitudo voluntatis humanæ, quod dei voluntati conformetur, vt eius sequatur imperium, quamuis sit contra consuetum virtutis modum. Vnde præceptum Abrahæ factum, de filio innocente occidendo, non fuit contra iusticiam: quia deus est auctor mortis & vitæ. Sic nec illud quod mandauit Iudæis, de rebus Aegyptiorum furandis: quia eius sunt omnia, & cui voluerit dat illa. Sic nec contra castitatem fuit præceptum factum Osee, de accipienda muliere adultera: quia ipse deus est humanæ generationis ordinator, & ille est debitus modus mulieribus vtendi, quem deus instituit. Ergo in omnibus obediendum est deo, secundum illud Deute. 26.

Prou. 21
Exod. 19
Eccli. 15
Iosu. 10.

Obediui voci domini dei mei, & feci omnia sicut præcepisti mihi. Tertio ostenditur diuinæ obedientiæ quantitas: idest quantum debeas obedire deo: quia *magis quam hominibus*, scilicet magis humiliter, quia humilitas necessaria est in omni obedientia. Aug. Obedientia nisi humilium esse non potest: quia humilis à sensu suo vacuus, recipit alienum: cibus enim vbi nimis est de sale, est quasi perditus, sed non ille in quo parum: quia potest apponi, sed non faciliter subtrahi. Vnde humilis videns sensum suũ deficere, acquiescit alieno, scilicet magis debet subijci & acquiescere deo. Item magis celeriter, quia de præceptis humanis potest dubitare, & ideo deliberare debet, sed non de diuinis. Aug. Verus obediens non procra-

procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci; manus operi; pedes itineri, & sic totum in se recolligit, vt mandatum impleat imperantis. Item magis reuerenter; quia si debemus propter deum reuereri parentes carnis, & obedire eis, multo magis & creatori animarum nostrarũ. Vnde Heb. 12. *Patres carnis nostræ habuimus eruditores & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus patri spirituum & viuemus?* (Heb. 12.)

TERTIO in themate assumpto describitur limitatio corruptionis naturalis: quia *vsque ad mortem*. Nam sicut mulier, quamdiu viuit, alligata est viro: cum autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri, vt dicitur Rom. 7. imo etiam cùm mortua fuerit ipsa, quia etiamsi postea resurgerent non essent amplius coniuges: Sic etiam est de professo, quia alligatus est religioni solum vsque ad mortem, vnde modo iste liber effectus est ab omni obedientia, sed quandiu viuebat, ex iustitia tenebatur obedire, & quanto plus obediebat, tanto plus iustificabatur, & plus iustificabatur, & plus proficiebat. Eccli. 18. *Non verearis vsque ad mortem iustificari*, vt scilicet post mortem merearis beatificari: scilicet in æterna beatitudine. Ad quam &c. (Eccl. 18.)

In funere vnius alicuius boni religiosi.

SERMO. XI.

CONsummatus in breui expleuit tempora multa, placita enim erat anima eius: propterea properauit educere illum de medio iniquitatum, Sap. 4. Videmus quod sunt quidam fructus, qui citius aliis in arboribus maturescunt: scilicet postquam maturi facti sunt, non diutius relinquuntur in arbore, sed citius colliguntur, nē ibi putrefiant. Ita in religionē etiam sunt quidam qui in ipso nouitiatu suo, vel in sua iuuenili ætate, mirabiliter in ipsa religione, per modicum spacium temporis proficiunt, & procedunt: quos deus, qui omnia nouit, & præsentia, & futura non permittit in vita præsenti diutius permanere, sed eos per mortem hinc colligit; tanquam fructus iam maturos, & suo conspectui gratos: ne forte si diuitius viuerent, ab ipso suæ bonitatis feruore retrocedere, & deficere contingat. Vnde de quolibet talium dici potest verbum propositum. *Consummatus in breui &c.* (Sap. 4.)

A

In quibus quidem verbis, quatuor describuntur.

Primum est vitę modicitas: quia *consummatus in breui*.

Secundum est meritorum fecunditas: quia *expleuit tempora multa*.

Tertium est meritorum gratiositas: quia *placita erat deo anima illius*.

Quartum est mortis celeritas: quia *properauit educere &c.*

CIRCA primum notandum est, quod iste noster frater defunctus, prout tangitur in ipso verbo proposito, in breui spacio temporis, & ætatis, & religionis, cursum totius vitæ suæ feliciter consummauit. Videmus autem quod si aliquis negociator, vel artifex, in breui spacio tēporis, de sua negotiatione vel arte, per solicitudinē & industriā suam, plurimum lucraretur: & alius in tempore multo, propter desidiam & imprudentiam suam, non lucraretur, sed perderet potius quæ habebat, profecto sollicitudo

titudo & prudentia illius, condemnaret imprudentiam & ignorantiam illius. Certè nos omnes sumus positi hic, ad artem benè viuendi, & ad negociationẽ vitæ æternæ. Si ergò aliquis sit, qui ita sit sollicitus ad benè operandũ, & prudens ad benè & religiosè viuendum, quod in modico tempore quo viuit, acquirat magnum meritum, & lucrum vitæ æternæ, & alius longo tempore viuens, propter pigritiam & imprudentiam suam ita viuat, quod nihil mereatur, sed perdat gratiam Dei, & tempus suum, & lucrum vitæ æternæ, certè breuis vita illius, condemnat longam vitam istius. Vndè dicitur Sap.4. *Condemnat iustus mortuus viuos impios: & iuuentus celerius consummata, longam vitam iniusti. Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent.*

In quibus quidem verbis describitur triplex iudicium.

Quorum primum prouenit ex differentia contrarietatis, scilicet quæ est inter iustum & mortuum, & impium viuum. Et ideò dicit: *condemnat iustus mor. impi. vi.*

Secundum sumitur ex distantia quantitatis, quæ scilicet est inter breuem vitam iuuenis iusti, & longam vitam hominis iniusti; quia *iuuentus celerius consummata*, supple condemnat *longam vitam iniusti.*

Tertium sumitur ex ignorantia cæcitatis: quia *videbunt enim finem sapientis & non intel.*

Circa primum aduertendũ est, quod iustus mortuus, dicitur cõdemnare viuos impios, & sine verbo, tantũ comparationis exẽplo. Et ratio est, quia iustus mortuus, quamdiu fuit in mundo, aut semper iuit iustus, aut aliquandò fuit iniustus. Si primo modo, tũc manifestum est, quod vita iusti, comparata ad vitã impij, maximè condemnat eam, quia maximè facit apparere suam impietatem; nam iustus quamdiu iustè viuit; dicitur tenere rectam viam, & hoc ideò, quia rectum dicitur, cuius medium non discrepat ab extremis: vndè quia actio iusti, à suo principio, quod est voluntas, & à suo fine, quæ est intentio, minimè discrepat; idcircò dicitur iustus in sua actione recta via ambulare, secundum illud Esaiæ 26. Esa.26. *Rectus callis iusti ad ambulandum.* Sed homines impij, quamuis velint impia agere, nolunt tamen, si possent, impij reputari. Et ideò vnum intendunt, & aliud prętendunt, & sic quod demonstrant de suo opere, exit ab extremis, dum nec principio concordant, nec fini. Et ideò non rectè, sed oblique, siue per circumitum dicuntur ambulare, secundùm illud Psa.11. Psal.11. *In circumitu impij ambulant.* Vel dicuntur etiam impij in circũitu ambulare, quia ille qui vadit in circumitu, eandem viam frequẽter reiterat, & ideò quia ipsi eadem peccata & mala reiterant frequenter, dicuntur circumire. Sic ergò peccatũ; quia vita illius qui semper fuit iustus, totaliter est recta. sed vita impij, quamdiu impius, est curua & obliqua. Sed tunc apparet, & iudicari potest, quanta sit obliquitas alicuius baculi curui, quandò ponitur iuxta baculũ, qui est totaliter rectus. Et ideò Philosophus dicit, quod rectum est iudex sui, & obliqui: quia dum rectum applicatur obliquo, manifestè apparere facit & suam rectitudinem, & obliqui curuitatem. Et sicut tunc maximè iudicari potest quanta sit peruersitas vitæ impij, quandò comparatur ad vitam iusti; quãdiu tamen iustus viuit, nõ potest fieri perfecta comparatio vitæ eius, ad vitam impij; quia quantũcunque sit iustus, quamdiu tamen viuit, potest cadere in peccatum;

& effici impius: sed quando vsq; ad mortem in iustitia perseuerauerit, & iustus mortuus est, tunc certum est totam vitã suã fuisse rectam, & ita vitam impij nõ rectam, sui comparatione condemnat. Vndè signanter dicit *iustus mortuus*, vel quia iustus mortuus gloriam regni cœlestis accipit, quàm impius malè viuendo amittit. Vndè Sap. 10. *Tulerunt iusti spolia impiorum.* Et nota, quod quandò iusti efficiuntur impij, perdunt omnia merita acquisita: & si non resurgunt per pœnitentiam, nunquam recuperant ea, sed tamen nõ remanent perdita, quia attribuuntur alijs iustis, qui perseuerauerunt. Et ideò dicitur. Iob 27. *Hæc est pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum, &c.* Et post. *Si comportauerit quasi terra argentum*, id est puritatem boni operis amiserit, cõuersus ad terrena: *& sicut lutum præparauerit vestimenta*, id est si merita, quibus anima eius fuerat vestita, pro luto, id est pro vili peccato amiserit: *præparabit quidem, sed iustus vestietur illis, & argentũ innocens diuidet.* Et dicit, *diuidet*; quia iste habuit laborem, & ille suscipiet meritum. Si autem iustus mortuus aliquando fuit impius, & postea conuersus ad pœnitentiam, factus est iustus; tunc talis iustus mortuus, suæ comparationis exemplo condemnat viuos impios, qui nolunt ad pœnitentiam conuerti. Matth. 12. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eã, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquam Ionas hic*: & tamen supple non cõuertuntur ad pœnitentiam, ad eius prædicationem. Secundo describitur in auctoritate allegata iudicium, quod sumitur ex distantia quantitatis, quæ scilicet est inter breuem vitam iuuenis iusti, & longam vitam hominis iniusti, vndè ait, quod *iuuentus celer. cõsu.* condemnat supple *longã vitam iniusti.* Et tangitur duplex ratio istius cõdemnationis. Vna sumitur ex ætatis qualitate, quia alia est qualitas iuuentutis, & aliarum ætatum: quia ætas iuuentutis pronior est ad peccandum, quam aliæ ætates. Et ratio est, quia iuuenes, sicut ostendit Philosophus in 2. libro Rhetoricorum, magis habent de concupiscentia alliciente, & plus de ira compellente, & minus de ratione refrænante, & magis de inexperientia præcipitante. Et propter ista, vt plurimum iuuenes in diuersa collabuntur vitia. Laudabilior ergo est, qui in iuuentute bonus est, vndè talis multũ condemnat miserum, suæ comparationis exemplo, qui in iuuẽtute, & in longa ætate malus & iniustus existit. Sunt ergò commendabiles iuuenes, qui fortes sunt ad pugnam vitiorum, qui prompti sunt ad obedientiam mandatorum, qui cauti sunt & constantes contra insidias dæmoniorum. Et talibus iuuenibus dicitur 1. Ioan. 2. *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis: & verbũ Dei manet in vobis, & vicistis malignum.* Talis ergò iuuenis dicere potest illud Ps 228. *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.* Et iterum illud Mat. 19. *Omnia*, scilicet mandata Dei, *custodiui à iuuentute mea.* Alia ratio prædictæ cõdemnationis, sumitur ex temporis quantitate: quia iuuenis, cuius iuuentus celerius per mortem consummata fuit, & in illo modico tempore vixit, iustè & benè se habuit, & comparatione vitæ suæ condemnat illum, qui longo tempore iniustè & malè vixit. Et nota, quandò aliquis inuenit bonum liquorem positum in malo vase,

Sapi. 10
Iob. 27.
Mat. 12.
1. Ioa. 2.
Psa. 128.
Mat. 19.

vase, timens ne ibi destruatur, festinat extrahere ipsum, maximè si sit liquor qui faciliter permutaretur, vt vinum, vel oleum. Sic Deus quandoque iuuenem bonum & deuotum, citò extrahit aliquando de mundo, qui totus in maligno positus est: ne permutetur à sua bonitate: vndè festinè consummatur iuuentus, & vita eius.
Soph.1. Soph.1. *Consummationē cum festinatione faciet.* Sed aduertendum, quod sicut non obest iusto, ita obest iniusto & impio, quod vita eius, diutius prolongetur: quia malitia semper crescit, vndè iniustus & impius, siue tarde siue citò moriatur, damnatur.
Sap.3. Et ideò dicitur de impijs & iniustis Sap.3. *Si longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.* Tertium iudicium sumitur ex ignorantia cæcitatis, scilicet mentalis, vndè subditur in auctoritate inducta, *videbunt,* scilicet insipientes peccatores, *finem sapientis* iusti *& non intelligēt.* Vbi aduertendum, quod finis sapientis duplex est. Vnus corporalis, secundum sensum, & alius spiritualis, secundum intellectū. Finis corporalis qui est sensu perceptibilis, est mors, & iste est indifferens & communis sapiēti & insipienti: quia *moritur doctus pariter & indoctus,* vt dicitur
Eccl.2. Ecclesiastici 2. Alius est finis spiritualis secundùm animam, & iste non est perceptibilis sensu, sed intellectu tantùm; & iste est vita
Rom.6. æterna: de quo Apostolus Rom. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.* In hoc fine differt sapiens
Eccl.6. à stulto, secundùm illud Eccl.6. *Quid habet amplius sapiens à stulto, & quid pauper nisi vt pergat illuc vbi est vita æterna?* Vbi aduerte quod sapiens dicitur, qui non tātum cognoscit, sed amat & desiderat Deum. Vndè secundū Platonem, sapiens dicitur Dei cognitor, & amator, & imitator: sicut ait B. Aug. 8. de ciuitate Dei ca.4. Stultus autem dicitur, qui nescit prouidere in posterum, vel ignorans appetenda & vitanda. Pauper autem dicitur, qui est humilis spiritu recognoscēs, scilicet suum defectum, & de peccatis contritus. Vndè Greg. in 6. moral. Pauper est, quisquis de suo sensu elatus non est. Et benè cōiunguntur simul sapiens & pauper, id est humilis: quia vbi humilitas, ibi est sapientia. Vult ergò dicere, quod sapiens qui cognoscit, & diligit, & imitatur Deum, & pauper, id est humilis qui cognoscit, & corrigit suum defectum, hæc habet ampliùs stulto, id est improuido, quātum ad futura, & ignorante, quantum ad præsentia, quod sapiens pergit in fine illuc, vbi est vita, scilicet æterna. Et per contrarium stultus pergit illuc, vbi est mors æterna. Videbunt ergò stulti, qui non considerant nisi sensibilia, finem sapientis, scilicet corporalem, id est mortem corporis, sed non intelligent finem spiritualem, scilicet æternæ beatitudinis, ad quam anima eius pergit. Lucæ 8. Luc.8.
Videntes non videant, & audientes non intelligant. Io. 9. *Qui vident cæci fiant.* Io.9.

SECVNDVM quod describitur in themate assumpto, est meritorum fæcunditas: quia *expleuit tempora multa.* Ille enim in breui explet tempora multa, qui in modico tēpore quo viuit, acquirit multa merita: Sicut mercator sollicitus & industrius, plura lucratur in tempore modico, quam piger & hebes lucratur in multis temporibus. Vndè cursor leuis & velox, in modico tempore

pore explet dietas multorũ temporum, id est quæ in multis diebus expediri consueuerunt. Sed istam velocitatem merendi & operandi, facit amor charitatis: quia secundùm Greg. nunquam est amor Dei ociosus, operatur enim magis si est. Item quia secũdùm August. omnia etiam sæua & immania, tolerabilia & propè nulla efficit. Vndè sicut dicit Ber. Qui amat vehementius, currit velocius, & peruenit citius. Vndè potest dici ei, qui sic velociter currit ad Deum, & ad vitam æternam benè operando, illud Ezec.
Ezec.16. 16. *Tempus tuum tempus amantium.* Dicuntur etiam iusti explere multa tempora: quia licet eorum bona opera in modico tempore expleantur, tamen ipsorum operum merita, per multa tempora remunerantur, scilicet in bonis æternis: imò etiam post multa tempora remunerabuntur, scilicet in die iudicij plena remuneratione, sicut patet maximè de eleemosynis, & operibus miseri-
Eccl.11. cordiæ. Vndè Eccles. 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum.*

In quibus quidem verbis describuntur quinque conditiones, quæ in datione eleemosynarum debent obseruari.

Prima est, vt dentur promptè, siue hilariter: & ideò ait *mitte.* Nõ enim debet homo semper expectare pauperes, vt veniant ad petendum, sed debet eis mittere, etiam non venientibus, maximè si sint pauperes verecundi: in hoc enim parcitur eorum verecundiæ & ostenditur eleemosyna propria sponte fieri, & hilariter, & non ex importunitate petenti.
Neem 8 Neem. 8. *Mittite partes eis, qui non præparauerunt sibi.* Et secundum
2. Esdr. 9 Esdr. nono. *Mittite munera his, qui non habent.*

Secunda est, vt dentur vtiliter id est, vt detur illud quod sit magis vtile ei cui datur, ideò ait *panem.* Panis enim est præcipuum sustentamentum vitæ humanæ: & ideò nomine panis intelligitur, quicquid est necessarium ad vitam humanam, & ad eius sustentationem. Esaiæ quinquagesimo octauo. *Frange esurienti panem tuum.* Esa. 58.

Tertia est, vt dentur æquiter, id est de proprio bono, non de alieno: ideò ait *tuum.* Tobiæ 4. *De substantia tua fac eleemosynam.* Tob. 4.

Quarta est, vt dentur clementer: ideo *super transeuntes aquas:* id est sustinentes tribulationes à fame & siti, & nuditate. Per aquas enim tribulationes significantur. Psalmo quadragesimo quinto. *Transiuimus per ignem & aquam.* Psal. 45. Nam per ignem significatur feruor tentationum, & per aquam inundatio tribulationum. Nam sicut dixit quidam metricè. *Raro iacturam videas contingere solam: Vna refert aliam, velut vnda recolligit vndam.*

Quinta est, vt dentur eleemosynæ ordinabiliter; scilicet propter Deum & æternam retributionem: & ideò ait, *quia post multa tempora inuenies illum:* scilicet in futuro non in præsenti, sicut ille qui seminat, non statim recolligit fructum, sed post multa tempora, id est post plures menses Galat. 6. *Bonum facientes non deficiamus, tempore autem suo metemus: non deficientes.* Gal. 6.

C TERTIO in themate assumpto est meritorum gratiositas quia *placet enim Deo anima illius.* Vbi aduertendum est, quod per religionem anima coniungitur Deo, sicut sponso suo: vndè sicut sponsa sollicita est vt sit placita viro suo, secundùm illud 1. Corinth, 7. *Quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* 1. Cor.

Si c

Sic & anima boni religiosi, sollicita est vt sit placita Deo. Sed differentia est inter virum lasciuum & virum honestum: quia homini lasciuo placet vxor propter pulchritudinem, vndè maxime hanc diligit in vxore. Sed viro honesto magis placet vxor propter bonitatem, & virtutem. Et sic est anima respectu Dei, quia in tantùm est Deo placita, in quantum bona. Vndè de Phinees qui significat virum religiosum dicitur Eccli. 45. *In bonitate, & alacritate animæ suæ placuit Deo.* Eccl. 45

In quibus quidem verbis aduertendum est, quod anima viri religiosi, vt sit sponsa Deo grata, debet habere tria.

Primum est, vt sit virtuosa quod notatur *in bonitate.*

Secundum est, vt sit lætitiosa: quod notatur *in alacritate.*

Tertium est, vt sit gratiosa: quod notatur ex placibilitate: *placita Deo.*

Circa primum est aduertẽdum, quod sicut sponsa carnalis multum studet ad ornatum corporis, ita sponsa spiritualis, id est anima, debet studere ad ornatum mẽtis. Sed sicut ornamentum corporis, est habitus præciosus, ita ornamentum animæ, est habitus virtuosus. Et in tali habitu, scilicet virtutis, bonitas animæ consistit. Vndè Philosophus dicit in 5. Ethicorum, quod virtus est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Sic enim videmus de vnaquaque re, quod bonitas eius consistit in virtute eius, sicut medicina dicitur bona, quia habet virtutem curandi, & equus dicitur bonus, quia habet virtutem portandi, & sic de alijs. Et ita etiam anima dicitur bona, quia virtuosa. Vndè etiam Augustin. dicit, quod virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo malè vtitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur. Et ita patet quod talem habitum, & vestimentum virtutum recipit sponsa, id est anima, ab ipso Deo sponso suo. Vndè patet, quod qui animam suam habet tali habitu ornatam, potest dicere illud Sap. 8. *Sortitus sum animam bonam.* Sap. 8. Secundò, anima sponsa Dei debet esse lætitiosa, & ideò dicit, *in alacritate*: scilicet vt virtutum operá alacriter prosequatur: quia ex alacritate exterioris operis, manifestatur interior habitus virtutis. Nam si quæras, quomodo potest sciri quòd ipsa animæ, quæ inuisibilis est, sit induta habitu virtutis, qui etiã inuisibilis est? Dico, quod potest aduerti ex operatione exteriori, quia etiam occulta virtus rei naturalis, manifestatur ex sua operatione, sicut ex expulsione veneni, manifestatur virtus Sapphyri, vndè curat antracem quæ est ex materia venenosa. Et virtus Iaspidis manifestatur, ex restrictione fluxus sanguinis. Et sic virtus mentis, ex bonitate exterioris operis & conuersationis manifestatur. Propterea de fide, quæ virtus præcipua est, dicitur Iacob. 2. Iac. 2. *Ostende mihi ex operibus fidem tuam.* Et dicit, *ex operibus*, non ex opere; quia ex vno tantum opere nõ manifestatur habitus virtutis, sed ex multis, si cum alacritate fiant. Vndè quod virtus sit in anima habitualiter firmata in exterioribus bonis operibus, sicut Sanctus Thomas de Aquino testatur, cognoscitur ex tribus. Primò, si operetur stabiliter, scilicet vt sit firmitas in bona operatione: ea enim quæ à sola dispositione dependent, facilè immutantur, nisi secundùm aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita. Secundò, si operetur celeriter: scilicet, vt operatio perfecta in promptu habea-

tur, nisi enim potentia naturalis per habitum, aliquo modo inclinetur ad vnum, oportebit semper, cum necesse fuerit, operari, præcedere inquisitionem in opere: sicut patet de eo, qui vult secundùm virtutem agere, habitu virtutis carẽs: vndè Philosophus dicit in tertio Ethicorum, quod repentina sunt habituata. Tertiò si operetur delectabiliter: scilicet vt cum delectatione & gaudio, perfecta operatio compleatur. Quod quidem fit per habitum, qui cum sit per modum naturæ, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit, & per consequens delectabilem: nam conuenientia est delectationis causa. Vndè Philosophus in secundo ethicorum, ponit signum habitus, delectationem in opere existentem. Qui ergò virtutum opera, his tribus supradictis modis prosequuntur: isti dicuntur propriè cum alacritate operari. Et ratio est: quia secundum Papiam, alacer dicitur fortis & velox: vndè alacer quasi alas acer, à velocitate alæ & gaudens. Dicitur ergo fortis, in quantum operatur stabiliter; velox, in quantum operatur celeriter, sed gaudens in quantum operatur delectabiliter. Hoc figuratum est 3. Regum 8. vbi dicitur de filijs Israël. *Profecti sunt in tabernacula sua, lætantes alacri corde.* Tabernacula enim festinantium & lætantium, sunt mansiones cœlestes: de quibus dicit Psal. 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, &c.* Ad hæc tabernacula proficiscuntur homines, per opera virtutum; quæ scilicet facere debent lætantes, & alacri corde, id est, corde stabili, & prompto, & hilari. Tertiò debet anima esse Deo, sponso suo, grata, vndè dicitur in auctoritate inducta, *Placuit Deo*: scilicet quia sæculi negotia reliquit. 2. Tim. 2.

3. Reg. 8

Psal. 83.

2. Tim. 2

Nemo militans Deo, implicat negotijs sæcularibus, &c. Item quia carnalia desideria repressit. Roman. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Item quia ipsi Deo fideliter, & inseparabiliter adhæsit. Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Rom. 8.

Hebr. 11

D

QVARTVM quod describitur in themate assumpto, est mortis celeritas: quia properauit educere illum de medio iniquitatis. Vbi nota triplicem gratiam, quam fecit Deus isti defuncto.

Primam scilicet in accelerando quia properauit, scilicet ne ab hostibus raperetur: sicut Dominus timens insultum hostium, properat educere vxorem vel familiam suam, de loco immunito, & ponere in tuto loco. Sic Deus properat educere animam de mundo, ne capiatur à dæmonibus, aut à vitijs corrumpatur: & ponit eam in loco tuto Paradisi. Hanc accelerationem, sub figura desiderabat illa, quæ dicebat. 4. Reg. 4. *Propera ne mihi morã facias*: siquidem periculum est in mora. Item properauit educere de mundo, ne ex diutina expectatione cœlestis gaudij diutius affligeretur. Vndè dicit Deus animæ. *Propera amica mea & veni.* Et tamen quosdam amicos suos, vult Deus in vita ista morari propter bonum suum, vt magis mereantur: vel aliorum, quibus prodesse possunt, vndè debent in mora patientiam habere, secundum illud Abachuc 2. *Si moram fecerit expecta eum: quia veniens veniet.*

4. Reg. 4

Abac. 2.

Secundam gratiam fecit Deus isti defuncto, in extrahendo siue educendo, scilicet à corpore, quia properauit educere eum, scilicet de carcere corporis, quod Psalm. de gratia petebat dicens 141. *Educ de carcere Deus animam*

Psal. 141

meam

meam vt, &c.

Tertiam gratiam fecit ei Deus in eripiendo, scilicet de medio
Psal.56. iniquitatum Psalm.56. *Animam meam eripuit de medio catulorum Leonum.* Catuli leonum sunt peccata, quæ iniquitates dicuntur: quia omne peccatum est iniquitas, vt dicitur 1. Ioan.3: quæ catuli leonum dicuntur, quia à leonibus, id est, à dæmonibus oriuntur per suggestionem, & nutriũtur per delectationem, & deceptionem. Ab his ergò iniquitatibus est ad gaudia cœli perductus. Ad quæ nos perducat, &c.

In funere alicuius boni religiosi.

SERMO XII.

BONVM *est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Thren.3.

Thren.3 Inter iugum spirituale, & corporale est differentia; quia iugum corporale est, quod imponitur bobus, & est iugum mundi. Lucæ
Luc.14. 14. *Iuga boum emi quinque.* Iugum verò spirituale, est iugum Domini, quod imponitur hominibus, de quo Christus dixit discipulis
Matt.11. Matth.11. *Tollite iugum meum super vos, &c.* Hoc intelligi potest esse iugum obedientiæ, & regularis vitæ sub quo sancti religiosi laborant in agro Dominico, id est in Ecclesia Christi: sub quo iugo iste charissimus frater, qui nunc defunctus est, ab adolescentia laudabiliter, & vtiliter longo tempore laborauit. Vndè meritò competit ei, quod dicitur in verbo proposito: *bonum* inquit *est viro, &c.*

A In quibus quidẽ verbis de iugo sanctæ religionis, quod iste ab adolescentia portauit. Hiere. Propheta, cuius verba sunt ista, describit breuiter tria.

Primò vtilitatẽ hominis: quia *bonum est viro:* id est vtile.

Secundò facilitatem oneris, in eo quod subdit: *cùm portauerit iugum.*

Tertiò prolixitatem temporis: quia *ab adolescentia sua.*

CIRCA primum notandum est, quod iugum obedientiæ, & sanctæ religionis, dicitur esse bonum viro, quia facit virum bonũ esse: & quia facit ipsum benè esse. Et ratio est, quia sicut illud quod adhæret fonti caloris, id est igni, efficitur calidum: ita illud quod adhæret fonti religionis, scilicet Deo, efficitur religiosum. Illud autem quod maximè facit hominem Deo adhærere, est iugũ vitæ regularis. Et ratio est, quia religio remouet ista, quibus homines communiter impediuntur ne possint inhærere Deo. Dicitur quod argentum non potest adhærere, siue coniungi auro, nisi caueatur à tribus, scilicet à puluere, à vento, & ab humore: quia ista tria impediunt talem coniũctionem. Sic etiam, ne adhæreat anima Deo: ista tria impediunt: scilicet puluis auaritiæ, ventus superbiæ, & humor luxuriæ.

Sed religio remouet puluerem auaritiæ, per abdicationem proprietatis, quia etsi liceat aliquibus religiosis habere aliqua in communi, non tamen licet habere proprium: & hoc non derogat perfectioni fidelium, sicut patenter dicit beatus Prosper in libro de vita contemplatiua, & habetur 12.qu.1. per totum. vbi satis ostenditur, & propria debere propter perfectionem cõtemni, & sine impedimento perfectionis Ecclesiæ posse facultates, quæ sunt profectò communia possidere. Vndè de Apostolis & primis fidelibus Christi, à quibus incœpit perfectio Christianæ religionis, dicitur Actuum 4.

quod nec quisquam eorum quæ poßidebat, dicebat aliquid esse suum, sed erant illis omnia communia. Item religio excludit ventum superbiæ per humilitatem obedientiæ. Exemplo videlicet Christi: de quo dicitur Philipen.2. quod *humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem.* Item religio excludit humorem fluxuum luxuriæ per votum continentiæ. Vndè religiosi intelliguntur per illos eunuchos, de quibus dixit Christus Matth.19. *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.* Istis autem exclusis, adhæret Deo anima sancti religiosi per charitatem, & contemplationem. Vndè religio dicitur iugum à iungendo, siue coniungendo: quia non solùm coniungit hominem Deo, sed etiam multos in vnum, in magnum bonum ipsorum. Vndè de talibus dixit Psalm.132. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Ex quibus verbis colligi potest, quomodo religio facit homines benè esse, propter quatuor.

Phil.2.

Mat.19.

Psal.132

Primò quidem, quia ponit eos in statu valdè vtili: & ideò dicit, *ecce quam bonum*, id est vtile.

Secundò, quia ponit in statu valdè delectabili: & ideò subdit, *& quam iucundum.*

Tertiò quia ponit eos in statu vniformi: & ideò additur, *habitare in vnum.*

Quartò quoque, quia ponit eos in statu amicabili, & ideò subinfertur, *fratres.*

Sunt ergò primò viri religiosi in statu valdè bono, id est valdè vtili & meritorio, vndè nō solum dixit bonum, sed etiam quam bonum, id est mirabiliter bonum. Et hoc patet dupliciter. Primò respectu eorum, à quibus religio abstrahit. Secundò respectu eorum, ad quæ religio attrahit. Præcipuè namque religiones abstrahunt homines, non solùm à nociuis vel superfluis, sed etiam à licitis. Quod quidem propter Christum facere, est mirabiliter bonum, id est, vtile & meritorium. Mirabiliter quidem dico, quia hominem in carne viuentem, faciunt præter carnem viuere: quod secundum Hieronym. angelicum est, non humanum. Bonum & laudabile est in homine sæculari, quod abstineat ab illicito concubitu fornicationis, vel adulterij, & aliarum specierum luxuriæ, & sit contentus vxore sua. Sed religio amplius facit, quia per votum continentiæ abstrahit ab omni concubitu, etiam matrimoniali. Et de hoc bono dicitur 1. Cor.7. *Bonum est homini mulierem nō tangere.* Et in eodem infra, *Dico autem non nuptis*, id est virginibus & viduis, *bonum est illis si sic permaneāt.* Item bonum & laudabile est in sæculari, quod seruet ieiunia, & abstinentias ab Ecclesia instituta, & quod in eis abstineat à carnibus. Sed probatæ religiones amplius faciunt; quia indicant alia ieiunia, & generalem abstinentiam è carnibus, nisi pro infirmitate vel ratione medicinæ cum aliquo dispensetur: sicut fit in ordine fratrum Prædicatorū, sicut etiam extra de statu monachorum. Cum ad monasterium, prohibetur monachis, quod in refectorio carnes non comedant, nec extra, nisi in infirmitorio; vel interdum quidam in camera Abbatis, de licentia & dispensatione eius pro infirmitate: vel alia necessaria causa. Et talem abstinentiam, scilicet à carnibus, etiam Apostolus cōmendat Rom. 14. dicens. *Bonum est non manducare carnem.* Item patet esse bonum statum religionis, respectu eorum, ad quæ religio ordinatur & attrahit. Nam aliqua religio ordina-

1.Cor.

Rom.

ordinatur, & attrahit ad opera vitæ actiuæ, quæ pertinent ad dilectionem proximi. Vndè Iaco.1. Iac.1. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Quædam vero religiones sunt, quæ magis ordinantur ad vitam contemplatiuam, sicut religio Carthusiensium & similium: & hoc pertinet ad dilectionem Dei. Sed quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligitur, vt Hiero. dicit; Idcircò perfectior religio est, quæ ad vtraque opera, scilicet contemplatiuæ & actiuæ ordinatur, & maximè quæ studet ad illud opus veræ actiuæ, quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, sicut est doctrina & prædicatio, sicut Gregor. dicit in 5 homil. super Ezech. quod de perfectis viris, post contemplationem suam redeuntibus, dicitur. *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt.* Et hoc præfertur simplici contemplationi: sicut enim maius est illuminare, quam lucere solum; ita quoque maius est contemplata alijs tradere, quam solum contemplari. Et ideò summum gradum in religionibus tenent, qui ordinantur ad prædicandum & docendum. Vndè ex persona talium religiosorum dicitur 2. Cor. 8. 2.Cor.8 *Prouidemus bona non solum coram Deo*, scilicet per contemplatiuam: *sed etiam coram hominibus*, scilicet per actiuam. Vndè de beato Dominico legitur, quod diem impartiebatur proximis, noctem Deo. Nocte cæli perlustrans limina, de terris dat verbi semina. Secundò ostendit Propheta in auctoritate inducta, religionis statum esse delectabilem, in eo quod subdit, *& quam iucundum:* glo. id est delectabile. Notandum ergò, quod boni religiosi habent iucunditatem cordis, oris, & operis. Iucunditatem quidem cordis sentiunt ab interiori, & à superiori, & ab exteriori. Primò enim habent iucunditatem, & gaudium ab interiori iustificatione, quia scilicet habentes cor interius iustificatum à peccatis præteritis, & custodientes se à futuris, viuunt in magna iucunditate & alacritate mentis. Et ista est iucunditas quæ multùm placet Deo: quia non prouenit ex dissolutione vanitatis, sed ex puritate mentis. Et de tali iucunditate viri religiosi dicitur Ecclesiasti. 1. *Religiositas custodiet & iustificabit cor: & iucunditatem atque gaudium dabit.* Eccl.1. Item habet religiosus iucunditatem cordis à superiori, scilicet ex diuinorum contemplatione: de qua etiam Philosophus loquens in libro de partibus animalium, dicit quod circa diuinas, & superexistentes substantias, necesse est nobis minores existere theorias, id est, considerationes. Sed si secundum modum attingamus eas, delectabilius aliquid habent quam quæ apud nos omnia. Ex tali ergò consideratione sequitur magis cordis iucunditas. Et de hac iucunditate dicitur Prouerb. Prou.18 18. *Qui inuenit mulierem bonam, inueniet bonum, & hauriet iucunditatem à Deo.* Mulier bona, est sensualitas obediens rationi, ad quam sequitur bonum pacis, & quietis mentis: & tunc in actione diuinæ contemplationis hauriet iucunditatem diuinæ consolationis. Habet etiam iucunditatem cordis ab exteriori, quia propter bonum obedientiæ, patienter portat ad tempus corporalem laborem: vndè tandem recipiet in futuro æternam lætitiam, & consolationem. Vndè dicitur Ecclesiast. 1. *Vsque ad tempus*, scilicet mortis, *sustinebit patiens: &* Eccl.1.

postea redditio *iucunditatis fiet ei.* Secundo habent boni religiosi iucunditatem oris, siue in verbis consolatorijs quibus alios lætificant, secundùm illud Psalm.103. *Iucundum sit ei eloquium meum:* Siue in diuina laude, in qua ad deuotionem, & spiritualem lætitiam frequentius exhortantur: & talis laus Deo debetur secundum illud Psal.146. *Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio.* Tertiò habent iucunditatem operis, scilicet in operibus vitæ actiuæ, vt sunt opera misericordiæ; quæ cum iucunditate cordis, & cum hilaritate vultus fieri debent, secundum illud Apostoli 2. Cor.9. *Non ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et ideò dicitur in Psalm.111, *Iucundus homo qui miseretur, &c.*

Psal.103

Ps.146.

2.Cor.9.

Ps.111.

Tertiò ostenditur in auctoritate allegata, quòd religio ponit homines in statu vniformi, cum dicitur; *habitare in vnum:* scilicet quia sunt vnius religionis, vniformis professionis vinculo colligati, vniformis coloris habitu induuntur, ad vniformem obseruantiam regularis vitæ tenentur, vt scilicet vniformitas, quæ exterius seruatur, vniformem vnanimitatem repræsentat animorum, quæ interius esse debet in corde. Quæ quidem magis habetur ex Dei gratia, quam ex humano conuictu, vel comitatiua. Vndè in Psalm. *Qui habitare facit vnius moris in domo,* scilicet religionis. Quartò ostenditur in auctoritate præfata, quod religio ponit eos in statu amicabili: quia vocat eos *fratres.* Ad literam enim vocantur fratres Prædicatores, vel Minores, vel Heremitæ. Est enim inter eos fraternitas, non carnalis cognationis, sed regularis professionis: vndè vt fratres se diligere debent, non carnalis propinquitatis amore, sed charitatis dilectione, secundùm illud Roma.12 *Charitate fraternitatis inuicem diligentes:* debent enim imitatores esse religionis Apostolorum: quibus Dominus dixit Matt.23. *Omnes enim vos fratres estis.* Rom.12.

B SECVNDO in auctoritate thematis ponitur facilitas oneris, quod habet religiosus portare: cum dicitur, *cum portauerit iugum Domini.* Nota, quod differentia est inter iugum Domini, & iugum mundi. Nam iugum mundi est status vitæ sæcularis, quod quidem iugum est durum & graue: iugum enim durum & asperum collum bouis depilat; sed graue inclinat & curuat. Sic status vitę sęcularis depilat mentem hominis, id est aufert pilos spiritualium meditationum & affectionum, quæ in mēte oriuntur, & quibus homo debet ornari: sæculares enim homines tantum occupantur circa ea, quæ pertinent ad corpus, quod retrahuntur à meditationibus & affectionibus spiritus. Item potest dici, quod illud iugum sæculi siue mundi, est durum, in quantum infert laborem in acquirendo; durius inquantum infert dolorem in amittendo, sed durissimum in quantum aliquibus infert perditionem æternam, ad æterna supplicia eos mittendo. De tali iugo conquærebantur filij Israël dicentes 3.Regum 12. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis:* sic facit mundus his, qui diligunt ipsum. Dicitur etiam status vitæ sæcularis iugum graue, quod deprimit mentem ad terrena, & infima diligenda. Eccles. 40. *Occupatio magna creata est hominibus: & iugum graue super filios Adam.* Iugum autem Domini est status vitæ regularis, siue religionis: quod iugum non est durum, sed suaue: non est graue,

3.Re.12

Eccl.40

se

ſed leue. Vndè ipſe Dominus ait
Matt.11. Matth.11. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

In quibus quidem verbis, tangitur quadruplex ratio, quare iſtud iugum, ſcilicet religionis, eſt lætanter portandum.

Primò quidem propter vnionis nexum: quia *iugum*,

Secundò, propter imitationis exemplum: quia *meum:* ſcilicet quia ex me exortum.

Tertiò propter deuotionis affectum: quia *ſuaue eſt.*

Quartò propter dilectionis affectum: quia *onus meum leue.*

Primò ergò portandum eſt libenter iugum religionis, propter coniunctionis nexum, Nam ſub iugo corporali coniunguntur duo boues in vnum ad laborandum ſimul: vndè & iugum à iungendo dicitur. Eſt autem mos religioſorum vt vadant combinati, ſiue quandò vadunt ad ſeminandum verbum Dei, ſiue ad aliud vtile, & neceſſarium opus faciendum. Et iſta combinatio fit, ſiue propter auxilium, quia *frater qui iuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.* Eccl.4. *Melius eſt duos*
Eccl.4.
eſſe ſimul quam vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Item propter teſtimonium, vt vnus adſit alteri, tanquam cuſtos & teſtis honeſtatis vitæ Matth.18. *Adhibe*
Matt.18
tecum vnum vel duos teſtes. Vndè Auguſt. in regula ſua dicit. Non eant quocunque ire neceſſe fuerit, minus quam duo vel tres. Et hinc eſt quod etiam Dominus diſcipulos ad prædicandum mittens, ſicut dicitur Lucæ 10. *Miſit*
Lucæ 10
illos binos antè faciem ſuam, &c. Ergò religioſi ſub iugo obedientiæ combinati, exeuntes ad prædicandum, ſunt velut boues ſub iugo colligati, exeuntes ad ſemi-
Oſeæ 11.
nandum. Oſeæ 11. *Iugum imponetur eis ſimul.* Vndè de tali iugo obedientiæ & religionis, dicitur Eccl.51. *Collum veſtrum ſubijcite eius iugo.* Eccl. 51.

Secundo oſtenditur, iugum religionis eſſe lætanter portãdum, propter imitationis exemplum, quia *meum:* in quo notatur tollendi exemplaritas: quaſi diceret meum dico, quia ego in veſtrum exemplum illud antè tuli. Cum enim tria ſint ſubſtantialia religionis vota, ſcilicet continentiæ, obedientiæ, & paupertatis volũtariæ, ſcilicet per abdicationem proprietatis: horum trium Chriſtus in ſeipſo nobis exemplum dedit, & etiam in his Apoſtolicã religionem fundauit, vt ſupra oſtenſum eſt. Vndè & ipſos Apoſtolos adhortatus eſt dicens. *Tollite iugum meum ſuper vos & diſcite à me,* &c.

Tertiò oſtenditur iugum religionis eſſe lætanter portandum, propter deuotionis affectũ, quia ſcilicet deuotis fratribus non videtur aſperum ſed ſuaue: & ideò dicit quod *ſuaue eſt*, id eſt dulce & commune. Dulce quidem, quia licet in exterioribus obſeruãtijs, videatur auſterum, tamen in inferiori ſpiritu, dulcorem gignit: ſicut fructus nucis, qui habet exteriorem teſtam duram, & interiorem nucleum ſapidum & ſuauem: vnde, *& nucleum celat arida teſta bonum.* Sed illi qui non habent ſenſum & affectum deuotionis, neſciunt diſcernere dulce ab amaro, & ſuauitatem ab aſperitate: vndè refugiunt dulcedinem religionis, propter auſteritatem vitæ exterioris. Cuius figura habetur. 2. Regum 19. In 2.Re.19
Berzelai qui ait. *Nunquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue vel amarum?* Bernard. Multi vident punctiones noſtras & non vident vnctiones noſtras, id eſt conſolationes. Habent enim religioſi aquas furtiuas, id eſt occultas gratias, quas orando & con-

contemplando, occultè & dulciter hauriunt, & panem intelligentiæ ſacræ ſcripturæ, quo interius paſcuntur, & paſcunt, in quibus eſt dulcedo & ſuauitas. Prou.9. Prouerb.9. *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior.* Dicitur etiam iugum ſuaue, quia commune. Nam onus quod in communi portatur, leuius & ſuauius eſt ad portandum. Sed religio vult onera, & omnia eſſe communia, vt ſuauius diſponantur. Sap.8. Sapien.8 *Diſponit omnia ſuauiter.*

Quarto, religionis iugum eſt lætanter portandum, propter dilectionis affectum: quâ ſcilicet religionis onera omnia leuigantur, & ideò dicit: *& onus meum leue.* Quędam quæ ex ſe viderentur nimis grauia ad portandum, ex aliquo addito vel ſuppoſito efficiuntur leuia: veluti ſi aliquis ſupponeret onus lignorum, vel alterius rei duræ ſuper nudum dorſum aſelli, eſſet nimis graue ei & doloroſum ad portandum, ſed ſuppoſita barda, vel ſella, leuius portatur. Sic multa eſſent grauia nimis per ſe bobus ad trahendum, quæ ſuppoſito curru leuius trahuntur. Et ita religionis onera, ſuppoſita charitate, leuiter feruntur. Nam ſicut dicit Auguſtinus. Omnia ſęua & immania, A tolerabilia & prope nulla efficit amor. Vndè etiam ipſe Auguſti. dicit, quod ſarcina Chriſti, quæ infirmitati grauis eſt, leuis efficitur charitati: & maximè, quia religionis onera inter multos diſtribuuntur, Exod.18 ita quod vnus iuuat alium, ad portandum religionis iugum. Exod.18. dixit Ietro Moyſi. Gal.6. *Leuius tibi ſit partito in alios onere.* Apoſtolus Galat.6. *Alter alterius onera portare, &c.* *quæ eſt charitas.*

C TERTIO in themate aſſumpto notatur prolixitas temporis quo iſte iugum Domini, ſiue religionis, portauerit: quia ab adoleſcentia ſua vſque ad prouectam ętatem. Et idcirco completum eſt in eo, quod dicitur Prouerbiorum vigeſimo ſecundo. Pro. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.*

In quibus quidem verbis, iſte ſanctus religioſus commendatur ex tribus.

Primò ex inceptionis idoneitate, quia in idonæa ætate, ſcilicet adoleſcentiæ, cœpit ſeruire Deo, ſcilicet dum eſſet *adoleſcens.*

Secundò ex proſecutionis conformitate, quia iuxta viam ſuam ſcilicet bonam, quam incœperat ſemper ambulauit proficiendo in ea.

Tertiò ex continuationis firmitate: *quia etiam cum ſenuerit, &c.*

Circa primum attendendum eſt, quod adoleſcentia eſt ætas apta ad aſſumendum iugũ religionis, triplici ratione. Primò ratione inchoationis. Magna enim vis eſt facienda in principijs. Nam vt Ariſtoteles dicit. Paruus error in principio, magnus eſt in fine. Et hoc patet in peccato primi parentis, per quod tota natura humana fuit infecta. Poëta etiam dicit: quod *dimidium facti, qui benè cœpit habet:* ſicut qui malè cœpit, totum fere amiſit. Et ideò multum eſt obſeruandum quibus artibus homo à principio aſſueſcat, quia ſi bonis, totum eſt lucratum: ſi malis, totum eſt perditum: niſi ſtatim reuocetur, antequam firmatum ſit in malo per conſuetudinem. Propter quod adoleſcentibus, qui etiam faciliter informari poſſunt bonis vel malis moribus, ſicut cera mollis de facili recipit quaſcunq; impreſſiones: poſtquam ad annos diſcretionis venerint, optimum eſt aſſumere iugum religionis, per

quam

quam retrahantur à malis, & ad bona prouocentur Prou. 1. (Prou. 31.) *Adolescenti detur scientia & intellectus.* Scientia, scilicet proficiendo in bono. Apostolus Col 1. (Col. 1.) *Proficientes & crescentes in scientia Dei.* Et intellectus, quo sciant recedere à malo Iob 28. (Iob 28.) *Recedere à malo intelligentia.* Secundo, bonum est inchoare, religionem in adolescentia, ratione inclinationis: quia præcipuè adolescentes incipiunt inclinati, & esse proni ad vanitates & voluptates: & ideo ne defluant in talia bonum est vt alligentur fræno, seu retinaculo religionis, quæ à religando religio dicitur Eccl. 12. (Eccl. 12.) *Adolescentia & voluptas vana sunt.* Et coniungit voluptatem adolescentiæ, quia præcipuè adolescentes sunt ad voluptates proni, à quibus quidē retrahuntur per ipsius religionis ligamen. Tertio, ratione fæcundationis. Nam mulieres, quæ in adolescentia nubunt, & traduntur viris, magis fæcundæ sunt in filijs quam illæ quæ vetulæ nubunt. Et sic illi qui ab adolescētia religionem ingrediuntur, & perseuerant in ea fæcundiores & fertiliores sunt, & plus abundant bonis operibus, quam illi qui ingrediuntur senes, vel multum prouecti, secundum illud Hiere. (Hier. 48) 48. *Fertilis fuit Moab ab adolescētia sua:* & ita accidit isti nostro defuncto. Secundò commendatur in auctoritate allegata ex prosecutionis conformitate, quia scilicet iuxta viam suam quam cœperat, semper ambulauit, & illa via fuit vita religiosa, & obseruātia religionis. Quam iste ab adolescentia intrauit duplici ex causa. Primò, vt mores suos & vitam corrigeret, & in melius commutaret. Item, vt mandata & consilia Dei perfectius obseruaret. (Psal. 118) Psal, 118. *In quo corrigit adolescens viam suam, in custodiendo sermones tuos.* Primum facit religio per rigorem disciplinæ. Secundum, per subiectionem obedientiæ. Tertio, commendatur in auctoritate præfata, de continuationis firmitate: quia etiam cum senuerit non, &c. Nam quod noua testa capit, inueterata sapit. Sunt tamē quidam, qui vel propter negligentiam, vel propter malitiam suam, à Deo derelicti, & in senectute sua apostatant à religione: vndè istum casum timens bonus religiosus, dicit Deo frequenter illud Psal 70. (Psal. 70.) *Vsque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me:* & iterum, *ne proijcias me in tempore senectutis, &c.* Sed iste è contrario impleuit illud Iob 27. (Iob 27.) *Donec deficiam non recedam ab innocentia mea: iustificationem meam quam cœpi tenere non deseram.* Vndè potuit ei dici illud Deuter. 33. (Deut. 33) *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua est.* Ex qua ad vitam transitur æternam, Ad quam, &c.

In funere alicuius Religiosæ mulieris.

SERMO XIII.

MVLIER *timens Deum, ipsa laudabitur.* Prou. 31. (Prou. 31.)

Nos videmus quod homines consueuerunt laudare, & commendare aliqua secundùm quod afficiuntur ad illa. Vndè homines mundani & peccatores, qui multum afficiuntur ad carnalia, laudant mulieres multū de pulchritudine carnis, sicut habetur de Sara Genesis 12. quod cum ingressus esset Abraham Ægyptum viderunt Ægyptij mulierem, scilicet Saram vxorem eius, quod esset pulchra nimis, & nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: sed tales non attendunt, quod fallax gratia, & vana est pulchritudo

tudo. Sed sancti viri, qui carnalia dispiciunt, & tantum spiritualia diligunt, commendant mulieres non quia pulchræ: sed potius quia virtuosæ. Et in hoc consonant sacræ scripturæ verba, quæ ostendit mulierem esse laudabilem, non ex nobilitate generis, vel ex pulchritudine corporali, sed ex timore Dei, vndè ait. *Mulier timens Deum, &c.* Et quia talis mulier fuit ista sancta soror, quæ nunc defuncta est: meritò potest laudari.

A In quibus quidem verbis de ista sancta sorore & de qualibet religiosa muliere, ostenduntur tria.

Primò quid fuit secundùm naturam: quia *mulier.*

Secundò quid sit secundùm gratiam: *timens Deum.*

Tertiò quid erit secundùm memoriam: quia *laudabitur.*

Circa primum attendendum est, quod illa secundùm naturam fuit mulier fragilis; sed tamen secundùm naturam, nos videmus quod ea quæ de se sunt valdè fragilia & passibilia, muniuntur & fortificantur ex circumpositione alicuius rei fortis vel duræ, sicut patet in nuce Amigdalina & auellana: quia eorum interior substantia mollis est & passibilis, munitur & fortificatur duritia exterioris testæ: & in capite hominis est substantia cerebri, interius mollis & passibilis, & ideò communitur panniculis & ossibus duris. Sic bona qualibet & religiosa soror, quamuis secundùm naturam sit tam animo, quam corpore fragilis: fortificatur tamen robore continentiæ, & cuiuslibet spiritualis virtutis. Et de tali sorore dicitur 1.

1.Cor.7. Cor.7 *Mulier innupta & virgo cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu.*

In quibus quidem verbis quælibet religiosa & sancta soror commendatur de tribus.

Primò, de corporis castitate, quia *innupta*, quantum ad viduā quæ viro caret, & virgo, quantum ad eam quæ nunquam habuit virum.

Secundò de mentis religiositate: quia *cogitat quæ sunt Domini.*

Tertiò de vtriusque scilicet mentis & corporis puritate: *vt sit sancta corpore & spiritu.*

Circa primum notandū, quod vtraque castitas commendabilis est scilicet & innuptæ, & viduæ & virginis quamuis magis laudabilis sit castitas virginalis. Sed de vidua nota, quod est differentia inter sæcularem & religiosam: quia sæcularis vidua si vult, potest sine peccato nubere: quamuis laudabilior sit, si innupta permaneat. Vndè & in sacra scriptura, viduæ quæ permanserunt innuptę plurimum commendantur sicut Iudith & Anna. Primò quia iteratò nubere, videtur signum incontinentiæ. Et ista etiam viro bigamo est vna de causis, quare irregularis efficitur: & ad ordines promoueri non debet: quamuis principalis causa sit propter defectum vnitatis sacramenti. Secunda causa quare commendatur viduæ, quæ permanserunt innuptæ est: quia fuerunt magis expeditæ à sollicitudinibus causę familiaris, viri, & filiorum, & familiæ. Et ideò potuerunt magis vacare spiritualibus sicut patet de Anna prædicta; de qua dicitur Lucæ 2. quod *hæc vidua erat* Luc.2
vsque ad annos 84. quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et ideò Apostolus dicit. 1. Corint. 7. *Dico* 1.Cor.
autem innuptis & viduis bonum est illis si sic permaneant: innuptæ scilicet. De nuptis viro dicit in eodem. *Quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat*

ceat viro. Sed vidua quæ est in monasterio, siue religione, debet omninò innupta permanere, nec ei nubere licet: quia scilicet continentia est de substantia religionis. Cuius ratio est: quia ad statũ religionis requiritur abstractio eorum, per quæ homo impeditur, ne totaliter feratur in Dei seruitium. Sed matrimonium habet hoc impedire, propter duo. Primò propter vsũ actus carnalis; qui multum retrahit animam ab illa perfecta intentione tendendi in Deum, sicut patet per dicta Augusti. in lib. soliloquiorum. Secundò propter sollicitudinem, quam ingerit homini de gubernatione viri, & filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorum sustentationem sufficiant. Vndè de viro Apostolus dicit 1.
1.Cor.7 Corint.7. quod *qui sine vxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori.* Et idem dicit de muliere, quæ est sine viro, vel cum viro. Et ideò continentia perpetua requiritur ad perfectionem religionis. Prædictam autem differentiam inter viduam sæcularem & religiosam, tangit Apostolus ibidem scilicet 1.Cor.7. Primò quidem quãtum
1.Cor.7 ad sæcularem dicens. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius, liberata est à lege: cui vult nubat, tantum in Domino.* Sed quantum ad religiosam subdit. *Beatior autem erit si sic permanserit:* scilicet innupta, quamuis etiam de sæculari vidua vtrumque possit intelligi. Sed tamen multò beatior vidua religiosa, quæ sibi voluntariè etiam necessitatem imposuit, per votum continentiæ, vlterius non nubendi. Sed adhuc vlterius tangitur in auctoritate allegata altior continentiæ virtus, scilicet virginalis: cũ subditur, *& virgo.* Vbi notandum, quod sicut dicit Philosophus, actus actiuorum sunt in patiente disposito. Nam quia aër, quantò pulchrior, tantò est magis dispositus ad susceptionem lucis, ideò quantò purior & serenior existit, tanto plus de lumine recipit & clarescit. Sic etiam de luce spirituali, scilicet gratiæ vel sapientiæ: de quo anima tantò plus recipit, quantò purior existit. Vndè quia virginitas importat maximam puritatem, scilicet incorruptionem mentis & corporis: quia
secundum August. *Virginitas est* August.
in carne corruptibili perpetua incorruptionis meditatio: ideò maximè disponit ad suscipiendum lumẽ sapientiæ & gratiæ, & etiam gloriæ. Nam de lumine sapientiæ patet in Ioanne Euangelista, qui fuit virgo: & ideò impleuit eum maiori sapientia, & intellectu. De lumine gratiæ patet in beata Maria virgine, quæ fuit gratia plena, sicut fuit virgo purissima. De lumine gloriæ patet: quia quantò aliquis magis appropinquat Deo, in ipsa beatitudine, tantò maiori lumine illustratur
gloriæ. Sed incorruptio, scilicet Sapi.5.
virginitatis, homines Deo proxi-
mos facit: sicut dicitur Sapien.5. Eccli 15.
& ideò dicitur Eccli.15. *Quasi mulier à virginitate suscipiet illum:* scilicet Christum, qui est fons sapientiæ, lux grrtia & splendor gloriæ. Secundo commendatur mulier deuota de religiositate mentis, quia *cogitat quæ sunt Domini.* Vbi notandum, quod illa cogitat quæ sunt Domini, quæ cogitat Domini præcepta. Infirmus enim, qui appetit sanari, multùm cogitat vt faciat quæ medicus precepit; & multò magis homo debet cogitare, quomodo impleat quæ præcepit Deus Eccli.3. Quæ præcepit tibi Deus

Deus, illa cognita semper. Et dicit *semper*: vt scilicet ab ipsis, per propositum peccati, nunquam recedat. Deuter. 6. *Hæc meditaberis sedens in domo tua ambulans in itinere: dormiens atque consurgens*. Item cogitat quæ sunt Domini, quæ cogitat Domini supplicia: scilicet quæ ipse Dominus pertulit pro nobis. Quæ quidem recogitata, in corde sunt velut animæ arma, contra tentationum insultus 1. Petri quarto *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini*. Bernard. Tanta est virtus passionis Christi, quod si in mente firmiter habeatur, nulla peccati iacula præualere possit in anima: sed in memoria eius, totus peccati & mortis fugatur exercitus. Item illa cogitat quæ sunt Domini: quæ cogitat Domini præmia, quæ nobis promittit. Hæc enim præmia sunt spiritualia & æterna: sicut dicebat Psalm. 26. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. Apes super flores resident, & indè attrahunt mel: sic iusti de æternis bonis cogitant, & attrahunt indè dulcedinem. Et quia talia præmia recondita sunt apud altissimum Deum, ideò dicitur de sanctis viris Sapien 5. quod *cogitatio illorum apud altißimum est*. Tertiò in auctoritate inducta ostenditur, quod debet sanctimonialis fœmina habere puritatem perfectam, scilicet in carne & vita. Et ideò dixit: *vt sit sancta corpore & spiritu*. Medici quandò inueniunt in membris principalibus dispositiones contrarias, puta quod infirmus habet stomachum frigidum & hepar calidum, sicut dicit Auicenna de tympaniaco: tunc contra frigiditatem stomachi, dantur ei remedia interiora; puta aliqua calida confortantia stomachum, & digestionem eius, siue in cibis, siue, in confectionibus. Sed ne ex talibus calidis hepar inflãmetur, superponũtur hepati exterius aliqua frigefactiua, puta aliquod epithyma frigidum. Sic quia homo habet contrarias dispositiones in spiritu & in carne, quia caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritum aduersus carnẽ, debet homo sanctificare spiritum per actiones interiores, puta per potionem compunctionis; per vomitum confessionis; & per confectionem calidam feruentis orationis, & dulcis contemplationis. Item sanctificare corpus per actiones exteriores; scilicet per abstinentias, & ieiunia, & vigilias, & disciplinas; & labores vitæ actiuæ. Vndè glossa super verbo prædicto dicit: vt sit sancta spiritu per actiones interiores. Et tunc in vtroque sanctificata poterit dicere illud Psal. 62. *Sitiuit in te anima mea, &c.* Nota quandò aliquis vult ponere in aliquo vase preciosum liquorem, solet ipsum mundare, & lauare, non solum interius, sed etiam exterius, vt sit totum mundum & purum. Sic Deus volens ponere liquorem gratiæ suæ in fœmina sanctimoniali, vult ipsam inuenire mundam & sanctam, & interius in spiritu, & exterius in corpore, propterea dicebat Apostolus 2. Corint. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*. Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati*. Sancti scilicet in spiritu; mundi à peccatis spiritualibus, & immaculati scilicet in corpore, mundi à peccatis carnalibus.

Deut. 6. 1. Pet. 4. Psal. 26. Sapi. 5. Psal. 2. Co. Ephe.

SECVNDO ostenditur in themate assumpto, de ista nostra sorore defuncta, qualis fuit per gratiam: quia *timens Deum*. Et sic quælibet religiosa soror debet esse timens Deũ, duplici ratione

Primò

Primò ratione debiti; secundo ratione lucri. Ratione quidem debiti; quia licet non habeat sponsum terrenum, habet tamē sponsum cœlestem scilicet Deū, quem multum timere & reuereri debet, vtpote quia sponsus est non debilis, sed potentissimus; nō ignorans, sed sapientissimus; & non remissus, sed iustissimus. Debet ergo primo Deum timere ratione suæ potentiæ, tāto enim sponsa magis timet spōsum suum carnalem, quanto magis potest sibi nocere. Sed homines quantumcunque sint potentes, non possunt lædere vel nocere, nisi solum in rebus temporalibus: vel etiam in corpore, verberando, vel occidendo corpus. Magis ergo timendus est ille sponsus cœlestis, qui potest non solum occidere corpus, sed etiā animam perdere, & in æternum damnare. Vnde Matth. 10. *Nolite* Mat. 10. *timere eos qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere: sed potius, &c.* Banni & mandata Principum, sunt sub pœna amittendi temporalia & corporalia. Banni vero Dei & mandata, sunt sub pœna corporum, & etiam animarum. Vnde Psalm. 118. Ps. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Item debet timeri iste sponsus, ratione sapientiæ: plus enim timet vxor virum suum, quando scit quod nihil potest eum latere. Et talis sponsus est Christus Hebr. 4. Hebr. 4. *Omnia nuda & apta sunt oculis eius.* 3. Regum 3. 3. Reg. 3. *Timuerunt Regem Salomonem videntes sapientiam Dei esse in eo.* Item debet timeri talis sponsus ratione iustitiæ: plus enim timent homines iudicem, quem sciunt à iustitia non prece, nec precio posse flecti. Et vxor habens virum zelotipum, & implacabilem, & durum, vehementer timet eum. Et talis est sponsus cœlestis: præcipue in morte, vel in extremo iudicio. Prouer. 6. *Zelus & furor* Prou. 6. *viri non parcet in die vindictæ: nec acquiescet cuiusquam precibus: nec recipiet pro redemptione dona plurima.* Hæc enim verba glossa exponit de sponso cœlesti. Vnde poterit ei dicere sponsa, quę timore eius à malis resipuerit, illud Lucæ 19. *Timui te sciens quia homo* Lucæ 19. *austerus es.* Secundo, debet eum timere ratione lucri: quia scilicet Deum timere, est ars multum lucratiua, per quam conquiruntur multa bona, id est, multa merita. Propterea dicitur Tobię 4. Multa bona habebimus, si timuerimus Deum: & recesserimus à peccato.

In quibus quidem verbis tria facit.

Nam primo, prēmittit meritorum multiplicationē: quia *multa bona habebimus.*

Secundo supponit Dei subiectionem: quia scilicet *timuerimus Deum.*

Tertio vero addit impedimenti subtractionem: *& recesserimus à peccato.*

Circa primum nota, quod per timorem Dei habentur multa bona, quia scilicet est causa multiplicandi merita. Et huius ratio est, quia timor Dei sollicitat ad bene operandum, & per ipsa bona opera conquiruntur merita. Vnde dicitur Eccle. 15. *Qui timet* Eccl. 15. *Deum faciet bona.* Vbi Gregorius. Timere Deum est, nulla quę facienda sunt bona pręterire. Vnde Ecclesiast. 7. *Qui timet Deum ni-* Eccl. 7. *hil negligit.* Secundo præsupponit Dei subiectionem, *si timuerimus Deum.* Nota quando est aliqua ars vel operatio, quæ sit multum delectabilis ad faciendum, est homo magis assiduus ad faciendum eam: & ideo plus lucratur, & talis ars siue operatio est timere Deum. Licet enim timor

seruilis, qui est propter pœnam tantum vitandam, non sit delectabilis: quia de tali timore dicitur 1. Ioan 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet*: tamen timor filialis, & reuerentiæ delectabilis est, quoniã ex dilectione & charitate Dei procedit: quę facit delectabiliter operari, & per consequens plus mereri. Vnde Ecclesiast. 1. *Timor Domini delectabit cor, &c.* Et Psalm. 30 *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* glossa: quam impius non sentit, quia de febre, iniquitatis palatum cordis amisit. Tertio additur in auctoritate allegata, exclusio impedimenti, id est, peccati, quo meritum impeditur. Vnde ait, *& recesserimus a peccato*: quia stando in peccato, opera quę fierent de genere bonorum, non essent meritoria: sed nec etiam ostenderetur, quod Deum vere timeret, si ab eius offensis, id est, à peccatis non desisteret. Vnde Ecclesiast. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Est enim timor Domini, quasi quidam ianitor cordis. Sed est differentia inter timores; quia timor seruilis vel mundanus, est sicut ostiarius pictus in portis diuitum, qui eleuata claua, videtur percutere ingredientes, & ingressum prohibere, & tamen vere non facit: sic timor qui sine charitate est, videtur peccatum expellere, & ideo non expellit, quia dicit August. quod manet in timore seruili peccandi voluntas, & sequeretur opus si separetur impunitas. Sed timor filialis, est vt ostiarius verus, ab ingressu cordis vitia deterrens claua terribili, id est, consideratione iudicij & inferni: imo etiam expellit vitia & peccata, quæ fuerunt iam ingressa. Vnde Ecclesiast. 1. *Timor Domini scientiæ religiositas. Religiositas custodiet & iustificabit cor*: scilicet à peccatis. Prouerb. 3. *Time Deum & recede à malo.*

1. Ioã. 4. | Eccl. 1. | Ps. 30. | Eccl. 1. | Eccl. 1. | Prou. 3.

TERTIO in themate assumpto, de muliere religiosa ostenditur quid erit, secundum memoriam: quia *laudabitur* scilicet etiam post mortem: quia *memoria iusti cum laudibus.* Prouer. 10. & non solum iusti viri, sed etiam iustę mulieris memoria, habetur laude digna. Debet autem religiosa soror & mulier, se ita laudabilem reddere dum viuit, vt dicere posset illud Psalm. 33. *In Domino laudabitur anima mea.* Ex quibus quidem verbis colligitur, quod ad laudem perfectam religiosæ mulieris debent concurrere tria. Primum est, vt sit laus certa: & hoc est quando fit in Domino. Nam laus, quando fundatur in homine, id est, in humano iudicio, non est laus certa, quia sæpe humanum fallitur iudicium: quia plerumque iudicat esse laudabile, quod non est vere laudabile Sed laus quæ fundatur in Domino, id est, in Domini iudicio, illa est laus certa. 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare: quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Secundũ est, vt sit laus secura: vt scilicet non laudetur in præsenti, sed in futuro: & ideo non dicit in auctoritate allegata, laudatur, sed laudabitur: scilicet in futuro. Eccli. 11. *Ante mortem ne laudes hominem.* Et ratio est: quia talis laus non est tuta, neque ex parte laudantis, neque ex parte laudati. Ex parte quidem laudantis; quia parit suspitionem quod fiat ex quadam adulatione, & præcipue cum quis laudatur in facie, adulatio autem peccatum est, & nocet ipsi laudanti. Ex parte vero lauda-

E | Prou. 10. | Ps. 33. | 1. Cor. 4. | Eccl. 11.

laudati, non est etiam tuta: quia est aliquãdo sibi causa elationis, propter quod dicitur Eccl.2. *Ne laudes virum in specie sua*, id est, in facie, vel in præsentia sua. Propterea Maximus dicit, in quodam sermone, quod duplici ex causa vtilius est, hominum memoriæ magis laudem dare quam vitæ: vt illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudanti adulatio nocet, nec laudatum tentat elatio. Et infra subdit. *Quis autem viuens tu te possit laudari, qui & de præterito meminit, se habere quod doleat: & de futuro videt, sibi superesse quod timeat.* Et ideo bene dicit Ecclesiasticus. *Ante mortem ne laudes quemquam.* Quasi diceret, sicut Maximus in eodem sermone dicit. Lauda post periculum, prædica securam nauigantis felicitatem, sed cum peruenerit ad portum. Lauda ducis virtutem, sed cum perductus fuerit ad triũphum. Tertium quod requiritur ad perfectam laudem est, quod sit laus vera, nõ vana: & talis est, quod non laudetur de his quæ pertinent ad corpus, puta de pulchritudine, vel fortitudine corporis, vel similibus: sed de his spiritualibus, quæ ad animam pertinent. Et ideo dixit in auctoritate inducta, *laudabitur anima mea*, nõ corpus. Et ratio est, quia vera laus est ex virtutibus, vel ex operibus virtutum. Virtutes autem subiectiue non in corpore, sed in anima sunt. Et de tali laude dicitur Can.6. *Regina & concubinæ laudauerunt eam*; quasi Reginæ sint virtutes Theologicæ; vt fides, spes, charitas; sed quasi cõcubinæ sint virtutes morales; vt iustitia, prudentia, fortitudo, temperantia; quæ significantur per concubinas, quibus licite fuerunt vsi Abraham, & Iacob, & alij Patriarchæ. Itera opera virtutum æstimantur magis laudabilia ex animo, quam ex corpore. Et de tali laude dicitur Prou.vlt. Laudent eam in portis opera eius. Et dicit in portis, de quibus dicitur. *Aperite mihi portas iustitiæ.* Quarum vna est iudicij particularis, quod fit in morte, per quam anima intrat ad vitam æternam. Alia erit iudicij generalis, per quam intrabunt & corpora in vitam gloriosam Ad quam, &c.

Eccl.2. — Can.6. — Prou.vlt.

In funere vnius Imperatoris.

SERMO XIIII.

IS *qui videbatur fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere: nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur.* 2. Macha.9. 2.Mac.9

Dicunt sapientes naturales, quod opposita iuxta se posita magis elucescunt: sicut album magis apparet, positum iuxta nigrum. Et inde est, quod etiam in inferno erunt duæ pœnæ contrariæ in damnatis, vt dicitur Iob 24. sibi inuicem succedentes, vt vna magis ex altera sentiatur. *Transibunt*, inquit, *ab aquis niuiũ ad calorem nimium*. Sic quoque qualis sit vita nostra, apparet ex successione mortis. Et ideo circa istũ quondam serenissimum Dominum Imperatorem nostrum, qui modo defunctus est deferendus: duo nobis in verbis propositis contraria describuntur. Primo scilicet sublimitas viuentis, cum dicitur. *Is qui videbatur fluctibus maris imperare, & montium altri. &c.* Deinde humilitas morientis: quia *humiliatus*, &c. Vt scilicet ex humilitate mortis appareat, quam modicũ quid fuerit ipsa sublimitas vitæ. Ait ergo: *is qui videbatur*, &c.

Iob 24. — A

In quibus quidem verbis, circa serenissimum Imperatorem istũ defun-

defunctum, describuntur tria.

Nam primo quidem describitur spectabile regnantis dominium: quia *is qui vide. flu. &c.*

Secundo flebile morientis excidium: quia *nunc humiliatus ad terram.*

Tertio humile pietatis officiū: quia *portabatur in gestatorio, &c.*

CIRCA primum attendendum est, quod imperij dominiū, non solum se extēdit ad Dominos seu rectores, qui principantur seu dominantur in terris: sed etiam ad eos, qui dominantur in mari vel principantur. Nam quoad eos qui principantur in mari, siue nauigantibus, siue in portubus, aut insulis commorantibus dicit. *Is qui videbatur fluctibus maris imperare,* id est, qui his qui nauigant, vel habitant inter fluctus maris habet imperare, cum placet. Et hinc est quod Imperator, de nauigijs & naufragijs leges ponit, sicut patet ex constitutione Frederici, ad Dei & honorem imperij. §. nauigia. quæ lex dicit, quod si casu contingente rupta fuerint nauigia, tam ipsi quam nauigantium bona reseruentur illis, ad quos spectabant ante periculū nauigij, omni consuetudine contraria cessante, nisi illi tyrannidem pyraticam exerceant, christiano nomini vel principi fuerint inimici trāsgressores bonorū publicatione mulctentur. Vnde secundum legem Imperialem, naufragis nihil est auferendum, imo quicquid de naufragio inuentum est, siue illud sit raptum de isto naufragio, siue de mari, siue de littore, restituendum est. ff. de incen. rui. nau. Si quis ex naufragio. imo tenentur infra annum in quadruplum, post annum vero in simplum, qui talis criminis essent participes. ff. eo. l. 1. Ponit enim Imperator legem de publicanis Theloneis, quæ sunt loca in portubus maris, vbi stant publicani ad exigendum tributum nauticum, id est, quod de mercibus nauium debetur, vt patet. ff. de publi. & vectiga. vectigalia. Ex quibus legibus euidenter apparet, quod Imperator dominatur in mari: ita vt possit dici de eo illud Luc. 8. *Ventis & mari imperat & obediunt ei.* Nam per ventos intelliguntur nauigantes, quibus ventus deseruit, & per mare habitantes in mari, id est, in littoribus, vel in insulis maris: nisi forte sint tales insulæ, quæ Ecclesiæ dominio subsint. Sed quid est quod in themate dicitur: *videbatur imperare?* nunquid solum apparenter, & non existenter imperabat, vt videretur esse quod non erat. Absit: imo sicut videbatur, ita erat eo modo, quo dicitur Galath. 2. *Cephas, & Iacobus, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse:* & vere ita erant scilicet columnæ spirituales Ecclesiam Dei sustentantes. Dicitur ergo non quod imperaret, sed quod imperare videbatur: vt ostendatur imperium istius fuisse temporale, & breui tempore finiendum. 2. Corinth. 4. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Iob 20. *Transiet sicut, visio nocturna.* Sapien. 5. Transierunt omnia illa tanquam vmbra, scilicet & honores, & delitiæ, & diuitiæ, & multorum obsequia, & sequelæ. Sed quia imperij dominium est etiam super eos, qui principantur in terra: ideo additur in themate, *& montium altitudines,* id est, terrenorum & sæcularium principum potentes, in statera sui iudicij appendere: quia potest de eorum excessibus iudicare, & facta eorum examinare, & absoluere, vel punire. Esaię 10. *Librauit in pondere montes,* id est, maiores prin-

Luc. 8.

Gal. 2.

Iob 20.

Esa. 10.

principes: *& colles in statera*, id est, potestates minores. Sed aduerte, quod ille qui consueuit aliorum merita appendere, & ponderare in statera iudicij sui, modo ipse appensus est in statera diuini iudicij. De qua dicitur Prou. 16.
Prou. 16. *Pondus & statera iudicia Domini sunt*. In hac statera, multorum imperium inuentum est minus habens: secundum illud Dan. 5.
Dan. 5. *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens*, pręcipue propter defectum tēperantiæ. Siue propter intemperantiam luxuriæ: sicut Octauiani, de quo post multas laudes Eutropius refert, quod cum esset cibi ac vini multum abstinens, & aliquatenus somni, seruiebat tamen libidini: ita quod inter duodecim sodomitas pueros, & totidem puellas solitus erat cubare; & cum esset luxuriæ seruiens, erat tamen illius vitij seuissimus vltor, more hominum qui vlciscendis vitijs, quibus ipsi vehementer indulgent, accrescunt. Siue propter intemperantiam gulæ, sicut Tyberij, qui cum vocaretur Claudius Tyberius Nero, eleganter à ioculatoribus, propter intemperantiā vini, Cadius Tyberius Nero nominatus est. Siue propter intemperātiam cibi, sicut Vitellij, cuius tanta fuit ingluuies & voracitas, quod cum in die quatuor sæpe vel quinque vicibus fuisse dicatur epulatus, tandem in quadam cœna, quam fecit ei Metellus frater eius, duo millia piscium, & septem millia auium apposita traduntur. Quorundam vero imperium inuentum est minus habens, propter defectum iustitiæ: sicut Neronis: qui vt iniustus & iniquus, omnibus bonis ciuibus hostis fuit, & infinitam partem senatus iniuste interfecit, parricidia multa commisit, fratre, vxore, matre suis interfectis, sanctos Dei Apostolos Petrum & Paulū innocentes, & bene meritos trucidauit, & post multa alia flagitia tandem seipsum occidit. Quorūdam vero imperium inuentum est minus habere propter defectū fortitudinis: sicut Lucij Othonis, qui cum à Vitellio leui prælio victus fuisset, & tamē adhuc magnus exercitus remāsisset ei, petentibus militibus vt non tam cito de belli prosperitate desperaret, & ipse respondisset quod non erat tanti valoris, quod propter eum bellum ciuile deberet exoriri, voluntaria morte obijt: vnde patet quod fortitudine animi caruit. Quorundam vero inuentū est minus habens propter defectum prudentiæ: sicut Alexandri Magni: quem Seneca in libro de beneficijs, notat de multa imprudentia; propter quam alicubi vocat eum vesanum, & cum temeritate felicem. Dicit enim de eo, quod Herculi æquabatur vt vesanus adolescens: cui pro veritate ac virtute erat felix temeritas. Alicubi vero notat eū de maxima stultitia, sicut quando voluit dare vni militi vnam vrbem; quod donum cum ille refugeret, dicens se esse indignum: Respondit Alexander, si te non decet tantum recipere, tamen decet me dare. Vbi dicit Seneca, quod illa fuit animosa vox, & quamuis fuerit regia, tamen fuit stultissima; quia debet esse proportio inter donum, & eum cui donatur; vnde si non decebat illum recipere, nec ipsum decebat dare. Sed quia fuerunt nonnulli Imperatores, non tantum fideles Christiani, sed insuper valde virtuosi; scilicet prudentes, iusti, tēperati, & fortes, vt Theodosius, & Iustinianus, & quidam alij: ideo tales qui eos sequuntur, quantum ad regimen imperij forte in statera diuini iudicij n[illegible]

sunt inuenti minus habentes, quorum quilibet petere potuit
Iob 31. Iob 31. *Appendat me in statera iusta.*

B Possemus etiam alio modo præmissa verba, quæ in prima parte thematis continentur, ad specialem laudē inflectere istius serenissimi quondam Imperatoris nostri: de quo dicitur. *Is qui videbatur fluctibus maris, &c.*

In quibus quidem verbis commendatur ex duobus.

Primo quidem de victoria hostiū: quia *fluctibus maris imperat.* Fluctus enim quibus mare turbatur, hostes eius vel rebelles significant: qui totum ipsius imperium turbare nitebantur. Quibus quidem ipse imperauit: quia eos potenter expugnans, sibi plene
Iob 9. subiugauit. Iob 9. *Qui graditur super fluctus maris.*

Secundo commendatur de excellentia virtutum: quia *altitudines montium, &c.*

Per altitudines enim montium intelliguntur supremæ virtutes imperantium, quas iste appendit in statera, quia eas habere studuit in mente sua; quę vere erat vt statera districtissime ponderans, & discernens singulorū merita vel etiam demerita: vnde potuit dici
Ps. 94. de eo illud Psalm. 94. *Altitudines montium ipsius sunt*; quasi enim altitudines montium, fuerūt excellentes virtutes antiquorū imperatorū, quas ille studiose imitādo, quasi sibi proprias fecit. Felix autem dici potest, qui talium imitatur virtutes, videlicet clementiam Cæsaris. De quo Eutropius dicit, quod tantę fuit bonitatis: vt quos armis subegerat, clementia magis vicerit. Item liberalitatem Vespasiani; de quo idem Eutropius refert, quod nec facile ante eum, vel maior est liberalitas comperta, vel iustior. Item facilitatem Tyti; de quo etiam idem refert, quod tantæ facilitatis fuit, quod cum nulli quicquam negaret, & reprehenderetur ab amicis, respondit, nullum tristem debere ab Imperatore discedere. Item comitatē Traiani; qui amicis eum culpantibus, quod nimis circa omnes esset comis, respondit, talem se Imperatorem esse priuatis, quales esse sibi Imperatores priuatus optasset. Item facundiā Adriani; de quo idem refert, quod facundissimus latino sermone, & Græco eruditissimus fuit. Item deuotionem Theodosij; de quo in chronicis legitur, quod cum esset christianissimus Imperator, hostes suos magis ieiunijs & oratione confisus, quam ferro vel multitudine prostrauit. Item sapiētiam Iustiniani, qui per Agapitum Papā ab errore Euticetis reuocatus, leges condidit & consummauit libros, scilicet Codicē & Digēsta. Et sic de multis Imperatoribus leguntur exempla virtutum. Vnde quando in aliquo Imperatore tales virtutes apparent, potest dici de eo illud Gen.
8. *Apparuerunt cacumina montiū*, Gen. 8.
id est, supernę virtutes Imperatorum: & tunc est mons, id est, huiusmodi Imperator in virtute montium, id est, in altitudine virtutum aliorum Imperatorum.

SECVNDO in assumpto themate describitur flebile morietis excidium, quia *humiliatus*: scilicet est per mortem *ad terrā*: id est, vsque ad hoc, vt cito resoluatur in terram. Ista humiliatio est ex diuina sententia, propter primorum parentum peccatum, quod scilicet fuit superbia quia appetiuerunt esset sicut Dij, vt patet Genes. 3. Iustum autem & rationabile est, quod illi qui voluerunt indebite extolli vsq; ad summum, deprimantur vsque ad infimum, id est, vsque ad terram.

Vnde

Ps. 146. Vnde in Ps.146 dicitur. *Humilians autem peccatores vsque ad terram.*

In quibus quidem verbis Propheta tangit tria.

Primò quidem punientis iudicium: quia *humilians.*

Secundò humiliati peccatoris meritum: quia *peccatores.*

Tertiò resolutionis terminum: quia *vsque ad terram.*

Iudicium ergo Dei punientis est: quia humiliat per mortem. Satis enim humiliatur homo in morte, quia priuatur omnibus carnalibus delitijs; sed amplius, quia expoliatur omnibus temporalibus diuitijs; sed maxime, quando deijcitur ab omnibus honoribus & dominijs. Et quãto maior est altitudo dignitatis & honoris, à qua deponitur: tanto est maior humiliatio & deiectio. Vnde quia iste modo defunctus, per mortem depositus est à maxima altitudine dignitatis, & honoris: ideo potest dici quod sit nimis humiliatus, secũdum illud Psal.37. *Ego autem humiliatus sum nimis.* (Psal.37.) Notandũ, quod stellæ quæ sunt in cœlo fixæ, nunquam de cœlo cadunt, nec cadere possunt. Arbores autem quæ sunt in terra, quantumcunque sint terræ affixæ, & quantumcunque altæ & proceræ: succidi & cadere possunt. Sic illi qui sunt in gloria cęlesti, nunquã humiliari possunt: nec ab altitudine suæ gloriæ cadere. Et ratio est, quia gloriã suã habent à Deo: & ideo ab illo nũquam possunt separari. Sed illi qui sunt in terra gloriosi, quantumcunq; sint in altitudine gloriæ & potentiæ: quia gloriam habent ab hominibus, & in hominibus, & aliquando contra Deũ, ideo humiliari possunt & deijci. Esa.45 Vnde Esaiæ 45. dicit Deus. *Gloriosos terræ humiliabo:* & saltẽ per mortem decidunt à gloria temporalis dominij. Secundo ponitur in auctoritate allegata humiliationis meritum: quia *peccatores.* Sed quæritur, cum ipse loquatur de humiliatione mortis, quæ est vsque ad terram, id est, vsque ad resolutionem corporis in terram: & tam iusti quam peccatores moriantur, & in terram secũdum corpus resoluantur: quare magis dicit de peccatoribus, quã de iustis? Ad hoc est dicendum, quod sententia mortis & resolutionis in terram, data est propter peccatum primi hominis. Nam Deus creauit primos parentes cũ dono originalis iustitiæ, et si in hac iustitia perseuerassent, non fuissent per mortem in terram resoluti, sed sine morte in cęlum assumpti Sed peccante Adam sicut dicit Apostolus Rom.5 *Per vnum hominem,* (Rom.5.) scilicet primum *peccatum intrauit in mundum: quia scilicet per vnius delictum peccatores constituti sunt multi. Nam in Adã omnes peccauerunt: & per peccatum mors etiam in omnes pertransijt,* & per consequens resolutio in terram. Et ideo post peccatum dixit Deus Adæ. *Reuertaris in terram* (Gen.3.) *de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Genes.3. Vnde quia ista humiliatio in terram per mortem, consecuta est ex originali peccato, in quo omnes effecti sunt peccatores: ideo peccatoribus attribuitur humiliatio talis. Tertio ponit in auctoritate allegata resolutionis terminum: quia *vsque ad terram.* Ex cuius resolutionis consideratione, habet homo materiam & causam non superbiæ, sed magnę humilitatis. Vnde Eccl.10. *Quid* (Eccl.10.) *superbis terra & cinis* Et Psalm.43. (Ps.43.) *Humiliata est in puluere anima nostra,* id est, in consideratione pulueris, in quam resoluẽdi sumus. Sequitur. *Et conglutinatus est in terra venter noster,* id est, terræ cõiunctus, puta quando sepelitur

in terra, vel resoluitur in terram.

D TERTIO in themate assumpto ponitur humile pietatis officium, scilicet portare corpus ad sepulturam: quod est opus pertinens ad officium sepulturę, quod est officium pietatis & humilitatis. Vnde ait *in gestatorio*, id est, in feretro *portabitur*. Sicut etiam modo iste noster Dominus defunctus portabitur ad sepulchrum. Sed aduertendū est hic, quod portari in gestatorio, aliquando est opus diuinæ seueritatis: sicut legitur in Heliodoro.
2.Mac.3 2.Macha.3. vbi habetur, quod cū Heliodorus cum suis satellitibus venisset Hierosolymam, vt expoliaret ærarium templi: apparuit illis equus terribilē habens sessorem, optimis vestimentis adornatum, vsque cum impetu Heliodoro priores calces elisit, alij etiam apparuerunt duo iuuenes, qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabāt sine intermissione, multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumq; multa caligine circumfultum rapuerūt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt. Et is qui cum multis cursoribus & satellitibus, prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxiliū ferente, manifesta Dei cognita virtute. Aliquando vero sic portari, est opus humanæ pietatis. Et de hoc opere sanctus Tobias commendatur
Tob.2. Tob.2. vbi dicitur, quod *relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollensque illud, portauit ad domum suam occulte: vt cum sol occubuisset, caute sepeliret eum.* Vbi aduertendum, quod sicut aliquando in vna figura refulgent diuersi colores; ita in hoc vno opere pietatis, quod Tobias fecit, relucent diuersæ virtutes, id est, actus diuersarum virtutū. Primo abstinentiæ: quia relinquēs prandium, ieiunus peruenit ad corpus. Et istud ieiunium tantō fuit magis meritorium, quātō magis ex charitate processit: quæ quidē charitas apparet ex eo, quod ad exhibendum obsequium sepulturæ corporis proximi, reliquit commoda corporis proprij, quia charitas nō quærit quę sua sunt. Et qui negligit damnum propter amicum, iustus est. Secundo actus prudentiæ in obseruando locum, & tempus: locum scilicet in quo occultaret, ne impediretur: vnde tollens illud portauit ad domum suā occulte. Vbi nota quod Abdias commendatur, quia abscondit in specu Prophetas viuos ad nutriendum; sed Tobias commendatur, quia abscondit mortuos ad sepeliendū: vt ostendatur, quod non solū placet Deo pietas, quæ exhibetur corporibus viuorum; sed etiā quæ exhibetur corporibus mortuorum, scilicet propter spem futurę resurrectionis. Item ex prudentia seruauit tempus cōgruum: quia sepeliuit caute dum sol occubuisset, id est, de nocte scilicet ne videretur, & accusaretur regi: à quo iam propter consimile opus iussus fuerat interfici, vt dicitur Tob.1. Sed tā- Tob.1.
ta erat eius pietas & constantia, quod iterato exposuit se periculo, consimile opus faciendo. Et ratio huius redditur Tobiæ 2. vbi Tob.2.
dicitur, quod Tobias plus timēs Deum quam hominem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & medijs noctibus sepeliebat ea. Tertio commendatur in auctoritate allegata superius, de actu misericordiæ, scilicet de mortui sepultura, cum dicitur. *Vt sepeliret eum.* Siquidem sepultura mortuorum inter opera misericordiæ computatur Tobiæ 1. vbi dicitur. *Esurientes ale-* Tob.1.
bat; nudisque vestimenta præbebat; & mortuis atque occisis, sepulturam

sollici-

sollicitus exhibebat. Sed sciendum, quod ipsis defunctis sepultura, siue sepulchra non prosunt, nisi in quantũ respiciẽtes sepulchra, memoriam retinent defunctorũ, & pro defunctis orãt. Vnde monumentum à memoria nomen accepit: dicitur enim monumẽtum, quia monet mentem, vt dicit August. in primo de ciuitate Dei. Nec etiam prodest defuncto, quod sit in loco sacro sepultus, nisi in quantum ipse defunctus, vel alius, tumulari corpus eius in loco sacro disponens, patrocinio alicuius sancti eum cõmittit, cuius precibus per hoc credendus est adiuuari; & etiam patrocinio eorum, qui loco sacro deseruiunt, qui pro apud se tumulatis frequentius, & specialius orant. Potest etiam sepultura sacri loci obesse impio defuncto, scilicet si talem sepulturam sibi indignam, propter hominum gloriam procurasset. Ea vero quæ ordinantur ad ornatum sepulturæ, non prosunt defuncto, nisi per accidens: in quantum scilicet per huiusmodi, homines excitãtur ad compatiendũ, & per cõsequens ad orandum pro eis, vel in quantum ex sumptibus sepulturę, vel pauperes fructũ accipiunt, vel Ecclesia decoratur. Sed quantum ad sepelientes, his quidem qui virtutes Tobiæ, vel exemplũ imitantur, quantum valeant hæc apud Deum, ostendit Angelus Raphael ipsi Tobiæ dicens, Tob. 12. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, & mortuos per diẽ abscondebas in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuã Domino.* De quo Domino dicitur in Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ad quam Deus nos perducat.

Tob. 12.

Psal. 83.

In funere unius Regis.

SERMO XV.

REx hodie est, & cras morietur. Cum enim morietur homo hereditabit serpentes & bestias & vermes. Eccle. 10. Sicut dicit Boëtius in libro de consolatione. Eccl. 10.

Non quod ante oculos situm est sufficit intueri; sed rerum exitus prudentia metitur. Et huius dicti ratio est, quia ad prudentem pertinet ea quæ sunt ad finem dirigere, & ordinare in finem. Vnde medicus dicitur prudens, quando taliter dat medicinas, quod ad sanitatem perducunt: ex eo scilicet quod sanitas est finis medicinarum. Sed ea quæ ante oculos sita sunt, sunt res quæ fiunt, vel sunt in præsenti. Exitus autẽ dicit quid futurum, vel quid vltimum, scilicet finem rei: ergo ita se habent ea quę de rebus ante oculos sita sunt, ad exitus ipsarum rerum; sicut ea, quæ sunt ad finem, & ad ipsum finem. Sed non potest aliquis ea quę sunt ad finem, in ipsum finem dirigere, nisi ipsum prius consideret, & intueatur: vnde ad hoc, vt sagittarius directe sagittam dirigat ad signum, nõ sufficit intueri solum sagittam, sed oportet quod intueatur etiam ipsum signum, ad quod scilicet vult iacere, & dirigere sagittam. Homo ergo imprudens, cõsiderans solum vitã Regis & gloriam, quam habet viuens: & non attendens ad exitum mortis, reputat ipsum omnino felicem. Sed homo prudẽs, qui rerum exitus metitur, & cõsiderat quod vita, & gloria Regis habebit per mortem celerẽ exitum, & pœnosum, & calamitosum, non reputat statum eius felicem, sed formidabilem, & contemptibilem potius, quam appetibilem

tibilem, scilicet quia videt secundum verba proposita quia *Rex hodie est, &c.*

A In quibus quidem verbis describuntur tria.

Primum est excellentia venerabilis dignitatis: quia *Rex.*

Secundo festinantia terribilis corruptibilitatis: quia *hodie est, & eras morietur.*

Tertio vero consequentia originalis calamitatis: quia *hereditabit, &c.*

PRÆMITTITVR ergo excellentia venerabilis dignitatis: quia *Rex.* Vbi aduertendum est, quod excellentia regalis dignitatis, tanto redditur venerabilior, quanto Rex est iustior, potentior, sapientior, & humilior. Ratio primi est; quia Rex subditis suis tanto venerabilior fit, quanto magis à republica, & ab eis mala & nocumenta repellit, sicut dicitur Prouer. 20. *Rex qui*
Prou. 20 *sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Tunc autem dicitur sedere in solio iudicij, quãdo bene seruat iustitiam, scilicet reddens vnicuique ius suum. Vnde Philosophus dicit in 5. Ethicorum, quod homines ad iudicium confugiunt, sicut ad quandam iustitiam animatam. Vnde in Ps. 93. *Iustitia conuertatur*
Ps. 93. *in iudicium.* Et talis dissipat omne malũ, id est, omne nocumentum: quia scilicet repellit, & cohibet malos, qui aliorum iura diripiũt & perturbant. Ex hoc Rex venerabilior redditur, & magis honorabilis subditis: & ideo in
Ps. 98. Psal. 98. dicitur, quod *honor Regis iudicium diligit.* Hoc figuratũ est in Salomone, cui dixit Regina
2. Par. 9. Saba 2. Paral. 9. *Idcirco posuit te Deus Regem, ut facias iudicia & iustitiam.* Ratio vero secundi est, quia quanto Rex potentior est, tanto magis timetur, & quanto magis timetur, tanto in maiori reuerentia & veneratione habetur Ps. 23. *Dominus fortis & potẽs.* Ps. 23.
ipse est Rex gloriæ, id est, qui glorificatur, & honoratur à subditis. Ratio autem tertij est, quia Rex tanto est populis venerabilior, quanto per eum status bonus, & pacificus magis stabiliter conseruatur. Sed sicut dicitur Sapien. 6.
Rex sapiens populi stabilimentum: Sap. 6.
& e contra dicitur Eccl. 10. *Rex* Eccl. 10.
insipiens perdit populum suum. Et de hoc habetur figura in Roboã
3. Reg. 12. qui propter insipientiã 3. Re. 12.
suam populũ perdidit: & inde est quod Rex quanto sapientior, tãto venerabilior. Ratio aut quarti est, quia Rex tanto venerabilior, quanto gratiosior. Sed sicut superbia facit hominẽ, Deo & hominibus odiosum: quia *odibilis coram Deo & hominibus est superbia,* vt dicitur Eccl. 10 quod patet Eccl. 10.
in diabolo: de quo dicitur Iob
41. quod *ipse est Rex super omnes* Iob 41.
filios superbiæ? Ita è contrario, humilitas facit hominem Deo, & hominibus gratiosum: & ideo monetur & Rex, & quilibet magnus Eccl. 3. *Quãto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo* Eccl. 3.
inuenies gratiam. Hoc figuratum est in Rege Babylonis, de quo dicitur Ezech. 17. *Fortes terræ tollet,*
vt sit regnum humile & non eleuetur. Ezec. 17.
Sed dato, quod omnes istę virtutes fuerint in isto Illustrissimo Rege nostro, vel in alio quocunque dum viueret, tamẽ postquam mortuus est, omnia cum ipso à nobis pariter sunt sublata: quia non apparet amplius nobis nec eius iustitia, nec eius potentia, nec eius sapientia, nec etiam eius humilitas. Et ideo potest queri de tali Rege mortuo: quod figurate quæritur Esa. 37. *Vbi est,* Esa. 37.
inquit, *Rex Emath, & Rex Arphat, & Rex vrbis Sepharuaim, & Rex Ana.* Et ita in verbis istis tangitur quadruplex quæstio de

isto

isto. Prima est de eius iustitia, cũ
dicitur: *ubi Rex Emath.* Emath e-
nim est idem quod Antiochia: &
interpretatur indignans rigide,
vel vter sanguinis: & significat
zelum iustitiæ, quo scilicet iste
Rex noster, indignatus cõtra cõ-
mittentes facinora, malefactores
ipsos rigide puniebat, etiã pena
mortis & sanguinis, prout culpa
exigebat: non enim indignaba-
tur ex ira, sed tantum ex iustitia,
ita vt posit dici de ipso illud He-
Hest. 1. ster 1. *Regis iusta est indignatio.* Et
Prou 16 illud Prouerb. 16. *Indignatio Regis
nuncij mortis.* Vbi est ergo Rex E-
math, id est, iustitiæ tam indig-
nantis contra facinora, & reorũ
maleficia tam rigide punientis?
quasi dicat non est amplius hic.
Secunda quæstio fit de eius po-
tentia: cum subditur. *Vbi sup.* est
Rex Arphat, id est, potentiæ. Ar-
phat enim interpretatur saluans,
siue saluatio: quia per potentiam
& fortitudinem suã saluabat gẽ-
tem suam, & regnũ de manu in-
surgẽtium hostium. Vnde potest
nunc flebiliter quæri de ipso,
quod queritur 1. Mach. 9 de Iuda
1. Mac. 9 Machabæo, *quomodo cecidit potens
qui saluum faciebat Israël,* id est,
populum fidelium. Et illud etiã
Osee 13. Oseæ 13. *Vbi est Rex tuus? maxime
nunc saluet te in omnibus vrbibus
tuis.* Quasi dicat, non potest am-
plius: quia ecce mortuus iacet,
omni fortitudine & potẽtia de-
stitutus. Tertia quæstio fit de e-
ius sapientia, & literarum sciẽtia
cum additur, *vbi est Rex Saphar-
naim?* quod interpretatur labia
ipsius, vel litteræ ipsæ, in quibus
iste Rex noster peritus, & sapiẽs
fuit, secundum illud Hierem. 23.
Hier. 23. *Regnabit Rex & sapiens erit.* Sed
amodo nulla sapientia, & nulla
literarũ scientia, apparebit nobis
Esa. 33. esse in eo. Vnde Esa. 33. *Vbi lite-
ratus? ubi verba legis ponderans?* Et
1. Cor. 1. 1. Cor. 1. *Vbi sapientia? vbi scriba?*

vbi conquisitor huius sæculi? quasi
dicat non est amplius hic. Quarta
quoque quæstio est, de ipsius hu-
militate, cum subinfertur: & *vbi*
supple est *Rex Ana?* Ana enim
interpretatur humilis, in genere
fratrum. Nam siue Rex, siue Præ-
latus, licet sit superior in digni-
tate, tamẽ debet se reputare fra-
trem & coæqualem charitate,
secundum illud Eccl. 32. *Rectorẽ* Eccl. 32.
*te posuerunt, noli extolli: sed esto in
illis quasi vnus ex eis.* Vnde Rex
debet esse humilis in genere fra-
trum, id est, ipsorum subiectorũ,
vel in genere, id est, in naturali
generatione, quia omnes descen-
dimus ab vno patre, scilicet pri-
mo homine. Vnde Gregor. *Na-* Grego.
tura omnes pares genuit homines. Et
ideo isto respectu dicitur Matth.
23. *Omnes vos fratres estis,* vt nul- Mat. 23.
lus super alium superbiat: sed tã-
quam frater, inter fratres, humi-
lis existat. Vbi est ergo Rex Ana?
id est, Rex humilis & mitis? Cer-
te secundum promissionem fa-
ctam humilibus Iob 22. vbi ait.
Qui humiliatus fuerit erit in gloria, Iob 22.
potest fieri optima responsio, se-
cundum illud Prou. 29. *Humilem* Prou. 29
spiritum suscipiet gloria. Et dico
suscipiet: quia licet forte nõdum
susceperit propter leues culpas
adhuc in purgatorio purgandas:
tamen propter bona merita sua,
& propter finalem pęnitentiam,
pie credendum est, quod cito eũ
suscipiet gloria.

SECVNDO ponitur festi- B
nantia, terribilis mutabilitatis:
quia *hodie est,* scilicet viuus, *& cras
morietur.* Ita enim poterat dici
hesterna die de isto, vel qui ho-
die, id est, in præsenti viuit, cras,
id est, in futuro morietur. Et
quia breue est tempus præsentis
vitæ: ideo diei præsenti assimila-
tur. Sed aduertendum, quod ista
successio temporis præsentis &
futuri, siue hodiernæ & crastinæ
diei,

diei, redarguit hominem de elatione superbiæ. Nam aliquando homo extollitur de gloria vitæ præsentis: quia non considerat humilitatem, & necessitatem mortis. Contra quod dicitur 1.
3.Mac.2 Mach.2. *Gloria eius stercus & vermis est: hodie tollitur, & cras non inuenietur, quia conuersus est in terrã suam.* Vbi ostenditur quadruplex ratio, quare non debet homo extolli de gloria præsenti. Primo quidem, propter eius feditatem: vnde rei fedæ assimilatur, scilicet stercori & vermi. Stercori quidẽ, quia importat feditatem culpæ, scilicet superbiæ & vanæ gloriæ. Et hinc est quod etiã Apostolus Philip. 3. omnia ista, de quibus homo potest gloriari vel extolli in præsenti, siue essent diuitiæ, siue delitiæ, siue honores mundi, velut immunda stercora reputabat dicens. *Omnia detrimentũ feci,*
Phil.3. *& arbitror vt stercora.* Sed vermi assimilatur, quia gignit remorsum conscientiæ, qui mordet siue pungit conscientiam, sicut vermis immortalis. Esa.66. *Vermis*
Esa.66. *eorum non morietur.* Vel potest intelligi de gloria eius, scilicet viri peccatoris, de quo primo locutus fuerat, cum non possit esse de bonis spiritualibus, quæ non habet, oportet quod sit de carnalibus: caro autem stercus & vermis est; quia est vt saccus stercorum, & esca vermium. Iob 25. *Homo putredo, & filius hominis*
Iob 25. *vermis.* Secundo nõ debet homo extolli de gloria præsenti, propter eius breuitatem; quia hodie extollitur, id est, breui tempore potest extolli: quia cito deficit ad similitudinem fœni, quod breui tempore florescit, & cito arescit. Lucæ 12. *Sicut fœnum quod hodie*
Luca 12. *est in agro,* id est, breui tempore est in mundi prosperitate florẽs, *& cras in clibanum,* aduersitatis vel mortis, *mittitur,* arens & deficiens. Vnde gloria mundi, est sicut vestimentum siue ornamentum sacerdotis, quod cito deponitur, scilicet completa Missa: & honor mundi & exaltatio est sicut fumus, qui cito in altum eleuatur, & cito deficit. Propterea consulit sapiens Eccl.2. *In vesti-* Eccl.2.
tu ne glorieris vnquam nec in die honoris tui extollaris. Tertio non debet homo extolli de gratia præsenti, propter eius vanitatẽ, quia cito euanescit & deficit: vnde cras non inuenietur, quia sublatus per mortem. Esa.22. *Come-* Esa.22.
damus & bibamus cras enim moriemur. Et ideo est ad modum vaporis, vel arboris euulsæ vel incisæ. Ps.36. *Vidi impium superexalta-* Ps.36.
tum, &c. Quarto non debet homo extolli de gloria præsenti, propter eius vilitatem: quia scilicet ipse homo, qui gloriatur & extollitur, in vilem materiam conuertitur, scilicet in terram. Vnde subditur in auctoritatẽ inducta: quod *conuersus est in terrã suam,* id est, post mortem in terrã resolutus: quia naturaliter generabilia & corruptibilia redeunt in suum principium; sicut in generatione patet de semine, ex quo etiam generatur semen, vnde semen conuertitur per generationem in semen, & glacies resoluitur, scilicet in aquam: sic & corpus humanum in terram, de qua primitus sumptũ est. Ps.145. *Exibit spiritus eius,* scilicet homi- Ps.145.
nis, *& reuertetur in terram suam.*

TERTIO in themate assumpto describitur consequẽtia originalis calamitatis: quia *cum moritur homo here. ser. &c.* In quibus quidem verbis describit sapiens tria de homine moriente. C

Primo mortis euentum: *cum morietur:* quando continget eum mori.

Secundo mortis subiectũ: quia *homo,*

Tertio

Tertio morientis opprobrium: quia *hereditabit serpentes, &c.*

Euentus erit incertus: quia dicit *cum morietur*. Sed non determinat propterea, quo tempore morietur, quia non solum iuuenis nescit quando debeat mori, sed nec etiam senex. Vnde Gen.

Gen. 27.

27. Dixit Isaac vides quod senuerim, & ignorem diē mortis meę. Sed nota, quod cum euētu mortis, extinguetur hominis fama, & à mortis subiecto, quod est homo, tolletur opulentia: sed post ipsam mortem replebitur ignorantia. Primo ergo, cum morietur extinguetur hominis fama, sicut fracta campana, cessat eius sonus. Psal. 9. *Quando morietur & peribit nomen eius* Et item Psalm. *Perijt memoria eius cum sonitu.*

Psal. 9.

Secundo à subiecto mortis, id est, ab homine tolletur opulentia, siue plenitudo, sicut fracto vase effunditur vinum, & plenitudo vasis euacuatur. Psalm. 48. *Homo cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Iob 27. *Diues cum dormierit, nihil secum afferet, aperiet oculos suos, & nihil inueniet.*

Ps. 48.

Iob 27.

Tertio quoque homo replebitur pœna, & opprobrio, & ignominia: quia hereditabit serpentes, &c. Nam aliquando hominem viuum serpentes occidūt, mortuum bestiæ comedunt, sepultū vermes corrodunt. De serpentibus patet 1. Cor. 10. vbi dicitur quod quidam eorum Christum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. De bestijs patet in Iezabel 3. Reg. 21. quam comederunt canes. Et in Psal. 78. *Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.* Sed de vermibus dicitur Esaiæ 14. *Subter te sternetur tinea:* scilicet generata ex attritione pannorum, quibus mortuus sepelitur: *& operimentum tuum erūt vermes*, scilicet generati ex putredine carnium. Vel si referantur prædicta tria ad corpus mortuū, tunc hereditabit serpentes & bestias, ex loco sepulturæ, sed vermes ex sepulto corpore, vnde serpentes & bestiæ erunt ab extra. Deut. 33. *Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium, sed vermes erunt ab intra.* Iob 21. *In puluere dormient, & vermes operiēt eos.*

1. Cor. 10

Ps. 78.

Esa. 14.

Deut. 33

Iob 21.

Vel moraliter exponuntur hæc de auaro, & tunc serpentes sunt dæmones, qui dicuntur à serpento: bestiæ sunt parētes, qui dicuntur à vastando; vermes autem accipiuntur ad literam. Et sicut auarus in morte hereditabit hæc, quia per modum hereditatis, vt detur anima serpentibus, id est, dæmonibus; diuitiæ bestijs, id est, parentibus; & corpus vermibus. Et de his tribus dicitur Iob 5. *Cuius messem*, id est, corpus famelicus comedet, scilicet vermis; *& ipsum rapiet armatus*, id est, diabolus animam, *& bibent sitientes*, id est, cupidi parētes *diuitias suas*. Serpentes igitur animam continue torquebunt. Ps. 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* Bestiæ diuitias vastabunt Ezech. 32. Dicitur diuiti auaro, *Saturabo de te*, id est, de diuitijs tuis, *vniuersas bestias terræ*, id est, singulos consanguineos, terrena cupientes. Sed vermes carnes māducabunt. Esa. 51 *Sicut vestimentū sic comedet eos vermis.*

Iob 5.

Ps. 57.

Ezec. 32

Esa. 51.

Vel totum quod dictū est, sonat in afflictionem, quia scilicet vermis dicit afflictionem interiorē, s. remorsum conscientiæ. Iob 24. *Dulsedo illius.* s. peccati vermis, id est, remorsus conscientiæ, qui remanet post delectationē peccati. Alia vero duo notant afflictionem exteriorem: quia bestia dicit afflictionem. 1. Regum 17. *Dabo carnes tuas bestijs terræ.*

Iob 24.

1. Reg. 17

Sed

Sed serpens dicit afflictionis cõtinuationem. Hiere. 8. *Ecce mittã vobis serpentes regulos, quibus nõ est incantatio.* Sed tamen ab his serpentibus, liberare potest nos ille serpens æneus, id est, in serpente figuratus, de quo dicitur Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ad quam nos perducat, &c.

Hier. 8.

Ioan. 3.

In funere alicuius Ducis.

SERMO XVI.

Ezec. 36.

DVX *de terra Ægypti non erit amplius.* Ezech. 36.

Nos videmus, quod tanto alicuius subtractio est magis dolorosa, quanto ipsius præsentia erat magis necessaria, & magis fructuosa. Sed maxime necessaria & vtilis, tam maioribus quam minoribus, est vita atque præsentia nobilis, & virtuosi Ducis. Quod etiam natura ostendit in volatilibus seu bestijs, quæ turmatim & prudenter incedunt. Nam grues sine duce non consueuerũt simul volare, & examen apum, stante duce, non consueuit procedere; & cerui etiam, sine duce, non consueuerunt transnare. Sic & ducales homines, sine bono & virtuoso duce, non bene possunt se gubernare. Quando ergo habent ducem talem: de quo Dominus, qui eũ instituit, commẽdari posit, & dici secũdum illud 1. Machab. 13. *Posuit eum Ducem virtutum*, id est, virtutum charismatibus præditum, videlicet cuius subditi prudentia dirigantur; cuius iustitia conseruẽtur, cuius fortitudine defendantur; & temperantia edificentur, tunc merito, sicut eius vita & præsentia erat omnibus opportuna & chara, ita quoque eius mors & subtractio debet etiã esse omnibus flebilis & amara: & maxime, cũ nulla sit spes eũ amplius re habendi. Et ita modo nobis contigit de isto nostro Domino, atque præclarissimo duce, cuius obitus atque subtractio, tanto est nobis flebilior, quanto per suas præclarissimas virtutes, vtilior nobis erat & charior, & præcipue, quia dux tantus de terra Ægypti, id est; de terra ista nobili & fertili, per mortem subtractus, non erit amplius nobis Dominus, prout in verbis propositis figuratiue continetur, cum dicitur: *Dux de terra Ægypti, &c.*

1. Mach. 13.

Prou. 28.

B

In quibus quidem verbis tria nobis scriptura memorat, de isto nostro duce defuncto.

A

Nam primo, commemorat officium præteritæ dignitatis: quia *Dux*.

Secundo, insinuat beneficium adeptæ liberatis: quia *eductus est de terra Ægypti*, id est, de loco angustiæ: sic enim interpretatur Ægyptus.

Tertio, quasi deplorat exterminium interceptæ potestatis: quia *non erit amplius Dominus siue Dux*.

CIRCA primum aduertendum est, quod magni Domini, sicut Reges & Duces, multũ student ad custodiendam & conseruandam vitam suam. Vnde magnam cautelam & custodiam adhibent, circa cibum & potum; ne forte in cibo vel potu, venenum eis detur: quo extinguantur, & vita minuatur, sicut fuit venenatus Alexander. Adhibent etiam quidam magnam custodiam, ne ab æmulis vel inimicis insidiose occidantur, sicut fuit occisus Isboseth, propter malam custodiã. 2. Reg. 4. Sed si student ad conseruandam vitam naturalem, & corporalẽ, multo magis studere debe-

2. Reg.

deberent ad conseruandam vitã virtuosam, & spiritualem. Sed illud quod maxime valet ad conseruandam vtramque vitam, est sapientia & scientia Ducis: quia homo qui est sapiens, scit sibi præcauere à periculis, & abstinere à nociuis, & præmunire ab inimicorum insidijs. Et ideo dici-
Prou. 28. tur Prou. 28. quod *per sapientiam hominis, & scientiam eorum quæ dicuntur: vita Ducis longior erit.*

B In quibus quidem verbis notantur tria, quæ sunt necessaria Duci.

Nam primo ponitur illud quod est necessarium respectu eorum quæ habet gubernare: cum dicitur *per sapientiam hominis.*

Secundo, illud quod est necessarium respectu eorum quę habet iudicare, scilicet, vt habeat *scientiam eorum quæ dicuntur.*

Tertio, illud quod est necessarium respectu eorum quæ habet practicare, siue operari, ad hoc enim requiritur experientia, & ad plenam experientiam valet prolixior vita: & ideo quantum ad hoc dicit, quod *vita Ducis prolixior erit.*

Circa primum sciendum est, quod quia dux homo est, ideo per sapientiam hominis, id est, quæ homini competit, vt bonus gubernator sit, indiget gubernari tripliciter, scilicet respectu Dei, respectu sui, & respectu cõmissi sibi officij. Respectu Dei primo, nam secundum Philosophum, sapientis est considerare altissimam causam, secundum quam certissime de alijs iudicatur, & secundum quam omnia ordinari oportet. Et quia dux non solũ seipsum, sed etiam alios habet ordinare & gubernare, ideo oportet eum esse sic sapientem, vt cognoscat & consideret istam altissimam causam, secundum quam, id est, secundum cuius regulas, debent ordinari & gubernari omnia, & præcipue res & actus humani. Et talis causa videtur esse diuina voluntas, siue beneplacitum diuinæ voluntatis, à qua omnia creata processerunt, quia *omnia quæcunque voluit Dominus fecit, &c* vt dicitur in Psal. Vnde in illis rebus humanis & actibus, ostenditur esse sapiens respectu Dei, qui scit gubernare & agere, quę agenda sunt secundum beneplacitum Dei, id est, ita quod Deo sint accepta. Vnde Christus Dominus noster tali sapientia plenus dicebat Ioan. 8. Ioan. 8.
Ego quæ placita sunt ei facio semper. Hac sapientia caruit Saul, quando prætermisit mandatum Dei, reseruando meliora pecora de Amalech, vt sacrificaret ea Domino: tunc enim, sicut insipiens, non cognouit quod magis erat Deo acceptum seruare mandata, quam sacrificare pecora. Vnde Samuel postea dixit ei, quod *melior est obedientia quam victima.* 1. Reg. 15. Ista est ergo 1. Reg. 15
prima sapientia, quã debet Dux à Deo postulare, secundum illud Sapien. 9. *Da mihi Domine sedium* Sap. 9.
tuarum assistricem sapientiam. Et post. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te.* Scit enim illa omnia, & intelligit in operibus meis, & deducet me in operibus meis sobrie, & custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea; & disponam populum tuum iuste. Itẽ est Duci sapientia necessaria, respectu sui: scilicet vt sciat laudabiliter viuere, & conscientiam suam in puritate conseruare, cauendo à peccatis. Vnde Gregor. Greg.
Nazianzenus dicit, quod prima sapientia est vita laudabilis, & apud Deum pura mens, per quã puri puro iunguntur, & sancti

sancto

sancto sociantur. De hoc habetur Prouerb.9. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris*. Et ca.23. secundum aliam literam. *Esto sapiens, & dilige animam tuam*. Et Eccl.37. *Est sapiens anima sua, & fructus illius laudabiles sunt* Et Eccl.3. *Cor sapiens & intelligens abstinebit se à peccatis*. Item est Duci necessaria sapientia, respectu officij sibi commissi. Est enim eius curę cõmissa gubernatio reipublicæ, & multitudinis sibi subiectæ totius ducatus sui. Dicit autem Plato, sicut Boetius refert, beatas fore respublicas, si eas vel sapiẽtes regerent, vel si rectores earum studere sapientiæ contigisset. De hoc habemus figuram in Salomone 3.Reg.3. qui ad regendũ populum sibi cõmissum, petiuit à Deo sapientiam. Et dixit Deus ad Salomonem. *Quia postulasti verbum hoc, & non petijsti tibi dies multos, nec diuitias aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens*. Vnde patet quod sapientia, quæ est necessaria Duci ad gubernandum rempublicam, vel ad regendam multitudinem sibi commissam, potius est impetranda à Deo, quam haberi possit humano studio. Et de tali sapiẽtia dicitur Iaco.3. quæ desursum est sapientia, primo quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiẽs, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Et quando isti effectus sapientię apparent in Duce, tunc ostenditur quod habeat sapiẽtiam, quæ desursum est, quæ optime regit rẽpublicam, & populum sibi commissum. Secundo in auctoritate superius adducta, tangitur illud quod est necessarium respectu eorum, quæ iudex habet iudicare: quia oportet eum iudicare secundum scientiam eorum, quæ dicuntur, siue accusando, siue testificando. Sed aduertendum est, quod Duci dicuntur aliqua pertinentia ad consilium, & aliqua pertinentia ad iudicium, & aliqua pertinentia ad documentum: quorum omnium oportet scientiam habere. Primo ergo dicuntur ei aliqua consulendo, & tunc oportet eum habere scientiam discernendi consilium vtile, ab inutili. Et hac scientia priuatus fuit Absalon, quando magis approbauit consilium Chusi quam consilium Achitofel. Et ideo dicitur 2.Reg.17. *Dixit Absalon & omnes viri Israel; melius est consilium Chusi Arechitæ, consilio Achitofel*. Et sequitur ibi. *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitofel vtile, vt induceret Dominus super Absalon malum*. Sic hanc scientiam discernendi consilia, non habuit Roboam filius Salomonis: qui prætulit consilium malum iuuenum suorum, consilio vtili, & bono senum consiliatorum suorum. 3.Reg.12. Vnde Iob 42. *Qui celat consilium absque scientia*. Quasi diceret; ei celatur consilium vtile, quæ est absque scientia discernendi. Quædam vero dicuntur duci pertinentia ad iudicium; sicut quando aliqui denunciantur ei, vel accusantur, vel quando aliqua coram eo per dicta testiũ probantur: & tunc vt non deciperetur, oporteret eum habere scientiam discernendi verum à falso, & iustum ab iniusto. Hac scientia caruit Dauid quãdo Miphiboseth accusatus fuit à Syba falso, & Dauid tulit sententiam, quod omnia quæ dederat Miphiboseth, haberet ipse Syba. Vnde postea veritate comperta reduxit ad dimidium 2.Reg.16. & 19. Sed hanc scientiam habuit Salo-

Prou.9.
Eccl.37.
Eccl.3.
3.Reg.3.
Iac.3.
2.Reg.17
3.Reg.12
Iob 42.

Salomon quando fecit iudicium de mulieribus meretricibus: quia prudentissime sciuit discernere 3. Reg. 3 verum à falso. 3. Reg. 3. De hac Leuit. 10 scientia dicitur Leuit. 10. *Habetis sciētiam discernendi inter sanctum & prophanū: inter pollutū & mundum.* Sed quædā alia dicuntur per modum doctrinæ, sicut præcipue illa, quæ scripta sunt in sacra scriptura, in qua docentur ea quæ sunt credenda: & ea quæ sunt agenda; & ea quæ sunt speranda: & ea quæ sunt diligenda: & hæc est scientia sanctorum, de qua dicitur Sap. 10. *Dedit illis scientiam sanctorum.* De Sap. 10. his autem qui hac scientia caret, dicitur Sap. 13. *Vani sunt omnes ho-* Sap. 13. *mines, quibus non subest sciētia Dei.* Vnde omnia quæ dicuntur in ea, sunt indubitanter tenenda. Tertio in auctoritate superius inducta describitur, quid est necessarium respectu eorum, quæ Dux habet practicare, id est operari: scilicet vitæ prolongatio, vt scilicet de rebus agendis maiorem experientiam capere possit, vt efficacius operetur. Et ideo dicit: *vita Ducis longior erit.* Vbi primo adverte vitæ nobilitatem: quia *vita Ducis est.* Secundo diuturnitatem, quia longior erit. Circa primum attendendum est, quia vita Ducis debet esse vita nobilis: scilicet nobilitate virtutum. Illis autem virtutibus exornari debet vita Ducis, quibus magis sit vtilis sibi & alijs hominibus quibus præest. Et Sap. 8. de his dicitur Sap. 8. sic. *Sobrietatē & prudentiam docent, & iustitiam, & virtutem,* id est fortitudinem, *quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Has enim virtutes docere debet Dux, non tam verbo quam conuersationis exemplo. Et hoc etiam apparet per ea quæ importat nomen Ducis. Nam aliquando vocatur Dux, qui præit alios in itinere. Secundum illud Psalm. Ps. 79. 79. *Dux itineris fuisti in conspectu eius.* In quo innuitur quod Ducis est dirigere per prudentiam. Aliquando vocatur Dux qui habet custodiam de virgine. Hierem. 3. Hier. 3. *Dux virginitatis meæ tu es.* In quo notatur sobrietas, & pudicitia quæ debet esse in Duce. Aliquando vocatur Dux, qui est præpositus in regimine, scilicet aliorum. Matth. 2. *Ex te enim exiet Dux,* Mat. 2. *qui regat populum meum.* In quo notatur quod debet dux regere per iustitiam. Quandoque vero vocatur Dux, qui præest in certamine, sicut dixerunt post mortem Iudæ Machabæi, amici eius Ionathæ 1. Machab. 9. 1. Mac. 9. *Te hodie elegimus in principem & ducem ad bellandum bellum nostrum.* Et in hoc innuitur virtus & fortitudo, quæ debet esse in duce. Secundo agitur in fine auctoritatis inductæ superius, de vitæ diuturnitate: quia vita Ducis longior erit.

C Vbi nota quod quinque sunt, quę dicuntur vitam hominis longiorem facere. Primum est honoratio parentum. Eccles. 4. Eccl. 4. *Qui honorat patrem suum, vita viuet longiori:* & merito, quia sustinendo vitam patris, eam facit longiorem. Sed ne intelligatur excepta etiam matre, dicitur Deuteron. 5. *Honora patrem tuum, & matrem* Deut. 5. *tuam, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: vt longo viuas tempore, & bene sit tibi.* Sed tamen quia nō omnes qui honorant parentes, videmus viuere vita lōgiori: posset exponi auctoritas Eccles. prædicta, quod vita viuet longiori quam ista vita sit: quia post istam vitam viuet vita æterna: quia pietas promissum habet vitæ quæ nunc est, & futuræ. Secundum est obseruantia præceptorum: scilicet diuinæ legis, Prouerbior. 3. *Ne obliuiscaris legis meæ: & præce-* Prou. 3. *pta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum, & annos*

vitæ & pacem apponent tibi. Tertiũ est ratio pœnitentium, sicut patet exemplo Ezechiæ. Esa. 38. qui ægrotauit vsque ad mortem, & venit Esaias Propheta, & dixit ei. *Morieris tu & non viues.* Sed postquã orauit & fleuit fletu magno & dixit illi Esaias, *Hæc dicit Dominus. Audiui orationem tuam & vidi lacrymas tuas. Ecce ego adijciã super dies tuos 15. annos.* Vnde in Psal. 20 *Vitam petijt à te & tribuisti ei, longitudinẽ dierum.* Quartum est odiũ vitiorũ, præcipuè auaritiæ. Prouer. 28 *Qui odit auaritiam, longi fient dies eius.* Ad literam enim, multi auari citius moriuntur, quia vel immoderate laborãt, pro diuitijs acquirendis, vel quia mortalibus periculis se exponunt, vel quia propter suas diuitias nonnulli occidũtur, quæ omnia effugit qui auaritiam odit: vel *longi fient dies eius*, id est, particeps erit æternæ claritatis, sicut glossa exponit.

Esa. 38 — Ps. 20. — Prou. 28

Quintum autem est vsus intellectualiũ virtutum, scilicet sapiẽtiæ & prudentiæ, quibus mortis pericula præcauentur, & regimen vitæ debito moderamine exercetur, & remedia etiam debita, contra euentus fortuitos, adhibẽtur. Et ideo Prouer. 3. postquam dixit Salomon. *Beatus homo qui inuenit sapientiam: & qui affluit prudentia,* subdit infra. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitia, & gloria,* quasi dicat. Si sit in dextera prosperitatis, scit eam ita tenere & ita vti, quod perseuerat in ea in longitudine dierum, sicut patet in Abrahã: & dato quod sit in sinistra aduersitatis, scit eam ita prudenter & sapienter tolerare, quod tandem ex illa proueniẽt ei diuitiæ & gloria: sicut patet in Iob vltimo: quia *Dominus benedixit nouissimis Iob magis quam prioribus. Et vixit Iob post flagella 140. annis, & vidit filios suos & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationẽ, & mortuus est senex, & plenus dierum.* Huius ergo nostri, ducis defuncti, & si non fuit longior ætas vitæ præsentis: tamen propter sapientiam peruenit citius ad longitudinem æternitatis beatæ vitæ sequentis.

Prou. 3.

SECVNDO, in themate assumpto innuitur beneficiũ adeptæ libertatis, quia de terra Ægypti, id est, de loco angustiæ & tribulationis: sic enim interpretatur Ægyptus, per mortẽ eductus est: ita quod non erit amplius in ea. Potuisset ergo verè dici isti nostro duci dum moreretur, vel iã mortuo, & adhuc in via, id est, forte in purgatorio existenti, illud Deut. 11 *Terra ad quam ingredieris non est sicut terra Ægypti de qua existi.* In quibus quidem verbis describuntur quatuor. D

Deut. 11

Et primum est habitatio æternæ stabilitatis: quæ designatur in *terra.*

Secundum est promissio assequendæ felicitatis: cùm dicitur: *ad quam ingredieris.*

Tertium est separatio calamitatis: quia *non est sicut terra Ægypti:* id est, istius mundi calamitosi.

Quartum est exemptio adeptæ libertatis: *de qua existi,* scilicet de loco angustiæ & miseriæ: & ideo iam factus est liber.

Circa primum attendẽdum est, quod status beatorum est omnino intransmutabilis. Et ratio est quia beatitudo sanctorum est in Deo, apud quem nõ est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio: sicut videmus in statu præsenti, homines esse subiectos naturali trãsmutationi & vicissitudini, s. generationis & corruptionis. Vnde status ille beatorũ, propter æternã stabilitatẽ, assimilatur terræ quæ manet in medio mũdi perpetuo stabilita, secundum philosophum in libro cœli & mundi;

di: quia motus partium terrę est ad centrum tantum, & eadem est causa motus alicuius ad locum, & quietis in loco. Et ideo concurrentibus partibus terræ ad cẽtrum suum, scilicet ad medium mundi, stat terra fixa in medio: vnde repræsentat vitã beatorum, quæ semper stat fixa & immobilis in Deo. Et differentia istius &

Eccl. 1. illius vitæ tangitur Eccl. *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.* Et exponitur quod in vita ista, generatio vna hominum præterit per mortem, & generatio alia aduenit per natiuitatem: terra autem scilicet viuentium, de qua ait Psal. 141. *Portio mea sit in terra viuentium*, in æternum stat, quia semper viuit & nunquam moritur. Et quia in rebus non mutabilibus, nulla mors est ipsa mutatio, ideo eorum vita, id est, vitalis operatio, qua in Deo beati viuunt, est omnino immutabilis; & ideo vocatur æterna, secundũ participationem diuinæ æternitatis, non solum quia excludit defectum finis; per quem modum etiam damnatorum pœna dicitur æterna, sed vlterius quantum ad remotionem omnis mutationis, non solum in actu, quam etiam æuum excludit; sed etiam in potentia; quia sancti ex hoc quod Deo adhærebunt, stabilitatem ex diuino munere consequentur, vt transmutari non possint; quod Deus habet ex natura, ratione cuius dicitur æternus. Vnde de vita beatorum potest exponi illud Psal. 103. *Fundasti terram super*

Psa. 103. *stabilitatem suam, non incli. in sæculum sæc.* Secundo ponitur in auctoritate allegata superius, permissio assequendæ felicitatis, cum subditur: *ad quam ingredieris*, quasi diceret, & si forte adhuc in purgatorio detentus nondum sit ingressus in terram illam viuentium, tamen ingredieris triplici ratione. Primo propter notitiam fidei. Videmus enim quod ad domum conuiuij alicuius domini, non permittuntur ingredi nisi noti & amici. Et sic in domum cœlestis conuiuij non ingredientur nisi noti & amici, per fidem charitate formatam, vnde Heb. 4.

Ingrediemur enim in requiem, scilicet terræ viuentium, *qui credimus*. Hebr. 4.

In cuius figuram solum Caleph & Iosue qui fuerunt creduli, ingressi sunt terram promissionis. Quorum vnus significat fidem, scilicet Iosue: alter charitatem fide formatam, scilicet Caleph, qui interpretatur quasi omne cor: quia charitas diligit Deum ex toto corde. Secundo propter decentiam ministerij. Nam ministros & seruitores decet ingredi domum conuiuij. Sed tamen Deus est sic Dominus delicatus, quod vult habere ministros omnino mundos & immaculatos, & etiam multũ sollicitos in operibus ministerij sui, quod est ministerium iustitiæ: vnde solum qui tales fuerint, scilicet immaculati & mundi à peccato, & solliciti in operibus iustis, ingredientur domum siue terram cœlestis conuiuij, secundum illud Psalm. 14 *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* & respondet. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* Hoc figuratur in Noe, qui Esa. 26.

propter iustitiã & innocentiã suã ingressus est arcã. Es. 26. *Aperite portas & ingrediatur gens iusta.* Tertio propter gratiã encenij: illi enim qui portant encenia, permittuntur ingredi domũ conuiuij. Hęc encenia quę portantur in domum Dei, & in terrã viuentiũ, sunt opera misericordiæ: quia sola misericordia comes est defunctorũ, vt dicit Ambr. Vnde dicetur viro misericordi illud Gene- Gen. 24.

sis 24. *Ingredere benedicte Domini.*

Cur foras stas? vnde etiam Mat. 25 dicitur, quod Christus dicet misericordibus. *Venite benedicti*, &c. Tertio in auctoritate inducta ponitur segregatio præsentis calamitatis, quia non erit ibi calamitas, quæ est in præsenti: quia non erit terra ista viuentium, sicut terra Ægypti. i. mundi huius. Et ratio est triplex. Primo quia terra Ægypti. i. mundi, est tota tenebrosa. scilicet tenebris ignorantiæ & peccati: vnde Ægyptus tenebræ interpretatur. Sed terra illa viuentium est tota luminosa. Hoc figuratū est. Exo. 10. vbi dicitur, quod factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti: & vbicunque habitabant filij Israël lux erat. Secundo quia terra Ægypti est angustiis plena: vnde Ægyptus interpretatur angustiæ. Dan. 13. *Angustiæ sunt mihi vndique*: quia vndique inimici tenent nos obsessos.
Dan. 13.
Luc. 19. Luc. 19. *Circundabunt te inimici tui vallo: & coangustabunt te vndique.* Sed illa terra viuentium libera est ab omni angustia. Prouer. 11. *Iustus de angustia liberatus est.* Esa. 66. *Non erunt in memoria angustiæ priores.* Tertio quia terra Ægypti, i. mūdi est tribulationibus subiecta: vnde Ægyptus interpretatur tribulatio, & ideo filij Iacob in Ægypto existentes dixerūt Gen. 42. *Venit super nos tribulatio.* Esa. 5. *Aspiciemus in terram, & ecce tribulationis tenebræ.* Sed terra viuentium est omnino remota ab omni tribulatione. Iob, 5. *In sex tribulationibus liberabit te: & in septem non tanget te malum.* Per sex tribulationes intelliguntur tribulationes huius mundi, quia mundus in sex diebus est factus, qui sunt dies laboris, & in his liberatus est homo & purificatus à peccatis, per labores pœnitentiæ, & per tribulationes præsentes: sed in septimo. s. sabbati, qui signat requiem æternitatis, non tangget te malum. Quarto in auctoritate superius inducta, ponitur exemptio adeptæ libertatis, cum dicitur: *de qua existi*, & ideo iam liber factus es, ab eius angustiis & tribulationibus. Nota, libenter exit homo de terra aliena, vbi patitur multa incommoda, vt redeat ad terram & patriam suam vbi habiturus est pacem & quietē omni tēpore quo vixerit. Sic terra nobis aliena est mundus iste, in quo diu habitare non possumus nec inuenire quietem: & in qua patimur multa incommoda. Sed patria nostra vbi erit perfecta requies, & possessio pacifica omnium bonorum, est terra viuentium: ad quam non peruenit spiritus hominis, nisi hinc exierat. Vnde Psal. 145. *Exibit spiritus eius & reuertetur in terram suam.* Ps. 145.

Prou. 11
Esa. 6
Gen 42.
Esa. 5.
Iob 5.

C

TERTIO in themate assumpto, describitur exterminium interceptæ potestatis: quia amplius non erit in statu, scilicet temporalis potestatis, scilicet ducatus, neq; in eo statu, in quo fuit Et ideo antequā veniret ad istud exterminium, debuit petere cum Propheta dicens. *Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero* In quibus verbis facit quatuor. Quia primo petit relaxationem culpę, cum dicit, *remitte mihi*, scilicet peccata. Istud enim est primum, quo homo disponitur ad beatitudinem consequendam scilicet remissio culpæ: vnde in Ps. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates* Et ista remissio fit in contritione, quando contritio est cū proposito confitendi, secūdū illud Psal. 31. *Dixi*, s. in corde cōtritus, *Cōfitebor aduersum me iniust. meam Domino, & tu remisi. &c.* Secundo petit remissionē, siue mitigationē penę, cū dicit, *vt refrigerer.* Refrigeriū enim aut tollit, aut mitigat ardorē: & hoc fit in penitēte, quan-
Ps. 31.
Ps. 31.

quando pœna æterna commutatur in pœnã tẽporalem. Sed potest esse tantus feruor cõpũctionis, & ardor dilectionis in homine contrito, quod purgatur culpa, & tollitur pęna. & tunc est refrigerium de quo Psa. 45. *Transiuimus per ignẽ & aquam, & edu. nos in re.* Psa. 45. Nã per aquã intelligitur magna compunctio lachrymarum, quæ lauat maculam culpæ. Sed per ignem magnus ardor dilectionis, quæ tollit reatũ pęnæ. Et sic de peccato educitur in magnũ refrigerium gratię. Tertio petit pręuentionem horæ, scilicet mortis: quia *priusquam abeam*, scilicet per mortem de vita ista. Nam sicut homo prius delinquit, quam humilietur per pęnitentiã, secundum illud Psal. 38. *Priusquam humiliarer ego deliqui:* Psa. 38 sic debet prius delicti veniam impetrare, quam humilietur per mortem, & abeat extra istam vitã. Vnde Iob 20. *Dimitte me vt plangã paululum dolorem meũ, antequam vadam et non reuertar.* Iob. 20. Vnde si priusquam abeat, per planctũ pœnitentia peccata abluerit: tunc continget ei secundum illud 1. Regũ 19. *Abijt & saluatus est.* 1. Re. 19 Quarto prædixit destructionem vitæ quia *amplius non ero*, scilicet, in hac vita corruptibili. Vnde non amplius erit in aliqua prosperitate corporali, siue temporali, siue diuitiarum, siue delitiarum, siue honorum, aut dignitatum. Ista enim omnia temporalia sunt, quæ non habẽt locum in alia vita, quæ perpetua est & ęterna. Apo. 10. Apo. 10. *Tempus non erit amplius.* Et ideo finaliter erunt, aut in æternis pœnis aut in æternis gaudiis. Ad quæ gaudia nos perducat Deus. Amen.

In funere alicuius Principis maximi.

SERMO XVII.

PRINCEPS *maximus cecidit hodie in Israel.* 2. Reg. 3. 2. Reg. 3 Nos videmus, quod quando cadũt turres maximæ & altissimæ, quod faciunt in sua ruina maximum sonitum: & aliquando sequitur magnum damnum, quando, scilicet ex casu eius multi opprimuntur. Exemplũ huius habetur Luc. 13. *de octodecim viris super quos cecidit turris in Syloe & occidit eos.* Luca 13. Sic quando aliquis maximus Princeps & optimus cecidit per mortem, sequitur magnus sonitus eiulantium & flentium, & merito: quia nonnunquam ex eius occasu & morte, sequitur multiplex dãnum in populo, & aliquando etiã ex eius subtractione & absentia, sequitur oppressio multorũ, siue ab hostibus, siue ab insolentibus qui cum audacia insurgunt. Figura huius habetur 1. Mach. 9. 1. Mac. 9 Quia post obitũ Iudę emerserũt se iniqui in omnibus finibus Israel: & exorti sunt omnes, qui operabãtur iniquitatẽ. Et post sequitur quod exquirebant & perscrutabãtur amicos Iudæ & vindicabant in illos: & facta est tribulatio magna in Israel. Sic modo de isto serenissimo Principe nostro defuncto, merito possunt & debent audiri sonitus, & voces lugentium & eiulantium: quoniam ipsius vita, & præsentia, erat omnibus causa tutelę, & pacis, & salutis. Et ideo nequaquam est dubium, quin ex eius morte & absentia, sequi in gente nostra debeant multa dãna. Et ideo vere proh dolor: quia vt dicunt verba proposita. *Princeps maximus cecidit* &c. i. in detrimẽtum totius gentis nostræ, quæ in Israel figuratur. Sed ista quidem verba, eundem Dominum nostrũ nobis tripliciter describunt.

A Primo quidẽ, vt venerabilẽ excellẽtia officij: quia *princeps max.*

Secundo vt flebilem ex patientia excidij: quia *cecidit hodie.*

Tertio vero formidabilem : vt turbetur ex sequela, scilicet dissidij vel detrimenti, quod poterit sequi in Israel, id est, in gente nostra ex eius subtractione.

CIRCA primum attendendum est, quod iste potuit dici nō solum princeps magnus, sed maximus. Magnus enim fuit ratione nobilitatis, maior autem ratione dignitatis, sed maximus ratione probitatis. Et ideo merito dici potest, quod ipse fuerit figuratus. 1. Mac. 2. in Matathia, cui nuncij ab Antiocho rege missi dixerunt : Princeps & clarissimus & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filijs & fratribus. In quibus quidem verbis iste noster serenissimus Princeps, ex quatuor quæ olim habebat, breuiter commendatur.

Primo quidem ex potentiæ dignitate: quia *princeps*.

Secundo ex famæ celebritate: quia & *clarissimus*.

Tertio ex opulentiæ facultate: quia *magnus*, &c.

Quarto vero ex familiæ nobilitate: quia *ornatus*, &c.

CIRCA primum attendendum est, quod multi sunt in mundo, qui obtinent dignitatem & nomen principatus immeriti & indigni. Siquidem vt Philosophus dicit: Principatus ostendit virum, Aliqui ergo ostenduntur indigni dignitate, & potestate principatus, propter defectum prudētiæ : sicut fuit Roboam filius Salomonis: de quo dicitur Eccl. 47. *Dereliquit*, scilicet Salomon *post se de semine suo gentis stultitia & imminutum à prudentia Roboam qui auertit gentem à consilio suo.* (Eccl. 47.) Est enim princeps sine prudentiā velut oculus sine luce, qui rectam viam nescit tenere, sicut nec imprudens rectum consiliū, Vtinam ergo impleretur verbum Esa. 32. *Non vocabitur vltra is qui* (Esa. 32.) *insipiens est princeps.* Idcirco ergo istius Domini nostri principatus fuit, & erit stabilis : quia ipse in omnibus se ostendit sensatum, & prudentem. Iuxta illud Eccle. 10. *Principatus sensati stabilis erit.* (Ecc. 10.) Quidam vero alij sunt qui ostenduntur indigni principatu, propter defectum iustitiæ, quia non intendunt ad iustitiam, sed potius ad rapinam : & tales profecto non sunt dicendi principes, sed potius lupi rapaces. Nam lupi oues rapiunt, sanguinem fundunt, animam, id est, vitam tollunt, & carnes earum auidissime comedunt, sicut de quibusdam principibus dicitur Ezechiel 22. (Ezec. 22) *Principes eius in medio eius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem: & ad perdendas animas & auare sectando lucra.* Quidam autem alij sunt, qui non sunt principatu digni propter defectum temperantię, Vbi notandū quod antiqui principes fuerunt temperati in cibo, qui vsque ad meridiem non comedebant : vnde reficiebantur tandem in die, post expeditionem negotiorum reipublicæ : sicut Ioseph, de quo dicitur in Ps. 104. *quod constituit eū Dominū domus suæ & princ. omnis pos. suæ.* (Ps. 104.) Dixit Gen. 43. *Mecum sunt comesturi meridie.* (Gen. 43) Vnde si qui principes inueniebantur, qui vellent mane cito comedere, erat signum intemperantiæ & gulositatis. Vnde de talibus dicitur Eccles. 10. *Væ terræ cuius principes mane comedunt.* (Eccl. 10.) Et dicit væ terræ, id est, hominibus terræ suæ: quia principes qui dant se voluptati & gulositati, parum volunt occupari, aut laborarę circa regimē ipsius terræ. Item hominibus terrę suæ: si ipsius principis gulositatē velint imitari, quod enim à maioribus agitur, facile trahitur à minoribus in exemplū, sicut dicit Gre. Ec. 6. Qualis rector ciuitatis,

tales

tales habitantes in ea. Quidã vero sunt indigni principatu propter defectũ fortitudinis & strenuitatis. Nam quia non habent fortitudinem cõtra bella spiritualia; scil. contra tentationes, & cõtra vitia, sed corruunt in eis, ideo facit eos Deus plerunq; corruere, etiam in bello corporali. Ose. 7. *Facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum.* (*Ose 7.*) Princeps qui dictis vitijs caruit, & contrarijs virtutib. claruit, quãdo de medio per mortẽ educitur, ad sanctos Dei applicatur, & ad Deũ accedit glorificãdus. vnde Hier. 30. dicit Dominus. *Princeps de medio eius producetur, & applicabo eum, & accedet ad me.* Secundo quoq; in auctoritate allegata superius commẽdatur bonus princeps de famæ celebritate: quia clarissimus dicitur 1 Cor. 15. quia *alia est claritas solis: alia lunæ: alia stellarum.* Nam clara est stella, clarior videtur luna, sed clarissimus videtur sol. Habet claritatem stellę Princeps, qui est famosus de sapientia: quia de sapientia dicitur Sap. 8. *Per hanc habebo claritatem ad turbas.* (*Sap. 8.*) Et Sapien. 6. *Clara est & quæ nunquã marcescit sapientia.* (*Sap. 6.*) Et quia sapiẽtes sciunt alios erudire, ideo dicũtur esse clari vt stellę. Dan. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, erunt sicut stellæ.* (*Dan. 12*) Et hanc claritatẽ famæ habuit Salomon. Sed ille videtur esse clarior, & habere claritatem lunæ, qui habet famam de misericordia. Procedit. n. talis claritas à luce misericordiæ: de qua dicitur Eccl. 36. *Ostende nobis lucẽ miserationum tuarum.* (*Eccl. 36*) Et hæc lux attribuitur lunę, quia luna splẽdet his qui sunt in tenebris noctis: quia misericordia compatitur & subuenit his, qui sunt in miseriis aduersitatis. Luna in ipsa sua luce habet in se vmbrositatẽ: quia scil. vir misericors in ipsa subuentione misericordiæ habet animi cõpassionem. Iob 31. (*Iob 31.*) *Si vidi lunam incedentem clare.* Ista fuit claritas Dauid de quo dicitur 1. Mach. 2. (*1. Mac. 2*) quia *Dauid in sua misericordia cõsecutus est sedem regni.* Sed ille potest dici clarissimus tanquã sol, qui habet famã de magna iustitia. Nam sicut philosophus dicit in 5 Eth. Iustitia est præclarissima virtutum. Et neque lucifer neque hesperus est ita clarus. Et ideo ille princeps est clarissimus, sicut sol, qui est famosus de iustitia. Item dicit Apostol. de Melchisedech Heb 7. qui interpretatur rex iustitiæ, deinde autẽ dictus est rex pacis: quia sicut dicitur Esa. 32. *Opus iustitiæ pax.* (*Es. 32.*) De tali ergo principe potest dici illud Psalm. 88. *Thronus eius sicut sol,* scil. propter iustitiæ claritatem & firmitatem. Eccl. 27. *Homo sanctus in iustitia manet sicut sol.* (*Eccl. 27.*) Tertio quoque in auctoritate inducta, commendatur princeps de opulentia diuitiarum: quia *magnus in ciuitate hac.* Nam maxime efficiuntur homines magni, propter diuitias in ciuitatibus. Et hoc aliquando potest iuste & rationabiliter fieri: quia scilicet ille est in republica ciuitatis, vel patriæ magis promouendus, qui magis esse potest vtilis reipublicæ. Sed manifestũ est, quod in multis diuites possunt iuuare rempublicam magis quam pauperes. Vnde si in talibus officiis diuites magis honorentur, vel promoueantur & magni fiant, in quibus vtiliores sunt vel esse possunt communitati & ciuitati non est inconueniens neque peccatũ: quia hoc non est honorare eos propter diuitias, sed propter reipublicæ necessitatem & vtilitatem: & vbi diuites altiorem locũ retinent vel obtinent in republica quam pauperes: non est indignum quod magis honorentur, quãtum ad reuerentiam exteriorem; quia aliud est honorare hominẽ propter personã, aliud propter statum. Nam propter perso-

nã ille est magis honorandus, qui est magis virtuosus: scilicet honore laudis vel reputationis, & huiusmodi. Sed propter statũ ille est magis honorandus, qui altiorẽ locum in republica tenet. Cõpetit autem specialiter Principi magnitudo diuitiarum, quia decet principem esse magnificum: scilicet faciendo virtuose, & laudabiliter & rationabiliter magnos sũptus, qui sine magnis diuitiis fieri non possunt. Oportet etiam quandoque principem facere exercitus, & bella gerere, quæ sine magnis expensis fieri non possunt, nec magnæ expensæ sine magnis diuitiis: quas si tempore guerræ ex se non haberet, sed vellet eas tãtum extorquere, oporteret interdum quod intantũ grauaret eos, quod odirẽt eũ, & nõ essent ita fideles, & hoc esset periculosum. Oportet etiam interdum principem largiri dona magna, & munera militibus & aliis bene meritis. In quo etiã vti debet virtute magnificẽtiæ, sicut dicitur Hester 2. de Assuero
Hest. 2. rege, quod dona largitus est iuxta magnificẽtiam principalem, id est quæ principem decebat. Et ita oportet principem esse magnum, id est, magnarum diuitiarum: sicut dicitur de Iob cap. 1. quod *erat vir*
Iob 1. *ille magnus inter omnes orientales*, id est, ditior in diuitibus: sicut exponit glossa interlinearis.

B Quarto vero cõmendatur princeps in auctoritate allegata superius, de familiæ nobilitate: quia *ornatus filijs & fratribus*. Decet enim principem præ cæteris posse dici felicem, saltem felicitate politica, ad quam sicut tradit Philosophus in 1. Rheto. requiruntur bona intrinseca, & extrinseca. Intrinseca autem dico, vel quæ pertinent ad animam, sicut sunt bona honesta. i. virtutes, sicut iustitia, temperantia, fortitudo, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, & mãsuetudo, prudẽtia, & sapientia: quia istæ sunt maximæ virtutes quæ reddunt principem aliis maxime honorabilem: vel etiam bona quæ insunt corpori, dicũtur intrinseca: vt sanitas, fortitudo, robur, pulchritudo, magnitudo, & potentia: siue ars agorastica, & bona senectus. Extrinseca vero bona dicuntur bonitas generis, multitudo amicorum amicitia bonorũ, abundantia diuitiarum, bona proles, multitudo prolis, abundantia possessionis, & corpus cum potẽtia seruitiua, & actiua, honor & bona fortuna. Sed præcipue est ad eius ornamentum & robur ipsius principis, quod habeat bonos fratres; quia *frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, vt dicitur Prou. 18. De hoc habes exemplũ in Iuda Machabeo, de quo dicitur 1. Mach. 3. quod *post mortem Matathiæ surrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus, filius eius pro eo: & adiuuabant eum omnes fratres eius*. Itẽ quod habeat multitudinem prolis. i. filiorum, sicut dicitur Iudicũ Iudic. 8
8. de Gedeone, quod habuit 70. filios, qui egressi sunt de femore eius. Sed tamen melius esset habere vnum filium bonum quam multos impios: imo melius est nullum habere, quam nullum habere bonum. Et hoc est quod dicitur Eccl. 16. *Ne iucunderis in filijs* Eccle. 16
impijs si multiplicentur: nec oblecteris super illos, si non est timor Dei in illis: Et post. Melior est unus timens Deum, quam mille filij impij. Et vtilius est mori sine filiis: quã relinquere filios impios. Et ideo magis debet desiderare princeps prolis bonitatẽ, quã multiplicationem.

SECVNDO in assumpto themate introducitur iste noster Dominus, vt flebilis siue deflendus, propter præsentiã excidii, id est, mortis, quia *cecidit hodie*, scilicet per mortem, à statu dignitatis & vitæ præsentis. Charissimi, iste C

casus, scilicet mortis communis est quo ita cadunt minores, sicut maiores; ita populares sicut principes; quia mors est communis omnibus hominibus. Et ratio est, quia hereditas transit in posteros cum onere mortis, à quo onere non eximitur nec dominus, nec seruus, vnde in Psal. 81. *Vos autem sicut homines moriemini: & sicut vnus de principibus cadetis.* Et dicit *sicut vnus*: quia non moriuntur omnes simul: sed vnus post aliũ. Sed aduertendum, quod quando vento impellente cadit vna arbor, multum vetusta & putrida & infructuosa, tunc homo cuius erat non dolet, imo potius gaudet: quia in loco vnde euellitur, potest ponere aliam plãtam nouam & fructuosam. Sed quando cadit arbor procera & fructuosa, tunc dolet & conqueritur. Ita quando per aduentum mortis caderet vnus princeps, qui iam prę senectute nimia esset factus omnino inutilis, & etiam desipiens, vel propter nimiam infirmitatem & incurabilem, esset totus putridus; certe de morte talis principis potius esset gaudendum, quam dolendum. Sed quando moritur princeps robustus & serenus, & totus virtuosus, & reipublicæ vtilis, tunc est materia flendi, & dicendi cum clamore & lachrymis illud Threnor. 5. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri.*

Ps. 81.

Thren. 5.

In quibus quidem verbis ostẽditur, quod de morte boni principis lugendum est, & dolẽdum triplici ratione.

Primo ratione amabilitatis: propter quod dicit: *deficit gaudium cordis nostri.*

Secundo ratione strenuitatis: propter quod subditur: *versus est in luctum chorus noster.*

Tertio ratione dignitatis; propter quod subinfertur: *cecidit corona capitis nostri.*

Circa primum attendẽdum est, quod inter tyrannum & bonum principem est differentia: quia tyrannus plus curat timeri, quam amari, sicut dicit Sene. de Alexandro, in libro de benef. quia summum bonum ducebat terrori esse, ignorans animalia quoque ignaua timeri ob virus malum. Sed bonus princeps quamuis sciat vtrumque necessarium esse, scilicet, & amari & timeri, tamẽ plus appetit amari quam timeri. Et est differentia inter principis timorẽ & amorem: quia quãdo princeps solum timetur vt tyrannus, & nõ amatur à subditis, sed oditur; tunc subditi gaudent de eius absentia, & tristantur de eius præsentia. Et si aliquando in eius præsentia ostendant gaudium in facie, non tamen habent in corde. Sed de eo qui multum amatur est e contrario: quia dolent subditi de eius absentia, & gaudent de eius præsentia, non tantum in facie, sed etiam in corde. Vnde quando eius præsentia grata, & amabilis, totaliter per mortem subtrahitur, tunc deficit gaudium cordis, & cessat omnis lætitia quam habere solebant de ipsius grata præsentia, secundum illud Oseæ 2: *Cessare faciam omne gaudium eius*, id est, quod habebant de eo: ita dicit mors. Secunda ratio est propter eius strenuitatem: propter quam dicit, *versus est in luctum chorus noster.* Antiquitus enim, quando principes fecerant aliquos actus strenuos, puta quod strenue se habuerant in bello, & victoriam reportabant: tunc obuiabant eis chori mulierum & iuuenum, gaudentium & ludentium & canẽtium laudes eorum: & fiebant cantilenæ, quæ postea in succedentibus temporibus cãtabantur in choreis ludentium

Osea 2.

& gaudentium. Exemplum hoc habetur 1. Regum 18. vbi dicitur, quòd cùm reuerteretur Dauid percusso Philistæo, & ferret caput eius in Hierusalem: egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël, cantantes, chorosque ducentes in occursum regis Saulis, in tympanis lætitiæ & sistris: & præcinebant mulieres ludentes, &c. Et consimile etiam fiebat alijs principibus strenuis, sicut patet Exod. 15. de Moyse, & Iud. 11. de Iepte. Sed quamuis tales chori ludentium, & gaudentium & laudantium, fierent eis dum viuerēt, tamen postea in morte ipsorum, chorus conuertebatur in luctum: quia conueniebat populus non ad laudem sed ad luctum; non ad cātum sed ad lamentum; sicut patet de Moyse, Deuter. 34. vbi dicitur
Deut. 34 quod Moyses centum viginti annorum erat, quando mortuus est. Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt, Fleuerūtq; cum filij Israël in campestribus Moab triginta diebus: & completi sunt dies planctus lugentium Moysen. Et simile habetur de Iuda Machabæo 1. Mach 9. vbi dici-
1. Mac. 9 tur, quod Ionathas & Simon tulerunt Iudam fratrem suum: & sepelierunt eum in sepulchro patrū suorum in ciuitate Madin, & fleuit eum omnis populus Israël planctu magno, & lugebant dies multos. Tunc ergo poterat dicere omnis populus, non laudantium chorus, sed lugentium, illud Iob
Iob 30. 30. *Versa est in luctum cythara mea: & organum meum in vocem flentiū.* Tertia ratio lugendi est propter principatus dignitatem: quia *cecidit corona capitis nostri.* Vbi aduertendum, quod corona capitis dicitur honor & gloria regni siue principatus: & quia hoc bono principe totum regnum siue tota respublica est in honore, & in gloria: ideo cadente per mortem tali principe, dicitur corona & honor cecidisse de capite. Vnde Hier. 13.
Descendet de capite nostro corona gloriæ nostræ. Vel per caput intelligitur ipse Princeps. Vnde Sauli dictum est 1. Reg 15. *Caput in tribubus Israël factus es.* Vnde corona cadit de capite, quando dignitas aufertur à principe: quod fit per mortem, Iob 19. *Abstulit coronam de capite nostro.* Hier. 13 / 1. Reg. 15 / Iob 19

TERTIO in themate assumpto mors boni principis ostenditur esse formidabilis, ex sequela diffidij & periculi: quia aliquādo remoto principe, consueuerunt sequi diuisiones & schismata, vel inter eorum primos, vel inter alios, propter ambitionem, & superbiam, vel auaritiam: ex quorū scilicet diuisione & contrarietate, fit diuiso in Israël, id est, in populo: sicut aliquando remoto pastore fit dispersio gregis. Hoc figuratum fuit 3. Regum 22. vbi ait Michæas Propheta: *Vidi cunctum Israël dispersum in montibus sicut oues non habentes pastorem.* Et Hiere. 50. *Grex dispersus Israel leones,* id est, maiores, *eiecerunt eum.* Prudens princeps quando videt acies militum vel peditum per inuasionem hostium dispergi, conatur eos colligere & congregare. Sic rogandus est Deus, & ad ipsum est omne studium adhibendum, quod ex quo subtraxit notabilem principem, quod habeamus per eius gratiam talem successorem, de quo sperari possit illud Psal. 146. *Dispersiones Israëlis congregabit.* In quibus quidem verbis tria facit Propheta. 3. Re. / Ps. 146

Nam primo insinuat periculū, scilicet in dispersione: cùm dicit, *dispersiones.*

Secundo debitum: quia *Israëlis.*

Tertio remedium: quia *congregabit.*

Periculum siquidem populi est

est in dispersione siue diuisione: quia *omne regnum in seipsum diuisum desolabitur*. Mat. 12. Sed tamen non dicit dispersionem, sed dispersiones: quia diuersa vitia faciunt in hominibus diuersas dispersiones. Nam vnam dispersionem facit superbia, de qua dicitur Iob 23. *Erunt sicut paleæ ante faciẽ venti: & sicut fauilla quam turbo dispergit.* Nam paleæ sunt homines leues, qui non habent in se pondus humilitatis: vnde ventus superbię eleuat eos in sui reputatione, & dispergit eos per diuersas ambitiones, & scintilla, quæ secundum Isidorum est cinis modicus, ex extinctione scintillaris materię derelictus, est vita hominis. Tanquam enim scintillæ fulgentes fuerunt primi parẽtes, ex quorum scilicet materia, nostra propagata sunt cinerea corpora. Scilicet ex eorum extinctione, id est, peccati transgressione, relicta est nobis fauilla modica, id est, breuis & incerta vita, quia *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum: & per peccatum mors* vt dicit Apostolus Rom. 5. Vnde Iob 30. *Assimilatus sum fauillæ.* Sed hanc fauillam turbo, id est, superbia, dispergit, id est, ad diuersa mala impellit: quia initium omnis peccati superbia. Dicitur autẽ superbia turbo: quia sicut turbo aërem perturbat & obscurat ita superbia mentem. Vnde Iob 3. *Noctem illã tenebrosus turbo possideat.* Tenebrosus turbo possidet noctem; cum superbiæ tentatio occupat cęcam mentem. Aliam vero dispersionem facit vitium auaritiæ Exo. 5. *Dispersus est populus per Ægyptum*, id est, per mundum, *ad colligendas paleas*, id est, tẽporalia, Nam per totum mũdum discurrunt homines paupertatem timentes ad colligenda temporalia quæ modici ponderis sunt respectu spiritualium. Vnde Horatius: *Pauperiem fugiens per saxa per ignes, Impiger extremos currit mercator ad Indos.* Aliam dispersionem facit vitium gulę. Ps. 58. *Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fu. sa. & murmurabunt.* Secundo ponitur debitum, scilicet vnitatis: quia Israelis dispersiones sunt, id est, populi Deum videntis, id est, cognoscentis per fidem, in quibus non deberet esse dispersio, sed potius vnitatis congregatio. Nam sicut est in eis vna fides, vnum baptisma, & vnus Deus & pater omnium, ita deberet esse vna puritas, & vna charitas Vnde 1. Mach. 5. dicitur, quia congregauit Iudas qui interpretatur confitens, omnes Israelitas, id est fideles: quia scilicet confessio vnius fidei debet omnes fideles vnire, vt qui sunt vnius fidei, sint etiam vnius animi. 1. Pet. 3. *In fide autem omnes vnanimes.* Tertio quoque in auctoritate inducta ponitur dispersionis remedium: quia *congregabit.* Ad hoc enim bonus princeps principaliter intendere debet, vt sint omnes congregati in vnitatem pacis, vt consequantur exemplum illius, qui est pater futuri seculi, princeps pacis scilicet Christi de quo dicitur Ioan. 11. quia *Christus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi cõgregaret in vnũ.* Sed tamen congregatio & vnitas electorum incipit quidem in mundo isto, sed perficietur & consummabitur in cœlo, vnde dicitur Marci 13. *Congregabit electos à quatuor plagis terræ vsque ad summum cœli*, id est, cœlestis gaudij. Ad quod nos perducat Deus qui &c.

Mat. 12. Iob. 21. Rom. 5 Iob. 3. Exod. 5. Psa. 58. 1. Pet. 3 Ioa. 11. Mar. 13

In funere alicuius magni viri.

SERMO XVIII.

M*Agnus & paruus ibi sunt: & seruus liber a domino suo.* Iob 3. Vi- Iob. 3.

3. Videmus quod ista naturalia præcipue quæ generantur & corrumpuntur, finaliter ad suam primam naturam, seu materiam reuertũtur, sicut patet in his quæ ex seminibus oriuntur, quæ etiam finaliter in semina reuertuntur: vt ex frumento generatur herba, deinde stipula, post spica, & ex spica finaliter excutitur frumentum; & ita est de hordeo & aliis seminibus. Sic humana corpora sicut ex terra primitus sunt producta, sic etiam in terram finaliter reuertuntur. Dicit autem B. Gregorius, quod natura omnes pares genuit, sed variato meritorum ordine, alios alijs culpa postpo. suit. Quod quidem dictum Gregorij, si loquamur de hominibus secundum primum statum ante peccatum, non est intelligẽdum de omni æqualitate, scilicet quod quantum ad omnia fuissent æquales, quia fuisset inæqualitas sexuum, scilicet virorum & mulierum: inæqualitas ætatum, scilicet patrum & filiorum. Et quantum ad animam, quia propter liberum arbitrium quidam magis profecissent in iustitia, & quidam magis in scientia. Et secundum corpus, secundũ diuersitatem aëris, aut diuersum situm stellarum, aliqui robustiores corpore fuissent geniti, & pulchriores, & melius complexionati: ita tamen quod in illis qui excederentur, nullus esset defectus vel peccatum, siue circa animam siue circa corpus. Vnde Gregorius per verba prædicta intendit excludere solum disparitatem, quæ est secundum differẽtiam iustitiæ & peccati: ex qua contingit quod aliqui pœnaliter sunt sub aliis coërcendi. Sed secundum statum naturæ corruptæ, quantum ad hoc natura omnes pares gignit: quia scilicet gignit omnes homines mortales, Vnde quamuis postea in vita, multi varientur, quia quidam magni & quidam parui: quidam liberi & quidam serui: tamen finaliter in primam naturam, seu genituram mortalitatis omnes pariter reuertuntur: quia scilicet omnes pariter actualiter moriuntur, sicut semina supradicta finaliter actu producunt semina, quæ in naturali virtute seu potentia primitus continebantur. Vnde sicut cum natura mortali pariter generantur, ita per actualem mortem pariter corrumpuntur. Et ideo dicitur in verbo proposito. *Magnus & paruus ibi sunt*, scilicet in dominio & potestate mortis: quasi dicat, æqualiter inuadit mors magnum sicut paruum, *& seruus liber à domino*; quasi ita inuadit liberum sicut seruum, hoc excepto, quod qui erat seruus ante mortem, per mortem fit liber à domino suo. Vel potest intelligi magnus & paruus, id est qui in hac vita erant inæquales, secundum magnitudinem & paruitatem prosperitatis: sublata per mortem tali prosperitate sunt ibi scilicet in alia vita, quantum ad hoc æquales: & seruus est ibi liber à domino suo.

Possumus ergo dicere, quod tria in verbis propositis de morte describuntur. A

Primo quidem eius communitas in inuadendo: quia *ita magnus sicut paruus* inuaditur à morte.

Secundo eius potestas in detinendo: quia *ibi sunt*, scilicet in carcere mortis, id est, in sepulcro detenti.

Tertio eius auctoritas in manumittendo: quia tantæ auctoritatis est mors, quod de seruo potest facere liberum; & ideo dicit: *& seruus*, est ibi supple, *liber a domino suo*.

CIRCA primum notandum

dum est, quod idcirco à morte ita inuaditur magnus sicut paruus; quia mors est iustitiaria Dei ad puniendum humanæ naturę peccatum. Propterea enim dicit Apostolus Rom. 5. quod *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, scilicet per Adam, *in quo omnes homines peccauerunt*: quia adhuc tota humana natura in eo continebatur, & in eo corrupta est tota humana natura, ita quod in eo omnes peccauerunt; & ideo pertransiit mors in omnes ad puniendum istud peccatum, tanquam quædam iustitiaria Dei. Et quia iustitiaria Dei est, oportet quod ipsa sequatur modum diuini iudicii. Diuinum autem iudicium non attendit personam, id est, paruitatem vel magnitudinem personæ: sed omnes æqualiter iudicat. Et ideo consimile accidit de morte, quia omnes æqualiter percutit: & hoc est quod innuitur Sap. 6. vbi dicitur, *Non subtrahet*, scil. à morte, *personam cuiusquam Dominus, nec verebitur personam cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit & æqualiter est illi cura de omnibus.* Ex quibus quidem verbis colligitur, quod Deus in iudicio mortis tria circa homines ostendit.

Rom. 5. *Sap. 6.*

Primo communitatem suæ iustitiæ; quia *non subtrahet personam cuiusquam.*

Secundo magnitudinem suę potentiæ: quia *non verebitur personam cuiusquam.*

Tertio æqualitatem suæ prouidentiæ: quoniam *pusillum, &c.*

Ostenditur ergo primo, quod in iudicio mortis, Deus, sicut æquus & communis iudex, non est acceptor personarum: quia *non subtrahit à morte personam cuiusquam*, scilicet nec magni nec parui. Et ratio istius communitatis est triplex. Prima est propter inuariabilem sententiam primæ damnationis, qua dictum est primo parenti, Gen. 2. *De ligno scientiæ boni & mali quod est in medio Paradisi ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Et quia ipse postea comedit, incurrit sententiam mortis; non solum autem ipse, sed omnes homines, quia omnes homines postea descenderunt ab eo, & ideo omnes potentialiter, & originaliter continebantur in eo, sicut in prima radice: qua vitiata per peccatum, omnes in eo vitiati sunt, & morti addicti. Vnde Apostolus Rom. 5. dicit, quod *iudicium quidem ex vno in condemnationem: quia per vnius delictũ in omnes homines mors pertransiit in condemnationem.* Et ideo ab hac generalissima sententia & condemnatione nulla persona hominis subtrahitur; quasi diceret, iudicium est. In iudicio autem Dei, non decet quod sit personarum distantia, iuxta illud Deut. 1. dixit Moyses iudicibus, qui positi erãt vice Dei ad iudicãdũ populum eius, *Non erit distãtia personarum, ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Secunda ratio est propter rationabilem prouidentiam diuinæ dispositionis, ne scilicet mala fierent absque terrore, & bona sine remunerationis spe. Nam si ex eo quod non profertur cito contra malos sententia, filij hominum absque vllo terrore perpetrant mala, quid esset si sententia mortis & iudicij nunquam sequeretur? Et ideo mortis iudicium, dũ omnibus imminet, omnes terrere debet. Item iusti qui bona agunt, & semper hic in angustia viuunt, si non sequeretur aliquãdo mors quam remunerationem sperarent? Quia igitur nõ est apud Deum iniquitas, vt scilicet velit malos semper in iniquitatibus

Gen. 2. *Rom. 5.* *Deut. 1.*

pros-

prosperari. & bonos nunquã remunerari: iudicium mortis disposuit omnibus esse commune, vt boni omnes remunerentur, & mali singuli puniantur, absque cuiusdam exceptione personæ.
2. Pa. 19. Et 2. Paralip. 19. *Non est apud Deũ iniquitas, neq; personarum acceptio.*
Iob. 34. Iob 34. *Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis.* Et post. *Qui non accipit personam principum: nec cognouit tyrannum. Opera enim manuum eius sunt vniuersi. Subito morientur*, scilicet vt superbia reprimatur ex mortis humiliatione; vt negligentia operandi tollatur ex mortis subitatione; & vt gloria mundi contemnatur ex mortis expoliatione; quoniam cùm interierit non sumet omnia; neque descendet cũ eo gloria eius. Tertia quoque ratio communitatis mortis est, propter familiarem materiã consolationis: vnde Seneca. Idcirco videtur mihi rerum natura, id, quod amantissimum est fecisse commune, vt acerbitatem
Eccl. 38. facti consolaretur, æqualitas, Eccl. 38. *Mihi heri, tibi hodie.* Acerbum factum videtur ei, qui bene faciendo in mundo isto affligitur; & videt alium inique agentem hic semper prosperari, sed quando cogitat, quod in morte fiat adæquatio recompensationis, quia ipse & de bonis quæ egit, & de malis quæ sustinuit remunerabitur; & e contrario iniquus, & de his quæ male egit, & de bonis receptis quibus male vsus est, puniatur à Deo, qui non est personarum acceptor, habet profecto materiam magnæ consolationis. Et sibi acerbum videtur, ei qui patitur iniurias quod ille qui eas infert, aliquando hic non punitur; sed considerando quod Deus in morte vindictam illius nõ prætermittet, & quod pro patientia sua præmium æternum restituet, habet etiam materiam ingentis consolationis. Vnde Apostolus dicit Coloss. 3. *Scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo seruite. Qui enim iniuriam facit, recipiet illud quod inique gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.* Quod ergo boni non subtrahantur à iudicio mortis, sicut nec mali, non est ad perditionem, sicut contingit de malis: sed est ad acquisitionem salutis. Vnde ad Heb. 10. *Non sumus subtractionis filij in perditionem: sed fidei in acquisitionem animæ.* Secundo Deus in iudicio mortis ostendit magnanimitatem suæ potentiæ, quia non veretur magnitudinem cuiusquam. Videmus enim quod in mundo quidam habentur magni propter dignitatem excellentiæ, sicut reges; & tamen Deus non veretur eorum magnitudinem, quin per mortem occidat eos. Psalm. 135. *Qui percussit reges magnos, & occidit reges fortes.* Iob 12. *Baltheũ Regum dissoluit.* Quidam vero reputantur magni propter profunditatem sapientiæ siue scientiæ, sicut Philosophi, & sicut Salomon, de quo dicitur 1. Reg. 4. quod præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium orientalium, & AEgyptiorum, & erat sapientior omnibus hominibus; sed tamen Deus non veretur magnitudinẽ sapientium & scientium: quia scilicet sapientia sua, & scientia, omnem scientiam superat & vincit. Vnde Iob 36. *Ecce Deus magnus & vincens scientiã nostrã*, & ideo moritur doctus pariter & indoctus. Ps. 48. *Cũ viderit sapiẽtes mor. simul insip. & stul. peri.* Quidã verò reputantur magni propter plenitudinem opulentiæ, scilicet di-

Col. 3. Heb. 10. Ps. 135. Iob. 12. Iob. 36. Ps. 48.

diuitiarũ: ficut dicitur 1.Reg 25. de Nabal Carmeli, quod homo ille erat magnus nimis, id eft, diues valde. Vnde ftatim fubditur de diuitijs eius, quantum ad animalia, in quibus præcipue erãt antiquorum diuitiæ: *Erantque ei oues tria millia, & mille cap. &c.* Sed tamen Deus magnitudinem diuitum nõ veretur, quin rapiat eos per mortem, ficut patet Lucæ 12. in illo diuite qui dicebat. (Luc. 12) *Anima mea habes multa bona, &c. Dixit autem illi Deus. Stulte hac nocte, &c.* Et fic patet quod omnes, quantumcunque magni, fiue in dignitatis potentia, fiue in cognitionis fcientia, fiue in diuitiarum opulentia debent formidare magnitudinem diuinæ virtutis, quæ præcipue oftenditur in morte. (Exod. 15) Vnde dicitur Exod. 15. *Irruat fuper eos formido & pauor in magnitudine brachij tui.* Tertio Deus in iudicio mortis oftendit æqualitatem fuæ prouidentiæ; quia *pufillum & magnum, &c.* quafi diceret, quod ipfe Deus fecit ita pufillum, ficut magnum: ideo æqualiter eft illi cura de omnibus, fcilicet tam de paruis quam magnis, & præcipue in iudicio mortis, fcilicet vt fine perfonarum acceptione, quilibet tam pufillus, quam magnus tunc inueniat iuftitiam. Et ideo fimile iubetur fieri in iudicio humano, quod quantum poffibile eft, conformari debet in iuftitia iudicio diuino; fecundum illud Ecclef. 5. (Eccl. 5.) *Iuftifica pufillum & magnum fimiliter*: quafi dicat, iuftifica fic, id eft, æqualiter eorum iuftitias in iudicio attende, fine perfonarum acceptione. Sed circa illud quod dictum eft, quod æqualiter eft illi cura de omnibus, poffet dubitari; quia cura quam habet Deus de hominibus, procedit ex amore quem ad homines habet: fed Deus non æqualiter amat omnes homines, quia dicit beatus Auguftinus fuper Ioannem, quod omnia diligit Deus quæ fecit: fed inter ea magis diligit creaturas rationales, & de his amplius, quæ funt membra vnigeniti filij fui, & multo magis ipfum vnigenitum fuum: ergo non æqualiter eft illi cura de omnibus hominibus. Sed dicendum ad hoc, quod amare eft alicui bonum velle. Si ergo confideretur ifte actus qui eft amare, ex parte diuinæ voluntatis, fic Deus æqualiter omnia amat, quia fcilicet omnia diligit vno fimplici actu voluntatis, & femper eodem modo fe habente. Sed fi confideretur ifte actus ex parte boni, quod Deus vult his quos amat, fic dicitur plus amare eos, quibus vult maiora bona. Et cum amor eius fit cauffa bonitatis rerum, fequitur quod quanto aliquis melior eft, tanto magis fit amatus à Deo. Quando ergo dicitur quod æqualiter eft illi cura de omnibus, non intelligitur ita, vt æqualia bona fua cura det omnibus hominibus, fed quod æquali fapientia & bonitate & prudentia omnibus prouidet & omnes gubernat. Sapien. 12. *Non eft alius quam tu, cui cura eft de omnibus.* (Sap. 12) Vnde multum debent omnes confidere in eo, 1. Petr. 5. *Omnem follicitudinem veftram proijcientes in eum: quoniam ipfi cura eft de nobis.* (1. Pet. 5)

SECVNDO in themate affumpto defcribitur mortis poteftas in detinendo, quia ibi funt fcilicet magnus & paruus, fcilicet in carcere mortis, id eft, in fepulchro, fiue fepulturæ loco. Vnde de Domino noftro dicitur Ioan. 19. *Erat autem in horto monumentum nouum in quo nondum quifquam pofitus fuerat, ibi ergo pofuerunt Iefum:* (Ioan. 19) licet nõ diu fteterit, eo quod non potuerit, nec decuerit eũ diu

à mor-

à mortis vinculis detineri, quia tertia die resurrexit. Sed iterum aduertendum est, quod secũdum casum mortis, ita ibi, vbi sunt, scilicet in alia vita mortui perpetuo collocantur. Et hoc est quod figurate dicitur Eccles. 2. *Si ceciderit lignum ad austrum vel ad aquilonẽ: vbicunque ceciderit ibi erit.* In quibus quidẽ verbis quatuor describuntur.

Eccl. 2.

Nam primo describitur hominis viuentis figura: quia figuratur per *lignum.*

Secundo morientis ruina, *si ceciderit.*

Tertio ruentium distantia, *ad austrum vel ad aquilonem.*

Quarto distantiæ perseuerantia: *quia ibi erit.*

CIRCA primum notandum est, quod per lignũ figuratur homo, scilicet per lignum inutile ad opus bonum homo peccator. Ezech. 15. *Fili hominũ quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quæ sunt inter ligna syluarum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus: aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas. Ecce igni datum est in escam.* Notandum enim quod lignum vitis, id est, palmes vel sarmentum, quamdiu inhæret viti, nullum lignum est eo fructuosius, sed à vite separatum, nullum eo inutilius. Et sic est de peccatore: Vitis enim est Christus. Lignum vitis & quasi sarmentum à vitæ separatum & incisum, est homo peccator à Christo separatus & diuisus gladio iniquitatis: quia iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum nostrum. Esa. 59. Inter ligna nemoris, id est, inter fideles, Ecclesiæ, vel quæ sunt in diuersis syluis, id est, in diuersis statibus vel officiis, efficitur inutilis tam respectu sui, quam respectu aliorum. Respectu sui, & quantum ad meritum: quia non tolletur ex eo lignum quod valeat ad opus, id est, nullus actus potest exire ab eo qui sit opus meritorium: neque etiam vt fiat ex eo fabrica cœlestium mansionum, quæ fabricantur ex meritis bonorum operum. Est etiam inutilis respectu aliorum, quia non potest fieri paxillus, vt pendeat in eo aliquod vas: paxillus est paruus palus, id est, prælatus humilis, & rectus & firmus, ex quo dependent vasa Domini, id est, animæ subditorum. Sed homo iniustus & peccator, non potest esse talis; quia neque paruus per humilitatem, neque rectus per iustitiam vel charitatem, neque firmus per cõstantiam & patientiam: & ideo non est dignus præesse animabus. Et ideo solum valet vt sit esca ignis peccati in præsenti, quia peccatum est fornax babylonica, quæ succenditur malleolis: & vt sit esca gehennæ ignis in futuro. Sed per viride & fructuosum lignum figuratur homo iustus, qui est in charitate radicatus, influentia gratiæ diuinæ vel sapientiæ irrigatus, disciplinali maceratione, siue castigatione putatus, & filijs sacræ doctrinæ gratiosus, & fructibus bonorum operum plenus. Et de tali ligno dicitur in Psalm. 1. Erit tanquam lignum quod plant. &c. Secundo notatur in auctoritate inducta, hominis morientis ruina, cum dicitur, *si ceciderit*, Notandum, quando cadit vnum vas vile & debile, puta vas luteum, ita quod frangatur, parum curatur, & modicum quis perturbatur. Sed quando cadit & frangitur vnum vas pretiosum, quod non potest postea reparari: est maior perturbatio & dolor. Homo autem habet duo vasa. Vnum est luteum & debile, & vile, scilicet corpus, quod si cadat & frangatur per mortem, non debet multum curari,

Ezec. 15
Esa. 59
Hier. 25.
Apo. 21
Eccl. 43

tari: & maxime quia reparabitur in resurrectione. Et vas pretiosum & nobile est anima, quod in morte cadit;& irreparabiliter frangitur, quando homo impœnitens & in peccato moritur: quia nequaquam potest amplius per pœnitentiam reparari,& ideo semper tales erunt perditi. Vnde dicitur de eis Hierem. 25. *Cadetis* Hier.25. *quasi vasa pretiosa.* Sed de iusto & vere pœnitente dicitur *cum ceciderit*, scilicet per mortem *non collidetur*, scilicet quantum ad animam, scilicet collisione confractionis seu damnationis. Tertio ponitur in auctoritate inducta, cadentium, id est, morientium differentia, cum dicitur, *ad Austrum vel ad Aquilonem*. Nam ille cadit ad austrum, qui moritur in gratia, & quia cor aperitur Deo ad suscipiendam eam per finalem pœnitentiam tripliciter, scilicet per perfectam contritionem, & integram & humilem confessionem,& etiam per idoneam satisfactionem. Ideo dicitur Apocal.21. *Ab austro*, supple Apo.21 erant *portæ tres*. Ille vero cadit ad aquilonem, qui moritur in frigore infidelitatis vel malitiæ. Eccl.43. Ecclesiast.43. *Frigidus ventus aquilo flauit, & congelauit crystallus ab aquis.* Frigidus ventus aquilonis est finalis & vehemens tentatio dæmonis, qua tentat morientem vel de infidelitate, vel de desperatione: & tunc aqua mobilis, per congelationem efficitur crystallus durus, & immobilis à sua malitia, id est, duritia: quia mens quæ per liberum arbitrium erat mobilis ab bonum,& ad malum; per congelationem infidelitatis vel desperationis, efficitur dura ad pœnitentiam, & omnino obstinata, ita vt impœnitens & desperatus moriatur peccator. Vel aliter potest intelligi, quia lignum præcisum, id est, iustus per mortem sublatus, tunc cadit ad austrum, quando videlicet post ipsam mortem transit ad paradisi gaudium. Iob 39. *Plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum.* Iob 39. Accipiter lenis significat animam alleuiatam a pondere peccati, vel ab onere corporis per mortem: & tunc plumescit, id est, nouas plumas,& nouas dotes gloriæ accipit, expandens alas suas, scilicet intellectum & affectum, ad austrum, id est, ad summum paradisi gaudium, siue bonum, quod est Deus. Abachuc 3. *Deus ab austro veniet.* Abac.3. Sed tunc lignum præcisum cadit ad aquilonem, quando peccator mortuus ducitur ad inferni supplicium, vt ibi sit cum apostata angelo, qui ait Esa.14. *Ponam sedem meam in* Esa.14. *lateribus aquilonis.* Aquilo enim dictus est, quia aquas ligat & stringit. Vnde est regio aquilonis gelida,& obscura,& tempestuosa propter ventum impetuosum. Et sic in inferno est frigiditas obstinatæ malitiæ, & obscuritas, non tantum corporalis, sed etiam spiritualis, per priuationem omnimodam luminis gratiæ & gloriæ: & tempestuositas per inquietudinem, & vehementiam multiplicis & incessabilis pœnæ, quæ continet omne malum. Vnde Hiere.1. *Ab aquilone pandetur* Hier.1. *omne malum.* Tertio quoque in auctoritate inducta ponitur differentiæ perseuerantia: cum dicitur, *vbicunque ceciderit ibi erit*, scilicet immutabiliter. Hieron. Vbicunque tibi locum præparaueris, futuramque sedem, siue ad austrum, siue ad aquilonem, ibi cum mortuus fueris permanebis. Si ergo ceciderit ad austrum, id est, ad mortem pertransiuerit ad paradisi gaudium, ibi erit permanens, scilicet in æternum. Psalm. 65. *Ibi lætabimur in ipso*, scilicet Psa.65 in Deo. Esaiæ 51. Lætitia sempi Esa.51

 terna

terna super capita eorum Psalm. 5. *In æternum exultabunt & habitabis in eis*. Si autem ceciderit ad aquilonem, vt scilicet post mortem ducatur ad inferni supplicium, ibi erit etiam in æternum in fletu, & luctu horribili Matth. 8. *Ibi erit fletus & stridor dentium.*

Ps. 5.

Mat. 8.

C TERTIO quoque in themate assumpto ostēditur mortis auctoritas. Nam tantæ auctoritatis est mors, quod de seruo liberum facit: & ideo dicit quod ibi seruus est liber à Domino suo, scilicet in loco vbi est post mortem. Notandum est autem hic, quod est quædam seruitus quæ est impeditiua salutis, scilicet seruitus transgressionis peccati. De qua dicitur Ioan. 8. quod *omnis qui facit peccatum, seruus est peccati*. Et de illa seruitute debet homo multum curare vt fiat liber, scilicet per pœnitentiam dum viuit: quia post mortem non habet pœnitentia locum. Liberatur enim homo per mortem à seruitute peccati, non respectu præteriti, nisi adsit pœnitentia de peccato præterito; sed respectu futuri, in quantum post mortem non potest amplius peccare, neque demereri, saltem respectu premij essentialis. Nam beati habent voluntatem confirmatam in bono, & damnati obstinatam in malo: quæ obstinatio potius est pœna quam culpa. Sed est quædam seruitus, quæ non est impeditiua salutis; sicut est seruitus conditionis, secundum quod vnus homo est seruus alterius. Et ideo de ista non est multum curandum, in quantum non impedit salutem, nec seruitutem Dei: licet libertas sit melior habenti eam, si bene velit vti. Et hoc est quod dicit Apostolus 1. Corint. 7. *Seruus vocatus es: non sit tibi curæ. Sed si potes fieri liber, magis utere: qui enim in Domino vocatus est seruus libertus est Domini.* In quibus verbis ostendit Apostolus triplicem rationem, quare de seruitutis conditione non debet homo curare. Primo, quia non excludit animæ salutem: tunc enim excluderet animæ salutem, quando impediret hominem ne posset vocari à Christo ad suam fidem, vel seruitium non esse in eo: sed hoc non est. Et ideo si tu es vocatus à Christo, & es in gratia, & seruitio suo, non sit tibi curæ quod sis seruus hominis: quia apud Christum nihil facit differentia seruitutis, vel libertatis. Galat. 3. *In Christo Iesu non est seruus neque liber*, id est, nihil facit differentia liberi & serui. Secunda ratio, quia non excludit benefaciendi libertatem, siue facultatem, satis enim potest bene facere etiam seruus: tamen si potes fieri liber, magis vtere, quia magis poteris vacare ad libitum circa bona quæ volueris facere: tamen siue seruus, siue liber, debet studere pro posse ad bene faciendum: quia dicitur Ephes. 6. *Vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc percipiet à Domino, siue seruus siue liber.* Tertia ratio est, quia humana seruitus non tollit diuinam libertatem; quia qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini. Sicut etiam è contrario, humana libertas non prohibet diuinam seruitutem: secundum illud 1. Corinth. 7. *Qui liber vocatus est, seruus est Christi*: de cuius, scilicet seruitio recipiet æternam mercedem. Ad quam nos perducat, &c.

Ioan. 8.

1. Cor. 7.

Gal. 3.

Ephes. 6.

1. Cor.

In funere alicuius militis aut equitis aurati.

SERMO XIX.

CVNCTIS *diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat*

niat immutatio mea. Iob 14. Reges terreni diuersa loca solent habere, & diuersas domos. Quarum quidem quædam sunt gaudij, sicut palatia ad conuiuandum, & cameras ad reclinandum. Quædam vero sunt doloris, & supplicij, sicut carceres & patibula ad malos puniendum. Quædam autem sunt exercitij, sicut est campus belli ad militandum. Ita quoque Dominus noster, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, habet locum gaudij, scilicet paradisum, in quo loco sunt regales diuitiæ, felices delitiæ, & honoris excellentiæ: vnde Dominus ait Lucæ 22. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, &c.* In regno namque diuitiæ: in esu & potu delitiæ: in mensæ regni sessione honor excellentiæ designatur. Item habet locum supplicij, scilicet infernum, in quo loco diuitiarum sunt inæstimabiles miseriæ: loco delitiarum interminabiles angustiæ; & loco bonorum confusibiles contumeliæ. Vnde Dominus Matth. 25. dicet reprobis, *Discedite à me maledicti*: & vocat maledictos propter æternas miserias, *in ignem*: scilicet ad ardoris angustias: *qui paratus est diabolo & angelis eius*, vt sentiatis eorum contumelias. Item habet Dominus locum exercitij, scilicet mundum, qui ad militandum, non ad quiescendum datus est nobis. Sed in hoc quidem campo quidam exercitauerunt se sub armis pœnitentiæ, sicut peccatores conuersi: quidam sub armis misericordiæ, sicut actiui: quidam sub armis sapientiæ, sicut contemplatiui: quidam autem sub armis fortitudinis, & patientiæ, sicut omnes iusti: quia multæ tribulationes iustorum. Vnde patet quod arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia.

Iob 14. Luc. 22. Mat. 25.

Et licet illa militia sit laboriosa, tamen quando veniet immutatio mortis vel iudicij, expectatur inde maximum premium: & hoc est quod ex persona cuiuslibet boni militis dicitur in verbo proposito: *Cunctis diebus quibus, &c.*

In quibus quidem verbis de exercitio spiritualis militiæ describuntur tria.

Primum est oportunitas temporis, cum dicitur: *cunctis diebus quibus nunc.*

Secundum est strenuitas operis, cum subditur: *milito.*

Tertium est preciositas muneris seu mercedis: quia *expecto, &c.*

Primum inducit ad laborãdum. Secundum ad dimicandum. Tertium ad expectandum. Vnde patet, quod ista militia est laboriosa, & bellicosa, & pœnosa propter expectationem: quia spes quæ differtur affligit animam, Prou. 13.

A CIRCA primum attendendum est, quod tempus laboris huius militiæ primo quidem habet diuturnitatem, quia durat cunctis diebus, quibus scilicet homo viuit. Item habet opportunitatem, scilicet pro nunc. Est ergo laboriosa ista spiritualis militia, propter temporis diuturnitatem: scilicet quia labor eius durat cunctis diebus quibus homo viuit. Et ratio est: quia quamdiu homo est in bello, semper oportet quod laboret ad defendendum se: sed homo quamdiu viuit, semper est in bello vel carnis, vel mundi, vel diaboli. Vnde oportet quod semper sit sollicitus, & semper laboret ad sui defensionem. Sed in tali labore & defensione, inuenit homo laborem, & dolorem, & ærumnam, & inquietudinẽ. Vnde dicitur Eccl. 2. *Cuncti dies eius doloribus & ærumnis* Eccl. 2.

nis pleni sunt: nec per noctem quiescit mens eius. Vbi aduerte, quod dies hominis replentur doloribus, quando affligitur à mundo. Dolor enim animæ est vt dicit August. 14. de ciuitate Dei, ab his rebus, quæ nobis nolentibus, & dissentientibus accidunt. Vnde quia quotidie accidunt nobis in mundo isto quæ displicent nobis, & quæ non vellemus: ideo cuncti dies hominis dicuntur esse pleni doloribus. Vnde etiam Tullius dicit quarto libro de tusculanis quæstionibus, quod dolor est ægritudo crucians. Et vocat ægritudinem ipsam passionem animæ: qua anima in seipsa cruciatur, dum sentit se habere vel pati ea, quæ sibi displicent. Et talibus doloribus quotidie afficimur. Sed tamen, si homo sciret talia patienter portare, & tales dolores per rationem moderari: Deus infunderet multas consolationes, secundum illud Psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Sed iterum dies hominis dicuntur esse pleni ærumnis, quando grauatur à carne, siue per ipsius impugnationes, quia caro concupiscit aduersus spiritum; siue per ipsius ægritudines, quia sicut dicit Tullius. Erumna est ægritudo laboriosa sensualitati. Sed ægritudo concupiscentiæ est laboriosa rationi, propter difficultatem resistendi: & si non resistit, est in tristitia propter conscientiam remordentem; vnde Ecclesiast. 5. *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in ærumna & tristitia.* Et dicit *comedit*: quia etiam ipsa comestio est sibi ad ærumnæ augmentum, tum quia in sudore vultus sui vescitur pane suo, tum quia etiam ipsa comestio auget concupiscentiæ passionem. Sed tunc mens hominis habet inquietudinem, quando impugnatur à dæmone: vnde dicit, quod neque per noctem, id est, per tenebras tentationis diabolicæ quiescit mens eius. Vel ad literam neque in nocte, quando homo plus appetit quiescere, permittit diabolus quiescere mentem eius, vel tentando, vel varias somniorum illusiones immittendo. Iob 9. *Non concedit requiescere spiritum meum.* Eccles. 8. *Non sinitur quiescere ingruente bello.* Secundo nota, quod tempus laboris militiæ præsentis habet oportunitatem, id est, quia tunc est tempus oportunum ad dimicandum, & militandum. Et hoc ostendit tam temporis instantia, quam loci congruentia. Temporis quidem instantia, quia cum distinguantur tria tempora humanæ vitæ, scilicet præteritum, præsens, & futurum. In præterito non possumus militare Deo, quia iam præterijt. In futuro iam non debemus expectare: quia nullus certus est an perueniat ad senectutem: vnde si contingat hominem expectare, forte non attinget. Et dato quod contingat viuere vsque ad senectutem, natura erit debilior ad pœnitentiam faciendam; consuetudo procliuior ad peccandum; & hostis crudelior ad impugnandum; & opera pœnitentiæ minus grata ad recipiendum. Sicut qui seruit Domino cum equo claudo, cæco, & sene, sic qui in senectute Domino seruit, similis ei est qui dat vestem putridam, & consumptam: quia talis non habet gratiam, sicut ille qui dat nouam. Vnde 2. Corin 6 dicitur. *Ecce nunc tempus acceptabile*, id est. quo seruitium militiæ Christi erit acceptum Deo. Hoc idem patet ex loci congruentia: quia licet multa sint loca, non potest tamen in omnibus militari. Nam damnati qui sunt in inferno, non militant,

Marginalia: Psal. 93. — Eccl. 5. — Iob 9. — Eccl. 8. — 2. Cor. 6.

tant, quia fuerunt turpiter ab hostibus deuicti: & ideo in carcere cruciantur. Illi etiam qui sunt in purgatorio, non militant, quia ibi inclusi & detenti, satisfaciunt pro delictis suis. In paradiso etiam non militant, quia ibi iam omnibus deuictis hostibus à labore militiæ totaliter quiescunt. Relinquitur ergo, quod solum in loco, in quo nunc sumus, scilicet in mundo isto, sit locus militandi 2.

2.Mac.1 Machab.1. *Nunc autem hic sumus*, scilicet in loco pugnæ & militiæ.

Iof.24. Iosuæ 24. *Nunc ergo timete Dominum & seruite ei.* Seruite scilicet in exercitio spiritualis militiæ: scilicet contra vitia viriliter dimicando.

B SECVNDO in themate assumpto describitur strenuitas operis, quæ inducit ad dimicandũ, cum dicitur: *milito.* Nam militia corporalis instituta est ad strenuũ opus, id est, ad bellandum pro defensione patriæ vel reipublicæ. Vnde narrat Eutropius quod Romulus instituta republica Romanorum, elegit mille viros fortes, qui essent in armis pro defensione reipublicæ: quos à numero millenario, milites appellauit. Sed militia spiritualis seruorum Christi, est bellare contra hostes spirituales, id est, contra dæmones, & contra tentationes carnis & mundi, pro defensione salutis animæ, & ne impediantur qui habent ire ad supernam ciuitatem cœlestis regni, vbi erit optima respublica semper gaudiosa & pacifica. Vnde patet quod vtraque militia, scilicet & mundi & Dei, potest dici bona, ex eo quod vtraque est ad bonum finem ordinata: scilicet ad salutem reipublicæ vel animæ, vt perueniat ad rempublicam ciuitatis supernæ: quia cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est, sicut Philosophus dicit. Vnde de vtraque militia exponi posset illud quod dicitur 1. Timoth. 1. *Milites in illis bonam militiam habens fidem, & bonam conscientiam.* 1.Tim.1

In quibus quidem verbis Apostolus tria facit.

Nam primo quidem præcipit exercitium difficile: cum dicit, *milites.*

Secundo adiungit officium laudabile: quia *bonam militiam.*

Tertio vero ostẽdit armaturam inuincibilem: cum dicit. *Habens fidem & bonam conscientiam.*

Circa primum aduertendum est, quod militare est officium difficile: quia laboriosum; quia frequenter oportet milites esse in armis, & discursibus, & exponere se periculis. Sed tamen labor militiæ alleuiatur multum, quando miles recipit bona stipendia; vel quando expectat recipere multũ honorifica præmia: tunc enim viriliter pugnat, & libenter militat vt vincat. Est enim licitum militanti de labore suo recipere stipendium, sicut Medico vel Aduocato recipere salarium, sicut dicit beatus Augu. Sed contra hoc posset argui: quia videtur quod militare vel bellare propter stipendia, non sit licitum; quia illicitum est proferre minus bonum maiori bono: sed persona siue vita personæ, est maius bonum quam pecunia; sed qui militant vel bellant propter stipendia, exponunt personam & vitam periculo mortis propter lucrum pecuniæ; ergo videtur quod militare propter stipendia non sit licitum. Sed dicendum, quod militare propter stipendium esset illicitum, si in ipso lucro vel stipendio ponatur vltimus finis militiæ: nunc autem ita est, quod militia aut bellum, ordinatur ad bonum commune, scilicet ad salutem reipublicæ

vel totius Patriæ, quæ præponenda est etiam saluti propriæ vitæ vel personæ. Ipsum etiam stipendium & lucrum militis, non est finis principalis propter quem militat: quia etiam ipsum ordinatur ad aliquem finem honestum & bonum, puta ad sustentationem sui, vel familiæ, vel ad subuentionem pauperum, sicut & alia lucra honesta: vnde de peculio castrensi, quod scilicet filio familias in militia degenti donatum est, vel quod ipse in militia acquisiuit, quod nisi militaret acquisiturus non erat: ipse filius familias potest facere eleemosynam, & condere testamentum: quia quantum ad illud paterfamilias censetur. ff. ad mace. l. 1. §. vltimo, & l. 2. & 6. de inoffic. testa. §. vltimo. Sic militantes Christo in militia spirituali, siue pro actibus spiritualibus, licite recipere stipendia pecuniæ vel aliarum corporalium, sicut sunt Predicatores, & Sacerdotes, & ecclesiarum rectores, possunt pro labore spirituali, non per modum venditionis aut emptionis, quia hoc simoniacum esset. Vnde dicitur 1. quæst. 1. Quicquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur; nunquam quæstibus, vel quibuslibet premiis venundari penitus debet. Sed tamen accipere possunt pro sustentatione sua, quæ debetur eis ab his, quibus spiritualia administrant. secundum ordinationem ecclesiæ, & consuetudinem approbatam: ita tamen quod desit intentio emptionis, & venditionis. Et quod ab inuitis non exigatur per subtractionem spiritualium, quæ sunt exhibenda, hoc enim haberet quandam venditionis speciem: sed gratis spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ, & consuetæ oblationes, vel quicunque alij prouentus exigi à volentibus ei, & valentibus soluere, auctoritate superioris interueniente. Vnde predicantibus etiam debentur temporalia ad sustentationem ipsorum, non ad emendum prædicationis verbum: vnde super illud 1. Timoth 5. *Qui bene præsunt presbyteri*: dicit glossa, quod necessitatis est accipere, vnde viuitur, sed charitatis est præbere: non tamen venale est Euangelium, vt pro his prædicetur: sic enim vendunt magnam rem vili pretio. Sic etiam aliqua temporalia dantur celebrantibus missas, vel dicentibus officium ecclesiasticum, siue pro viuis, siue pro defunctis: non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. Item ille qui non tenetur ex officio spiritualia exhibere, potest pro eis eodem modo recipere aliquid temporale 12. quæstione 2. charitatem. Ex quo sumitur argumentum, quod sacerdos potest locare operas suas, si non habeat alias vnde viuat. Item pro processionibus quæ fiunt pro funeribus, aliquę eleemosynæ recipiuntur, quæ si aliquo pacto interueniente fierent, aut cum intentione emptionis & venditionis fierent, simoniacum esset, vnde illicita esset ordinatio, si aliqua ecclesia statueret, quod non fieret processio in funere alicuius, nisi solueret certam pecuniæ quantitatem: quia per tale statutum præcluderetur via, gratis aliquibus officium pietatis impendendi: magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus, talis honor exhiberetur, quia per hoc non præcluderetur via alijs exhibendi, prima etiam ordinatio habet speciem gratuitæ recompensationis. Illi etiam qui dant pauperibus eleemosynas, vt impetrēt orationum suffragia, non dant vt intenden-

1. Tim. 5.

tes emere orationes, sed ad prouocandum pauperum animos, vt gratis & ex charitate orent pro eis. Et sic patet quomodo tam milites Dei, quam mundi, non debent suis stipendijs militare. Et ideo quæritur 1. Corint. 9. *Quis militat suis stipendijs?* quasi dicat nullus. Secundo in auctoritate inducta, specificat officium laudabile, scilicet bonam militiam. Vbi aduertendum est, quod bona militia potest dici non solum militia spiritualis, de qua Apostolus dicit 2. Corinth. 10. quod *arma militiæ nostræ non sunt carnalia sed spiritualia*, sed etiam militia corporalis, quæ scilicet ad defensionem reipublicæ, & ad repressionem rebellium armis corporalibus vtitur. Vnde etiam in sacra scriptura, sancti viri militasse leguntur huiusmodi militia, sicut Dauid. Vnde August. ad Bonifacium. Noli existimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. Et in his erat sanctus Dauid, cui Dominus magnum testimonium perhibuit. Item Iudas Machabæus de quo dicitur 1. Machab. 3. quod prælia batur prælium Israël, cum lætitia, & dilatauit gloriam populo suo. Et Simon frater eius dixit 1. Machabæor. 16. *Vos scitis quanta ego & fratres mei, & domus patris mei fecimus pro legibus & pro sanctis prælia.* Ex quibus patet, quod bona erat eorum militia: quia ordinabatur ad reipublicæ defensionem, & ad diuini cultus conseruationem. In populo etiam Christiano, institutæ sunt quædam religiones ad militandum, vt religio hospitalariorum sancti Ioannis, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem diuini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum, & oppressorum, secundum illud Psalm. 81. *Eripite pauperem: & egenum, de manu peccatoris liberate.*

1. Cor. 9 — 2. Cor. 10 — 1. Ma. 16 — Ps. 81

Item ille bonus Centurio, de quo Dominus dixit. Non inueni tantam fidem in Israël; dixit Matthæ. 8. *Nam ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Mat. 8.

Sed notandum, quod ad hoc vt illa militia sit bona & licita, oportet attendere ad quatuor.

Primo ad militantis statum. Oportet enim quod militans sit in statu laicali, quia clericis est interdicta militia, & arma assumere & bellare, vel sanguinem fundere 23. q. 8. Clerici, nisi in necessitate ineuitabili.

Secundo debet attendi ad militiæ exercitium, quod est bellare, in quo etiam milites laici male militarent, nisi esset bellum iustum. Nam aut constat bellum esse iustum, puta quando manifestum est, quia geritur auctoritate principis: quia priuata persona suum ius potest in iudicio prosequi. Item quod sit ex iusta causa, scilicet quia illi qui impugnantur, ex aliqua culpa hoc meruerunt. Vnde Augustin. dicit in libro quæstionum. Iusta bella debent differri quæ vlciscuntur iniurias; si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel iudicare neglexerit quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est. Item quod sit intentio recta bellantium: qua scilicet intendatur, vt bonum promoueatur, vel vt malum vitetur. Quando igitur sic constat bellum esse iustum, licet sæculari bellare. Aut constat bellum esse iniustum, & tunc non licet. Aut est dubium, & tunc licet subdito bellare ad mandatum superioris, quia excusatur propter bonum obedientiæ: licet forte peccet Dominus contra Deum, male præcipiendo, & milites, & seruientes, & stipendiarij extranei, non credun-

tur excusari: quia non excusat eos bonum obedientiæ sicut subditos, nec debent se discrimini in dubio committere, vt iuuent aliquem in præiudicium alterius. Quia sicut dicit Ambr. Si non potest alicui subueniri, quando grauetur alter, commodius est neutrum iuuare quam grauare alterum 24. qu. 5. denique. Tertio debent attendi ad militantis salarium: vt si fraudulenter quærat stipendiũ, quod sibi non debetur, puta si non habuit equos quos debuit habere, & repræsentauit equos alienos pro suis, vel si dixit mendaciter equum perijsse, vt haberet emendam. Item quod non velit salarium immoderatũ; quia videat aliquos indigere pro bitate sua. Item quod vltra stipendium sibi debitum aliud non quærat, alioquin reputaretur predo non miles. Vnde Augustinus. Propterea quadam prudẽtia sunt militantibus stipendia constituta ne dum sumptus quæritur predo grassetur, 23. quæst. 1. militare. Vnde Lucæ 3. *Contenti estote stipendijs vestris*. Ioannes Baptista militibus dixit. Quarto debet miles vitare militiæ abusum, qui est in concussione innocentium, siue ad ostentationem virium, cum nocumento hominum & rerum. Sic inuenta sunt torneamenta, & ictus lancearum, & huiusmodi: licet non prohibeantur quædam exercitia militiæ, vt cursitationes, & versiones destrariorum; & ars percutiendi, & defendendi, & proijciendi tela. Vnde 2. Regum 1. Dauid præcepit vt docerent filios Israël arcum, id est, artem sagittandi. Sic ergo patet, quomodo possit dici bona militia sæcularis. Sed de bona militia spirituali, informat Apostolus militare volentem, dicens 2. Timoth. 2. *Labora sicut bonus miles Iesu Christi.* Vbi ostenditur, quod ad bonam militiam requiritur quod militet diligenter, & decenter, viriliter, & salubriter. Diligentia notatur in labore; decentia in milite; virilitas in bono milite, sed salubritas in milite Christi Iesu. Felix ergo miles est, qui est diligens in labore; decens in conuersatione, virilis in actione; salubris in inuentione. Tertio in auctoritate superius inducta, additur armatura inuincibilis, scilicet vt fit habens fidem, & bonam conscientiam: quia bona conscientia nihil metuit. Dicit enim Seneca, quod nihil timendum faciat animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia. Ergo è contrario, conscientia irreprehensibilis vitæ facit animum impauidum. Hanc armaturam habebat qui dixit Act. 24. *Ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum.* Sed fides vera est sicut scutum, quod omnes ictus aduersarij repellit. Vnde Apostolus Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Luc. 3. | 2. Tim. 2 | Eccl. 8. | Grego. | Esa. 8. | Act. 24 | Eph. 6.

C TERTIO notatur in themate assumpto, preciositas muneris, siue mercedis: quia *expecto donec veniat immutatio mea.* Notandum quod duplicem immutationem expectat miles Christi. Vnam in morte; aliam in resurrectione. Prima erit ad glorificationem animę: secunda ad reformationem & glorificationem corporis Et de hac expectatione dicitur Iacobi 5. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum.* Temporaneus fructus est, præmium quod redditur animæ tempore mortis, vel pro labore vitæ temporalis. Sed serotinus est, quẽ recipiet sero, id est, in fine mundi. Apost. Philip. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui re. cor. &c.* Sed notan-

Eccl. 2. | Iac. 5. | Iob. 2. | Phil. 3

notandum, quod primam immutationem miles Christi cum magno desiderio expectat triplici ratione. Primo ratione veritatis cognoscendæ. Nam in vita ista, quasi nulla perfecta ratio de rebus reddi potest. Quis enim redderet rationem solum de herbis, & plantis, quomodo sint sic factę, & paruæ, & magnæ, & virtuosæ? Vnde Eccl. 8. *Hoc intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem.* Sed in illa visione Dei videbuntur omnia. Vnde Greg. Quid est quod non videant qui videntem omnia vident? Esaię 8. *Expectabo Dominum qui abscondit faciem suam à domo Iacob: & præstolabor eum,* quasi dicat, qui nunc abscondit faciem, tunc reuelabit eam: tunc in visione faciei suæ videbimus. Secundo ratione beatitudinis assequendæ. Nam beatitudo ab omnibus hominibus desideratur, & à quocunque peteretur si vellet beatus esse, responderet quod sic. Vnde quicquid potuit Salomon facere, vt inueniret in mundo isto beatitudinem, fecit: vt testatur in Eccle. 2. *Feci,* inquit, *mihi domos, plantaui vineas, &c.* sequitur. *Et omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis,* &c. *Cumq; me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores meos in quibus frustra sudaueram; vidi in omnibus vanitatem & afflictionem spiritus, & nihil permanere sub sole.* Item quidam Philosophorum posuerunt beatitudinem in diuitiis; quidam in honoribus, quidam in voluptatibus, & quidam non inuenientes in vita ista, posuerunt in alia. Vnde & nos dicimus, quod beatitudo est status omniũ bonorum aggregatione perfectus, quæ quia non inuenitur in vita ista, oportet quod expectetur in alia. Vnde Tob. 2. *Vitam illam expectamus quam Deus daturus est.*

Eccl. 8.
Grego.
Esa. 8.
Eccl. 2.
Tob. 2.

Secundo ratione quietis possidendæ. Non enim quietatur res, nisi in suo loco: vt dicit Philosophus: sicut patet in pisce, lapide, & igne; sed non inuenitur nisi in Deo: & nondum homo viuit hic vnde Micheæ 2. *Surgite & ite, quia non habetis hic requiem.* Secunda immutatio quam expectat miles Christi, erit in resurrectione: quando corruptibile hoc, scilicet corpus, induet incorruptionem & immortalitatem: & tunc sicut dicitur 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur.* Nam mali non immutabuntur immutatione glorificationis: sed tantum boni glorificabuntur. Ad quam glorificationem, &c.

Mich. 2.
1. Cor. 15

In funere alicuius Militis religiosi, vt sancti Ioannis, &c.

SERMO XX.

MILITIA *est vita hominis super terram.* Iob 7. Iob 7.

Sicut dicitur in principio institutionum, Imperatoriam maiestatem non solum armis decet esse decoratam, sed etiam legibus armatam. Ratio autem huius est: quia legibus diriguntur subiecti, sed armis reprimuntur, vel subiugantur aduersarij. Per istum modũ Imperator cœlestis Deus, in cuius manu est potestas & imperium, primo quidem rempublicam suam, scilicet humanam naturam, suæ scil. maiestati subiectam, sapientissimis legibus decorauit, s. lege veteri decorata per angelos in manu mediatoris, id est, Moysi: deinde lege noua & euangelica, data per verum mediatorem Deum & hominem Iesum Christum, quem Moyses figurauit. Secundo vero eandem rempublicam, vt esset etiam armis munita, fortissima militia

circumcinxit, illorum videlicet militum, de quibus dicitur Zach. 9. *Circumdabo domum meam*, id est, Ecclesiam *ex his qui militant mihi*. De quorum etiam numero militum, specialiter dici possunt pręcipue illi milites, qui Deo militant, & de pręsenti sunt siue ad defensionem terræ sanctæ & fidei catholicæ contra infideles: sicut sunt hospital. qui sunt quasi milites reginæ: vnde & milites beatæ virginis nuncupantur. Aduertendum est, quod Deus habet duo loca præcipua vbi tenet militiam suam. Nam vnus locus eius est, in quo milites eius probantur: quia etiam Romani antiquitus, antequam tyrones militiæ suæ ascriberent, multum eos probabant. Vnde etiam 4. Regum 15. dicitur, quod Sopher Princeps exercitus, probabat tyrones de populo terræ. Alius vero locus est, in quo milites probati honorantur, & præmiantur. Locus ergo in quo milites Dei probantur, est super terram. Sed locus in quo præmiantur, est super cęlos: vnde & militia cœlestis vocatur, quæ ex angelis & hominibus cõstat. Vnde Lucæ 2. *Facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis*. De numero etiam militum, qui probantur super terram, est quilibet homo viuens in ista vita mortali. Vnde tota vita hominis, est quasi probatio militis. Et ideo dicitur in verbis propositis, quod *militia est vita, &c.*

Zach. 9.

Luc. 2.

A In quibus quidẽ verbis, loquens beatus Iob de vita mortali hominis, ponit de ipsa tria.

Nã primo quidem ostẽdit quod est difficilis, & laboriosa, scilicet quia *militia est*.

Secundo vero innuit quod est breuis & calamitosa, quia *vita hominis est*.

Tertio quod est vilis & ignominiosa: quia *super terram est*.

CIRCA primum attendendum est, quod vera probatio militum est in exercitio bellorum. Valde autem difficile & laboriosum est continue bellare, & oportere semper esse sub armis militiæ. Sed quamdiu homo hic viuit, vndique bella fremunt saltem tentationum, siue à carne, siue à mundo, siue à dæmone, quia isti sunt hostes hominum, qui militant aduersus animam. Vnde alia littera Iob habet *Tentatio est vita hominis super terram*. Et idcirco semper oportet homines, si volunt euadere, esse sub armis militiæ, & nunquam ea deponere. De quibus dicit philosophia Boëtij. Talia, inquit, contuleramus arma, quæ nisi tu prior abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur. Et de his armis dicit Apostolus 2. Corinth. 10. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum*. Vbi arma spiritualia, vt feruentius assumantur illa, quadrupliciter commendantur.

Eph. 6.

2. Cor. 10.

Primo à necessitate: quia *arma* sunt: & ideo necessaria nobis.

Secundo à congruitate: quia cõueniunt *militiæ nostræ*.

Tertio ex durabilitate: quia *non sunt carnalia*, quæ cito deficiunt, *sed spiritualia*, quę semper durant.

Quarto quoque ex virtute: quia *potentia Deo ad destructionem, &c.*

Circa primum nota, quod homo licet sit fortis & audax, tamen si sit inermis, non est securus cõtra hostem. Vnde arma confortãt audaciam. Sunt autem arma inuasiua, quibus hostis impugnatur, vt ensis, lancea, & huiusmodi, & defensiua, quibus homo protegitur, vt scutum, lorica, & huiusmodi. Et hæc est differentia inter ista, quia inuasiua non portantur continue, sed solum quãdo

do hostem vult percutere, defensiua vero semper, maxime si sit inter hostes, & nesciens locum, & quando debeat inuadi. Spiritualiter autem arma quibus diabolus impugnatur à nobis, sunt opera virtutum, vnde non oportet semper ista habere; non enim potest homo semper operari, nec expedit: sed sufficit arma hæc, id est, opera habere, loco, & tempore; sicut viso paupere, tunc est tēpus dandi eleemosynam, & quando occurrit materia operandi. Arma vero defensiua sunt habitus virtutum, quibus homo stat securus, ne lædatur. Ephes. 6.

Eph. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Figura huius est, quod quando persequebantur filios Israël, Ægyptij armati ascenderunt. Sicut enim secundum naturam, homo nudus & inermis, eodem ictu læditur & occiditur: sic homo nudus gratia & virtutibus, quandoque ictu tentationis sic percutitur, quod moritur. Et si arma virtutum haberet, euaderet & resisteret periculo. Vnde Romanor.

Rom. 13 13. *Induamur arma lucis.* Et dicit *lucis*, quia reddunt nos illuminatos, & cautos contra insidias hostis. Secundo in auctoritate inducta, commendantur arma virtutum ex congruitate: quia *militiæ nostræ*, scilicet congruentia. Vbi aduertendum, quod militia nostra, est militia Dei, quæ habet pugnare contra exercitum diaboli. Diabolus autem facit exercitum de tribus militijs, scilicet de militia sua, de militia carnis, & de militia mundi. Militia autem diaboli est congeries peccatorum spiritualium, vt superbiæ, vanæ gloriæ, inuidiæ, iræ, & accidiæ. Cuius militiæ milites sunt diuersæ species, & modi dictorum vitiorum. Et talis militia vocatur militia cœli; quia diabolus de cœlo cecidit cum talibus vitiis. Quando ergo miles Dei omnibus tentationibus talium vitiorum spiritualium fortiter resistit, tunc militia cœli, id est, dæmonum qui de cœlo ceciderunt, id est, omnis virtus eorum tabescit & cadit. Esaiæ 34. Esa. 34.

Tabescet omnis militia cælorum, & omnis militia cælorum defluet. Alia militia est carnis, cuius milites sunt desideria carnalia & immunda. Hæc militia vincit abstinendo ab ipsis carnalibus desiderijs, secundum illud 1. Petri 2. *Obsecro vos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.*

Tertia militia est militia mundi, cuius milites sunt concupiscentiæ prosperitatis, scilicet diuitiarum, delitiarum, & honorum. Item timores aduersitatis, vnde prosperitas & aduersitas, sunt duo latera siue acies militiæ mundi. Qui ergo tam magnanimus est, quod prospera despiciat, & aduersa non metuat, talis potest dicere de mundo, illud Iudith 6. Iud. 6.

Gladius militiæ meæ transiet per latera eius. Gladius iste est virtus magnanimitatis, quæ tunc per latera mundi pertransit, quando prospera mundi contemnit, & eius aduersa non metuit. Tertio commendantur arma spiritualia ex durabilitate; quia non sunt carnalia, quæ scilicet cum carne deficiunt, sed potius cum ipso spiritu remanent, & perdurant.

Duplici ergo ratione dicuntur non esse carnalia.

Primò, ratione subiecti, quia habitus virtutum, quæ sunt arma animæ defensiua, non sunt in carne, quæ infirma est, secundum illud Matth. 26. *Spiritus* Matt. 26

promptus est, caro autem infirma, sed sunt in mente, quæ stabilis est & perpetua. Et ideo dicit Augu-

Augustinus, quod virtus est bona qualitas mentis. Et vnumquodque est in aliquo, secundum modum eius in quo est: & ideo sunt in mente habitus virtutum stabiliter & firmiter. Et ideo dicuntur habitus, quia secundum Philosophum, habitus est qualitas difficile mobilis. Sed illa ratio non sic intelligenda est, vt intelligatur concludere, quod virtutum habitus qui sunt in mente, sic sint ibi stabiliter & firmiter, quod non possint amitti; quia habitus virtutis infusæ, per vnum actum peccati mortalis tollitur, licet anima in qua sunt habitus virtutum, sit stabilis & perpetua secundum substantiam: cum sit indispositа ad talem formam vel habitum, per contrariam dispositionem peccati. Nec etiam obstat, quod virtus recipitur in anima secundum modum animæ: quia quamuis substantia animæ sit stabilis & perpetua, tamen virtus recipitur in anima, mediante potentia rationali: cuius proprietas est, vt in opposita possit. Et ideo non sic firmatur per habitum virtutis, quin possit in oppositum, per quod ipse habitus tollitur. Nec etiam repugnat hoc ei, quod dicit Philosophus, quod habitus est difficile mobilis: quia nulla res est adeo stabilis, quæ non statim ex se deficiat, sua causa deficiente. Vnde nec est mirum, si deficiente coniunctione animæ ad Deum, qui est causa infusionis virtutum in animam, per mortale peccatum deficiat virtus infusa: nec hoc repugnat suæ immobilitati, quæ intelligi non potest nisi sua causa manente. Sed nihilominus arma spiritualia virtutum, quæ sunt in anima, dicuntur esse durabiliora, & stabiliora, quam ea quę fundantur in carne; tum quia ipsa caro deficit, & anima non deficit; tum quia anima arma virtutum non perdit, nisi voluntarie. Ea autem quæ fundantur in carne, vt sunt sanitas, & fortitudo, & pulchritudo, perduntur etiam inuite. Et iterum quia dispositiones quæ sunt in carne, habent causas magis transmutabiles, vnde non sunt simpliciter difficile mobiles. Sed qualitates animæ dicuntur simpliciter difficile mobiles, propter immobilitatem subiecti: vnde & simpliciter dicuntur habitus. Secundo, arma militiæ nostræ dicuntur non esse carnalia, quia scilicet opera virtutum, quæ sunt vt arma offensiua, non sunt pro carnali commodo, sed pro spirituali faciendo. Vnde Apostolus 2. Corinth. 10. *In carne ambulantes non secundum carnem militamus*, id est, secundum glo. non pro commodo carnali. Quarto commendantur arma spiritualia ex virtute, quia sunt potentia, id est, fortia Deo, id est, per Deum. Nam videmus etiam in naturalibus, quod virtus inferior non sufficit ad agendum, nisi confortetur à superiori virtute, sicut virtus terræ non sufficeret ad fructificandum, nisi iuuaretur & confortaretur à virtute cœlestium corporum: nec virtus hominis sufficeret ad agendum, nisi iuuaretur à virtute solis, propter quod dicit Philosophus, quod homo generat hominem & sol. Sic nec virtutes humanæ sufficerent contra hostes spirituales, nisi iuuarentur & confortarentur à Deo. Vnde Apostolus Philipp. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Et Dominus ait Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere: vnde sufficientia nostra ex Deo est*, vt dicitur 2. Corinth. 3. Sed ad quid sint potentia arma spiritualia, ostenditur cum subditur: *ad destructionem munitionum*, id est, calliditatum hominum vel dæmo-

2. Cor. 10

Phil. 4.

Ioan. 15

2. Cor. 3

dæmonum: frequenter enim dæmon callide tentat, & impugnat hominem sub specie boni vel vtilis, suggerens noxia. Et tales calliditates sunt eius munitiones, quas circa animam ponit, vt capiat eam. Esa. 34. *Paliurus in munitionibus eius.* Paliurus est carduus cum quo applanatur pannus, cum quo aliquando ille, qui vendit pannos veteres, pannum attritum & veterem, ita deducendo carduos super ipsum, facit eleuare pilos, & apparere pilosum, quod videtur quasi nouus, & si sit ibi menda, non apparet super dictis pilis. Et sic diabolus facit in callidis tentationibus suis, quia illud quod est malum & noxium, facit apparere bonum & vtile, vnde ipse transfigurat se in angelum lucis. Sed armatus spiritualibus armis virtutum, vt fide, & prudentia, faciliter auertit, & euertit istas munitiones.

Esa. 34.

B SECVNDO in themate assumpto, ostenditur vita humana esse breuis & calamitosa, scilicet eo ipso quod vita hominis est. Nam vita hominis est calamitosa, id est, calamitatibus & miseriis plena. Non enim inuenitur homo qui non habeat suam miseriam. Nam aliquis habet miseriam paupertatis: aliquis fatuitatis, & diuersorum modorum, & sunt aliæ fere infinitæ miseriæ quibus hominis vita est plena. Et ideo ex magna Dei misericordia est, quod sit vita hominis breuis: secundum illud Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* Sed nihilominus videmus quod homo diligit vitam, & metuit mortem. Sed si diligitur vita misera, multo magis debet diligi vita beata. Et si timetur mors temporalis & corporalis; multo fortius timeri debet mors æterna. Sed videte quod non est in potestate hominis retinere vitam corporalem: nec est in eius potestate vitare mortem temporalem. Est tamen in eius arbitrio positum, habere vitam æternam, & euadere ęternam mortem. Et hoc est quod dicitur Eccl. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

Iob 14.

Eccl. 15.

In quibus quidem verbis describuntur tria.

Primo differentia præmij: quia *ante hominem vita & mors.*

Secundo, distantia meriti, quia *bonum & malum.*

Tertio, libertas arbitrij: quia *quod placuerit ei, &c.*

Circa primum attendendum est, quod premium bonorum, est vita: premium vero malorum, est mors. Et ista posita sunt, scilicet per fidem & sacram scripturam, ante hominem, vt contempletur & consideret ea. Primo ergo ante hominem est posita per fidem vita, scilicet beata, quæ erit bonorũ premium: sicut dicitur Deut. 28. *Erit vita tua quasi pendens ante te.* Hanc vitam, scilicet beatam, multum deberet homo desiderare, & ad eam habendam sine pigritia laborare. Nam ille qui habet vitam penuriosam & duram, & potest ire ad locum vbi habebit delicatissimam, & abundantissimam, & nobilissimam vitam, non pigritat surgere & ire. Figura habetur de hoc in filio prodigo, qui dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose: & postea cępit egere, &c. Et subditur. *Surgam & ibo ad patrem meum, &c.* Luc. 15. Sic homo cupit hic saturari de temporalibus: nec potest tot habere vt impleatur, vel satietur auaritia eius. Vnde semper est in fame, scilicet, si vellet ire ad domum patris, s. ad cœlum, tunc cibaretur pane vitæ & intellectus: & haberet vitam nobilissimam, &

Deut. 28

Luc. 15

& interminabilem. Nam homo in vita ista habet triplicem vitã, f. vegetabilem, in qua communicat cum plantis: & sensibilem, in qua communicat cum brutis: & intellectualem, in qua communicat cum angelis. Sed vita vegetabilis & sensibilis, non est sine corpore: vita autem intellectualis est animæ propria. Quando igitur moritur homo secundũ corpus, non remanet in anima nisi vita, & operatio intellectualis: quæ est vita nobilissima, & operatio. Et maxime in his animabus, quæ eleuantur per gloriã ad visionem diuinæ essentiæ; in qua visione anima, quæ nõ habet aliam operationem, nec appetitum, nisi intellectualẽ, ita in Dei cognitione repletur, & satiatur, & delectatur, quod est in summa delectatione & fruitione gaudiosa. Et quia ibi non est vita vegetatiua, nec appetit anima comedere vel bibere, nec patitur famem vel sitim, nec aliquã intemperantiam humorum, nec aliquam ægritudinem, quia istæ sunt passiones quę sequuntur vitam vegetatiuam, quæ modo ibi locum non habet: sicut nec lapis, qui non habet vitam vegetabilem, patitur aliquid horum. Item quia non est ibi vita & operatio sensitiua. Non enim habetur ibi appetitus alicuius delectationis sensibilis, vel secundum tactum, vel secundum gustum, vel secundum aliquem sensum: nec habere talia sensibilia esset eis ad delectationem. Sicut nec ouis, si tu apponeres ante eam carnes delectaretur: quia non est appetitus suus ad carnes, sed ad herbas: sed leo è contrario. Vnde quia ibi est tantum appetitus, qui sequitur vitam intellectualem, ideo sunt ibi solum delectationes intellectuales, quæ sunt delectationes nobilissimæ: quia sunt secundum altissimas potentias, scilicet secundum intellectum & voluntatem: & sunt in altissimo & nobilissimo obiecto, scilicet in Deo. Nam si non esset in homine nisi virtus visiua oculorum, tunc tota delectatio hominis esset in videndo pulchros colores & pulchras figuras. Et si esset possibile quod esset vna figura pulcherrima, in qua repræsentarentur omnes figuræ & colores pulchri: tunc nollet videre nisi illam. Sic est de intellectu beato, respectu Dei: vnde istum intellectum petebat Psalm. 118. dicens. *Intellectũ da mihi & viuã*, scil. vita æterna: quia hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, &c. Ioan. 17. Secundo, ante hominis conspectum est positum præmium malorum: scilicet mors æterna. Abachuc 3. *Ante faciem eius ibit mors*, scilicet æterna, quæ est mors gehennę.

Ps. 118

Abac. 3

De morte corporali videmus, quod mors tolerabilior est quando homo moritur ex solo defectu naturæ, puta post longum senium: sed horribilior mors videtur, vel quando homo moritur morte violenta, puta quando occiditur gladio; vel moritur fame, aut morte pestilentiali. Et talibus mortibus assimilatur mors gehẽnæ: qua moriuntur peccatores finaliter impœnitentes. Vnde Hierem. 42. *Morientur in gladio, & fame, & peste, & non effugient à facie mali, quod ego afferã super eos.* Dicit ergo primo, *morientur in gladio.* Gladius enim, qui vulnerando inducit diuisionem, & quamdiu manet in vulnere non inducitur sanatio, est vltio diuinę sententię, separans hominem à Deo, & semper manebit. 2. Regum 12. *Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum.* Sequitur, *& fame.* Quando homo non habet cibaria quæ appetit, & nihil datur sibi quod vult, solet dici, ipse moritur

Hier. 42

2. Reg. 12

fame, sic erit ibi: quia auferetur omnis boni copia, & omne quod desiderabitur negabitur; sicut patet Lucæ 16. in diuite epulone: vnde dicitur Deuteronom. 32. *Consumentur fame, & deuorabunt eos aues, &c.* Sequitur, *& peste.* Pestis dicitur à pascendo; quia est morbus pestilentialis, depascens & affligens, qui descendit per totum hominem. In quo notatur, quod illa mors habet omnis mali copiam: & gignitur ex aëre corrupto. Et sic illa pœna ex corruptione peccati. Vnde Exod. 9. dicitur Pharaoni, id est, diabolo. *Percutiam te & populum tuum peste.* Sequitur etiam, *& non effugient à facie mali, quod ego afferam super eos.* Vbi notatur malorum perpetuitas. Quando homo est in carcere, & sperat euadere, aliqua est consolatio, sed ibi nulla. Item aliqua consolatio esset, si haberet leuem pressionem, sed ibi non Sapien. 16. *Manum tuam effugere impossibile est.* Threnor. 2. *Non fuit qui effugeret in die furoris Domini.* Secundo ponitur differentia meriti, quia bonum & malum, supple, sunt posita ante hominem: quia vtrumque potest facere. Sed videat quid facit, quia faciendo bonum, meretur vitam, faciendo vero malum, meretur mortem. Et ideo debemus esse sicut dicit Apostolus Romanor. 12. *Odientes malum, adhærentes bono.* Sed quantum ad bonum sciendum est, quod deberet inducere hominem ad operandum bonum, conditio naturæ propriæ: quia natura cuiuslibet rei, inclinat eam ad suam propriam operationem. Vnde Philosophus dicit in libro Ethicorum: quod inconueniens est, esse hominem ociosum à sua propria operatione; quod probat per exemplum. Accidit enim homini, quod sit textor vel coriarius, aut grammaticus, aut musicus, aut aliquid huiusmodi. Sed nihil horum est in homine, quod non habeat propriam operationem, alioquin ista homini frustra aduenirent. Si ergo operatur secundum ista, quæ sunt ei accidentia, inconueniens maius est quod sit ociosus in his, quæ sunt ei propria per naturam: vnde sicut in corpore videmus, quod quælibet pars habet propriam operationem: sicut propria operatio oculi est videre, & manus palpare, & pedis ambulare, & sic de alijs, ergo multo fortius debet operari, secundum partem sui digniorem, scilicet animam. Et talis dicitur esse propria operatio hominis: quia propria operatio rei est, quæ conuenit ei secundum propriam formam: forma autem hominis est anima rationalis, vt rationalis est. Illud ergo est proprium opus hominis, quod est opus rationis: hoc autem non est opus peccati, quod est contra rationem, sed est opus bonum & virtuosum, quod scilicet est factum secundum rationẽ rectam. Vnde sicut est proprium opus arboris producere bonum fructum: ita proprium hominis opus est, facere opus bonũ. Vnde Colossens. 1. *In omni opere bono fructificantes.* Consequenter debet homo odire & vitare malum. Et ratio est: quia sicut nihil diligitur, nisi sub ratione boni: ita nihil oditur, nisi sub ratione mali. Ideo illud malum est maxime odiendum quod nullo modo potest habere rationem boni: tale autem malum est solum malum culpæ, & non malum tentationis, vel pœnæ, quia tentatio, cui non consentitur, vt dicit Gregor. est materia exercendæ virtutis. Pœna autem bona est, in quantum à mũdo nos separat, & ad Deum amandum nos eleuat. Vnde

Marginalia: Deut. 32. Exod. 9. Sap. 16. Thren. 2. Rom. 12. Coloss. 1.

Vnde Gregorius dicit, quod mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Sed malum culpæ, quod est peccatum, est totaliter odiendum: quia nō potest habere rationem boni, quod est cōtrariū diuinæ dilectioni: quia separat nos à Deo, cui dilectio eius nos coniungit. Esa. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum:* & separatus à Deo qui est fons bonitatis, non potest esse bonus: vnde Psalm. 96 dicit. *Qui diligitis Dominum odite malum,* scilicet peccati. Tertio in auctoritate allegata, ostenditur facultas liberi arbitrij, cùm dicitur: *quod placuerit ei,* scilicet homini, *dabitur illi,* id est, si placuerit ei bonum, dabitur ei vita: si malum, mors Iosu. 24. *Optio vobis datur: eligite vobis hodie quod placet.* Ex his verbis videtur, quod ex libero arbitrio fit, quod homo faciat malum, i. peccatum, & damnetur: vel quod faciat bonum, & saluetur. Sed ex hoc verbo non est accipiēdum, quod sola facultas liberi arbitrij sine gratia, sufficiat ad vitandum malum peccati, vel ad faciendum bonum vnde vitam ęternam assequatur: quia sicut dicit August. in libro Hypognosticon, verbum istud Ecclesia intelligit de homine secundum statum naturæ integræ, quando nondum erat seruus peccati. vnde poterat peccare, & non peccare: nunc etiam quodcunque vult homo datur ei: sed hoc quod bonum velit, habet ex auxilio gratiæ.

Esa. 59.
Ps. 96.
Ios. 24.

¶ TERTIO, in themate assumpto ostenditur, quod vita hominis est vilis & ignominiosa, scilicet ratione loci: quia *super terram,* vbi sunt viliora & ignobiliora. Sed dicitur Eccl. 7. quod *Deus fecit hominem rectum,* rectum autem dicimus, cuius medium non discrepat ab extremis. Principium autem hominis fuit ex terra, & finalis resolutio erit in terrā. Vnde conueniens fuit, quod mediū, scilicet vita eius, esset etiam in terra. Dicitur tamen militia eius esse super terram, quia non pro terrenis, sed pro his quæ supra terrena sunt, id est pro supremis, & cœlestibus bonis, debet homo militare. Vnde Apostolus Coloss. 3. *Quæ sursum sunt sapite, & nō quæ super terram:* scilicet immediate. Eccl. 51. *Exaltasti super terram habitationem meam,* scilicet in cęlesti gloria. Ad quam Deus nos perducat, &c.

Eccl. 7.
Coloss. 3.
Eccl. 51.

In funere Doctoris legum vel Decretorum.

SERMO XXI.

VBi literatus? vbi verba legis pōderans? vbi est Doctor paruulorum? Esaiæ 33. Esa. 33

Videmus quod in mundo sunt multi stulti, & pauci sapientes, secundum illud Eccles. 1. *Stultorum infinitus est numerus.* Et ratio est: quia homo compositus est ex duplici natura, scilicet sensitiua, & intellectiua: & secundum naturam sensitiuam communicat cū bestiis irrationabilibus: sed secundum intellectiuam cum angelicis spiritibus. Sequendo igitur passionem appetitus sensitiui, efficitur bestialis & stultus. Sed sequēdo affectiones appetitus intellectiui & rationalis, efficitur sapiens & angelicus. Quia igitur multi sunt sequentes passiones sensitiuas, pauci vero viuentes secundum rationem & intellectū: ideo multi sunt stulti, & pauci sapientes. Et quia *multitudo sapientium, sanitas est orbis terrarum,* vt dicitur Sap. 6. Vnde quando aliquis multum sapiens, & litteratus moritur, videtur esse materia tristitiæ & lamenti toti communitati seu ciuitati: quia sapientes

Eccl. 1.
Sap. 6.

sunt

sunt in communitate, sicut oculus in corpore, quia consilio & sapientia sua dirigunt omnes alios. Quia igitur iste fuit sapiens, & literatus, & legista, & magnus doctor iuris, potest ei merito adaptari lamentum Esaiæ in verbo proposito, deplorantis & quasi dicentis. *O vbi est literatus*, &c.

A In quibus quidem verbis tangitur aliquid de isto, quod est manifestum, & aliquid quod est dubium. Manifestum enim est quod iste fuit homo literatus, & legista magnus, qui sciebat bene ponderare, & allegare verba legis, & quod etiam fuit doctor præclarus & gratiosus. Dubium autem est quod quæritur: cùm dicitur, *vbi est*. Dum enim ipse viuebat, facile erat soluere istam quæstionem: quia aliquando erat in camera ad studendum, aliquando in scholis ad legendum, quandoque forte in curia ad aduocandū, quandoque in consilio ad perorandum, quandoque in aliis locis ad recreandum. Sed nunc & de cetero, in nullo tali loco inuenietur: & licet corpus eius nunc sit in lecto, vel in feretro, vel in Ecclesia, statim tamen tumulabitur, & in escam vermibus dabitur. Remanet igitur tantū de anima quæstio, & dubium vbi sit. Et de hoc intendit quærere: cùm dicit. *Vbi est literatus: vbi verba legis ponderans?*

In quibus quidem verbis duo consideranda sunt.

Primum est multiplicatio quæstionis: quia ter quæritur *vbi est?*

Secundum est specificatio intentionis: quia scilicet specificat illū, de quo intendit quærere: de eo, qui fuit literatus, & aduocatus, & doctor magnus.

CIRCA primum notandum est, quod ideo Esaias ter quærit dicens. Vbi est, vbi est, vbi est? vt innuat quod tria sunt loca; ad quæ animæ morientium vadunt: scilicet cœlum, purgatorium, & infernus damnatorum: vnde intendit petere an sit in cælo, an in purgatorio, an in inferno. Sicut enim in naturalibus, quod est graue vt terra, locatur in infimo; quod vero leue vt ignis, in medio, scilicet inter aërem & cœlum; quod vero neque graue neque leue vt cœlum, locatum est in supremo. Cœlestia enim corpora, quia non sunt grauia, non cadunt deorsum; & sursum, quia non sunt leuia, non ascendunt motu recto in sursum, sed solum mouentur per circulum. Sic anima grauata; & onerata peccatis mortalibus, descendit & vadit ad infernum, secundum illud Iob 21. *Ducunt*, scilicet peccatores, *in bonis*, scilicet temporalibus, vt diuitijs, delitijs, & honoribus, *dies suos, & in puncto*, scilicet mortis, *ad inferna descendunt*. Vbi pro diuitiis habent omnem defectum; pro delitiis crudele tormentum; pro honoribus sempiternum opprobrium. Et de tali mortuo quæritur Iob 13. *Homo cùm mortuus fuerit, nudatus, atque consumptus, vbi quæso est?* Et exponitur homo, scilicet peccator impænitens, cum mortuus fuerit delitiis, nudatus à diuitijs, & consumptus, ita vt nihil honoris amplius recipere possit, vbi, quæso est? scilicet in alia vita secundum animam. Et potest responderi, quod est in inferno, vbi etiam est velut mortuus, & nudatus, atque consumptus. Nā licet sit mortuus in corpore, anima tamen eius viuit vita naturæ: & hoc est in præiudicium eius, vt possit sentire tormenta, & ideo eius vita vocatur vmbra mortis Iob 10. *Vbi vmbra mortis*, &c. Vmbra enim habet similitudinem cum re cuius est, non tamen est illa res, sicut vmbra hominis non est homo. Ita

Iob 21.
Iob.13.
Iob.10.

illa pœna habet similitudinem cum morte, quia est summa & terribilissima pœnarum, non tamen est mors: quia mortuus non sentit pœnas, & percussiones, sed anima damnata semper sentit pœnas, & tormenta horrenda. Et ideo de talibus dicitur Apoc. 9. *Desiderabunt mortem & fugiet mors ab eis.* Est etiam talis anima nudata, & expoliata omnibus bonis, scilicet bono superiori, id est, vita æterna; quam habent illi qui sunt in cœlo in re, qui vero in mundo habent eam in spe, sed damnati qui sunt in inferno, nec in re nec in spe. Item sunt nudati & expoliati bono interiori; scilicet habitibus virtutum, pro quibus habent vermes vitiorum, & malorum desideriorũ, à quibus quotidie corroduntur. Item sunt nudati & expoliati bono exteriori, scilicet diuitiis, delitijs, & dignitatibus, & à nulla creatura mundi possunt recipere remedium, vel refrigerium. Iob 24. *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes*, scilicet mors, diabolus, & consanguinei, qui tollunt sibi bona tẽporalia. In tali etiam anima facta est consumptio totalis omnis boni, præterquam naturalium, quæ etiam in dæmonibus, secundum Dionysium, integra remanserunt, vnde nec habent damnati bona in re, sicut beati habent omnia bona re, quia beatitudo, vt dicit Boetius, est status omnium bonorum aggregatione perfectus, nec habent ea in spe, sicut iusti in mundo viuentes, nec etiã in potentia siue possibilitate, sicut peccatores viuentes in mundo, quia possunt adhuc conuerti & saluari. Sed de damnatis dicitur Iob 7. *Consumpti sunt absque vlla spe.* Secundo, est aliqua anima quæ non est grauis, sed leuis, sicut anima quæ recedit de vita ista, purgata quidem à grauibus, id est, à mortalibus peccatis, sed si recedat cum venialibus, quæ sunt peccata leuiora, vel licet sit absoluta à culpa, & à pœna æterna, nondũ tamen perfecerat pœnitẽtiam ad quam erat obligata: talis inquam vadit ad purgatorium, cuius communis locus esse creditur supra infernum, & est ibi pœna ignis. Si ergo de tali mortuo quæratur, prout quæritur Ioan. 7. *Vbi est ille?* Dico quod in loco pœnoso, sed tamen securo. Est enim ibi, scilicet in purgatorio, pœna tanta, vt excedat omnem pœnam huius vitæ, secundum Augustinum, licet non sit æterna, sed talis securus est, quod non perdetur, sed saluabitur, quæ securitas non est in mundo. Tertio est aliqua anima, quæ neque grauis est, neque leuis, id est, quæ non recedit hinc grauata neque mortalibus, neque venialibus, sed à culpa & pœna totaliter absoluta: sicut martyres, vel sicut post baptismum decedẽtes, vel vt perfectissimi viri, sicut fuit B. Dominicus, cui in fine apparuit Christus dicens, veni dilecte mi, veni ad gaudia, veni. Talis ergo vadit ad illud, de quo dicitur Baruch. 3. *Scias vbi sit longiturnitas vitæ, & victus, vbi lumen oculorum, & pax.* Nam sicut in mundo est vitæ breuitas, secundum illud Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, &c.* Nec obstat de hominibus primæ ætatis, quorum Adam vixit nongentis & 30. annis; & Seth nongentis & 12. & Matusalem nongentis & 70. quia omne quod fine clauditur, breue est secundum Augustinum, vnde pro tanto tempore noluerunt facere habitationes. Sic in cælo est vitæ longiturnitas, id est, perpetuitas. Nam sicut locus cœlestis est incorruptibilis, ita qui in cœlis erunt, incorruptibiles erunt. Est enim ibi longiturnitas victus, quia ibi in medio paradisi,

Apoc. 9.
Iob 24.
Iob. 7.
Ioan. 7.
Baruch.
Iob 14.

radisi, est lignum vitæ Christus, Deus & homo, cuius essentia, id est, cuius fruitio, mortem & corruptionem excludunt. Est etiam ibi lumen oculorum, scilicet interiorum, id est, clarissima & manifesta cognitio primæ veritatis, & etiam cognitio aliorum, quantum necessarium erit ad vniuscuiusque intellectualem perfectionem. Item est ibi lumen etiam exteriorum oculorum, scilicet ex Christi humanitate clarissima, & ex corporibus glorificatis aliorum sanctorum, quæ fulgebunt vt sol, quia ciuitas illa non eget lumine solis, quia claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus, vt dicitur Apoc. 21. Item est ibi pax interior, per impletionem desideriorum, & per concordiam spiritus & carnis. Item pax superior, per vnionem & concordiam animæ cum Deo. Item pax exterior, per perfectum amorem beatorũ adinuicem, excluso omni hoste, & omni contrario molestante, sed nulla talis pax est in mundo. Vnde nunc vere poterit dicere Christus illud Ioan. 14. *Pacem meã do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis.* Ioan. 14

B SECVNDO in themate assumpto specificatur intẽtio quærentis, scilicet de quo intendit quærere vbi sit. Et describit illum ex triplici gradu scientiæ iuris.

Et primo ex habitu scientiæ: cũ dicitur, *litteratus*, id est, litterarum iuris scientia repletus.

Secundo ex actu scientiæ vel intelligentiæ: quia *verba legis ponderans.*

Tertio ex vsu magistralis licentiæ: quia *Doctor.*

Quærit ergo primo, vbi sit litteratus, id est, litterarum scientia præditus, talis enim debet magis sapiens esse quã idiota, qui est sine litteris. Ille autem in rei veritate potest dici magis sapiens, qui peruenit ad meliorem finem: & talis est, qui finaliter vadit ad vitam æternam. Et ideo dicitur Eccl. 6. *Quid habet amplius sapiens stulto, nisi quod pergat illuc vbi est vita?* Eccl. 6. Sed heu, hodie frequenter contingit, quod idiotæ & simplices vadunt ad cœlum, & multi litterati ad infernum. Et hoc est, quia tales, quanto sunt magis litterati, tanto sunt magis cupidi, & magis malitiosi ad faciendum illicita lucra, sicut patet in iuristis causidicis. Et quia aliquando magis litterati homines, minus bene sentiunt de fide: sicut patet in pluribus Philosophis & medicis, qui contra fidem Christianam, adhærent execrabili errori commentatoris Auerroys, scilicet de substantia animæ hominis, quod nihil remaneat post mortem, sicut nec de anima iumenti. Et de talibus dicit Propheta: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est, &c.* Quidam etiam sunt litterati diaboli, quia student in artibus superstitiosis, ex diabolica instigatione & traditione inuentis, scilicet in necromanticis. Et de talium omnium litteratura dicebat Propheta Psalm. 70. *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini.* Psal. 70. Et Apostolus 2. Corinth. 3. *Littera occidit,* 2. Cor. 3. scilicet animam. Secundo quærit, vbi sit verba legis ponderans? Quod quidem posset referri spiritualiter ad aduocatum, qui verba legis ponderat allegando, vel impugnando. Sed multi aduocati male ponderant, scilicet aliquando iniustas causas scienter assumendo, vel prosequendo, & tunc tenentur parti læsæ ad restitutionem. Aliquando vero sermones duplices faciendo, vel ad negandum veritatem partem suam inducendo, vel falsos testes instruendo, vel immoderata salaria exigendo, vel cauillationibus

& terminorum dilationibus, causas cum grauamine partium prolongando. Et omnes profecto tales, male ponderant verba legis. Et talia vitia pertinent ad pondera sacelli dolosa. De quibus
Mich.6. Micheæ 6. *Nunquid iustificabo stateram impiam & iniquum iudicium, & sacelli pondera dolosa?* Sacellus iste est mens, vel lingua aduocatorũ, qui verba legis dolosa ponderãt: & sequitur. *Et habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego capi percutere te perditione, super peccatis tuis.* Tertio quoque quęrit de vsu magistralis licentiæ, scilicet, vbi sit Doctor. Nam quando doctoratus fuit, accepit licentiam magistraliter docendi, & cathedram tenendi, si vellet. Sed notandum, quod ille est verus & perfectus Doctor legum, cuius vita non discrepat à legis doctrina. Sicut dicitur de Christo, qui fuit magister, & legifer noster:
Act.1. quod *capit Christus facere & docere.* Actuum 1. Vnde cùm lex sit sanctio sancta, affirmans honestum, & prohibens contrarium, ille posset dici verus legum doctor, qui honeste viueret, & inhonesta fugeret. Est etiam lex ciuilis, quã iste docuit, vel canonica, edita à quatuor, de quibus dicitur in principio decretalium. Ideo inquit lex proditur, vt appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam genus humanũ vt honeste viuat, alterum nõ lædat, ius suum vnicuique tribuat, informatur. Vnde sicut dicitur Matth. 5.
Mat.5. *Qui fecerit & docuerit*, scilicet ista quatuor, *hic vocabitur magnus in regno cælorum.* Ad quod regnum nos perducat, &c.

In funere alicuius Iudicis.

SERMO XXII.

Ecd.38 MEmor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum. Eccl.38.

Secundum doctrinam Philosophi in libro Ethicorum, sermones sunt exquirendi secundum materiam subiectam, & ideo conueniens videtur, ex quo materia pręsensest de morte iudicis, quod sermo siue prædicatio, fiat de iudicio mortis. Sed tamen aduertendum est, quod secundum Senecam in prouerbijs, dies sequens est discipulus diei præcedentis. Nam ex his quæ acciderunt tempore præcedenti, possumus accipere doctrinam & notitiam de his quæ accidere possunt in tempore sequenti. Et ita est de morte, quia iudicium mortis quod actum est isti in tempore præsenti, fiet nobis & cuilibet nostrum in tempore sequenti. Et idcirco in verbo proposito, ex persona istius iudicis mortui, dicitur cuilibet nostrum viuenti. *Memor esto, &c.* Omnis homo qui adhuc viuit, iudicij mei, id est, mortis meæ, in qua iudicatus sum, sic enim erit & tuum, scilicet quia sic morieris, & ad iudicium venies.

In quibus quidem verbis tria Ecclesiasticus facit.

Nam primo inducit ad vtilem considerationem, cùm dicit. *Memor esto.*

Secundo exprimit terribilem diffinitionem, cùm subdit: *iudicij mei.*

Tertio quoque facit infallibilẽ pronosticationem: quia *sic enim erit & tuum.*

CIRCA primum attendendum est, quod maxime vtilis est consideratio, & rememoratio eorum quæ accidere debent homini in nouissimo vitæ suæ, scilicet in morte: quia in his potest dirigere totam vitam suam. Vnde sicut ille, qui vult nauem suam bene gubernare, ponit se in fine A

nauis,

nauis, & ante se nauem dirigit, vt pericula euitet. Ita qui vult bene gubernare vitam suam, debet se ponere in fine nauis, id est, vitæ suæ, per mortis meditationem, & eorum quæ accidere debent sibi in morte, vt possit ad bonum exitum nauem suam, id est, vitam dirigere. Sene. Considera quam pulchra sit res, ante mortem vitam consummare; deinde secure expectare reliquam temporis partem. O quam sollicite longe ante nautæ sibi prouidens de nauis directione, quando habent malum passum transire. Sic quilibet debet sibi prouidere longe ante, quomodo possit periculosum passum mortis transire: quia illic naues pertransibunt, id est, animæ, per arctum foramen mortis. Quia igitur ea quæ in morte contingunt, vocantur nouissima hominis, dicitur Eccl. 38.
Eccl. 38 *Memento nouissimorum, & noli obliuisci.*

In quibus quidem verbis duo facit.

Quia primo inducit ad considerationis actum: cùm dicit, *Memento nouissimorum.*

Secundo prohibet considerationis defectum: cum subdit, *noli obliuisci.*

Dicit ergo primo, memẽto nouissimorum, id est, eorum, quæ tibi in nouissimo vitæ debent accidere consideratione habe: quia cuiuslibet eorum consideratio habet vtilitatem suam. Memento ergo nouissimorum, primo scilicet, quod de rebus tuis nihil portare tecum poteris vt mundana, vilipendas.

Secundo, quod vlterius ad pœnitentiam reuerti non valebis, vt nunc pœnitentiam agas.

Tertio, quod in loco ad quem nouissime peruenies, perpetuo permanebis, vt nunc procures quod ad gloriam vadas.

Quarto, quod peccata tua celare nequibis, vt ea modo per pænitentiam deleas.

Quinto, quod à sententia lata appellare non poteris, vt pertimescas. Hæc ergo sunt nouissima tua, quorum memorem te esse oportet Eccl. 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7. Secundo prohibetur considerationis defectus, cùm dicitur, *& noli obliuisci*, scilicet mortis & iudicij. Vnde antiqui Domini, primo ne obliuiscerentur mortis, propter gloriam dignitatis, sed recordarẽtur semper mortalitatis suæ, habebant quædam memoralia futuram mortem repræsentãtia. Nam quando Imperatores electi erant, prima die coronationis suæ veniebat lathomus, habens tres vel quatuor pecias marmoris diuersorum colorum, dicens. De quo genere marmoris vult Dominus Imperator sibi fieri monumentum, eo quod mortalis est, & mortis debet habere memoriam, vt humilietur. Item Ioãnes Patriarcha fecit sibi sepulcrum imperfectum, & in magnis solennitatibus, cum esset in loco honoris, constituit quendam qui ei dicebat. Domine imperfectum est sepulcrum tuum, iube illud perfici, quia nescis qua hora fur veniet. Item consueuerat Papa in loco in quo conuersabatur frequentius, habere lectum Papæ defuncti, vt eo viso recordaretur sui finis, & humiliaretur. Item non debet homo obliuisci iudicij, ad quod veniet per mortem: quia ibi non poterit aliquid cælare, nec se de aliquo excusare, nec iudicem aliquo modo declinare, vel iratum placare, nec ab eius sententia appellare, vel prouocare. Vnde Prouerb. 3. consulit sapiens dicens. *Ne obliuiscaris legem meam*, qua scilicet, Prou. 3. *si statutum est hominibus semel*

 mori,

Hebr. 9. Deut. 25 *mori, & post hoc iudicium.* Hebr. 9. & Deut. 25. *Caue ne obliuiscaris.*

B SECVNDO in assumpto themate, ex persona istius defuncti recolit Ecclesiasticus terribilē diffinitionem: quia dicit *iudicij mei*, id est, mortis meæ in qua iudicatus sum. Consueuerunt enim iudices & Domini terrarum Tusciæ, & Lombardiæ, postquam aliquos iudicauerunt, completo officio suo stare ad syndicatum, & ad iudicium alterius iudicis. Vnde iste qui olim alios iudicauit, modo in morte sua oportuit quod staret ad syndicatum, & ad iudicium Dei, ad quod citatus fuit per mortem, in quo iudicio nihil valent allegationes, vel cauillationes procuratorum, sed solum testimonia propriarum conscientiarum, quæ tunc nudæ & manifestæ sunt, & iudici examinanti, & angelo custodi, & dæmoni accusanti, vnde non poterit subterfugere reus, quin confiteatur. Sed tamen posset peccator si vellet, illius iudicij damnationem effugere, si seipsum ante iudicare vellet iudicio pœnitentiæ, secundum illud Apostoli 1 Cor. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.* (1. Cor. 11) Sed notandum, quod iudicium mortis, quamuis videatur esse malum & terribile, tamen in rei veritate bonum est & vtile, multa enim interdum apparent esse mala, quæ tamen in rei veritate sunt bona. Nam si quis somniaret quod suspenderetur in Turcis, videretur esse malū somnium, & tamē dicunt somniorum interpretes, quod bonum somnij est, & exaltationem suspensi significat in bonum, vnde quanto altius viderit se suspendi, tanto sibi significat meliorem fortunam, & maiorem exaltationem. Itē quando Ioseph fuit venditus à fratribus suis, illa venditio visa est mala, & tamen in rei veritate fuit bona, quia factus est Dominus Ægypti, quod non fuisset, nisi venditus fuisset. Et ideo ipse dixit eis Gen. 50. *Vos cogitastis de me malū, & Deus vertit illud in bonum.* (Gen. 50.) Et sic est de mortis iudicio, quia quantumcunque peccatoribus videatur esse malum, tamen in rei veritate est bonū, vnde dicitur Eccl. 41. *O mors quam bonum est iudiciū tuum.* (Eccl. 41)

In quibus quidem verbis, tria de morte ostenduntur.

Nam primo quidem innuitur, quomodo ipsa est pœnalis ex nomine: cum dicitur *O mors.*

Secundo, quomodo est vtilis, cū dicitur: *quam bonum*, id est, quam vtile.

Tertio, quomodo est terribilis, cum adijcitur: *iudicium tuum.*

Circa primum notandum, quod mors dicitur à mordendo, quia ille qui mordet, partem tollit, & partem dimittit, & ita facit mors, quia tollit vitam corporis, & dimittit vitam animæ. Quando pomum est ex aliqua parte putridū, & aliud est solidum, tunc remouetur quod est putridum, & remanet quod est solidū. Sic mors aufert corpus putridum, & derelinquit animam, quæ est stabilis & perpetua. Sed nihilominus talis morsus est dolorosus, propter connaturalitatem corporis ad animam: sicut etiam in incisione carnis putridæ dolor sentitur. Vnde propter separationem animæ à corpore, dicitur mors esse amara 1. Reg. 15. *Siccine separat amara mors?* Dentes autem quibus mordet mors, sunt diuersi modi moriendi. (1. Re. 15) Eccl. 21. *Dentes Leonis dentes eius, &c.* (Eccl. 21)

Secundo ostenditur quomodo mors est vtilis, quia iudicium eius dicit esse, *quam bonum*, id est, valde vtile. Et hoc multiplici ratione. Primo, quia in eo terminatur miseria, scilicet huius vitæ. Sicut enim

enim felix appetit vitam, ita infelix appetit plerumque mortē, quia sicut dicitur Eccl. 30. *Melior est mors, quam vita amara.* Vnde narrat Valerius Maximus, quod olim in ciuitate Marsiliensi tenebatur venenum cicuta temperatum, quod voluntarie sumebant, vel qui diu habuerant prosperam fortunam, ne scilicet caderent in miseriam antequam morerentur morte naturali, vel dabatur ijs qui fuerant in aduersitate, & miseria, vt saltem per mortem suam miseriam terminarent. Et si dicatur quod mors aliquibus auget miseriam, scilicet peccatoribus, propter quod dicitur, quod mors peccatorum pessima. Dicendum est, quod hoc non est ex morte, sed ex malitia vel negligentia ipsorum. Secundo, quia in mortis iudicio humiliatur superbia: alia enim mala quæ accidunt, potest homo plerumque euadere, vel contra ea aliqua remedia inuenire. Et ideo in eis, propter spem, non humiliatur cor superbum. Sed non sic in morte, à qua nullus potest euadere. Vnde Antiochus humiliatus à timore mortis, dicit 2. Mach. 9. *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Tertio, quia per eum parificantur inæqualia. Nam in aliis possunt homines esse inæquales, vt in diuitijs, & in honoribus, & in aliis similibus, sed mors omnes adæquat. Vnde assimilatur mors portæ bassæ, in cuius exitu omnes se pariter inclinant. Quarto, quia in tali iudicio certificatur ignorantia, scilicet futuri, de quo omnes sumus in dubio. Omnis enim status mutabilis est, siue diuitis, siue iusti, siue serui, siue Domini, & cuiuscunque conditionis alterius. Sed mors ponit hominem in statu certo, à quo nunquam mutabitur. Quinto, quia in hoc iudicio anima beatificatur: beatitudo enim est bonum, quod ab omnibus appetitur, quia est bonum naturale, omnia bona continens, & bonum purum, omni malo carens. Sed nullum aliud bonum ab omnibus appetitur, & ad hoc bonum peruenitur per mortem. Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Et propterea dicebat Apostolus 1. Cor. 9. *Bonum est mihi magis mori.* Ion. 4. *Melius est mihi mori quam viuere.* Eccl. 4. *Laudaui magis mortuos quam viuentes.* Tertio in auctoritate adducta, ostenditur mors esse terribilis, propter iudicium, vnde dicit, *iudicium tuum.* Siquidem iudicium mortis, id est, quod post mortem sequitur, terribile est & tremendum: in tantum vt Propheta clamaret territus, dicens. *Non intres in iudicium cum seruo,* &c. Tunc enim multa peccata, quæ nunc latent, ad lucem veniēt & apparebunt, sicut radio solis apparente, multi atomi apparent in aëre qui prius non apparebant. Et sic erit in radio diuini iudicij de peccatis, & de omnibus exigetur ratio. Sed si homo vellet habere bonam sententiam, deberet sibi primo prouidere, sicut ille qui vadit ad iudicium ciuile, vadit securus, si portat secum bonum instrumentum, si habet procuratorem instructum, & si habet aduocatum peritum. Sic in iudicio tutus erit, qui secum habuerit bonum instrumentum, id est, bonam conscientiam, cuius literæ sunt bona opera, & vera, non ficta cum falsitate hypocrisis. Item bonum procuratorem, scilicet pauperem, vel Christum in pauperibus: quia dicet, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et *feneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Prou. 19. Vnde salarium huius procuratoris est eleemosyna. Item bonum aduocatum,

Eccl. 30 — 2. Mac. 9 — Apo. 14. — 1. Cor. 9. — Ion. 4. — Eccl. 4. — Prou. 19.

catum, vel aduocatos plures, scilicet aliquem, vel aliquos sanctos. Prælati enim ecclesiarum, in curia Romana, habent aduocatos, quibus frequenter mittunt munera. Sic si volumus sanctos, qui sunt in cœlesti curia, habere aduocatos, mittemus eis frequenter munera, scilicet deuotarum orationum, vel abstinentiarum, ieiunando eorum vigilias, vel eleemosynarum exhibitarum pro eorum amore, & venerationis reliquiarũ, & ecclesiarum suarum, & aliorum similium: & ista faciendo, ibimus ad illud iudicium bene præparati
Eccl. 18. Ecclesia 18. *Ante iudicium para iustitiam tibi.*

C TERTIO, in themate assumpto, ex persona istius defuncti, fit infallibilis pronosticatio, cùm dicitur: *sic enim erit & tuum*, scilicet iudicium, sicut modo est meum, nam de consimilibus idem est iudicium. Est autem inter homines
1 triplex similitudo, propter quam idem iudicium tripliciter accipiunt. Prima est naturę, quia omnes sunt consimilis naturæ, scilicet mortalis: & ideo de omnibus fit idem iudicium, scilicet mortis, quia omnes moriuntur. Et ideo de hoc posset dicere iste defũctus
3.Re.22. illud. 3. Regum. 22. *Sicut ego sum* scilicet mortuus, *ita & tu morieris.* Secũda similitudo est culpæ, quia quidam sunt consimiles in culpa. Et isti habebunt in morte, in fine sæculi idem iudicium, scilicet
Mat. 13 eiusdem pęnæ, vnde Mat 13. *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendũ.* Et post *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligẽt de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Dicuntur autem alligari in fasciculos, quia sicut dicit Isidorus, Similis culpę reos, consimilis cruciatus constringet. Vnde in vna pœna consimili erit fasciculus, id est, congregatio adulterorum, in alia consimilis congregatio hypocritarum, & sic existẽs memor esto iudicij mei, quia nisi te correxeris, sic erit & tuum, quia damnaberis ad consimilem pœnam, & sic est de aliis peccatori- Apo. 18
bus. Apoc. 18. *Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius*, &c. Tertia similitudo est gratiæ, & qui sunt consimilis gratiæ participes, gratiæ dico gratum facientis, habebunt idem iudicium, scilicet eiusdem retributionis. s. in vita æterna, quia gratia Dei vita æterna. Et in his omnibus apparet æquitas diuinæ iustitiæ, & rectitudo diuini iudicij, vt possit Psa. 98
dici illud Psal. 98. *Iustus es Domine, & rectum iudiciũ tuum.* Ad hoc iudicium retributionis vitæ ęternæ perducat nos Deus. Amen.

In funere alicuius excellentis. Notarij.

SERMO XXIII.

VBI *sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi.* 1. Cor. 1. 1. Cor. 1.
Videmus quod frequenter homines euadunt per sapientiã suã, de multis & magnis periculis. Et ratio est, quia sapientia prædominatur, & præualet his, ex quibus consueuerũt causari pericula. Nã quædam pericula sunt, quę proueniunt à causis superioribus. s. ab impressionibus astrorum, vt sunt concitationes bellorũ, sterilitates agrorũ, ęgritudines animalium, & similia. Sed sicut dicit vulgatum prouerbium, Sapiẽs dominabitur astris. Et istud prouerbiũ sumptũ est ex verbo Ptolomei, qui ait in cẽtiloquio suo, quod animus sapiẽs iuuat, & impedit cæleste effectũ. Iuuat quidẽ, adhibẽdo ea quæ fortificãt impressionem corporis

cœle-

cælestis. Sicut si impressio cęlestis corporis inflammando choleram, concitet ad iram, & per consequens ad bellum, & aliquis sapiens faceret aliqua accidere quæ magis prouocarent ad iram, tunc diceretur iuuare cœlestem effectum. Sed si impressio cælestis corporis inflammaret sic choleram, quod induceret tertianas febres, & medicus sapiens adhiberet remedia resistentia choleræ, vel talem humorem euacuantia; tunc diceretur impedire cęlestem effectum. Et ideo dicitur Hier. 1. A signis cœli nolite metuere. Quædam vero pericula sunt, quæ proueniunt à causis inferioribus, scilicet vel ex hominum discordia, sicut sunt etiam partialitates, & guerræ, & obsidiones terrarũ, quæ etiam frequenter vincuntur vel euaduntur per sapientiam aliquorum; sicut dicitur Eccles. 9. *Ciuitas parua, & pauci in ea viri. Venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitq́; munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentusq́; est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam.* Et post subditur. *Melior est sapientia quam arma bellica.* Vel proueniunt pericula ex multiplici hominum malitia. Sed sicut dicitur Sap. 7. *Sapientiam non vincit malitia.* Sed quicquid sit de aliis periculis, profecto contra periculum mortis, & eius exterminium, nullatenus vnquam sapientia hominis, vel periti cuiuscunque artificis, siue medici, siue iudicis, siue scribæ, vel notarii, vel cuiuslibet alterius hominis, sciuit remedium aliquod efficax inuenire, quo quis mortem sic possit euadere, quod nunquam moriatur. Et idcirco *moritur doctus pariter vt indoctus*, vt dicitur Eccl. 2. Omnes enim rapit mors, & nescimus vbi cõstituat. Propter quod in auctoritate proposita, de isto probo viro, qui multum reputabatur sapiens & excellens, tam in arte notaria, quam in officio procurationis causarum sæcularium, bene quæritur vbi sit, scilicet sapientia dictandi, vel agilitas scribendi, vel sagacitas & sollicitudo conquirendi tẽporalia lucra, quia nullũ de cetero istorũ apparebit, vel erit in eo. Vnde bene quærit & dicit. *Vbi sapiens? vbi scriba*, &c.

Hier. 1. Psa. 9. Eccl. 9. 1. Cor. 1. Sap. 7. Eccl. 2.

In quibus quidem verbis, excellentia cuiuscunq; notarij defuncti describitur ex tribus. A

Primo quidem, ex generali notitia artis notariorum: cùm quæritur: *Vbi sapiens?*

Secundo, ex spirituali peritia confectionis instrumentorum: cũ quiritur: *vbi scriba.*

Tertio ex singulari solertia procurationis causarum, & litigiorũ, scilicet cùm quæritur vlterius: *vbi conquisitor huius sæculi.*

CIRCA primum attendendũ est, quod sicut Philosophus dicit in primo meta. Sapientis est scire omnia, scilicet generaliter. Si ergo ille dicitur esse simpliciter sapiẽs, qui scit generaliter omnia, sequitur quod ille debeat dici sapiens secundum quid, id est, secundum aliquam artem, qui scit omnia generaliter quæ pertinent ad illam artem. Et sic dicitur sapiens medicus, qui scit generaliter omnia quæ pertinent ad artem medicandi. Et sic sapiens notarius, qui scit omnia generaliter, quæ pertinent ad artem notariæ. Sed postquam talis defũctus est, quæritur vbi est ille mortuus, tam sapiens in arte sua? quasi dicatur, non est amplius, quia iam est perdita quoad nos ipsa sapientia sua. Sic enim potest dicere mors illud 1. Cor. 1. *Perdam sapientiam sapientum.* In quibus quidem verbis innuitur triplex defectus sapientiæ sæcularis, siue sit sapientia medici, siue iudicis, siue notarii. 1. Cor. 1.

Primus

Primus attenditur respectu periculi: cùm dicit, *perdam.*

Secundus respectu premij, cum dicit, *sapientiam.*

Tertius respectu subiecti: cum addit, *sapientum.*

Circa primum notandum est, quod in hoc apparet defectus sapientiæ sæcularis: quia pluribus est causa periculi & perditionis animæ suæ. Quod quidem ideo accidit; quia male vtuntur sapientia, siue scientia sua. Sunt enim quædam in homine, quibus homo non potest male vti: sicut sunt virtutes, vt beatus Augustinus dicit, quod virtus est bona qualitas mentis; qua recte viuitur, qua nemo male vtitur. Licet enim homo posset male vti virtute, vt obiecto, scilicet male de virtute sentiendo, vel virtutem odiendo, vel de virtute superbiendo: non tamen potest male vti virtute, tanquam principio vsus, ita scilicet quod malus sit actus virtutis. Et quia dicta diffinitio conuenit omni virtuti humanæ, cum scientia sit virtus intellectualis hominis, competit etiam ei quod homo nõ potest male vti ea, inquantum est principium vsus, ita quod malus sit scientiæ actus. Sed tamen potest homo male vti scientia, vel de ea superbiẽdo, quia scientia inflat; vel per ipsam scientiam suam defendendo iniustam causam, sicut facit malus aduocatus; vel in nocumentum alterius, sicut si medicus qui scit per scientiam suam quæ sunt res venenosæ, daret eas alicui sub spem medicinæ ad comedẽdum: vnde sapientia talium, est causa perditionis eorum. Et talis sapientia, quamuis etiam sit lucratiua: nihilominus potest dici esse periculosa & noxia. Luc. 9. *Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat.* *Luc. 9.*

Secundo ostenditur in auctoritate adducta, defectus sæcularis sapientiæ, respectu principij, in eo quod dicit, *sapientiam.* Hæc enim est sapientia de qua dicitur Iac. 3. quod *non est desursum descendens,* *Iac. 3.* s. à Deo. Hęc est cõtra hoc illud ꝙ dicitur Eccl. 1. *A Domino Deo est* Nã & Ecclesiasticus ibi loquitur *Eccl. 1.* de sapiẽtia increata. s. de sapientia diuina, vnde statim subdit. *Et cum illo fuit semper, & est ante eum,* vt primo ostendatur diuina sapientia, quæ est filius, esse genita à patre, quia omnis sapientia, est filius Dei in quo est omnis notitia. Col. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi.* Vel dicitur omnis sapientia, id est perfecta sapientia, vel quia omnis sapientia est idea, & efficiens causa, *Col. 2.* & origo, quia fons sapientiæ verbum Dei. Hæc ergo sapientia, id est filius, à Domino Deo patre est scilicet genita. Deinde ostendit quod est patri consubstãtialis, ita tamẽ, ꝙ est ibi distinctio personalis, & ideo subdit: *& cum illo,* id est cum patre *fuit semper,* scilicet ei consubstantialis ab æterno. Et vt expressius intelligatur esse patri coæternus, subditur: *& est ante æuum*: æuum enim est mensura eorum, quæ habent principium & non finem; esse ergo ante æuum, est esse ante principium: & hoc est esse æternaliter. Sed beatus Iacobus loquitur de sapientia creata, & humana, & vitiata: de qua dicit vbi supra. *Non est ita sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica.* Dicitur ergo talis sapientia non esse desursum descendens, scilicet à Dei bonitate; sed potius deorsum veniens, ab humana prauitate: & ideo est terrena, id est auaritia nõ inhians ad cęlestia premia, sed solum ad lucra terrena, & frequentius per modos illicitos. Item est animalis, id est carnalis, non intendens

tendens ad spiritualia bona: sed tantum ad corporalia commoda. Itẽ quia est diabolica, id est fraudulenta, fallacijs & deceptionibus plena, sicut diabolus vtitur scientia sua ad decipiendum & fallendum. Tertio describitur sapientiæ secularis defectus, in auctoritate adducta superius, respectu subiecti: cùm dicitur, *sapientum*, scilicet sæcularium. Nam frequenter apud sæculares, abusiue vocantur sapientes etiam illi, qui astute & sagaciter sciunt facere mala, in quibus tamen non est vera sapientia. Vnde de talibus dicitur Hierem. 4. *Sapientes vt faciant mala, bona autem facere nescierunt.* Sed vera sapientia ostenditur econtrario, & est in his, qui sciunt bona facere, & mala omnia caute vitare. Sed quia talis sapientia raro inuenitur in hoc sęculo, quęritur Iob 28. *Sapientia vbi inuenitur.*

Hier. 4. Iob 28.

B SECVNDO in themate assumpto, describitur sciẽtia excellentis notarij defuncti, ex speciali peritia conficiendi contractus, & publicas scripturas, scilicet cum quæritur: *vbi scriba.* Nam scriba secundum Papiam dicitur librarius, quæ pertinet ad chartas & scripturas publicas, vnde talis scriba est notarius, quę habet conficere, & scribere, & publicare chartas testamentorum, & instrumentorum, & actiarum, & arbitratuum, & aliorum multorum. Sed quantumcunque aliquis notarius fuisset peritus in talibus, postquam tamen mortuus est, *vbi scriba*, quasi dicat, non est hic amplius, quia tota peritia & scriptura sua, non potuit resistere morti. Sed nota, quod raro inuenitur scriba id est notarius, qui sit sufficienter peritus, quantum scilicet necessarium est ad suę artis exercitium: & adhuc inuenitur rarius, qui sit bene verax & iustus, quantum ad suæ artis vsum. Nam qualis debeat esse scriba, id est notarius sufficiens, quantum ad artis exercitium, ostenditur exemplo Esdræ, de quo dicitur 1. Esdræ 6. quod ascendit de Babylone, & ipse scriba velox in lege. In quibus quidem verbis ostenditur, quod ad hoc vt sit scriba, id est notarius sufficiens, necessaria est quadruplex peritia.

Prima est vt sciat clare dictare, hoc notatur cùm dicitur: *ascendit de Babylone.*

Secunda est, vt sciat expedite pronunciare: quod notatur cùm dicitur; & *ipse scriba.*

Tertia est vt sciat celeriter notare: quod notatur cùm dicitur, *velox.*

Quarta est vt sciat chartas, seu instrumenta legitime rogare: & hoc notatur cùm dicitur: *in lege.*

Primo ergo necessarium est, vt sciat scriba, id est notarius, clare & aperte dictare. Tunc autem est clarum dictamen, quando est ordinatum & distinctum, siue breue. Nam si ea quæ dictantur, ponuntur seu scribuntur inordinate, & indistincte, & cum verborũ prolixitate, non est dictamen clarum, sed confusum & obscurum: quod quidem maxime debet notarius vitare. Et ideo in auctoritate inducta dicitur, quod *ascendit de Babylone*, id est de confusione, quia Babylon interpretatur confusio. Nam quando notarius est ita ingeniosus, quod etiam ea quæ confuse acta vel dicta sunt, ipse sciat distincte, & ordinate, & breuiter ac succincte colligere, tunc profecto de Babylone, id est de confusione recedit. Et ex hoc prouenit maxima vtilitas, ex eo quod plerunque ex scripturis notariorum, confuse, & inordinate, & cum verborum prolixitate dictatis, oriuntur postea cauillationes, & quæstiones, & lites, &

magna

magna damnà multorum : vnde in figura huius dicitur. 2. Esdræ. 8. Hic Esdras ascendit de Babylonia cùm esset scriba ingeniosus. Secunda peritia quæ est necessaria scribæ, id est notario est, vt sciat aperte & expedite pronunciare, quod notatur cùm dicitur, *scriba:* vt scilicet lingua eius correspondeat manui, siue pennæ : quia sicut scriba debet esse expeditus in scribendo, ita etiam debet esse expeditus, & velox in legendo, & pronunciando ea, quæ ipsum legere seu pronunciare oportet, vnde dicitur in psalm. 44. Lingua mea calamus scribæ velociter scribẽtis. Et bene & apte cõparat linguã calamo scribæ, nec calamus scribæ sine lingua valet. Oportet enim quod contractus coram cõtrahentibus & testibus, primo pronũcietur verbo; deinde quod ponatur in scripto; nec vnum absque altero sufficit. Tertia vero peritia quæ adhuc scribæ, id est, notario necessaria est, est vt sciat bene & celeriter scribere ea, quæ habet scribere : & ideo in auctoritate inducta dicitur, *scriba.* quod quidem necessarium est, tũ propter eos qui habent scripta eorum expectare; tum propter ipsosmet qui habent multa scribere, & qui etiam propter tarditatem, & negligentiam scribendi, possunt de facili obliuisci ; ita quod postea male & diminute scribit quæ dicta sunt in contractu, vel testamento, vel in aliis quæ scribere oportet : nec debent scripturas suas ponere tantũ in cedulis, quæ faciliter perduntur; sed potius in libro, in quo cum opportunum fuerit, in breuitate inueniantur: nec debet esse scriptura ita breuis, quod factum non plene ab alio intelligitur : quo modo si cõtigerit notarium mori ante publicationem, non possent postea per alium sufficienter duplicari.

Psal. 44.

Debet ergo esse velox in scribendo ; nihil tamen de contingentibus omittẽdo. In omnibus enim operibus velocitas commendatur ; non quæ tollit diligentiam, sed quæ excludit negligentiam; & ostendit operandi peritiam: quia iste qui male scit artem, operatur tarde: puta si scriba, & in qualibet litera trepidat, & deliberat quomodo debeat formare. Sed si est bene peritus, velociter & secure operatur: vnde philosophus dicit, quod artifices certissimi non deliberant. Et ideo dicitur Ecclesi. 31. *In omnibus operibus tuis esto velox* & intelligitur in omnibus operibus, scilicet bonis, esto velox, scilicet non procrastinans. Sed contra hoc videtur esse quod dicitur Eccl. 32. *Sine consilio nihil facias:* sed consilium non debet esse velox, quia sicut Seneca dicit. Velox consilium sequitur pœnitẽtia: ergo nec operatio. Vnde Prouerb. 4. *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Sed respondendũ est, quod est duplex velocitas, scilicet strenuitatis, & præcipitationis. Prima est bona; secunda mala. Prima contraria accidiæ, & ista suadentur : secunda contraria deliberationi, & ista prohibentur. Quarta peritia, quæ est necessaria scribæ, id est notario, est vt sciat chartas seu instrumenta legitime conficere, & rogare, & etiam testamenta & alia, quæ oportet. Et dico legitime, id est, secundũ instituta legis ciuilis, & canonicæ, & legis municipalis: & ideo in auctoritate inducta additur, *in lege.* sunt. n. multa instituta & ordinata, tã in ciuili quã in canonica, & etiam in municipali lege, & de cõtractib. & de testamentis, & de aliis, quæ ad notariũ pertinent, de quib. oportet notariũ notitiã habere. Quomodo. n. sciet testamẽta conficere, qui ignorat ea quæ sunt per leges statuta: siue de per-

Eccl.

Eccl.

Pro. 4

sonis

ſonis,quæ teſtari poſſunt vel non teſtari? ſiue codicillari, aut cauſa mortis donare, ſiue etiam de differentia teſtamentorum : ſcilicet nuncupatio, vel in ſcriptis, & de vtriuſque conditione, aut ordine partium teſtamenti: ſiue de legatis aut inſtitutionibus hæredum; ſiue de exhereditationibus,aut de differentia filiorum, ſeu liberorũ inſtituendorum,vel non inſtituẽdorum: vel de gradibus liberorũ, vel de inſtitutione, aſcendentiũ, & de hæredibus extraneis , & de ſubſtitutione, & de inſtitutione vulgari tacita, vel expreſſa, & de ſubſtitutione pupillari,aut exemplari, aut breuiloqua ſeu reciproca, aut de prohibitionibus qui fiunt à teſtatoribus, aut de prouiſione pupillorum , ſiue de verbis derogatorijs, vel de adiectionibus pœnarum, & de effectu clauſulæ finalis,aut de teſtibus,aut de formis ſingularum partium teſtamenti, aut de reſtitutionibus & illicite acquiſitis, aut de ordinatione commiſſariorum. Et ſimile eſt de alijs quæ pertinent ad contractus. De quibus omnibus oportet notarium notitiam habere, vel ſaltem ſecundum conſilium iuriſperitorum , qui talia ſciunt, omnia formare. Et idcirco ex ignorantia notariorum, multi defectus & errores inueniuntur in inſtrumentis, & teſtamentis, & alijs eorum ſcriptis , de quibus ſequuntur magna damna frequenter, de quibus non eſt dubium teneri notarios, ex quo ignorantes ſunt. Et tamen voluntarie ad talia facienda, quæ neſciunt, ſe exponunt. Vnde antiquitus notarij vocabantur ſcribæ legis:quia omnes erant periti de legibus quæ ipſorum officium tangebãt. Heſt. 3. *Vocati ſunt ſcribæ legis:* alijs regis. *Heſt. 3*

TERTIO in themate aſſumpto deſcribitur ſingularis ſolertia, quã debet habere notarius,in procurationis aut ſyndicatus officio, & præcipue in cauſis, aut quæſt. ſæcularium negotiorũ: quæ tamẽ ceſſat per mortem. Et ideo de tali notario quęrit, *vbi cõquiſitor huius ſæculi*,ſ.qui cauſabatur pro alijs in curijs ſæcularibus, vt conquireret eis iura ſua. Vel dicitur cõquiſitor huius ſæculi , qui ad nihil aliud intendit , niſi ad conquirendum ſæcularia & terrena lucra,& ex auaritia & cupiditate lucrandi. Aliquando tales efficiuntur falſarij, & cõmittunt falſitatem aliquãdo in ſcriptis,aliquando in dictis. In ſcriptis quidẽ, ſiue ſcribendo falſum,ſiue delendo verum,vt res,id eſt rei veritas nõ appareat,ſiue ſit teſtamentum,ſiue inſtrumentum publicum,vel priuatum; ſiue ſint tabulæ lignęe,vel ceræ,vel rationes,ff.de crim. fal.l. 1.§ qui in rationibus,& l,Paulus.§. Paulus. In dictis vero cõmittunt notarij falſitatem,pręcipue procuratores,teſtes,vel iudices corrumpendo, vel dando vel promittendo pecuniã, ne veritatem dicant,aut teſtes inſtruendo, & locutione praua edocendo. ff.de crimi. fal.l.1.paragr. Item qui ob inſtruenda. & §. Sed & ſi quis & § Et qui iudicẽ. Item mentiendo pręſidi per obiectionẽ aliquid obtinendo, hac lege tenetur,ſcilicet ſalariorũ, ff.eo. ſi quis obrepſerit:vnde & mendax impetrator carere debet impetratis,extra de reſcriptis. Super litteris.& C. ſi contra ius vel vtili. publ. l. præſcriptione. & l. ſi legib. de diuer. reſcriptis. l. 2. Committit etiam falſum procurator, qui aduerſario ſecreta cauſæ aperit, vel inſtrumenta prodit. ff. eo. is qui depoſita,ff. de pœnis, ſi quis aliquid , paragr. ſi quis inſtrum. & paragr. inſtrum. Aliquando etiam condemnatur ad intereſſe. 13 qu. 2.Si quis de clericis, alias tenetur iniuriarum, ff. dep. l. 1. parag. ſi

quis

quis talibus. Et etiam proditor dici potest 46. dicit clericus. Et sic falsum committit, qui secretum aperit, extra de officio delegati. cum olim magister. Item ex cupiditate, quidam notariorum conficiunt instrumenta vsuraria sciẽter. Et tales vt dicit Hostien. periuri sunt; quia cùm creantur iurãt quod hoc non facient; & ideo de cetero nec testificari poterunt, nec publica instrumenta conficere: & ex hoc etiam sunt infames, quibus sunt actus legitimi interdicti. extra de testi. licet ex quadam. dempto etiam, quod inde recipiant, pinguiores eleemosynas inde facere debent. Peccant etiam frequenter, immoderata salaria exigẽtes de scripturis suis: quæ omnia pertinere noscuntur ad impietatem, & sæcularia desideria, de quibus amplius ad Tit. 2.
Tit.2. *Abnegantes impietatem & se. desi. so. & iu. & pie vi. in hoc sæculo, ex pec. bc. spem*, scilicet futuræ resurrectionis & gloriæ. Ad quam nos perducat, &c.

In funere alicuius medici.

SERMO XXIV.

Medicus non est ibi. Hierem. 8. Artes omnes quæ deseruiunt humanæ vitæ corporali: in vita item ista mortali sunt multum lucratiuæ. Sicut patet de arte lanificum, & textorum, & calcificum, & cæterorum artificum. Sed inter has ars medicinæ nõ solũ est multum lucratiua, sed etiam peritos medicos multũ alijs honorabiles reddit: vnde etiam scriptura præ-
Eccl.38 cipit Eccl. 38. *Honora medicum propter necessitatem.* Et vult dicere honora medicum, scilicet precibus, muneribus, obediendo, gratias agendo, propter necessitatẽ, scilicet infirmitatis sanandæ. Sed tamen nulla huiusmodi artium habet locum in alia vita. Et ratio est; quia istæ artes sunt necessariæ contra passiones, & læsiones corporis, scilicet vt ars lanifica nẽ corpus lædatũr à frigore: medicina contra infirmitates corporis; & sic de alijs. Vnde Galenus dicit, quod si esset immortale, & impassibile corpus, non indigeret arte constituente ipsum. Vnde quia in alia vita sunt modo tantũ animæ, quæ huiusmodi necessitatibus seu passibilitatibus non subiacent; & post resurrectionem etiam erunt corpora incorruptibilia, & immortalia, nec huiusmodi necessitatibus subiacebunt propter quas inuentæ sunt artes: ideo nec artes huiusmodi, nec etiam artifices sunt, aut erunt in alia vita. Vnde in verbo proposito dicitur, quod *medicus non est ibi.* Et ideo tota ars, & lucrum artis, & honor, terminata & finita sunt in isto nostro medico defuncto; quia nec amplius erunt ista, nec vbi est nunc anima eius. Vnde dicitur *medicus non est ibi.* In quibus quidem verbis possumus considerare tria.

Primo præteritæ artis commẽmorationem: quia *medicus.*

Secundo corporeæ vitæ priuationem, quia *non est*, scilicet quia non viuit. Nam viuere viuentibus est esse.

Tertio alterius sæculi locationem: quia scilicet in alio sæculo vbi nunc est anima eius.

CIRCA primum attendendum est, quod medicus est minister naturæ. Nam virtus naturæ est, quæ principaliter sanat: scilicet medicus iuuat ipsam. Et quia natura & virtus, tam infirmi quã rerum medicinalium, à Deo est, ideo medicus, qui est minister naturæ, est etiam minister Dei. Et ideo tam à Deo, quam ab hominibus, medicus bonus & ca-

tholicus exaltatur, & acceptatur. Et hoc est quod innuitur Eccl. 38. *Disciplina medici exaltabit caput illius, & in medio magnatorum collaudabitur: altissimus de terra creauit medicinã, & vir prudens non abhorrebit eam.* In quibus quidem verbis describitur, & laudatur ars medicorum quadrupliciter.

Eccl. 38.

Primo quidem vt fructuosa, scilicet ipsi medico: quia *disciplina medici exaltabit caput illius.*

Secundo vt famosa, scilicet nõ solum apud minores, sed etiam apud maiores: quia *in medio magnatorum collaudabitur.*

Tertio vt virtuosa, scilicet habens virtutem à Deo: quia *altissimus de terra creauit medicinam.*

Quarto vt gratiosa: scilicet apud prudentes: quia *vir prudẽs non abhorrebit eam.*

Est ergo primo medico fructuosa, quia disciplina medici, scilicet in hoc mundo, vel in cælo: Posset enim medicus sic vti disciplina, scilicet scientia vel arte sua, quod non solum exaltaretur in mundo, sed etiam in cęlo. Primo quidem, si quod studet facere circa aliorum corpora, faceret ipse primo circa animam suam, scilicet vt studeret curare eam ab ægritudinibus vitiorum, per medicinam pęnitentiæ: quia scilicet deterior est ægritudo animæ quã corporis: vnde si compatitur infirmitati alterius corporali, multo magis deberet compati infirmitati suæ spirituali: & ideo dicitur ei Luc. 4. *Medice cura teipsum.* Item si dum curat in aliis corporalem infirmitatem adiuuaret eos ad curãdã infirmitatẽ spiritualem, eo scilicet modo, quo præcipit ecclesia medicis, extra de pœnitentiis & remissionibus cap. 13. vbi dicitur. Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato perueniat, dicente domino, languido quem sanauerat Vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Præsenti edicto statuimus, & districte præcipimus medicis corporum, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant vt medicos aduocent animarum: vt postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, sic ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cùm ea cessante, cesset effectus. & infra. Si quis autem medicorum, huius nostræ constitutionis transgressor extiterit, tandiu ab ingressu ecclesiæ arceatur: glossa per sentẽtiam, non ipso iure, quod male vel nullo modo seruatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter. Ceterum cùm anima sit multo preciosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ conuertatur. Item si medicus de arte sua esset misericors, scilicet pauperibus infirmis. Nam sicut diues tenetur facere eleemosynam de diuitiis suis, ita & medicus de arte sua, scilicet in casu saltem extremæ necessitatis, puta si videret ex defectu curæ perire pauperem infirmum, qui non habet vnde medico soluat, nec alius est qui velit soluere pro eo, tenetur ei gratis curationis beneficium, seu consilium exhibere: & si alius etiam propter tantam necessitatem ei subueniret, bene faceret & multũ mereretur, sicut faciebat magister Rogerius de colle vallis elsæ, qui fuit medicus deuotus Christo, & toto tempore vitæ suæ in virginitate permansit: & erat ita pius pauperibus infirmis, quod cũ à diuitibus bonum salarium de labore suo exigeret, & reciperet, ab ipsis tamen pauperibus infirmis, nunquam

Luc. 4.

nunquam aliquid procuratione ipsorum recipere volebat, sed gratis eos curabat, & sollicitius eos, quam diuites visitabat. Qui ergo me dicus prædicta fecerit, non est dubium quod disciplina eius exaltabit caput illius, non solum in
Pro. 4. mundo, sed etiã in cęlo. Prouerb. 4. *Accipe sapientiam & exaltabis te.* Secundo ars medici commendatur vt famosa, non solum apud minores, sed etiam apud maiores: vnde dicitur in auctoritate adducta, quod *in medio magnatum collaudabitur*, scilicet medicus doctus. Et ratio est: quia sicut dici-
Matt. 9. tur Matth. 9. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Non solum autem minores infirmantur, & male habent, sed etiã maiores & magnati, siue sint principes, siue alij; imo frequẽter propter superfluas delitias, & modicas exercitationes, magis languescunt tales quam alij. Vnde tales magis indigent medico, & ipsi laudant medicos, à quibus curati sũt.
Eccl. 39. Eccl. 39. *Collaudabunt multi sapientiam eius*, scilicet magni & parui. Sed aduertendum est hic, quia laudandus est aliquis proprie propter virtutem. Cuius rationem assignat philosophus in primo rhetoric. Ex eo, quod in tantum est aliquid laudabile, in quantum est bonum: vnde homo in tantum laudabilis est, in quantum bonus est: sed bonum honestum quod est virtus, maxime habet rationem boni, & ipsa est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, vt dicitur etiam in li. Ethicorum. Et ideo proprie propter virtutẽ, siue propter virtutis opera, redditur homo laudabilis, & maxime laudabilis. Ideo eo ipso, quod medicus de arte sua ostẽdit etiam magis esse laudabile datur intelligi, quod ars medicinæ, vel quæcunque alia ars, quædam virtus est. Vnde etiam philosophus in 6. Ethicorum ponit artem esse virtutem, scilicet intellectualem. Et ratio est: quia cũ omnis virtus dicatur in ordine ad bonum, duplici ratione aliquis habitus dicitur virtus. Vno modo, quia facit facultatem bene operandi. Alio modo, quia cũ facultate facit etiam bonum vsũ, facere autem bonum vsum, pertinet ad illos habitus, quæ perficiũt partem perpetuam: eo quod vis appetitiua animæ est, quæ facit vti omnibus potentiis & habitibus. Ars ergo, quæ est recta ratio factibilium, potest dici virtus, inquantum dat facultatem bene faciendi, scilicet opus artis; non autem est virtus, quæ de se faciat bonum vsum: quia non est habitus perficiens appetitum, in eo quod appetitus humanus aliquo modo se habet, sed in eo, quod ipsum opus quod fit, in se bonum est. Vnde non pertinet ad laudem artificis, inquantum artifex est, qua voluntate opus faciat, sed quale sit opus quod facit. Vnde ipsa ars est quædam virtus intellectualis, inquantum dat facultatem bene operandi. Sed quia ad hoc vt homo bene vtatur arte, quam habet, requiritur bona voluntas, quæ perficitur per virtutem moralem: ideo quãtum ad vsum bonum, ars non est virtus, sed eius, secundum philosophum, est aliqua virtus, scilicet moralis, inquantum ad bonum vsum eius, requiritur aliqua virtus moralis. Manifestum est enim quod artifex per iustitiam, quæ facit voluntatem rectam, intelligitur artifex vt opus fidele faciat: & ideo dicitur Eccles. 9. Eccl. 9. quod *in manu artificum opera laudabuntur.* Tertio ostenditur ars medicorum esse virtuosa, scilicet ratione principij primi, à quo est medicinarum virtus: quia est à prima virtute, scilicet altissimi

Dei

Dei. Vnde ait. *Altißimus*, scilicet Deus *de terra creauit medicinam*, id est herbas & fructus medicinales, *ad salutem hominum:* & hoc quando dixit Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum: cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbã virẽtem, & facientem semen iuxta genus suũ, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secũdum speciem suam.* Ex quibus verbis liquet, quod virtute Dei, qui terrã creauit, terra producit herbas & semina, & ligna, id est, arbores, & fructus, in quibus etiam semina, & in omnibus his inueniuntur medicinales virtutes, cõtra infirmitates diuersas. Sicut manifeste patet in arthemisia, qui à nomine dicitur mater herbarum, & est calida & sicca in tertio gradu, cuius folia habent virtutem expellendi sterilitatem mulieris factam ex humida causa, quod potest comprehendi ex cõplexione, si sit pinguis vel macilenta, & debent talia folia arthemisiæ puluerizari cum herba, quæ dicitur bistorta, & cũ nuce muscata, in eadem quantitate conficiantur: Puluis, cum melle vel syrupo simplici, & detur in modicum electuarij in mane, & sero, cum vino decoctionis arthemisiæ. Item in herba quæ dicitur bethonica, quæ est calida & sicca in tertio gradu: cuius folia valent contra dolorem capitis, factum ex frigida causa in eo existente, si fiat gargarismus ex colatura decoctionis bethonicæ cum staphi. in aceto. Item patet in borragine quæ valet contra sincopim, si ex succo borraginis & succaro fiat syrupus, contra cardiacam & epilepticam passionem, addito ibi puluere de corde cerui, sicut posset exemplificari de vnaquaque herba, quia nulla inuenitur sine aliqua medicinali virtute. Est etiam virtus medicinalis à Deo posita in seminibus herbarum, sicut patet in semine melliloti: quod est calidum & siccum in primo gradu; & dicitur corona regia, quę formatur ad modum semicirculi, & ponitur in medicinis cum ipsis corticibus: cuius decoctionis vinum digestionem confortat, ventositatem excludit, oppilationem renum & vesicæ aperit. Itẽ tale semen in cibis, vel potibus positum, eos boni saporis & optime olentes facit. Item patet in semine anisi, quod alio nomine dicitur cyminum dulce, & est calidum & siccum in tertio gradu; & valet contra ventositatem, & indigestionem, & acidam eructuationem, si detur vinum decoctionis anisi, fæniculi, costi, & masticis. Et sic posset exemplificari de multis alijs seminibus. Item inuenitur virtus medicinalis in lignis, sicut patet in ligno aloe pręcipue: quod reperitur in insula quæ dicitur cumeæ: cuius decoctionis vinum digestionem procurat, & stomachum frigidatum calefacit, & si abominabile fuerit, ponatur parum aloes integrũ in vino per noctem, & mane vinum exhibeatur. Sic posset exemplificari de multis aliis lignis. Itẽ inuenitur virtus medicinalis in fructibus, sicut patet in piris, quæ sunt frigida & sicca: quæ cocta in aqua pluuiali, & posita super os stomachi, vomitum ex cholera coarctant; posita vero super pectinem fluxum ventris: sicut posset exemplificari de omnibus aliis fructibus. Quis autem sufficienter dicere posset de virtutibus medicinalibus quas etiam altissimus posuit in radicibus, & frondibus, & floribus herbarum, vel arborum, aut etiam in preciosis

Gen. 1

lapidibus, & in diuersis speciebus minerabiliũ, seu etiam animaliũ, quæ ex terra, vel in terra, oriuntur, quæ scilicet virtutes hominibus, vel ex diuina inspiratione, vel ex longi temporis experientia sunt compertæ. Vnde dicitur
Eccl. 38 Eccles. 38. post verba auctoritatis inductæ. *Ad agnitionem hominum virtus illorum. Et dedit hominibus scientiam altissimus: honorari in mirabilibus suis.* Quasi diceret, ad agnitionem hominum peruenit, supple, virtus illorum, scilicet
Sap. 7. medicinalium, vt herbarum, lignorum, & fructuum, & seminum. Vnde Sapien. 7. *Dominus dedit horum scientiam veram.* Et post: *differentiam virgulorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa, & improuisa, didici.* vnde subdit Ecclesiasticus. *Altissimus dedit hominibus scientiam*, id est medicandi, vel prædicta cognoscendi, *honorari in mirabilibus suis*, id est vt honoretur in mirabilibus operibus suis. Quarto describitur ars medicorum vt gratiosa, & accepta etiam viris prudentibus. Vnde additur in auctoritate præinducta: quod *vir prudens nõ abhorrebit eam.* Est autem triplex ratio quare vir prudens non abhorret medicinam. Primo ratione principij, scilicet à quo est medicinarum virtus: quia sicut dicitur Eccl. 38.
Eccl. 38. *A Deo est omnis medela: & à rege accipiet donationem.* Et exponitur quod à Deo est omnis medela, non solum spiritualis, sed etiam corporalis Iob 6. *Ipse vulnerat &*
Iob 5. *medetur.* Hiere 17. *Sana me Domi-*
Hier. 17. *ne, & sanabor*, sequitur. *Et à rege*, scilicet cælesti, *accipiet donationem*: id est efficatiam in donationem medicinæ. Quasi dicat. Non solum est à Deo medicina, sed etiam est ab eo, quod medicus efficaciam habeat in distributione medicinæ. Et ideo in infirmitate, maxime est fiducia habenda in domino: & reprehensibilis ostenditur fuisse. Asa de quo dicitur 2. Paralipome. 16. *Egrotauit Asa* 2. Par.
dolore pedum vehementissimo: & 16.
nec in infirmitate quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Inquantum ergo medicina est à Deo, non est abhorrenda: quia sicut dicitur. 1. Tim. 1. Tim. 4
4. *omnis creatura Dei bona, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione recipitur.* Secũdo ratione exempli: quia etiam viri sancti & prudentissimi, leguntur non abhorruisse medicinas, sicut patet in Esaia & Ezechia, quia Esaias emplastrũ caricarum alligauit Ezechiæ. Esa. 38. Quod cum attulisset super vulnus eius, curatus est. 4. Regum 20. Sed obijcitur de 4. Re. 20
beata Agatha, quæ dixit beato Petro. Medicinam carnalem nunquam corpori meo exhibui. Sed potest dici, quod priuilegia paucorũ, non faciũt legẽ cõmunem. Tertio ratione exprimenti: quia frequẽter & manifeste experimur q medicinę valẽt ad sanitatẽ corporis: ea autem quę sũt manifeste vtilia, non debet respuere homo prudẽs Licet. n. dominus solo verbo posset curare omnẽ morbũ, tamen vult etiam per homines, & per corporales medicinas corpora sanari: vt inter homines mutua charitas, & inter corpora etiam seruetur ordo naturæ. Vnde dicitur Ecc. 38. *Da locum medico: etenim illum Dominus creauit & non* Eccl. 38
discedat à te: quia opera illius necessaria sunt: est enim tempus quando in manus illorũ incurras. Et omnia hæc considerat homo prudens, etiam secundum prudentiam spiritus: quia pertinet ad virum prudentem, habere curam de vita corporis, & de pace mentis. Et ideo Roman, 8. Rom. 8.
dicitur, quod *prudentia spiritus vita & pax*, id est causa vitæ & pacis, vitæ scilicet naturæ,

turæ, & pacis conſcientiæ.

SECVNDO in themate aſſumpto, tangitur corporalis vitæ priuatio: cum dicit, *non eſt*, ſcilicet viuens amplius corpore, ſicut arbor ſucciſa, & deſiccata non eſt amplius viuens, licet remanſerit vita in radice: & ſic eſt corpus ſucciſum per mortem, licet remanſerit vita in anima, quæ
Pſal. 83. eſt radix vitæ. Pſalm. 83. *Priuſquam abeam & amplius non ero.* Licet poſſet referri verbum thematis ad terminationem artis, ſiue vſus eius, vt intelligatur, non eſt amplius medicus: quia ſcilicet in alia vita non habet locum medicina Vnde de medico mor-
Eſa. 3. tuo poteſt exponi illud Eſa. 3. *Non ſum medicus: & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum.* Hoc enim verbum poteſt dicere anima medici, vbicunque ſit, ſiue in paradiſo, ſiue in inferno. Nam quantum ad medicum, qui eſt in paradiſo, per verba prædicta excluditur triplex paſſio, ſiue neceſſitas quam patimur in vita iſta. Nam aliqua paſſio eſt, quæ infertur ab exteriori, ſicut paſſio frigoris ab aere frigido, vel vento: & contra hanc indiget homo veſtimento. Secunda paſſio eſt, quæ ab interiori, ſcilicet paſſio famis: & contra hãc indiget homo pane, id eſt cibo corporali. Aliæ vero paſſiones ſunt, quæ ſunt ab vtroque: ſicut paſſiones ægritudinum, quæ quandoque cauſantur à cauſa interiori; puta ab humoribus; quandoque ab exteriori, ſicut à peſtilenti aere, & ſimilibus: & ſic ſunt etiam paſſiones vulnerum, quæ ab extra inferuntur. Et contra huiuſmodi paſſiones, indiget homo medico, ſiue chirurgico, ſiue phiſico. In vita autem æterna, non ſunt paſſiones ægritudinum, ſeu vulnerum: ſed habent perpetuam ſanitatem, & impaſſibilitatem.
Vnde beatis dicitur Malach. 4. *Mal 4.*
Orietur vobis ſol iuſtitiæ, & ſanitas in penis eius; & ideo non eſt ibi medicus. Vnde dicit *non ſum medicus*: quia ſicut dicitur Luc. *Non*
egent qui ſani ſunt medico. Item *Luc. 5.*
in vita æterna, non erit paſſio fa- *Eſa. 49.*
mis, Eſa 49. *Non eſurient neque ſitient amplius*, & ideo non erit ibi neceſſarius panis, aut cibus corporalis: & ideo dixit, *in domo mea*, ſcilicet manſionis cæleſtis, *non eſt panis*: id eſt cibus corporalis. Et ideo poteſt dici animæ intranti
paradiſum, illud 3. Regum 13. Nõ *3. Re. 13*
comedes panem, neque bibes aquã: neque reuerteris per viã quà veniſti; ſcilicet per mortem: quia ſcilicet reſurgens ex mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra nõ
dominabitur. Rom. 6. Item non *Rom. 6.*
eſt ibi paſsio frigoris. Cant. 2. Iam *Cant. 2.*
enim hyems tranſiit, id eſt tempus frigoris. imber abiit & receſ-
ſit: ſicut nec æſtus erit ibi. Apoc. *Apo. 7.*
7. Non cadet ſuper illos ſol, nec vllus æſtus, & ideo non indigetur veſtimento, propterea dicit in au-
ctoritate inducta, neque veſti- *Iob. 1.*
mentum. Iob 1. Nudus reuertar illuc, erit tamẽ poſt reſurrectionẽ quilibet amictus lumine ſicut veſtimento, ſicut dicitur in Pſal. 103 Si autem fuerit in inferno, ſic nõ erit ibi medicus, quia paſſiones eorũ, & plagæ inſanabiles ſunt.
Vnde Hier. 15. dicitur ex perſona *Hier. 15.*
dãnati hominis. Factus eſt dolor meus perpetuus: & plaga mea deſperabilis renuit curari. Item erit ibi fames perpetua, propter carentiam omnis boni, ſine refectionis conſolatione: quia nihil deſiderabile dabitur eis. Vnde poteſt dicere damnatis ibi illud
Daniel. 10. Panem deſiderabilem *Dan. 10.*
non comedi, ſcilicet ex quo veni huc. Item erit ibi æſtus intolerabilis, & frigus intenſiſſimum: quia tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium Iob. 24.

Et erunt in omnimoda nuditate, quia de dæmonibus, vel peccatis, vel de consanguineis hominis
Iob. 24. morientis dicitur Iob 21. *Nudos dimittunt homines, vestimēta tollentes, quibus non est operimentum in die frigoris.*

TERTIO ponitur in themate alterius sæculi locatio, cum dicitur, *ibi*. Nam anima hominis morientis, aut vadit ad infernum, & ibi locata nunquam habebit requiem. Et ideo dicitur homini
Esa. 23. reprobo morienti. *Consurgens trāsfreta, ibi quoque non erit requies tibi.* Esa. 23. Nam pœna damnatorū in inferno nunquam cessat, quia semper sunt in odio Dei, eiecti à consortio beatorum. Vnde dicit
Osea 9 Dominus de eis Oseæ. 9. *Ibi exosos habui eos*, scilicet in mundo, *propter malitiam adinuentionum eorum, de domo mea eijciam eos*, scilicet de domo paradisi, *& non addam vt diligam eos*, scilicet in inferno, vnde semper remanent in odio Dei. Aut vadit anima morientis ad purgatorium, & tales animæ ibi existentes, exoluunt debita pœnatum, quæ potest redimi à nobis eleemosynis, & sacrificijs, & alijs suffragiis; & hæc valent eis ex misericordia Christi, & ex virtute passionis, qua ipse Dominus nos redemit, & ideo dicitur animæ ibi existenti. *Ibi redimet te*
Mich. 4. *Dominus.* Micheæ 4. Aut vadit anima morientis ad paradisum, & ibi habent animæ in ipso Deo gaudium sempiternum. Vnde Ps. *Ibi lætabimur in ipso*, id est, in ipsius visione beata. Matth. 28. *Ibi*
Matt. 28 *eum videbitis, &c.* Ad quam visionem nos perducat, &c.

In funere alicuius docti viri vel litterati.

SERMO XXV.

Moritur doctus sicut & indoctus. Eccl. 2. Eccl. 2.

Videmus quod docti & literati viri, multum differūt ab indoctis & illiterati, in vita. Primo quidē, quantum ad vitæ solatium: quia sicut dicit Sene. Ocium sine literis, mors est: & viui hominis sepultura. 1. Machab. 12. *Habentes* 1. Ma. 12 *solatio sanctos libros.* Roma. 15. *Per* Rom. 15 *patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.* Item quantum ad literaturæ commodum, quia frequenter oportet aliqua legere, vel dictare, vel scribere, quæ viri docti, vel literati possunt commodius, & efficacius facere per seipsos, quam possent fieri per alios, quod illiterati & indocti facere non possunt. Vnde oportet quod literas secretas, & similia communicent aliis, qui aliquando fideles non sunt, & ideo talia secreta non est tantū scribere indoctis, & illiteratis. Eccl. 8. *Ne cōmunices cum homine indocto.* Eccl. 8. Item differunt quantum ad scientię lucrum, quia multi docti viri & literati, multum lucrantur de sciētia sua, sicut aduocati, & medici, & notarij, & doctores scientiarū quarundam, & ideo plerique illiterati sunt in egestate pecuniæ, & si non sint in egestate pecuniæ, sunt tamen in egestate scientiæ, quæ est egestas cordis. Vnde Prouerb. 10. Qui indocti fuerint, in Prou. 10 egestate cordis morientur. Item differunt quantum ad doctrinæ fructum, quia docti & literati possunt, & sciunt alios docere, non autem indocti, & ideo dicitur Prou. 14. *In corde sapientis requiescit sapientia, & indoctos quousque erudiet.* Prou. 14

A Sed quantumcunque sic differunt in vita doctus & indoctus, in morte tamen corporali differre non videntur, quia vterq; moritur, scilicet doctus & indoctus: & hoc est quod in themate assumpto

sumpto dicitur, quia *moritur*, &c.

In quibus quidem verbis, possumus considerare tria.

Primo, quidem flebilem subtractionem: quia *moritur doctus*.

Secũdo, ineuitabilem communionem, quia sic scilicet oportet quod moriatur *doctus vt indoctus*.

Tertio, vero illaudabilem priuationem, cùm dicitur *indoctus*.

CIRCA primum notandum est, quod subtractio & mors alicuius boni viri & literati, est magis flebilis & lamentabilis aliis, quæ remanent, quàm sit communiter subtractio, & mors hominũ indoctorum, & idiotarum. Et ratio est, quia doctorum & literatorum præsentia, & seruitium, videtur esse magis necessaria & vtilis, non solum singularibus personis, sed etiam communitati, & saluti reipublicæ. Nam sicut est necessaria terræ influentia cœli, & stellarum, ita videtur esse necessaria reipublicæ sapientia, & consiliũ, & ministerium doctorum, & literatorum virorum: & ideo dicitur Dan. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Vbi nota differentiam doctorum hominum.

Dan. 12

Quia quidam sunt instructi, sed non instruentes. Et de istis dicit: *qui docti fuerint fulgebunt sicut splendor firmamenti.*

Quidam vero sunt instructi & instruentes, & de istis subditur: quod *qui ad iustitiam erudiunt*, &c.

Circa primum nota tria bona, quæ facit scientia literarum hominibus literatis.

Nam primo facit eos magis intelligentes, quod notatur cum dicitur, *qui docti fuerint*. Et est dicẽda ratio huius. Primo quidem, quia plura intelligit homo per doctrinam aliorum, quam faceret per seipsum: vnde scientia vt plurimum adgeneratur in nobis ex doctrina, sicut dicit Philosophus in 2. Ethic. vnde doctus, id est, doctrina aliorum instructus, magis intelligit. Secundo, quia sicut lux solis in aere recepta, facit plurima videre, ita scientia in homine per doctrinam adgeneratam, facit plurima intelligere: quia, tunc intelligit & per seipsum, & est ab alio adiutus. Vnde Hesiodus Poëta: sicut refert Aristoteles in primo Ethico. dicit, quod qui per se intelligere potest, est optimus; qui vero recipit quæ dicuntur ab alio, est etiã bonus, quĩ autem neutrum habet, est inutilis, quantum ad acquisitionem scientiæ. Sed quantum ad doctrinam moralem, impeditur homo ne efficiatur doctus in ea dupliciter. Vno modo quantum ad sciẽtiam. Alio modo quantum ad finem. Primo modo impeditur iuuenis. Et ratio est, quia iuuenes in ætate sunt inexperti operum humanæ vitæ, propter temporis breuitatem. Vnde non habent de eis notitiam, cùm talia per experientiam maxime cognoscantur; & ideo nõ possunt de talibus bene iudicare, quia vnusquisque bene iudicat quæ cognoscit, & horum verus est iudex, sicut Philosophus dicit in primo Ethicorũ. Sic qui est instructus circa vnumquodque genus, bene iudicat de pertinentibus ad ipsum; & qui circa omnia, de omnibus, & per consequens, iuuenis non est bonus auditor doctrinæ moralis, quia oportet quod auditor sciat dijudicare de his quæ audit, vt bene dicta recipiat & male dicta respuat. Sed notandum, quod aliquando ex gratia Dei spirituali, suppletur iste defectus in quibusdam iuuenibus, qui etiã in iudicando de actibus humanis præferũtur senibus: sicut patet in Dan.

Quia suscitauit Deus spiritus pueri iunioris cui nomen Daniel. Et dixerunt ei senes, Veni & sede in medio nostrũ & iudica nobis; quia dedit tibi Deus honorẽ senectutis. Dan. 13. Vnde postea iudicauit & cõdemnauit senes, qui falsè & inique condẽnauerant Susannam. Et multos alios iuuenes habuit ecclesia superdoctos à Deo, de quibus Esa. 54. Ponam filios tuos doctos à Domino. Alio modo impeditur aliquis in doctrina moralium, quantũ ad finem ipsius, quia est nõ cognitio, sed actus bonus, secundum philosophum. Et hoc modo sectator passionum inutiliter audit doctrinam moralẽ, quę est doctrina virtutũ, sicut est ille, quæ ex electione proponit vt satisfaciat concupiscentiæ suæ: talis enim, vt dicit philosophus in 1. ethi. inaniter, id est sine efficacia, & inutiliter, i. sine consecutione finis, audit moralẽ scientiã: cuius finis, sicut & omniũ practicarũ, nõ est cognitio sola, ad quã talis peruenire potest, sed actus virtuosus, ad quẽ non peruenit qui passionẽ sectatur. Sic accidit etiã de incontinentibus; qui licet proponant à noxijs, & delectationibus abstinere, vincuntur tamẽ interdũ impetu passionis; vt contra suũ propositũ impetũ passionis sequantur: vnde tales, licet sint docti in cognoscendo, non tamen ostendunt se doctos in operando. Sed de doctrina sacræ scripturæ sciendum; quod tradita est nobis vt cognoscamus ea quæ sunt fidei, & ea quæ sunt vitæ & morum, vt boni fiamus. Vnde ille ostẽditur doctus & intelligens in ista doctrina, qui cõsequitur vtrũque finẽ. s. scientiã fidei, & operationem morum. Sed neutrũ finẽ assequitur homo impius, & malus: ex quo enim malus est, non agit quæ sunt bonorum morum, & non vult intelligere, vt bene agat: & excæcat eam malitia sua. Et impius qui caret fidei pietate, excæcatus ex impietate infidelitatis, caret primo fine. s. agnitionis fidei, & fidelis malus & peccator caret secundo: & neuter est perfecte intelligens, aut perfecte doctus. Et ideo dicitur Dã. 12. Impie agẽt impij: neq; intelligẽt omnes impij; porro docti intelligent. Secundũ bonũ quod facit scientia literarum, est, quia facit homines apparentes, & ideo dicit in auctoritate inducta; quod fulgebunt; ea enim quæ fulgent, magis apparẽt. Fulgent. n intra se per scientiã, & extra per verborũ eloquẽtiã. Tob. 13. Luce splendida fulgebis: id est habebis lucẽ scientiæ, & splẽdorẽ eloquentiæ, & fulgorẽ famæ. Sed notandum, quod quidã fulgent in nocte, quorum fulgor nõ apparet in die, sicut noctilucæ. Et tali fulgori assimilatur sciẽtia, & eloquẽtia hominis peccatoris: quia habet lucẽ sciẽtiæ cum obscuritate peccati. Luc 11. Vide ne lumen quod in te est, tenebrę sint. Tertiũ bonũ quod facit sciẽtia literarũ est, quia facit hominẽ eminentem: & ideo dicitur in auctoritate supra allegata, sicut splẽdor firmamenti. Firmamentum enim præeminet cæteris, ita viri litterati & eloquentes, si sint boni viri, vtilius & decentius præsunt: & ideo scientia, & litteratura rectoris & domini, recte est vt splendor firmamenti. Eccl. 43. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendes: debet enim rector dominus, esse vas mundum per continentiam; sed castrorum, per fortitudinis pugnam; sed in excelsis in firmamento per iustitiã resplendens per scientiã prudentiam. Secundo ostenditur in auctoritate allegata. Daniel, quod sunt instructi siue docti, alios instruentes & docentes. Et de istis dicit, & qui ad iustitiam; &c. Vbi tanguntur quatuor conditiones quas habet doctrina

Marginalia: Dan. 13 — Esa. 54 — Dan. 12 — Tob. 13 — Luc. 11. — Eccl. 43

ctrina perfectorũ doctorũ. Prima est, quia est fructuosa. s. quia erudiunt ad iustitiã. Quidam. n. docti sunt, qui erudiunt alios ad pecuniã; sicut doctores legum, aut decretorũ, aut medicinæ: & aliarum scientiarũ sæculariũ. Nã & illi qui docẽt, faciũt propter salariũ & lucrũ pecuniæ; & illi etiã qui audiunt talia volũt addiscere, vt inde postea lucrẽtur. Vnde talis eruditio habet mercedẽ suã hic in pręsẽti. Sed illi qui docẽt doctrinã S. scripturę, quæ est doctrina diuinitus inspiratai sti proprie erudiũt ad iustitiã, non autem propter pecuniã; quia dicitur eis, gratis accepistis, gratis date, & intẽdũt etiã auditores inducere ad iustitiã, id est ad cõmunẽ virtutẽ: quia iustitia, secũdũ philosophũ, dicitur omnis virtus, vt s. faciat hominẽ ad omne opus virtutis perfectũ, & ideo dicitur 2. Tim. 3. quod omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiẽdũ in iustitia, vt perfectus sit homo Dei & ad omne opus bonũ instructus. Et tales doctores non habẽt hic premiũ in præsẽti, sed expectãt inde coronam in futuro: de qua doctor egregius Paulus dicebat 2. Tim. 4. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Secunda conditio quã habet doctrina perfectorũ est, quia est copiosa: quia erudiunt multos Nota differentiã inter pecuniã, & scientiam. Quia pecunia inter multos diuisa minuitur: Sed scientia pluribus cõmunicata, non minuitur sed augetur. Vnde Anticlaudianus dixit, quod scientia est nobilis possessio animæ; quæ distributa suscipit incrementum: & auarũ dedignata possessorem, nisi publicetur elabitur. Et ideo docendo alios multos, etiam ipse docens proficit in scientia. Propterea dicitur Eccl. 37. Vir peritus multos erudiuit, & animæ suæ suauis est, quia scilicet animæ suæ acquirit profectum, & suauitatẽ scientiæ. Notandum etiam, quod omne habens aliquam excellentem virtutẽ, conatur similitudinẽ illius virtutis in multa alia imprimere; sicut sol habens lucem excellentem, multa corpora facit lucida, & lunam, & stellas, & planetas Et ignis habens excellentem calorẽ, multa corpora calefacit, Sic etiam homo habens iustitiam, quæ secundũ philosophũ est præclarissima virtutũ, multos erudit ad iustitiã. Vnde Prou. 10. Labia iusti erudiunt plurimos. s. de iustitia. Tertia conditio, quam ostenditur habere in auctoritate inducta doctrina perfecte docentiũ est, quia est luminosa, id est lumine sapientiæ plena: vnde ipsi doctores assimilantur stellis. Erũt inquit, sicut stellæ: stellę. n. imbutæ lumine solis, ipsum lumen in inferiora refundunt. Sic periti doctores, luce solis. i. agnitione veritatis pleni, ipsam libenter communicant aliis. Vnde Baruch. 4. Stellæ dederunt lumen in custodijs suis: & letatæ sunt. Vbi attendendũ quod scientiã suã communicãt vtiliter, quia dederunt lumẽ, Nã vt lumẽ stellarũ est vtile contra tenebras noctis, ita & lumẽ scientiæ videli. cõtra tenebras ignorantiæ & peccati. Itẽ caute & prudẽter: quia in custodiis suis. Custodiunt. n. seipsos, ne quod verbis prędicãt, moribus destruant. Custodiunt etiam scientiã & linguã suã, vt proferant congruo tẽpore doctrinã Malac. 2. Labia sacerdotis custodiũt sciẽtiã. Item cõmunicant eã hilariter, quia letatæ sunt: quia huiusmodi scienti delectabile est docere. Pro. 15. Lætatur homo in sentẽtia oris sui. Quarta cõditio doctrinæ perfectorum doctorum est: quia est gloriosa: quia finaliter recipient gloriam in perpetuas æternitates:

Dan. 12. Tob. 13. 2. Tim. 3. Luc. 11. Eccl. 43. 2. Tim. 4. Eccl. 37. Prou. 10. Bar. 4. Mal. 2. Pro. 15.

ſunt enim ibi perpetuæ ęternitates viuentiũ, & gaudentium. Pſ. *In æternum exultabunt, & habitabis in eis.* Et licet ſit vna æternitas eſſentialis, tamen ſunt multæ ęternitates partitiuæ. Vnde & dies anni
Mich. 5. dicuntur ibi eſſe ęterni. Micheę 5. *Egreſſus eius à diebus æternitatis.* Et in Pſa. *Annos æternos in mente habui.* Et inuiſibilia æterna dicun-
2. Cor. 4. tur. 2. Cor. 4. *Quæ autem non videntur æterna.*

SECVNDO in themate aſſumpto, notatur ineuitabilis cõmunio, quia. ſ. ineuitabiliter communicant in morte doctus & indoctus, q. d. ſicut moritur vnus, ita & alius. Ratio autẽ huius eſt, quia qui ſunt ſimiles in delicto, debent pati ſimilę pænã. Sed omnes homines tam docti, quã indocti, sũt ſimiles in debito ſiue peccato, ex quo ſequitur pœna mortis. ſ. in peccato originali, quod trahitur ex Adam, & ideo dicitur quod in Adã omnes peccauerũt, ergo ſic dicitur mori ſiue doctus,
1. Cor. 15 ſiue indoctus. Vnde 1. Cor. 15. dicitur. *In Adam omnes moriuntur.* Et dico ſic, quantũ ad mortis terminũ, quia cuiuſcunque hominis vita per mortem terminatur, ſed nõ quantũ ad mortis modũ, quia nõ omnes eodem modo moriuntur. Sed notandũ, quod duplex eſt mors, ſecundum quã attenditur duplex ſimilitudo. Prima eſt mors naturæ. In hoc aſſimilantur non ſolum omnes homines, ſed etiam omnia animalia. Deus enim à principio in hoc honorauerat hominem ſuper omnia animalia, quod dederat ſibi gratiã qua poterat nõ mori. Sed homo per peccatum inobedientiæ, hoc honore reddidit ſe indignũ. Et ideo cõueniens fuit, vt ſublato hoc priuilegio honoris, per actũ pertinẽtẽ ad animalem vitã. ſ. per eſum pomi vetiti, rediret ad cõmunitatem, & cõmunẽ mortalitatẽ omnium animaliũ. Et idcirco dicitur in Pſ. *Homo cũ in honore eſſet, &c.* Et Eccl, Eccl. 3
3. *Dixi in corde meo de filijs hominũ vt probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtijs. Et idcirco vnus eſt interitus hominũ & iumentorum, & æqua vtriuſq; conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Similiter ſpirãt omnia, & nihil habet homo iumẽtu amplius.* Et loquitur quantũ ad iſtud, quod ſenſibiliter & viſibiliter apparet, quia anima hominis, quæ remanet immortalis, non videtur oculis corporeis. Vnde ſicut de iumento non remanet niſi cadauer, ita videtur quoq; ad ſenſum, quod ſic ſit de homine, quãuis in rei veritate ſit falſum, hoc tamẽ verũ eſt, quod & homo moritur, & illa etiã moriũtur ſecũdũ corpus quod videtur. Eſt autẽ alia mors. ſ. gehẽnæ, quæ dicitur mors æterna, quia priuat vita ęterna, & omnibus bonis temporalibus. Et dicitur gehennæ propter pænã ignis æterni, & iſta ſequitur ex peccato actuali, & mortali. Et iſta nõ eſt communis omnibus hominibus, ſed tamẽ peccatoribus impęnitentibus, quia. ſ. omnes ſic pereũt in æterna damnatione. Vnde
Luc. 13. *Si non pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Luc. 13.

In quibus quidem verbis primo excluditur culpę remedium, *ſi non pœnitentiam habueritis.*

Secũdo infertur commune ſupplicium: quia *omnes ſimiliter, &c.*

Circa primũ aduertẽdũ eſt, quod pænitẽtia eſt remediũ quo purgatur macula culpæ, & remouetur reatus pœnæ. Dicitur quod leo, qui commixtionẽ leenæ cũ pardo odore cognoſcit, totus in adulteræ ſurgit pœnam, ſed ſi leena poſt cõmixtionem in flumine lauetur, nihil tunc à leone percipitur. Sic ſi anima Chriſti ſponſa, diabolo peccãdo coniũgitur, ipſe Chriſtus qui eſt leo de tribu Iuda, ad vindictã cõtra eã merito prouocatur.

Sed

Sed si anima in flumine lachrymosæ pœnitentiæ lauetur, ab ipso Christo peccatū dissimulatur & parcitur. Vnde Ambro. Quod defendi non potest, ablui potest, lauēt lachrymæ delictū, quod voce pudor est confiteri, lachrymæ veniā non postulant, sed merentur. Exec. 18 *Si impius egerit pœnitentiā ab omnibus peccatis suis, omniū iniquitatum eius non recordabor.* Sed econtra dicitur Eccl. 2. *Si pœnitentiam non egerimus*, s. de peccatis, *incidimus in manus Domini, & non in manus hominum.* s. reuelantiū, quia in inferno nulla est redeptio. Illi qui nunc agunt pœnitentiā, incidunt in manus hominū irridētiū ipsos, tanquā pappalardos. Sed qui nō agunt, incidūt in manū fortiorem. s. Dei punientis eos. Sed videtur quod eligibilius sit incidere in manus Domini, quā in manus hominum, per illud 2. Regum vlt. *Melius est vt incidam in manus Domini, multæ enim misericordiæ eius sunt, quam in manus hominum.* Sed dicēdum est ad hoc, quod verum est hoc in præsenti, quia nunc est tempus misericordiæ, sed non in futuro, quia tunc erit tempus iustitiæ. Et ideo tunc horrendum erit incidere in manus Dei viuentis, vt dicitur ad Hebræos 10. Secundo in auctoritate adducta, subinfertur commune supplicium. s. hominum impœnitentium: quia *similiter peribitis.* Nota, quod quādo aliquis vadit per viam malam & suspectam, vbi consueuerunt homines expoliari à latronibus, & occidi, & dicitur ei, nō teneatis viam istam, si non vultis perire, sed teneatis viam talem, quæ est bona & secura, & ipse nō vult assentiri, vt exeat de via periculosa, & vadat per viam securam, talis est stultus & insipiens. Stultus, quia non exit de via mala: insipiens, quia non vult tenere viam bonam, & ideo merito perit & ipse, & qui cum eo pergūt. Sic via mala, in qua sunt latrones expoliātes, est via peccati, in qua dæmones expoliant animam gratia & virtutibus. Figura huius habetur Luc. 10. de eo qui descendebat à Hierusalē in Hiericho, id est, à iustitia in culpam, qui incidit in latrones, id est dæmones, vel ipsa peccata, & expoliauerunt eum. s. gratuitis, & vulnerauerūt. scil. in naturalibus: quia in statu peccati vulneratur intellectus per ignorantiam; & affectus per malitiam, & concupiscibilis per cōcupiscentiam mali inordinatam; & irascibilis per impotentiā boni, semiuiuo relicto, quia licet peccator viuat vita naturæ, non tamē vita gratiæ. Sed via bona & secura est via pœnitentiæ: quia sicut dicitur Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet & non morietur.* Est ergo stultus, & qui non vult exire de via peccati, & insipiens, qui non vult ire per viam pœnitentiæ: omnes ergo qui tales sunt, simul pereunt. Ps. *Simul insipiens & stultus peribunt.* Sunt enim quidam stulti, qui nolunt ire per viam pœnitentiæ: quia nolunt dimittere peccata. Quidā vero insipientes sunt, qui etiam nolunt ire per eam, quia nolunt sustinere aspera, & vtrique simul pereunt, scilicet in æterna damnatione.

TERTIO in themate assūpto ponitur laudabilis priuatio, cū dicitur: *indoctus.* Indoctus enim proprie vocatur ille, qui non didicit, quę tamen discere poterat, & hoc plerunque peruenit ex superbia. Vnde dicitur Prouer. 21. *Superbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.* Vbi tanguntur breuiter tres modi hominum indoctorum.

Nam quidam sunt indocti à veritatis cognitione, & prouenit ex superbia: vnde dicit, *superbus.*

Ezec. 18 — Eccl. 2. — 3. Reg. vlt. — Heb. 10. — Eze. 18. — B — Prou. 21.

Quidam vero ſunt indocti, quãtum ad ſui æſtimationem, & hoc prouenit ex arrogantia, & ideo dicit: *& arrogans.*

Quidam vero ſunt indocti quãtum ad rectam operationem, & hoc prouenit ex ira: & ideo dicitur quod *in ira operatur ſuperbiam.*

Quãtum ad primum ſciendum eſt, quod quidam ſunt indocti quantum ad cognitionẽ veritatis tripliciter. Vno modo, quia doctrinam veritatis ignorant, & hoc plerumque ex ſuperbia peruenit: quia ſuperbus innititur proprio ſenſui, & deſpicit ſenſum alterius, & ideo non vult ſubijcere ſe ſcientibus ad diſcendum. Et ideo

Iob. 4. dicitur Iob 4. Superbiam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo, nunquam dominari permittas. Aliquãdo vero poteſt prouenire etiam ex accidia, quod homo non curat diſcere ea quæ poteſt, & tenetur ſcire: quia accidia refugit ſpirituale bonum, inquantum eſt impedi-

Oſea. 4. mentum boni corporalis, & tali dicit Dominus Oſeæ 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam ego te.*

Quidam vero ſunt indocti, quia in cognitione veritatis errant, ſcilicet falſa pro veris approbantes. Et hoc etiam quandoq; prouenit ex ſuperbia, quia tumor mẽtis eſt obſtaculum veritatis, ſicut Greg. dicit. Exiſtimat enim quandoque homo ſuperbus ſe intelligere ꝙ non intelligit, & tales dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.

Quidã vero ſunt indocti quantũ ad cognitionem veritatis, quia in doctrina falſitatis pertinaciter perſeuerant; & talis eſt pertinacia eius qui errat in his quæ pertinẽt ad fidẽ, & quæ hæreticum faciũt, quæ quidẽ pertinacia ex ſuperbia oritur, magna enim ſuperbia eſt, vt homo ſenſum ſuum præferat veritati diuinitus reuelatæ. Vnde

Hier. 49 ſuper illud Hiere 49. *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui,* &c. dicit gloſſa. Hæreticum non facit error, ſed ſuperbia. Secundò, ſunt aliqui indocti quantũ ad ſui reputationẽ, ſiue æſtimationẽ, & hoc pertinet ad arrogãtiã, & ideo additur in auctoritate inducta, *& arrogans vocatur indoctus,* & hoc propter deceptionẽ quam habet arrogans in ſui æſtimatione, & reputatione. Et iſtã æſtimationẽ quã habet ipſe de ſe, apperit etiã eſſe in alijs. Nam ſicut dicit Greg. 24. moral. Quatuor ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogãtium demõſtratur. Prima eſt, cum bonũ à ſemetipſis habere ſe exiſtimant. Et iſta eſt exiſtimatio indocti: quia repugnat ſanæ doctrinæ A-

poſtoli dicentis. 1. Cor. 4. *Quid habes o homo quod non accepiſti? ſi autẽ accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* Secunda eſt, quando bonũ ſibi datũ deſuper credunt, ſed pro ſuis hoc accepiſſe meritis putant, & hoc etiam putare eſt hominis indocti, & ignorantis doctrinam ſanam eiuſdem Apoſtoli, dicentis 1. Cor. 4.

Tit. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* Tertia ſpecies eſt, cum iactant ſe habere quod non habent, & in hoc etiã, ſi credant ſic eſſe vt iactant, oſtẽduntur eſſe indocti & inſipiẽtes, vel ſi velint alios hoc credere, quod ipſi ſciunt non eſſe verum, præſumunt illos eſſe indoctos. Quarta ſpecies eſt, quando deſpectis ceteris, ſingulariter volunt videri habere quod habent, & hoc eſt, quia tales præſumunt de ſe, ac ſi ſingulariter omnes excederent, in quo profecto decipiuntur tan- Tit. 3.

quam indocti. Eccl. 8. *Ne communices homini indocto,* id eſt, arrogãti, id eſt, non habeas cũ illo familiaritatẽ: *ne male de progenie tua,* id eſt, de operibus tuis, *loquatur,* ſ. detrahẽdo: quia homo arrogans, vt videatur ipſe præ omnibus excellens, male de alijs loquitur, etiã Eccl. 8.

de

de domesticis. Et propter omnia prædicta arrogantia est odibilis Deo, secundum illud Prouer. 16. *Abominatio est Deo omnis arrogans.*
Prou. 16 Tertio, sunt aliqui indocti quantũ ad operationem, sicut est ille qui in ira operatur superbiam: nam ira non audit consilium; & superbia contemnit præceptum & documentum, ideo iratus, & superbiens indoctè operantur. Eccl. 7.
Eccl. 7. *Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.* Ps. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam:* & ideo oportet mansuete, & humiliter bona operari, si quis vult habitare in domo cœlestis gloriæ. Ad quam nos perducat Deus, &c.

In funere visitatoris, in visitatione decedentis.

SERMO XXVI.

Esa. 60 PONAM *visitationem tuam pacem.* Esa. 60.

Frequenter cõtingit, quod vnus bonus & iustus homo, existens in aliquo collegio, siue à prælato, siue à consocijs iniuste perturbatur & molestatur: sed misso, vel veniẽte illuc aliquo visitatore bono, fit ei ius, & ponitur in pace, vel aliquãdo inde educitur, & ponitur in meliori collegio, vt ibi pacem ille habeat, & alij puniantur sicut iustitia exigit. Figura huius habetur Genes. 19. in Loth, quando angeli à Deo missi, tanquam visitatores, ad terram Sodomorum, eripuerunt inde Loth qui erat iustus, & affligebatur ab eis, & miserunt eum ad locum tutum & pacificum, & Sodomitas puniunt. Vnde dicitur 2. Petri 2.
2. Pet. 2. *Iustum Loth oppressum, à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animã iusti iniquis operibus cruciabãt.* Nouit igitur *Deus pios de tentatione eripere.* Simile ergo accidit in morte cuiuslibet iusti, & sancti viri. Cùm enim in mundo isto iustus homo affligatur ex multis, in morte tamẽ fit visitatio iustitiæ à Deo, & eripitur à mũdi afflictionibus, & ducitur ad tranquillitatem & quietẽ pacis æternæ. Propter quod in Psal. dicitur: *Multæ tribulationes iustorum, & ex omnibus his liberabit eos Dominus.* Sic etiã modo accidisse videmus isti sancto, & probo viro defuncto, qui dum alios visitare cœpisset laudabiliter & iuste, ipse visitatus est à Domino per mortem: vt scilicet de tribulationibus, & miserijs istius mundi eductus, in æternitatis pace quiescat. Et ideo bene poterat dicere illi Deus. *Ponam visitationem tuam pacem.*

In quibus quidẽ verbis tria prędicuntur, quæ circa istum defunctum à Deo sunt impleta. A

Et primum est promissio infallibilis, quia promittendo dicit: *ponam.*

Secundum est eductio amicabilis, quia *visitationem tuam,* scilicet qua visitabo te in morte sicut amicum, ad educendum te de carcere corporis.

Tertium est tranquillatio desiderabilis: quia *pacem.*

CIRCA primum attendendũ est, quod sicut nos videmus in curiis dominorũ, quod certo tempore ponunt se iudices ad examinandum, siue ponderandum merita causarum, & iura vniuscuiusque, vt postea diffiniant & sentẽtient secundum mensuram iustitiæ. Ita facit Deus qui est iudex iustus, fortis, & patiens: quia adueniente tempore mortis, ponit se ad examinandum merita vniuscuiusque, vt reddat vnicuique pœnam vel præmium secundum pondus culpæ suæ, & secundum

dum mensuram iustitiæ suæ. Figura habetur de hoc Matth. 25.
Mat. 25. de eo, *qui vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua*, scilicet Deus hominibus bona naturæ, & gratiæ, & fortunæ. *Et post multum temporis*: scilicet in fine vitæ, vel in fine mundi *venit*; id est veniet dominus *seruorum illorum, & posuit*, id est ponet, quia ratione certitudinis ponitur præteritum pro futuro, *rationem cum eis, &c.* Et ratio est, quia non videmus in mundo aut bona sufficienter remunerari, aut mala sufficienter puniri. Et ideo conueniens est quod fiat iudicium, in quo vnusquisque accipiat secundum opera sua: quod quidem in morte fit occulte, sed in fine mundi fiet manifeste. Vnde dicitur Esa. 28. *Ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura, & subuertet grando spem mendacij: & protectionem, aquæ inundabunt: & delebitur fœdus nostrum cum morte, & pactum nostrũ cum inferno.*
Esa. 28 In quibus quidem verbis quatuor describuntur, quæ erga homines in morte contingunt.

Primum est iudicis æquitas, cùm dicit: *ponam in pondere, &c.*

Secundum est mortis veritas, cùm subditur: *& subuertet grando, &c.*

Tertium est punitionis immensitas, cùm additur: *quæ inundabunt.*

Quartum est deceptionis claritas, cùm subinfertur: *& delebitur fœdus, &c.*

Circa primum aduertendum est, quod aliud iudicium fit in morte de his, quæ fecerunt mala, & aliud de his, qui fecerunt bona. Nam quantum ad eos qui mala fecerunt, dicitur primo, *ponam in pondere iudicium*. Nam peccata ponderosa sunt, & quædam peccata sunt alijs grauiora. Vnde sicut pondus trahit corpus ad imũ, sic peccatum animam ad infernum. Ille qui portat nimis graue pondus, currit festinus, vt cito deponat. Sic qui sentit onus peccati, deberet currere ad pœnitentiam, vt cito deponeret, antequam mergeretur in infernum. Heb. 12. *Deponentes omne pondus & circumstans peccatum, per patientiam curramus.* Tunc ergo ponitur in pondere iudicium, quando est grauitas pœnæ inflictæ, secundum grauitatem culpæ; & sic fit in morte ponderatio culpæ & pœnæ in statera Dei, id est in æquitate diuini iudicij Prouerb. 16. *Pondus & statera iudicia domini.* Sed quantum ad iudicium eorum, qui bona fecerunt, subditur: *& iustitiam in mensura.* Nam iustitiæ hominum dicuntur opera bona, debito modo facta Vnde de tali iustitia dicitur Matt 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, talem ergo iustitiam ponit Deus in mensura, quãdo scilicet secundum operum merita, reddit vnicuique premia. Marc. 4. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Secundo in auctoritate inducta describitur mortis veritas: cum dicitur: *& subuertet grando*, id est impetus mortis, *spem mendacij*, id est spem mendacem, quam habebatis de prolixiori vita, *& protectionem*, scilicet vitæ vestræ, id est quidquid faciebatis ad protegendam & cõseruandam vitam vestram. Et ita veritas mortis manifestabit mendacem fuisse spem vestram: & nihil valere protectionem vitæ vestræ. Figura huius habetur. Luc. 12. scilicet in illo diuite qui dixit. *Congregabo bona mea: & dicam animæ meæ. Anima mea habes multa, &c. Dixit autem illi Deus. Stulte hac nocte, &c.* Ecce quod iste diues longiori tempore viuere sperabat dicens animæ suæ *habes multa bona, &c.*

Hebr. 12.
Prou. 16
Mat. 6.
Marc. 4
Luc. 12

na, &c. Ecce quod ad protectionē & cōseruationem vitæ suæ, multa bona congregauerat: & tamen mendacium spei suæ, & inualitudo suæ protectionis, eadem ei nocte apparuit. Vnde omnes tales cùm ad mortem perueniunt, dicere possunt illud Esa. 28. (Esa. 28.) *Posuimus mendacium spem nostram: & mendacio protecti sumus.* Et totum hoc ostendit *grando*, id est impetus improuisæ mortis: omnia simul, in quibus homo confidebat subuertendo. De hac grandine dicitur Apoc. 16. (Apo. 16.) *Grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines.* Ista grando, quæ subito & cum impetu descendit, est mors quæ subita & improuisa venit, & dicitur descendere de cælo in homines, quia ex domini sententia prouenit data: scilicet cōtra primos parentes, & in eis super totā naturam humanam, cùm dixit Adæ Deus Genesis 2. (Gen. 2.) *Quacunque hora comeditis ex eo,* scilicet de ligno scientiæ boni & mali, *morte moriemini.*

Vnde etiam Apost. ait Rō. 5. (Rom. 5.) ꝙ *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum: & per peccatum mors.* Et hæc grando tanto impetu venit, quod omnem hominem prosternit. Esa. 28. (Esa. 16.) *Sicut impetus grandinis, turbo consurgens, &c.* Dicitur etiam esse magna, id est magnæ potestatis, quia scilicet nullus hominum ab ea tueri se potest. Vel dicitur esse magna sicut talentum, id est sicut peccatum, scilicet primi parentis: quod assimilatur talento ratione grauitatis. Vnde sicut illius peccatum, fuit ita magnum, quod ad omnes homines se extendit, ita mors: propterea dicit Apostolus, quia *sicut in Adam omnes peccauerunt, ita in eo omnes moriuntur.*

Tertio describitur in auctoritate inducta punitionis immensitas, quæ fit in peccatore post mortem, quia *aquæ*, scilicet tribulationum & pœnarum *inundabunt.* In qua scilicet inundatione, intelligitur & abundantia, & diuersitas pœnæ: quia aqua non dicitur inundare, nisi quando multum abundat, & multæ vndæ sunt multæ pœnæ. Videmus enim quod secundum abundantiam pluuiarum, fit inūdatio fluuiorum. Sic secundum abundantiam culparum, est inundatio pœnarum. De inūdatione vitiorum dicitur Osee 4. (Osee. 4.) *Maledictum, & mēdacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* Sed de inundatione aquarum, id est pœnarum dicitur Thren. 3. (Thrē. 3.) *Inundauerunt aquæ super caput meum.*

Vel sicut abundat fluxus aquarum, id est concupiscentiarum, ita inundabunt torrentes pœnarum: dicente Deo Apoc. 18 (Apoc. 18) *Quātum glorificauit se & in delitijs fuit: tantum dati illi tormentum & luctum.* ps. Fluxerunt aquæ & torrentes inundauerunt. Et assimilātur pœnæ infernales torrentibus: quia aliquando torrentes sunt torridi, scilicet à calore desiccati: aliquando aquis pleni: in quo figuratur quod damnati, sicut dicitur Iob 24. (Iob. 24.) *transibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium.*

Quarto describitur in auctoritate adducta deceptionis claritas: cùm dicit, *& delebitur fœdus nostrum cum morte, &c.* Nam eo ipso quod peccatores non timent mortem, nec infernum, videntur fecisse pactum cum vtroque; sicut homo non timet hostem, cum quo habet pacta pacis, seu treugę seu induciarum: mortem enim non timent, quia sperant diutius viuere; infernum etiam non metuunt, quia etiam malefacientes, sperant finaliter conuerti, & ad ipsum non ire: vnde neutrum timent, ac si essent cum vtroque confœ-

confęderati. Vnde Esa.28. *Dixistis enim. Percußimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Sed tunc istud pactum apparet deletum, quādo peccator morte præoccupatur, & impœnitens ad infernum deducitur, & tunc clare sentit quomodo miser deceptus fuit.

Esa.28

B SECVNDO in themate assumpto ponitur eductio amicabilis: cum addit: *visitationem tuam.* Vbi aduertendum, quod aliquando Deus visitat hominem, corrigendo, scil. per flagella infirmitatum, & tribulationum. Nam multi sunt similes pisci, qui dicitur salpa: qui secundum Plinium non potest coqui, nisi primum fuste, vel ferula verberetur. Sic multi non conuertuntur, nisi verberentur flagellis infirmitatis, vel tribulationis: vnde in Psalm. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Aliquando vero visitat Deus illuminando per inspirationes, & excitando ad desiderium cœlestis glorię. Luc. 1. *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his, &c.* Aliquando vero visitat corporaliter, mortem immittendo, vt educat hominem de miserijs huius mundi, ad gloriam patriæ cœlestis. Cuius figura habetur Genes. vlti. vbi dixit Ioseph ad fratres suos. *Deus visitabit vos & ascendere vos faciet à terra ista ad terram quam iurauit Abrahā, Isaac, & Iacob.*

Luc. 1.

Gen. vlt.

In quibus quidē verbis tanguntur tria, quæ pertinēt ad mortem iustorum, scilicet beneficiū, meritum, & prœmium.

Beneficium in visitatione: quia *Deus visitabit vos.*

Prēmium in ascensione: quia *ascendere vos faciet, &c.*

Meritum vero ostenditur in promissione, quam iurauit, id est, firmiter promisit Abrahę, Isaac, & Iacob.

Notatur ergo primo beneficium visitationis, cùm dicitur: *Deus visitabit vos.* Specialiter etiam mors sanctorum, est amicabilis visitatio Dei. Non enim esset modicum beneficium, amicum in pœnoso existente carcere visitare, & eum inde educere. Sic Deus visitat amicum suum, scilicet spiritum hominis sancti, in morte corporis, vt eductum de pœnoso carcere corporis, ducat ad libertatem gloriæ filiorum Dei. Vnde pro magno beneficio hoc Psalm. petebat à Deo dicens. *Educ de carcere Deus animam meam vt confi. no. tu. &c.* In hac visitatione licet deficiat corpus: tamen custoditur spiritus. Vnde Iob 10. *Visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Iob 10.

Secundo notatur prēmium in ascensione: quia *ascendere vos faciet à terra ista,* scilicet mundi, *ad terram,* scilicet viuētium. Sed notādum, quod terra ista in qua habitamus, media est inter terram viuentium, id est, eorum qui beatam ducūnt vitam, de quo Psalm. dicit, *Portio mea Domine sit in terra viuentium:* quæ etiam dicitur terra ratione stabilitatis, quia *terra in æternum stat:* vt dicitur Ecclesiast. 1. & terram miserorum & damnatorum, de qua dicitur Iob 10. *Terra miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, &c.* Et quia terra miserorum est in profundo inferni, qui illuc vadūnt dicuntur descendere: & tales sunt qui sunt graues, id est, peccatis grauari, & in eis obstinati, & ad modum lapidis indurati. Vnde de talibus dicitur Exod. 15. *Descenderūnt in profundum quasi lapis.* Terra vero viuentium, est superius in monte, id est, in cœlesti altitudine, & ideo qui ad illam vadunt, ascendere dicuntur. Et tales sunt qui sunt leues, id est, immunes à grauibus peccatis cordis, vel operis, sicut

Iob 10.

Exod. 15.

sicut sunt innocentes, vel perfecte pęnitẽtes. Et ideo de eis postquam quæsiuit Psal. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* subditur ibidem respondendo ad dictam quæstionem. Innocens manibus, id est, operibus: & mundo corde, supple ascendet illuc.

Tertio in auctoritate inducta, describitur præmium, quo ad vitã ęternam ascenditur, in eo quod dicitur: quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob. Ex quibus verbis datur intelligi, quod ad terram illam viuentium, ascenditur merito fidei, & spei, & charitatis. Nam sicut dicit glossa super illud Matt. 1. Abraham genuit Isaac, & Isaac genuit Iacob. Per Abraham figuratur fides; per Isaac spes; per Iacob vero figuratur charitas. Vnde tales virtutes habentibus, & eis vtentibus, iurauit Dominus. i. firmiter promisit dare illam terrã viuentium, id est, ęternam stabilitatem vitæ beatæ. Figura huius habetur, etiam Exo. 33. vbi dicitur. Eduxisti populum tuum in terram quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens. Semini tuo dabo eam. Nam si per Abraham figuratur fides, semen Abrahæ est fidei actus, qui est credere: & semẽ Isaac est actus spei, qui est sperare, siue expectare, & semen Iacob est actus charitatis, qui est diligere, scilicet Deum & proximum. Ex quibus patet, quod terra ista non dabitur infidelibus, sed solum credentibus: nec dabitur desperatis, sed firmiter sperãtibus: nec dabitur peccatoribus charitate priuatis, sed solum diligẽtibus Deum. (Exod. 33)

G TERTIO in themate assumpto ponitur quietatio desiderabilis: cum dicit pacem. Dicunt iura, bellamus vt pacẽ habeamus. Nũc enim in mundo isto oportet nos continue bellare, quia mundus, caro, dęmonia, diuersa mouẽt prælia. Sed quando in fine belli venitur ad bonam pacem, tunc gaudet homo quod bellum sustinuit. Ita nos in istis bellis quæ patimur, si habuerimus nos fortiter & valẽter, habebimus in fine optimã & perpetuam pacem, de qua in Psal. dicitur. *Posuit fines tuos pacem.* Vbi aduertendum, quod homo habet duos fines vltimos. Vnus est glorificatio animæ post mortem corporis, & hic finis est vita æterna, & hunc finem assequitur homo per meritum bonæ vitę. Nam sanctificata & purificata anima, recipit gratiã Dei, per quam producit fructũ, id est, meritũ boni operis, ex quo sequitur pręmium vitę æternę, quę est vltimus finis. Et ideo dicit Apostolus Rom 6. Habetis fructum vestrũ in sanctificationẽ, finem vero vitam æternam: quæ scilicet vita cõsistit in cognitione perfecta sanctissimæ trinitatis, in qua habet homo perfectissimam pacem. Et hoc ostenditur in ipso nomine pacis, in quo sunt tres literæ, exprimẽtes tres diuinas personas, scilicet P, id est, Pater, & A id est, amor, qui est spiritus sanctus, & X id est, Christus filius Dei. Vnde in visione, & fruitione sanctissimæ Trinitatis, habebimus quietem & pacem. Ps. In pace in idipsum, dormiam & requiescã. Et ratio huius requietionis & pacis est, quia quãdiu homo appetit aliquid & desiderat, nõ est in pace donec habeat illud, ideo nullus in hoc mũdo est in plena pace, quia si habet vnum, desiderat aliud. Sed quando homo nihil appetit quod nõ habeat, & habet omnia appetibilia, tunc erit in plena pace, & hoc est in illo vltimo fine beatitudinis animæ: quia omne quod desiderari potest habet, & inuenitur in Deo, in quo & de quo beatitudo habetur. Vnde Boët. dicit, quod beatitudo est status omniũ bonorũ aggregatione perfectus, & tunc (Rom. 6)

Esa.32. tunc homo requiescet in perfecta pace, de qua dicitur Esa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta* Secundus autem finis hominis, erit glorificatio corporis, scilicet in fine mundi in resurrectione, quæ resurrectio fiet virtute Christi, secundum il-
1.Cor.15 lud 1. Cor. 15. *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, præmitiæ resurgentium, quomodo quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur. ita in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine, præmitiæ Christus: deinde hi qui sunt Christi, qui in aduentu Christi crediderunt, deinde finis.* Nihil enim restabit vlterius habendum, postquam hi qui sunt Christi, id est sancti, resurrexerint cum corporibus glorificatis, & erunt glorificati, & beatificati in anima & in corpore, ex beatitudine animæ in corpus redundante: & tunc erunt in perfectissima quiete & pace, quãdo corruptibile hoc corpus induet incorruptionem, & immortalitatem, & non erit subiectum alicui passibilitati. Erit ergo in fine pax perfecta, & *pacis non erit finis*, sicut dicitur Esa. 9. Ad quam nos perducat Deus, &c.

In funere alicuius dispensatoris vel castaldi.

SERMO XXVII.

VOCAVIT *Dominus villicum: & ait illi. Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.* Luc. 16. Quia Deus dedit
Luc.16. hominibus arbitrij libertatem, qua plerumque ipsi homines & bene vtuntur & male, & non esset côueniens quod ipse Deus, cuius prouidentia omnia gubernantur, finaliter sub prouidentia sua aliquid inordinatum relinqueret: oportet quod vniuscuiusque hominis facta, siue bona siue mala sint, ad examẽ diuini iudicij aliquando reducantur, vt scilicet recte facta approbentur & premientur, & inordinate facta, per punitionem pœnalem, secundum diuinæ iustitiæ rectitudinem ordinentur. Hoc autem in verbis propositis exemplo villici, id est dispensatoris cuiusdam domini demonstratur, à quo dominus de administrationis sibi commissæ dispensatione, districtam rationem exegit: & propter infidelitatem dispensandi, quod ab administratione eum amoueret, comminatus fuit. Et simile faciet Deus cuilibet homini de bonis naturæ, vel fortunæ, quæ sui arbitrij gubernationi commisit, in die mortis, vel in iudicio finali Dicit ergo in prædicto exemplo. *Vocauit dominus villicum.* In quibus quidem verbis, de isto villico seu dispensatore quatuor describuntur, quæ ad iudicium, quod Deus facit in morte vniuscuiusque hominis, congrue referuntur.

Et primum est citationis præuentio: quia *vocauit dominus villicum*, id est citauit ad iudicium suum.

Secundum est diffamationis obiurgatio, cùm subditur: *& ait illi, quid hoc audio de te?* Tertium est administrationis examinatio, cùm additur: *redde rationem villicationis tuæ.*

Quartum est dispensationis priuatio: quia *iam enim non poteris villicare.*

CIRCA primum aduertendum est, quod sicut dicit beatus Hie. villicus proprie dicitur ille, cui commissa est gubernatio & dispensatio eorum, quæ sunt in villa. Sed œconomus vocatur dispen-

dispensator generalis,& pecunię, & frumenti,& omnium quę Dominus possidet. Istę ergo dispensator significat quemlibet hominem,quia cuilibet homini commisit Deus gubernationem villę. id est,personæ propriæ,& bonorum quæ habet dispensationem. Hic ergò à Domino vocatur siue citatur, vt ad iudicium suum veniat,quando per mortem de hoc mundo egreditur:vndè ipsa mors est velut nuncius Domini,citans hominē ad diuinum iudicium. Sed nota differētiam inter diuinum & humanum iudiciū : quia illi qui vocātur siue citantur ad iudiciū curiæ humanæ, aliquādò non obediuntur citationi,neque veniunt ad respondendū iudici, vndè efficiuntur contumaces. [Prou.1.] Prouer.1.Vocaui & renuistis. Sed vocationi siue citationi, quæ fit per mortem ad diuinum iudiciū nullus potest inobediens esse, quia omnes manifestari oportet antè tribunal Christi: & ideò sicut nullus potest subterfugere mortem, ita nec iudiciū; & ideò necessariò in examine illius iudicij,oportet vnumquemque iudici respōdere. Et ideò dicit Iob [Iob 14.] 14.loquens ipsi iudici Deo. Vocabis me,& ego respōdebo tibi.

In quibus quidem verbis debemus attendere duo.

Primò citantis auctoritatem: quia vocabis,id est citabis me ad iudicium,scilicet tu Christe,qui constitutus es à Deo iudex viuorum & mortuorum.

Secundò obediendi necessitatē, quia respondebo tibi, scilicet necessario,quasi non potero subterfugere,quin respondeam.

Circa primum aduertendum est, quod vocatio hominis per mortem, peccatori quidem est valdè terribilis, iusto autē valdè est amabilis. Ratio autem primi est, quia quandò peccator moritur,videt se vocari & citari ad iudiciū districtissimæ examinationis seuerissimę condēnationis,& grauissimæ priuationis, & ideò oportet quod sit in maximo timore. Et de tali vocatione dicitur Esaiæ 22. Vocauit Dominus [Esa. 22.] Deus exercituum in die ista ad fletum, & planctum, & caluitiū. Licet enim ad literam in morte hominis concurrant fletus consanguineorum lachrymantiū, & planctus lamentātium, & caluitium se depilantiū, tamen magis hæc in diuino iudicio contingūt peccatori morienti. Habet enim causam flendi in culparum examinatione, quia in examine diuini iudicij omnia mala & peccata quæ vnquā fecit,venient ita ad publicū,quod nulla poterunt tergiuersatione cælari, multùm autem haberet materiam flendi, qui videret publicari ea, quapropter deberet ad suspendium & mortem condemnari. Et sic peccator, quando videbit apparere omnia peccata sua propter quæ condēnabitur ad inferni patibulum,& ad mortem æternā,flebit. Et ideò benè possunt dicere peccatores morientes,ad diuinū iudiciū veniētes. Vocauit nos Dñs ad fletum. Ibi erit fletus. [Matt.13.] Itē peccator habebit in diuino iudicio causam lugendi, propter pœnarū damnationem, quia damnabitur ad pœnas ęternas,acerbas, & varias. Vndè dicitur animæ dānatæ Hier.6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Et assimilatur perditio animæ perditionę vnigeniti, id est, vnici filii: quia non habet homo nisi vnicā animā,quā si perdiderit,nō habet aliam,quæ saluari possit. Item erit ibi caluitium,quę est denudatio, siue priuatio capillorum, id est, priuatio & expoliatio omnium bonorum. Priuantur enim dānati bonis supernis, id est, gaudiis

cælestibus. Item internis, scilicet gratia & virtutibus, & omni interiori consolatione, & est tota anima repleta doloribus. Item sūt priuati bonis externis.i.temporalibus omnibus: vt nūquā.s.
Esa.3. possint ex eis aliquod subsidium accipere. Esa.3. Decaluabit Dñs verticem filiarum Syon, id est, animarum damnatarum. Sed homini iusto vocatio, quæ fit in morte, est valdè amabilis: siue respectu termini à quo, siue respectu termini ad quem vocatur. Nā per hanc vocationem educitur à mundo angustioso: & pœnoso, perducitur tanquam filius Dei cū honore ad cælestem hæreditatē. Vndè de tali vocatione hominis
Oseæ 11 iusti dicitur figuratè Oseæ 11. Ex Ægypto vocaui filium meum, Ægyptus enim interpretatur angustia siue tribulationis coangustatio: vndè rectè significat mundum istum, in quo viri iusti multum, angustiantur & tribulantur vndè Psal. dicit in persona cuiuslibet iusti. *Tribulatio & angustia inuenerunt me*. Nam nihil est in mundo, quod non habeat plus de tribulatione: quā de cōsolatione.
Num.11 Hoc figuratur Numer.11. in filijs Israël qui dixerunt *in mentē nobis veniunt cucumeres, & pepones porrique & cepæ & allia quos comedebamus in Ægypto*. Omnia enim hæc.s. porri, cepæ, & allia, plus habent acredinis quam dulcoris. Vndè signant bona huius mūdi, quæ plus habent pœnalitatis quā delectationis. Vndè amabile est viro iusto ex hac Ægypto.i. mūdo angustioso vocari, & educi. Itē quia ex tali vocatione producitur ad hæreditatē cælestē, quod notatur in auctoritate prædicta, in eo quod dicit *Vocaui filiū meū*.
Gal.4. Gal.4. *Si filius & hæres*: imò cohæredes Christi vt.s. cū Christo Dei filio, perfruatur cælesti hæredita-
1.Cor.1. te. Vndè 1.Cor.1. *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Domini nostri Iesu Christi*. Secundò in auctoritate Iob superius adducta, notatur obediendi necessitas, cùm dicitur: *respondeo tibi*, quasi non potero subterfugere, vt vocatus & citatus à te, non veniam ad examen iudicii tui, in quo necessariò oportebit me respondere tibi.

Notandum enim est hic, quòd duplex est Dei iudiciū, ad quod vocatur homo vt respōdeat. B
Primum est iudicium pænitentiæ, Ad quod vocatur peccator viuēs, diuersimodè. Primò quidem per literas, scilicet scripturarum, ad pænitentiam vocantiū & citantium: quas literas offerūt peccatoribus sancti prædicatores, sicut dicitur Mat.3. quod venit Ioan, Bapt. prędicans in deserto Iudęę: & dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorū*. Et Petrus prædicās ad populum
Act.3.ait. *Pœnitemini, & conuertimini vt deleantur peccata vestra*. Act.3.
Secundò vocat ad pænitentiam nutu manus, vel signis creaturarū quarum beneficia etiam peccatoribus non subtrahit, quāuis eum frequenter offendant: vt eius cōsiderantes benignitatem, saltem per pænitentiam ad eum redeāt. *An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. Sed quia Rom.2.
ipsi ad hoc non attendunt, conqueritur. Prou.1. *Extendi manum meam, nec fuit qui aspiceret*. Extē- Prou.1.
dit enim Deus manum suam, sua beneficia largiendo, innuens per hoc, vt ad Deum redeamus: sicut reuocatur accipiter cibum offerendo. Tertiò vocat Dominus ad pænitentiam vocibus, id est, inspirationibus. Esaiæ 30 *Aures tuæ audient verbum post tergum* Esa.30.
monentis Psalm. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus meus*, qui stat ad ostium cordis & pulsat: sed multi non aperiunt ei,

quod

quòd est magna rusticitas. Quarto vocat & citat Dominus ad iudicium pœnitentiæ per nuncios, id est, per flagella, quæ deferunt nobis signum salutis Sap. 16. *Ad correptionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis.* Istis ergò nunciis debemus respondere per contritionem, confessionem, & satisfactionem, sed miseri peccatores non respondent, imò turpiter eiiciunt, & sine honore remittunt, sicut 2. Reg. 10. factum est nunciis Dauid, missis ad Ammon. Vndè multi peccatores vocati, & citati à Domino omnibus prædictis modis, vt veniant ad pœnitentiæ iudicium: non respondent vocati, neque citationi obediunt. Et mirabile est, quòd canis vocatus à Domino statim vadit & currit ad eum, & factura ad creatorem, filius ad patrem, seruus ad Dominum venire contemnit. Ideò cõqueritur Iob 19. *Seruum meum vocaui & non respondit mihi.*

Sap. 16. — B — Iob 29.

Vndè stulti non respondendo vocati à Domino, nec obediendo citationi iudicis, efficiuntur contumaces & rei. Nam secundùm humanum iudicium dicitur esse cõtumax, qui citatus tribus edictis, vel vno pro omnibus, nõ venit ad iudicium. ff. de re iudi. l. contumacia. Et hoc modo peccator citatus à Deo tripliciter. s. per eius flagella, per eius verba, & per eius beneficia, si nõ venit ad iudicium pœnitentiæ, contumax est. Item dicitur esse contumax, qui non vult respõdere, puta qui impedit, vel procurat, quod citatio ad ipsum nõ perueniat, & talis pro citato debet haberi. ff. de regu. iu. l. ad ea. paragr. semper & l. in iure ciui. & l. quibus diebus. Et huic assimilantur peccatores, qui prædicatores & prædicationes refugiunt: quorum scilicet verba, sunt velut iudicis edicta. Vndè de talibus peccatoribus dicitur Iob 21. *Dixerunt Deo recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Item nota quod dicitur contumax, qui venit in præsentiam iudicis, sed non exhibet se, siue repræsentat sic, quod iudex ipsum cognoscat: sed potius latitat retrò columnas, aut stationes. ff. ex quibus causis in pos. ea. l. fulcinius. paragr. quid sit latitare & parag. Item sciendum. Et huic assimilatur is, qui venit ad pœnitentiam vel confessionis iudicium, sed non sic cõfitetur quod sacerdos eius conscientiam agnoscere possit, aut quia occultat, aut quia palliat, vel excusat & huiusmodi. Vndè etiam in humano iudicio dicitur contumax, qui iudici obscurè respondet. Et sic qui confitetur per verba obscura, & inuoluta. Item dicitur contumax, qui recedit sine licentia, in auct. de litigio. paragr. coram vero, col. 8. & talis est qui recidit in peccatum, vel qui pœnitẽtiam sibi impositam non perficit, sed absque dispensatione, vel licentia sacerdotis eam dimittit. Dicitur etiam contumax, qui ad præceptum iudicis non desistit, in quo casu, res manu militari ei iubetur auferri. ff. de rei ven. l. qui restituere iussus. Et his assimilantur, qui ad dictum sacerdotis aliena non restituunt, postquam confessi sunt: vnde Deus per alias vias aliquandò aufert eis, ex quo restituere nolunt. Omnes autem dicti contumaces, dicuntur non respondere; aut quia nullo modo respondent; aut quia non vt debent, & ideò omnes punientur à Deo, sed aliter quam puniatur contumacia in iudicio canonico humano. Nam canon dicit contumacem excommunicari debere 11. q 3. certum: quia omnis contumacia

Iob 21.

graue crimē poteſt dici, eſt enim quaſi crimen idolatriæ repugnare velle & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere:octaua quęſtio ne prima,ſciendū. Sed de pœna quæ infertur à Deo non reſpondentibus vocationi, & citationi ſuæ ad iudiciū pœnitentiæ dicitur [Eſa.65.] Eſa.65. *Omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocaui & non reſpondiſtis mihi.* Et vult dicere:omnes in cæde,id eſt,mortis occiſione corruetis in infernum. Sed eſt aliud Dei iudicium, ſcilicet iuſtitiæ, quod fit in morte vniuſcuiuſque, & hoc nullus poteſt ſubterfugere,nec contumax eſſe, vt non aſſiſtat iudici ad reſpondendum ei & ſe manifeſtãdo,& eius ſententiæ parendo. Sed quid poterit miſer, & impœnitens peccator reſpondere in illo iudicio? certè non niſi malè pro ſe. [Iob 31.] Vnde Iob 31 *Cum ſurrexerit ad iudicandū Deus, & cū quæſierit,quid reſpondebo ei?* Sed ſi benè reſpōdiſſet hic in iudicio pœnitentiæ,non oporteret timere in illo iudicio iuſtitiæ, [1.Cor.11] quia vt dicitur. *Si noſmetipſos diiudicaremus: non vtique à Domino iudicaremur*, ſcilicet ad pœnam.

[C] SECVNDO in themate aſſūpto ponitur diffamationis obiurgatio,cùm dicitur: *quid hoc audio de te?* vbi notandum, quod ponitur obiurgatio per modum inquiſitionis. Et tanguntur in ea tria,quæ præcipuè ſunt in inquiſitione obſeruanda. Primum eſt ex parte inquirentis:quia, *ait illi.* Vbi nota,quod iſtud de quo villicus apud eum fuerat diffamatus, & de quo volebat inquirere:non ei tacuit,ſed *ait illi:* ſcilicet præſenti. Ex quo colligitur,quod ille contra quem fit inquiſitio debet eſſe pręſens,& omnes cōtra quos proceditur,niſi per cōtumaciam ſe abſentet: & debet fieri coram Eccleſiæ ſenioribus, & ea quæ obiiciuntur ei, vel de quibus debet inquiſitio fieri,ſunt illi exponenda, vt facultatem habeat defendendi ſeipſum, & non ſolùm dicta, ſed etiam nomina teſtium ſunt ei dicenda:vt quid,& à quo ſit dictum appareat: vt extra de accu. inquiſi. & denun. qualiter & quando & 5.qu.2. ſi primates. Sed tamen cauti iudices cōſueuerunt tradere depoſitiones ſine nominib.& nomina ſine depoſitionibus,propter teſtiū odia euitanda. Secundū quod attendendum eſt in inquiſitione, eſt ex parte criminis: quod notatur cū dicitur: *quid hoc audio*, hoc ſcilicet crimen,de quo præmiſerat quod diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona illius. Ergò de dilapidatione bonorū ſibi commiſſorū inquirebat, quę furtum & graue crimen includebat. Ex quo etiam colligitur, quod non de leuibus,ſed de grauibus debet inquiſitio fieri, vt de homicidio, vel hæreſi, ſimonia,adulterio,fornicatione,& huiuſmodi,extra de accu.inqui. Item dixit *audio*:quia tunc debet moueri ad inquirendum, cum crimen commiſſum non tamen ſemel,ſed ſæpè,& per famam ad aures eius peruenerit. Et exponūt quidam ſæpè, ſaltem duabus vicibus vel pluribus, & hoc innuit ipſa diffamatio villici iſtius:vndè dixit *audio*, ſcilicet ſæpè,& à fide dignis: vndè debet eſſe talis cōtra quem inquiritur, vt ſit infamatus non à maleuolis vel inimicis & maledicis, ſed à bonis & diſcretis, vt extra de accu. qualiter, & quandò, & extra de purga.ca. cum in iuuentute & 2.q.5.omnibus. Et dixi à bonis & diſcretis,quia ſufficit quòd apud bonos & graues ſit diffamatus, non diſtincto à quibus ortum habuerit diffamatio, quia infamia ab incerto auctore procedit 2.qu.3.ſacramentum.

Tertium quod debet attendi in inqui-

inquisitione, est qualitas eius cō-tra quem fit inquisitio, & ideò dixit, *de te*, scilicet villico meo, qui villicus præerat villæ, in quo figuratur prælatus qui præest Ecclesiæ. Ex quo colligitur, quod non solùm contra subditum, sed etiam contra prælatum inquiri potest & debet, cū excessus eius supradicto modo fuerit auditus, vt extra de accusa. qualiter & quando. Sed quantum ad iudicium diuinum, quod fit in morte cuiuscunq; hominis, ipsa propria consciētia coram Deo accusabit. Et tunc dicere poterit ei Deus, *quid hoc audio de te?* auris enim Dei spiritualis est, & ideò audit omnia quæ cor, vel cōsciētia etiam intus spiritualiter dicit. Sap. 1. Et ideò dicitur Sap. 1. In cogitationibus impii interrogatio erit, sermonū autem illius auditio ad Deum veniet: & ad correptionem iniquitatū illius, quoniam auris cœli audit omnia. Ex quibus verbis manifestè colligitur, quod in illo iudicio latere nihil poterit, neq; cogitationes, neque sermones, neque iniquitates, id est, iniquæ operationes, quia auris cęli Dei omnia audit.

D TERTIVM quod ponitur in themate assumpto est administrationis examinatio, cùm dicitur: *redde rationem villicationis tuæ.*

In quibus verbis primò exigit debitum: quia *redde rationem.*

Secundò commemorat officiū: quia *villicationis tuæ.*

Circa primum attendendum quòd tenetur quilibet reddere rationem Deo de his, quę suę curæ commisit, & ipsa rerū gestarū manifestatio, erit rationis redditio. Sed ista redditio rationis erit valdè formidabilis. Primò, quia oportebit reddere rationem de multis, scilicet de omnibus dictis, & factis, & cogitatis. Altissimus interrogabit opera vestra, Sap. 6. & cogitationes vestras scrutabitur. Item, quia oportebit reddere rationem de minimis. Matt. 12 Omne verbū ociosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii, scilicet vltimi, vel iudicii mortis. Item, quia oportebit reddere rationem de omnibus temporum momentis. Bernard. Sicut nec momentum pertrāsibit de tempore. Nā omne tempus tibi impensum requiretur à te qualiter sit expensum.

Vndè omni die, & ferè omni hora, deberet homo cogitare de ista hora, & de ratione reddēda, quia qui in ea defecerit, acriter punietur. Sicut enim in fine hebdomadæ solent pueri reddere rationem totius septimanæ, & qui nescit reddere, verberatur, & qui scit, euadit, & operarii recipere mercedes pro operibus suis, & deficientibus nundinis, vadunt mercatores ad pagamentum, id est, solutionem constitutam. Sic in fine vitę oportebit reddere rationem de omnibus, & recipere pœnam vel mercedem. Veniet Dominus seruorum illorum & Matt. 25 ponet rationem cum illis.

Secundò commemorat officiū, quia *villicationis tuæ*, id est dispēsationis tibi cōmissæ, à qua .s. & villicus dictus est. Sed malè administrauerat eam. Homo quidā erat diues qui habebat villicum Luc. 16. & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. In quibus verbis notātur duo. Primū est cōmissio potestatis, quia *habebat villicū*, id est, dispensatorem, quia accipitur hic villicus pro œconomo, & significat quēlibet hominem, quia cuilibet cōmissa est dispensatio & rerum exteriorū, & corporis, & animæ, scilicet vt de rebus temporalibus reddat discretas eleemosynas, de corpore casta ieiunia; de

animæ orationes deuotas. Et hoc figurauerunt illa tria, quæ obtulerunt magi Domino. s. aurum, de quo potest fieri eleemosyna, thus in quo signatur oratio feruida, & myrrha, in qua mortificatio carnis per ieiunia. Secundò notatur diffamatio criminis: quia *hic diffamatus est apud illum, quasi dißipasset bona illius*. Vbi nota, quod diffamatio aliquando fit à personis grauibus & tunc facit violentam præsumptionem; quandoque à personis leuibus, & tunc facit leuem suspicionem, aliquando verò ab infamibus, & tunc potius facit condemnationem. Sic peccator in iudicio mortis, diffamatur à fide dignis, scilicet ab angelis sanctis. Diffamatio autem istius fuit, quòd dissipasset bona illius. Dissipat enim peccator res temporales, quandò eas malè expendit; dissipat corpus, quandò in voluptatibus nutrit, dissipat animam, quando nō orationes deuotas, sed malas cogitationes immittit. Hæc figurantur Lucæ 15. in filio prodigo, qui substantiam suam dissipauit, corpus suum luxuriosè viuendo in voluptatibus enutriuit, & animam suā malis cogitationibus repleuit; vndè cupiebat saturari de siliquis porcorum, id est, de cogitationibus immundorum.

E QVARTO ponitur in themate assumpto dispensationis priuatio, cùm subinfertur. *Iam non poteris villicare*. s. ab officio villicandi amotus. Hic enim est effectus inquisitionis quoad prælatum. Nam si inquiritur contra prælatum administrationem habentem, qui per istum videtur significari villicum, & conuincitur de crimine: ista est pæna eius certa & determinata, scilicet remotio ab administratione, extra de accusa. qualiter & quando. Tunc ergo non erit pæna arbitraria: nam facti quidem quæstio est in arbitrio iudicantis, pænæ verò prosecutio non eius voluntati mandatur, sed legis arbitrio reseruatur vt 2. q. 3. parag. & notandum, & ff. de ver. sig. l. si qua pæna. Si vero is cōtra quem inquiritur, sit priuata persona, non habens administrationem, tunc est pæna arbitraria, quod secundùm merita personæ, & qualitatem excessus, poterit iudicantis discretio moderati, extra de accusa. & inquisi. in fine. Sed hæc fallūt in criminibus enormibus, quæ ordinis suscepti executionē, aut retentionem beneficij post pænitentiam impediūt: vt est videre in homicidio, & simonia in ordine, & beneficio, vt extra de accu. inquisi. In his enim & consimilibus, sic est ficut in accusationis iudicio procedēdum. Sed quantum ad iudicium Dei, quod fit in morte. in quo per istū villicum quilibet homo figuratur, qui bona sibi commissa scilicet animam, & corpus, & res temporales malè viuendo dissipauit, nō solùm ab administratione corporis, aut rerum temporaliū remouetur per mortem, sed etiam vlterius, per diuinam sententiam infernali pænę adijcitur, nisi sibi prudenter prouideat, sicut iste villicus fecit, qui ait Luc. 16. *Quid faciam? quia Dominus meus aufert à me villicationem. Fodere nō valeo*, &c. In quo exēplo notanda sunt tria. Primum est, prouisionis inquisitio. *Quid*, inquit, *faciā? quia Dominus meus aufert villicationē*. Quasi diceret: non contra hoc possum mihi prouidere, quin hęc administratio auferatur, quia hoc fit per mortem, cui nullus resistere potest. Sed quid faciam vlterius, vt non mittar ad pęnas æternas? Sed huic quæstioni, scilicet quid sit faciendū, optimè respondet Michæas 6. & prudenter consulit

consulit dicens. *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonū, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudiciū*, s. de teipso per pœnitentiam; *& diligere misericordiam*, proximo per eleemosynam; *& sollicitum te ambulare cum Deo tuo*; scilicet pro faciendo per bona opera. Et sic ostendit quid homo debeat facere & respectu sui, & respectu proximi, & respectu Dei. Secundò aduertenda est in exemplo villici infirmitatis recognitio, quia dixit: *Fodere non valeo: mēdicare erubesco*. Quasi diceret; cognosco impotentiam meam, quia non potero me post amotionem à villicatione, id est, post mortē iuuare per meipsum laborādo. Vndè ait: *Fodere non valeo*. Esa. 5. *Non putabitur neque fodietur*. Et sic de vinea animæ quæ post mortem nō poterit putari, id est à vitijs purgari per pœnitentiam: neque poterit fodi, vt amoueantur ab ea spinæ & vepres id est, pænę & supplicia per misericordiam. Item cognosco, quod non potero me iuuare per alios, scilicet per donum, vel mutuum mendicando. Vndè ait: *mendicare erubesco*, scilicet quia non daretur mihi Nam quamuis multum misericordes sint sancti homines, & multum piæ sint mulieres, & fons pietatis sit Christus, tamen diues epulo de quo Lucæ 16. in inferno existens, non potuit à sanctis viris scilicet Abraham & Lazaro impetrare vnam guttam aquæ. Item virgines fatuæ de quibus Mat. 25. non potuerūt impetrare à mulieribus virginibus vnam guttam olei, nec à Christo sponso quod ingrederentur ad nuptias, sed clausa est eis ianua. Et ita accidit pigris, qui nolunt laborare in hac vita. Prou. 20. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate*, id est, in inferno vbi erit æstus gehennæ & non dabitur.

Esa. 5.

Prou. 20

Terriò aduertenda est in exemplo, villici sagacitatis prouisio, qui dicit: *scio quid faciam*. Et postea fecit opera misericordiæ debitoribus Domini sui debita minuendo. Et sic consulitur Lucæ 12. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis*. Ad quem thesaurum nos perducat, &c.

Luc 12.

In funere alicuius aucupis vel venatoris.

SERMO XXVIII.

ANima nostra erepta est de laqueo venantium Psalm. 123. Psal. 123

Sicut auceps studium suum ponit ad capiendas aues, & venator ad capiendas feras siluestres: ita diabolus totum studium suum, & conatum ponit ad capiendum animas, præcipuè fideles. Sunt enim quidam hominum, qui scilicet habent animas leues & inconstantes, sicut superbi & vanè gloriosi: & isti ad modum auium à diabolo capiūtur. Quidam verò habent animas graues, & terrenis inhærentes, sicut auari & cupidi: & isti ad modum ferarum à diabolo apprehenduntur. Sed quando homines ad pœnitentiam redeunt, præcipuè in fine, ita vt bene moriantur, scilicet per confessionem peccatorum, & sacramenta ecclesiæ sint à laqueo peccati liberati: tunc post mortem gratias Deo agunt, quia & à deceptione aucupis, & à captione venatorum, id est, dæmonum se ereptos & liberatos inueniunt, & ideò ex persona talium defunctorum dicuntur verba proposita, *Anima nostra &c.*

A In quibus quidem verbis ostenditur, quod per bonam mortem hominis anima à tribus malis eripitur, quibus communiter in vita subiicitur. Nam primò quidem eripitur à mundi afflictione quod notatur primò, cum dicitur: *anima erepta est.*

Secundò à peccati infectione: cùm subditur: *sicut passer.*

Tertiò à diaboli deceptione: cum additur: *de laqueo venãtium.*

CIRCA primum sciẽdum est, quod duplex potest esse animæ afflictio. Vna temporalis & transitoria: quam patitur in mundo. Alia futura & æterna: quam patietur ex peccato in inferno. Homines autem imprudentes magis timent pœnas istas transitorias, quam timeant illas ęternas. Sed è contrario prudentes homines magis æternas, quam transitorias metuũt. Et ratio istius diuersitatis est, quia imprudentes homines respiciunt tantum ad præsentia, quæ scilicet sensibus subiacẽt vnde in hoc assimilantur bestijs, quæ nõ respiciunt nisi ad præsens delectabile vel tristabile. Et ideò tales diligũt bona transitoria, & non curant de æternis. Vnde dicunt prouerbium suum, scilicet quod ad præsens oua, cras pullis sunt meliora. Figura huius habetur Esa. 39 in Ezechia qui dixit, *Fiant tantum pax & veritas in diebus meis.* Et sic pœnas transitorias, quia præsentes sunt, magis metuunt quam æternas futuras, & dicunt ad hoc aliud prouerbiũ suũ, scilicet quod qui euadit de vno puncto, euadit de multis, quasi dicerent, euadamus modo istam pœnã præsentẽ de alia bene fiet. Sed hi qui prudentes sunt, non respiciunt solũ ad præsentia, sed magis ad futura. Vndè Boëtius dicit. Nõ quod antè oculos situm est, sufficit intueri, sed rerum èxitus prudentia metitur. Vndè quia in exitu vitæ peccatoribus dantur pœnæ æternæ, tunc imprudentiam suam cognoscere coguntur, & tunc prudentes, qui præsentes pœnas, & afflictiones, quas siue per pœnitẽtiã, siue per patiẽtiã salubriter portauerunt, videntes se ereptos à pœnis æternis, & à dæmonum crudelitatibus, Deo gratias agentes dicent illud Ps. *Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem, benedictus Dominus, &c.*

Esa. 39.

In quibus quidem verbis quasi loquentes de se, iusti defuncti tria dicunt.

Quia primò ostendunt se ereptos à præsentis vitæ aduersitate: cùm dicunt: *torrentem pertransiuit anima nostra.*

Secundò à futuræ miseriç calamitate: cùm subdunt: *forsitan pertransisset anima nostra, &c.*

Tertiò à dæmonum potestate, & de hoc gratias agunt dicentes. *Benedictus Dominus qui non dedit, &c.*

Circa primum aduertendum est, quod quasi aqua torrentis, est aduersitas vitæ præsentis.

Quam quidem viri prudentes & iusti patienter tolerant. Primò ratione breuitatis; quia inundatio aquæ torrentis citò venit, & citò recedit. Torrens enim est aqua cũ impetu veniens, & cũ impetu recedens. Vndè dicitur torrens: quia cum impetu crescit, sed siccitate torrescit. Et ita accidit de aduersitate iustorum in hac vita: sicut patet in Tobia, & Iob, qui citò liberati sunt à diuersitatibus, & afflictionibus suis. Iob 6. Præterierunt me sicut torrens qui raptim transit in conuallibus. Secundò, patienter tolerant viri iusti aduersitatem vitæ præsentis, propter exemplum sui capitis, id est, Christi: quia sicut dicit Gregor. Si passio Christi ad

memo-

memoriam reuocetur, nihil est adeò durum, quod non æquo animo toleretur. Ipse enim qui erat caput nostrum, in vita huius mundi existens, multum bibit de aqua torrẽtis, id est, de pœna vitæ præsentis, & propterea meruit exaltari Vnde in Ps. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Et sic exaltabuntur mẽbra huius capitis, id est, iusti cõsimili aqua potati. Sed iniquis & peccatoribus, aliquandò aduersitas incipit in via ista, & per impatientiam, & nequitiam deducit eos ad pęnam æternã. Sic torrens aliquando fluit ad mare, vbi omnẽ aquæ dulcedinẽ amittit. Et sic impius transiens à pœna huius vitæ ad amaritudinẽ æternæ pænæ, omnẽ dulcedinẽ amittit vitæ præsentis & futuræ, quia amaritudo illius pænæ semper adhærebit, & nunquam cessabit. Esa. 34. *Conuertentur torrentes eius in picem*, id est pœnæ transitoriæ in æternam, quæ vocatur pix ratione obscuritatis, & tenacitatis, quia pix nigra & obscuri coloris est, & tenacissimæ inhærẽtiæ. Postquã ergò absumpti sunt per mortẽ viri iusti, tunc verè dicere possunt. *Torrentẽ pertransiuit anima nostra.* Sed nota, quod viri iusti aliter se habẽt ad aduersitatẽ alienã, aliter ad propriam. Nam alienæ aduersitati multũ compatiũtur, ita ꝙ etiam intus in anima affliguntur, sicut mater saluatoris nostri afflicta est in passione filij. Et tunc ipsa aduersitas dicitur pertrãsire animam, propter ꝙ Simeõ dixit ei. *Tuã ipsius animã pertrãsiuit gladius* Luc. 2. & Iob 30. *Flebã quondã super eo qui afflictus erat & cõpatiebatur anima mea pauperi.* Sed aduersitates proprias viri iusti dicũtur pertransire: quia .s. per tribulationes sit vir, qua transitur ad vitam æternam, & hæc via est meritum patientiæ, & per hanc vitam deducit Dominus ad vitã iustos. Et Ps. *Transiuimus per ignem & aquom & educ nos in re.* Hier. 31 *Adducam eos per torrentes aquarũ in via recta, & non impingent in ea.* Hier. 31.

Luc. 2. Iob 30.

Secũdò ostendunt iusti defuncti, se esse post mortẽ ereptos à futuræ pænæ calamitate: cùm dicunt: *Forsitan pertran. ani. &c.* Quasi dicerent, nisi pertrãsiuissemus torrẽtes .i. nisi purgati fuissemus per aduersitates, & pænalitates vitæ præsentis: *forsitã pertrãsisset anima noštra aquã intollerabilẽ*, id est, ad pœnam infernalem deuenisset.

B Vbi breuiter considerare debemus quinque qualitates infernalis pœnæ. Prima est, quia pœna infernalis habet euitabilitatẽ, & ideò dicit: *forsitan pertrãsisset*, quia in arbitrio hominis est pœnã istam euitare, vel habere. Et ratio est: quia nullus vadit ad illã pænã nisi propter mala, quæ volũtariè cõmittit; vel bona, quæ volũtariè omittit: vndè reatum illius pænę volũtariè incurrit. Propter quod dicitur. *Perditio tua ex te* Et ideò dubitatiuè dicitur *forsitã pertran.* quia poterat si voluisset pertransire, & non transire ad illã. Vndè in Ps. *Forsitã aqua absorbuisset nos.* Oseæ 13

Secunda est, quia pæna ista habet infinitatem s. successiuam. Nam sicut in tempore, si esset perpetuum, esset infinita successio dierum: ita in gehẽna, quæ perpetua est, erit infinita successio pœnarum. Et ista successio designatur in eo, quod dicitur *pertrãsisset*. Nã damnati vt dicitur. *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimiũ*: & è contrario & hoc in infinitum Iob 24.

Tertia est, quia pæna illa habebit diuinã potestatem, quod notatur cũ dicitur: *anima nostra.* Quanquã enim ibi sit pęna caloris vel frigoris corporalis, tamẽ diuina virtute fiet, vt affligat nõ solũ corpus, sed etiã animã: qa aget vt instrumentũ diuinæ iustitiæ, siue illud

quod affligit dicatur ignis,siue aqua:vnde aget in virtute Dei, de quo dicit Mat.10. Quod potest animam & corpus perdere in gehēnam. Quarta qualitas est, quia habet profunditatē:& ideo dicit *aquā* Nā quādo aliquid est aridū & porosū,aqua contingens exteriora penetrat ad interiora, vsq; in profundū eius. Et sic illa pœna in anima,quę inuenitur arida sine pluuia diuinæ miseric. & sine rore diuinę gratię:penetrabit vsque ad intima:& diffundet se vndiq; ad omnē partē animę. Vnde Ps. *Induit maledictionē sicut vestimentū: & intrauit sicut aqua in interiora eius.* Quinto quoque infernalis pęna ostenditur habere maximā acerbitatē: propter quā vocat eam *intolerabilem.* Nam sicut secundū philos. non solum vocatur inuisibile quod nullo modo videri potest, sed etiā illud quod vix & malè videtur: Sic etiam dicitur intolerabile non solū illud quod nullo modo potest tolerari, sed etiam illud ꝙ vix, vel male toleratur. Et sic erit de pęna ista, quæ tantam acerbitatem habet, vt vix vel malè sit tolerabilis: erit tamē minus tolerabilis, siue magis tolerabilis vni, quàm alteri, secundū minorem grauitatē culpę pro qua ibi punietur. Vnde dicitur Matt.10. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gommoreorū in die iudicij, quā illi ciuitati.* Et accipitur terra pro hominibus terræ:& ciuitatis, s. continens pro cōtento. Tertio, iusti defuncti ostendunt in auctorita. adducta, se esse etiā ereptos à dæmonum potestate; vndè de hoc gratias agūt dicentes. *Benedictus Dominus qui non.* Nota quando aliquis habet pugnare cum hoste potentiori,& sapientiori se, multum deberet regratiari ei, qui doceret eum quo modo posset pugnare, & vincere hostem suū. Figura huius innuitur Num.24. quia Balac dedit munera Balaā: quia docuit eum quo modo posset vincere filios Israel. Nūc nos habemus hostes nobis fortiores & callidiores, s. dæmones,& domin' noster voluit tentari tali hoste, vt nos doceret pugnare contra eum,& vincere ipsum; siue impugnet & tētet nos vitio gulæ, siue vanæ gloriæ, siue auaritiæ, vt patet Mat.4.& insuper paratus est nobis auxiliū ferre. Vndè patet, quòd multum tenemur eū benedicere, & sibi regratiari secundū illud Psal. *Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum, &c.* Vbi per manus intelliguntur bona opera quibus inimicum repellimus, & quasi percutimus, sicut sunt ieiunia,& orationes,& eleemosynæ. Nam de ieiunio & oratione dicitur Matt.17. *Hoc genus dæmoniorū non eijcitur nisi in oratione & ieiunio.* De eleemosyna vero dicitur Eccles. 29. *Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicū pugnabit pro te.* Sed per digitos intelligitur operum discretio: quia scil. omnia talia opera cum discretione, & prudentia fieri debent, debitis circumstantiis obseruatis. Notandum etiam, quod quilibet pastor gregē ouiū suarum custodit, quātum potest, ne capiantur à feris: alienas autem oues non custodit. Sic Christus eos, qui per fidem & dilectionem sunt de grege suo, optime custodit ne capiantur à dentibus ferarum, i. à tentationibus dæmonū. De quibus dentibus dicitur. *Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum.* Eccles. 21. Sed alienos, scilicet peccatores, qui irrationabiliter viuunt secundū carnem tantum, vel etiā infideles, qui per ignorantiam blasphemant Christum,& eius fidem: illos permittit Christus capi & perire,

tire,secundũ illud 2.Pet.2.*Hi velut irrationabilia pecora,naturaliter in captionem & in perniciem,in his qui ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt.*

C SECVNDO ostenditur in themate assumpto, ex persona defunctorum iustorum, quomodo erepti sunt à peccati detentione, quia dicit quod eorum *anima sicut passer erepta est de laqueo venantium* Vbi notandum, quod per passerem intelligitur homo incautus, scilicet qui non cauet sibi à malorum societatibus,& familiaritatibus. Nam passeres inter homines in ciuitatibus commorantur, & ideò facilius & frequentius capiuntur, quã aues siluestres,vel quę morantur in solitudine Vnde passer signat eos qui conuersantur in hominibus mundanis, & peccatoribus,& tales facilius,à diabolo capiuntur,& illaqueantur, quia de ipsa conuersatione & corruptione eorum, cum quibus conuersantur,facit ei diabolus laqueos vndè capiat animam eius. Ierem.
Ier. 5. *Inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros.*

Item passeres patiuntur morbũ caducum, non ex ægritudine cõplexionali, sed quia comedunt iusquiamum herbam venenosam, & frigidissimam : vnde ex resolutione frigidæ euaporationis, congelatur cerebrum passeris, & cadit. Et ideo passeres significant incautos, qui non cauent sibi à delectationibus,& delitiis carnis, in quibus latet venenum voluptatis: vnde sunt velut cibus iusquiami venenosus, cuius euaporatio, id est delectatio ver desideriũ infrigidat,extinguendo ignem dilectionis & deuotionis, & ideo inducit casum peccati. Et quia pro modica & vili delectatione carnis vendunt se diabolo vel peccato, rectè assimilantur passeribus, qui vili & modico precio venduntur, secũdum illud Mat.10.*Nonne duo passeres asse veneunt?* Et signanter dicit *duo:* quia in veteri lege vsus passerum erat in purificatione leprosi,in qua duo passeres offerebantur, quorum vnus occidebatur, & alter dimittebatur liber. Vndè quia duo simul offerebantur in lege. Leuit. 14. *Præcipies ei qui purificatur, vt offerat per se duos passeres,* Ideo apud Iudęos passeres duo combinati vendebantur. Et isti duo passeres significãt animam & corpus, quæ ambo asse veneunt, quando pro vili & modica delectatione,vel vtilitate temporali diabolo,vel peccato se tradunt. Passer ergo .i. incautus homo,tunc in laqueum incidit, quando in peccatum cadit Eccl. nono. *Sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines tempore malo,* scilicet tempore tentationis. Et nota quod passeres & aliæ aues, aliquandò arculis, & sagittis vulnerantur, & sic est quando homines à tentationibus superantur. Quandoque vero retibus capiuntur, & sic est quando homines diuersis vitiis implicantur,quia in reti diuersæ sunt maculæ inuicem se connectentes : quia quandoque vnum vitium
trahit ad aliud. Eccl.9.
Quandoque verò per aues predæ rapiuntur : & hoc est quando timore tyrrannorum & malorum, ad peccandum inducuntur. Aliquando vero visco detinentur, & hoc est quandò propter contritionis defectum, à peccato non separatur. Quandoque verò laqueo stringuntur, & hoc est quando de peccato non confitentur, quia laqueus strangulat guttur tenendo,per quod vox exire cõsueuit.

Sed

Sed tunc à laqueo totaliter eripiuntur, cum scilicet verè pœnitentes moriuntur: vt s. per cõfessionem, & alia sacramenta sint à peccato liberati. Et tales defũcti dicere possunt illud Psal. 123. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*, & illud. *Nos autem surreximus & erecti sumus.*

Tertio in themate assumpto ostendunt iusti defuncti, quod liberati sunt à dæmonum deceptione, cùm subinfertur: *erepta est de laqueo venantium.* Vbi aduertẽdum est, quod tanta est fraudulentia, & nequitia dęmonũ, quod nullus posset euadere ab ea, nisi diuinæ gratiæ auxilio iuuaretur: & ideò euasio hominis: siue viuentis, siue morientis, à fraudulentiis & illaqueationibus dæmonum, est Deo principaliter & non humanæ sapientiæ ascribenda. Et hoc Psal. in persona iusti defuncti confitetur dicens: *Ipse* scilicet Deus, *liberauit me de laqueo venantium.*

In quibus quidem verbis, ex persona iusti defuncti, duo facit.

Quia primo confitetur beneficium quod recipit: cùm dicitur *ipse liberabit me.*

Secundò, refert periculũ à quo euasit, cùm subditur: *de laqueo venantium.*

Circa primum aduertendum est, quòd duobus modis dicitur aliquis esse liberatus ab aliquo malo: vno modo, quandò est extra ipsum: sicut homo dicitur liberatus à carcere, quando est extra carcerem: s. postquam exiuit de carcere, & liberatus à creditore, quãdò est extra debitũ suum. Et sic dicitur homo esse liberatus à peccato, quando est extra peccatũ. i. quando exiuit de peccato per pœnitentiã: & quandò persoluit debitum peccati per satisfactionem pœnitentiæ. Vnde

Rom,6. Rom. 6. *Nunc autem liberati à peccato serui autem facti Deo, &c* Sic bestia dicitur esse liberata à venatoribus, quandò effugit manus eorum, & non est capta ab eis in venatione. Venatoribus autem assimilantur dæmones, à quibus anima dicitur liberari, quandò non capitur. i. quandò non superatur à tentatione. Et talis liberatio fit in vita ista per auxilium gratiæ Dei. Eccl 34. *Aliquotient vsque ad mortem.* id est propè casum in peccatum mortale: *periclitatus sum*, id est fui in periculo: *horum causa*. s. dæmonum tentantium: *sed liberatus sum gratia Dei.* Alio modo dicitur aliquis esse perfectè liberatus ab aliquo malo, quandò non solùm est extra ipsum, sed etiam non timet amplius se posse redire ad ipsum: sicut ille dicitur perfectè liberatus à carcere, qui non solũ est extra carcerem, sed etiam non timet amplius redire ad carcerẽ. Et sic dicitur esse perfectè liberatus à peccato & à diabolo iustè defunctus, qui est in statu gloriæ: quia tales non timent posse amplius illaqueari à diabolo, laqueo peccati vel alicuius mali. Et ideò iusti defuncti sunt totaliter extra manum diaboli, & sunt tantum in manu Dei. Iuxta illud Sa. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* vnde dicitur Rom. 8. *Ipsa creatura* i. homo, *liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei.* Gloria filiorũ Dei primò est in anima post mortem, & tunc liberantur à seruitute diaboli & corruptionis peccati. Secũdo fiet in corpore. s. post resurrectionẽ: & tunc liberabuntur à seruitute corruptionis, scil. passibilitatis & mortis corporalis. Rom.

Secundò in auctoritate adducta iustus defunctus refert periculum à quo euasit, quia de laqueo venantium. Notandũ, quod sicut venatores vtuntur diuersis

modis & ingeniis, siue instrumētis ad capiendum feras: ita dæmones vtuntur diuersis viis & astutiis, & modis ad capiendum animas. Nam venatores vtuntur canibus venaticis, & pedicis, & foueis, & laqueis. Canes sunt diaboli, venatici sunt homines praui, & aliorum corruptores, quibus mediantibus multos diabolus capit & lucratur, sicut per vetulas capit iuuenculas, & trahit eas ad corruptionem. Mich. 8. *Vir fratrem suum ad mortem venatur.* Item vtuntur pedicis: & ita diabolus. Iob 18. *Abscondita est in terra pedica eius:* quibus capiuntur lupi, dum aues capere moliūtur, quæ significant violentiam raptorum: qui dum ab aliis rapiunt, ipsi à peccato & diabolo capiuntur. Sed interdum lupus dimittit pedem in pedica, & euadit. Et sic debet peccator raptor, si vult euadere, dimittere pedem i. affectum rapiendi, vel tenendi rapinas. Item venatores vtuntur foueis; & sic dæmones per foueas luxuriæ multos capiunt. Prou. 23 *Fouea profunda est meretrix.* Item venatores vtuntur laqueis. i. cupiditatibus diuitiarum, ex quarū inordinato vsu, & affectu, multi capiuntur. Vndè 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueū diaboli, &c.* Dicitur etiam laqueus ipsa voluptas carnis, quæ signatur per mulierem, de qua dicitur Ecc. 7. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est: & sagena cor eius, vincula sunt manus eius Qui placet Deo effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa.* De istis laqueis venatorum dicitur Prou. 11. *Qui cauet laqueos.* sc. culpæ in præsenti: *securus erit.* scil. in futuro, scilicet post mortem in statu gloriæ. Ad quam &c.

Iob 18.

SERMO XXIX.

In funere alicuius Piscatoris.

Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues capiūtur laqueo: sic capiuntur homines in tēpore malo. Ec. 9. Eccl. 9.

Videmus enim finito bello illi qui in bello capti sunt ducuntur in carcerem, nisi forsitan de manibus hostium redimantur. Sed qui ne caperentur effugere potuerunt, in terram suam liberi redeunt. Sic finito bello & militia huius vitæ, illi qui capti fuerint, & ligati vinculis peccatorū, ducentur in carcerem inferni, nisi fortè per satisfactionem pœnitentiæ fuerint redempti. Sed iusti qui nec vinci ab hostibus, nec capi potuerunt, ibunt liberi ad ciuitatem suam. De qua dicitur Heb. 13. *Quia non habemus hic manentem ciuitatem: sed futuram inquirimus.* Qualiter autē ab hostibus peccatores capiantur, ostenditur in verbis præpositis ex triplici similitudine, cum dicitur, *sicut pisces capiuntur hamo.*

In quibus quidē verbis ostenditur triplex causa, quare multi homines ab hominibus capiuntur, id est à dæmonibus. Prima est propter voluptatem diuitiarum. Secunda propter ambitionē honorum. Tertia verò propter cupiditatem diuitiarum.

Prima ergò similitudo pertinet ad voluptuosos, cum dicitur, sicut pisces capiuntur hamo.

Secunda pertinet ad superbos cum dicitur, & sicut aues capiuntur laqueo.

Tertia verò, pertinet ad cupidos, cum subinfertur, ita homines capiuntur in tempore malo.

CIRCA primam similitudinem considera primò voluptuosorum vitium, quod designatur in piscibus. Secundo, periculum, quia

quia capiuntur. Tertio modum, quia *hamo*.

Circa primũ nota quod pisces viuentes in aquis, sunt homines viuentes in delitiis, quorũ vitiũ propriũ est vitium gulæ, licèt postea ex hoc cadant etiam in vitia luxuriæ. Pisces ergo directè gulosos designant, quod patet ex tribus. Primo, ex nomine: quia pisces à pascendo dicuntur, secundum Isidor.2.etymol. Item patet ex motu: quia motus piscium est propter cibum & pastum, sicut dicit Philosoph.7.lib.de animali. Item patet ex intestinis: quia pisces sunt recte intestini & citò abscindunt, sicut dicit idem in l. 12.de animalib. Tales ergo pisces licèt habeant aquam concupiscentiæ: carent tamen aqua gratiæ: & ideo putrescunt putredine luxuriæ. Esa.1. *Conputrescent pisces sine aqua.*

B Secundò, notatur periculum voluptatis: quia voluptuosi faciliter à diabolo capiuntur, sicut pisces à piscatore. Et istud accidit propter tria.

Primò propter offuscationem concupiscentiæ: quia in homine voluptuoso, quãdo ipse tentatur de vitio carnis, cõcupiscentia inflammatur, & rationis iudicium perturbatur, & offuscatur. Pisces autem facilius capiũtur in aqua turbida, quam in aqua limpida: vndè piscator turbat aquam, ne piscis videat nassam. Et sic diabolus inflammando concupiscentiã, perturbat, & obscurat rationis iudicium: ne aduertat deceptionem peccati, vt sic capiatur. Secũdò, accidit propter complacentiam delectationis venereæ. Nam tentator decipit & capit animã, sicut piscator murenulam. Nam serpens cum murenula coire volens, eam sibilo ad se vocat, & ideo etiam à piscatoribus sibilo vocatur, & capitur. Sibilus ergo serpentis est delectatio carnis sed sibilus peccatoris ei consimilis, est ipsa tentatio carnis: in qua tẽtator malignus, homini ipsam carnis delectationem ad immaginationem adducit, & suę fraudulentiæ ei speciem abscõdit, quia ad quid animam finaliter deducere debeat, ei non ostẽdit. Tertio accidit viris propter aspectũ mulieris ornatæ vel pulchræ. Nã ornatus corporis mulieris, est sicut rete diaboli, ad capiẽdum animas intuentium. Nam licet aliquæ se excusent dicentes, quod non se ornent ad decipiendum, nihilominus tamen sunt similes latroni, qui non audet piscari in viuario domini sui, vel venari in foresta eius, tamen commodat rete suũ latroni audaciori. Et sic isti commodant corpora sua diabolo, ad decipiendum & capiendum animas. Pro.6. Mulier viri preciosam animam capit. Et benè volunt concupisci, licet non concupiscant. Contra quod dicit Aug. quod non solum appetere, sed etiam appeti velle, criminosum. Et Chrysost. etiã dicit, quod mulier si se decorauerit, & oculos intuẽtium ad se traxerit, etsi plagam non intulerit, vindictam non exoluet extra materiam. Venenum enim intulit, etsi nullus sit qui biberit. Propter hæc omnia supradicta, multi homines voluptuosi comprehendũtur per vitium gulæ & luxuriæ à dęmonibus, sic & multi pisces à piscatoribus, secundum illud Luc.5. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Vnde potest dici diabolo illud Luc.5. *Ex hoc iam homines eris capiens.*

C Tertio ostendit ipsa similitudo thematis modum capiendi, siue instrumẽtum quo capiuntur, quia *hamo*. Pisces enim naturaliter sunt gulosi, ad cibum tam auidi, quod non aduertunt hamum in

in quo est & aculeus latens,& cibus alliciens. Sed quod facit in piscibus natura, hoc facit in hominibus voluptatis concupiscentia, scilicet vt ita auidè attendāt ad delectationem peccati, quod non aduertant ad deceptionem diaboli, quæ est hamus eius,quo pertrahit ad dolorem supplicij. Iob quadragesimo. *Quasi hamo capiet eum.* Abachuc. 1. *In hamo subleuabis.*

SECVNDA similitudo thematis pertinet ad superbos, cum dicitur, *sicut aues capiuntur laqueo.*

Vbi attende primo superborū elationem, propter quam sunt sicut aues.

Secundò deceptionem, quia decepti ab aucupe capiuntur.

Tertiò eorum perditionē,quia laqueo strangulantur.

Circa primum nota, quod superbi assimilantur auibus.Primo propter volatum, aues enim in volādo, non tenent rectas & determinatas vias. Vndè secundum Isidorum 2.etymol.dictæ sunt aues,ab à quod est sine,& via qua si deuiæ sine via.vnde aliquando ascendunt,aliquando descendūt, aliquando diuertūt ad dextram, aliquando ad sinistram. Et tales sunt superborum actus, quales sunt auium volatus, scilicet sine via rationis rectæ. Iob 28. *Semitam ignorauit auis*, id est vitam rationis superbus, quia propriā mensurā rectæ rationis transcendunt in excellentiæ appetitu. Ex quo accidit, quod aliquando ascendunt per ambitionem, aliquandò descendunt per delectationem. Psal.106. *Ascendunt vsq; ad cælos: & descendunt vsque ad abyssos*, Diuertunt vsque ad dexteram,quando prosperitatibus potiuntur, & ad sinistram, quando aduersitatibus concutiuntur. Itē aues motu alarum aerem diuidunt, sed mox aere claudente, nullum signum sui transitus derelinquunt. Sic superbi in alto positi,dominia & officia aliis diuidunt & distribuunt,sed eis deiectis vel mortuis,deficit memoria & posteritas ipsorum. Sapiēt. quinto. *Transierunt omnia ista tamquam vmbra: & tamquam auis quæ transuolat in aere.* Item aues volantes delectantur aliquando de vento. Et sic superbi delectantur in vento vanæ laudis. Vnde adulatores mendaciis habent locū apud eos, & vadunt post eos. Prou.decimo. Qui innitur mendaciis, scilicet adulatoriis, pascit ventos,id est,homines ventosos, & vanigloriosos, & idem sequitur aues volantes i.superbos,volantes ad honores mundi, qui delectantur in vanis laudibus suis. Secundo superbi assimilantur auibus propter dominium. Nam quædam aues sunt, quæ aliis auibus violenter dominantur, sicut aues prædantes. Et tales sunt superbi, qui per tyrannidem & violentiam, dominium super alios assequuntur & tenent,& tales inuadunt,& prædantur, & rapiunt aliorum possessiones & terras. Item omnes tales aues, sicut dicit Aristoteles in secundo de animalibus,solitudinem diligunt, & cum aliquo sociorum habitare non possunt. Et ita superbi in dignitatibus & honoribus, singularitatem diligunt, & dum super omnes esse cupiunt, communitatem societatis, & parilitatis fugiunt. Et ideo inter superbos semper sunt iurgia, vt dicitur Prouerb.decimotertio. Quia contendunt de altitudine dignitatis, scili. vt possit dicere superbus. *Similis factus sum pellicano solitudinis: & factus sum sicut passer solitarius*

in tecto

in tecto, id est, sum singularis in altitudine dignitatis. Isti sunt aues montium, quos dominus frequenter permittit esse in montibus dignitatum: vt per eos puniãtur aliquorum peccata, de quib.
Esa. 18. Esa 18, *Relinquentur auibus montium*.i. tyrannis superbis.s. puniẽdi. Secundo nota in dicta similitudine superborũ deceptionem, quia capiuntur.s. dum alios capere moliuntur, sed præcipue capiuntur à diabolo, qui est rex super omnes filios superbiæ. Sed differentia est inter istum, & alios reges, quia alij reges non capiunt obedientes sibi, neque nocẽt eis, sed capiũt hostes & rebelles. Sed diabolus econtrario facit, quia rebelles & hostes liberos dimittit, sed sibi obedientes capit, & ad carcerem & ad supplicium inferni deducit. Retia autem quibus diabolus capit aues suas, sunt blãdæ & subdolæ tentationes eius.
Pro. 29. Prou. 29. *Qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius* Ezec. 13. *Consuunt*
Ezec. 13. *puluillos sub omni cubito manus:* & hoc est, quando dæmones blandè suggerunt illicitas operationes, *& faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis*, quod est quando blãdè suggerunt immundas cogitationes, vel affectiones, & sequitur ad quid? quia ad capiendas animas. Sed notandum quod dicitur quod tempore Salomonis, strutio inueniens pullum suum captum fuit & quæsiuit quendã vermem, cum quo rediens, cum sanguine illius tinxit cagiam, seu caueam vitream, in qua pullus eius captus erat & virtute illius sãguinis scissa est & cõfracta, & pullum inde liberum eduxit. Sic Deus frequẽter animam à diabolo captam, & in cagia peccati inclusam, cũ vermiculo.i. cum humilitate pœnitẽtiæ, qui operatur in virtute sanguinis & passionis Christi, frangit carcerem peccati, & dimittit animam liberam, vt euolare possit ad vitam æternam. Vndè Ezec. 13. dicit Deus dæmonibus. *Disrumpam eos de brachijs vestris, & dimittam animas quas vos capitis: animas ad volandum.* Sed tamen tutius est vt homo custodiat se, ne capiatur. Nam sicut dicit Greg. Melius est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere? Vnde dicitur. Pro. 3. *Custodi pedem tuum ne capiaris.* Tertio, notatur in prędicta similitudine superborũ perditio: quia laqueo ãbitionis strangulantur. Notandum, quod duplex est causa quare aues illaqueantur. Vna est ex parte auis, quæ ad laqueum accedit. Alia est ex parte aucupis, qui laqueum tetẽdit. Et ideo dicitur Amos 3. *Nunquid cadet auis in laqueũ terræ absq; aucupe?* Nam cum laqueus sit in terra, nõ illaqueatur auis nisi descẽdat ad terram, vbi laqueus est. Sic anima diligens cœlestia, non illaqueatur à diabolo, sed quãdo descendit ad ista terrena diligenda & quærenda: tunc illaqueatur à diabolo superbo. Vndè ratione ligni terreni, diabolus primã mulierem illaqueatur laqueo ambitionis, & superbiæ dicens Gen. 3. *Quacunque die commederitis ex eo, aperietur oculi vestri: & eritis sicut Dij*: ecce laqueus terræ, id est laqueus ambitionis tensus in cibo terreno. Sic diabolus suadet homini ambitioso simoniam pecuniæ: quæ res terrena est, vt assequatur dignitatem prælationis. Et cadit auis incauta in laqueum terræ Esa. 24. *Formido & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ.* Alia causa est ex parte aucupis.i. diaboli: qui laqueos peccati tetendit in omnibus, sed libẽtius capit homines laqueo ambitionis & superbiæ, quo ipse illaqueatus est in cælo: vnde non cadit auis in istum laqueum absque aucupe

cupe, id eſt diabolo laqueum parantem Pſal. 139. *Abſcõderunt ſuperbi*, i. dæmones *laqueũ mihi*, &c. Sed hunc laqueum euadit humilitas: ſicut dictum fuit beato Antonio, quando vidit mundum laqueis diaboli plenum: & quęſiuit quis euaderet: & reſponſum eſt ei, quod ſola humilitas. Pſal. 104. *Humiliatus ſum & liberauit me.* & à quo liberauit exponit alibi: cũ dicit. *Ipſe liberauit me de laqueo venantium.*

Pſal. 139 — Pſal. 104

D TERTIA ſimilitudo ſeu ſimilitudinis adaptatio poteſt referri ad cupidos: cum dicitur in themate: *ſic capiuntur homines in tempore malo.*

In qua primo attende vitium cupiditatis: quia *homines*.

Secundo, vinculum captiuitatis, quia *capiuntur*.

Tertio, periculum irremediabilitatis: quia *in tempore malo*, id eſt in tempore mortis: poſtquam non erit remedium, vt à captiuitate redimantur: quia in inferno nulla eſt redemptio.

Circa primum notandũ, quod per homines intelliguntur cupidi. Et ratio eſt: quia homo dicitur ab humo, id eſt à terra humida, de qua ſcil. primus homo à Deo formatus eſt, ſ. ſecundum corpus. Et ideo dicit Apoſtolus 1. Corin. 15. quod *primus homo de terra terrenus*. Et quia per dilectionem efficitur anima ſimilis rebus quas diligit vt ait Hugo de ſancto Victore. Scio, inquit, anima mea, quod in illius rei ſimilitudinem quam diligis transformaris. Nam ſi cęlũ diligis cęlum es; ſi terram diligis terra es: ideo terrena diligens ſecundum animam, efficitur terrenus. Et quia ſecundum corpus etiam eſt terrenus, congrue per homines, qui à terra denominantur, intelliguntur cupidi terrena diligẽtes: & tales habent cor graue, ex pondere terreni amoris.

1. Cor. 15

Pſal. 4. *Filij hominum vſquequo graui corde.* Vnde de illis gentilibus qui non credunt, vel ſperant aliã vitam, & ideo ſolum terrena & præſentia diligunt in Pſal. 9. dicitur. *Sciant gentes quoniam homines ſunt.* Secundo oſtenditur vinculũ captiuitatis: quia capiuntur à diabolo. Vnde ſecundum Auguſtin. pecunia male acquiſita, eſt auaro quaſi muſcipula: quia ſi vult eam tenere pro ſeipſo, tenetur à diabolo: & dum capit eam capitur: ſicut auis inueniens eſcam in laqueo dum capit eſcam capitur à laqueo: ita auarus dum capit pecuniam per lucrum, capitur ab ea per cupiditatis vinculum. Vnde de nummis quos lucrantur auari, poteſt dici illud Eſa. 14. *Erunt capientes eos qui ſe ceperant.* Tertio notatur periculum irremediabilitatis: quia *in tempore malo*, gloſa, ſcilicet iudicij mortis, de quo tẽpore dicitur in Pſal. 74. ex perſona Chriſti iudicis. *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* Hoc tempus malum eſt cupidis & auaris: qui in tali iudicio damnantur. Hoc patet in diuite epulone auaro, qui Lazaro pauperi non ſubueniebat, de quo dicitur Luc. 16. *quod mortuus eſt diues*, &c. Illi autẽ qui fuerit ſine macula auaritiæ, in tali tempore non confundentur: ſcilicet perducentur ad hereditatem æternam, vbi habebunt perfectam ſatietatem: ſecundum illud Pſal. 36. *Nouit Dominus*, id eſt approbat dies immaculatorum: *& hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo: & in diebus famis*, id eſt, pro diebus quibus fuerunt hic famelici, *ſaturabuntur*, ſcilicet in ſaturitate: de qua dicitur in Pſal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Ad quã nos perducat, &c.

Pſal. 4 — Eſa. 14 — Pſal. 36 — Pſal. 16

Ee *In funere*

In funere alicuius mercatoris.

SERMO XXX.

NOn erit mercator vltra in domo Domini. Zachariæ 14.

Notandum, quod aliqua operatio hominis est, quæ habet locum solum in alia vita, sicut est visio Dei per essentiã, in qua principaliter erit beatitudo hominis: vnde dicitur ex persona Dei Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet*, scilicet vita sensuali & mortali. Quædam vero est operatio hominis, quæ locum habet solũ in vita ista, sicut est mercatio. Et ratio est: quia mercatio fit de his, quæ necessaria vel accommoda sunt ad sustentationem vitæ hominis corruptibilis: vnde terminata vita ista corruptibili, non erit amplius mercatio. Et ideo in domo Domini de qua dicitur Ioan. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*: non est mercator siue mercatio. In cuius figura dicitur Ioã. 2. *Nolite facere domum patris mei domum negociationis*. Et hoc est quod dicitur in verbo proposito: quia *non erit mercator*, &c.

Exod. 33

Ioan. 14

Ioan. 2.

A In quibus quidẽ verbis, describitur mercator defunctus ex tribus.

Primo ex termino naturali: quia *non erit vltra.*

Secundo ex exercitio temporali: quia *mercator.*

Tertio ex domicilio finali: quia *in domo Domini.*

Circa primum attendendũ est, quod è contrario se habet mors iusti hominis, & mors impij: quia mortuo homine iusto, cessat timor omnis mali. s. & mali culpæ; quia non potest vltra peccare. Itẽ pœnæ si sit iustus qui recedat perfectæ purgatus, puta si decedat statim post baptismum, vel per martyrium. Et ideo dicitur Soph. 3. tali iusto. *Non timebis malum vltra.* Sed mortuo homine impio, cessat omnis spes boni: vnde dicitur Prou. 11. *Mortuo homine impio nulla erit vltra spes.* Prou. 11

In quibus quidem verbis, de homine impio describuntur tria.

Primũ est naturalis corruptio: quia *mortuo homine.*

Secundum est spiritualis transgressio: quia *impio.*

Tertium vniuersalis priuatio: quia *nulla erit vltra spes*, scilicet alicuius boni.

CIRCA primum nota, quod corruptio hominis, id est, hominis compositi fit per mortẽ: id est per separationem animę à corpore. Vnde in homine mortuo & corrupto, terminato omni longeuitate vitæ, fit corruptio corporis, & omnia quasi accidentia in cõtraria permutantur: scilicet agilitas in grauitatem; pulchritudo in turpitudinem; & fortitudo in debilitatem. Et ideo dicitur Iob 14. *Homo cùm mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est?* Quasi dicat: si consideremus antiquos iã mortuos & cõsumptos, vbi quæso est longeuitas Mathusalem nongentorum sexaginta nouem annorum: & mortuus est: de quo dicitur Gene. 5. quod facti sunt omnes dies Mathusalẽ, &c. Vbi est agilitas Azahelis? de quo dicitur 2. Reg. 2. *Porro Azahel cursor velocissimus fuit quasi vnus ex capreis.* Et post subditur. *Et percussit eum Abner aduersa hasta in inguine & transfodit: & mortuus est in eodem loco.* Vbi quæso est valitudo Caleph: qui ait Ios. 14. *Hodie octogintaquinque annorũ sum, sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum* s. quando erat quadragintaquinque annorum: sequitur. *Et illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat tam ad bellandum: quam ad gradiendum*: qui tamen postea mortuus est, & annihilata

Iob 14.

2. Reg.

Ios. 14.

est eius valitudo. Vel vbi quęso est fortitudo Sāsonis? de quo legitur Iudicū 14. quod dilacerauit leonem, quasi hędum in frusta discerperet. Et eodem 15. quod rupit vincula duorum nouorum funium, quibus ligatus erat, sicut solent ad ardorem ignis ligna cōsumi, & inuēta maxilla asini, interfecit ex ea mille viros. Et post plures alias fortitudines quas fecerat, dicitur de ipso Iudicum 16. quod apprehendens ambas colūnas, quibus innitebatur domus, concussisque columnis fortiter, cecidit domus super omnes principes, & super cęteram multitudinē quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quā ante viuus occiderat. Item quæso, vbi est pulchritudo Absalonis: de quo legitur 2. Regum 14. *Porro sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israël & decorus nimis. A vestigio pedis vsque ad verticem nō erat in eo vlla macula.* Et tamen eodem 17. dicitur quod tulit Ioab tres lāceas, & infixit eas in corde Absalon Cumque adhuc palpitaret, decem iuuenes armigeri Ioab percutiētes interfecerunt, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem: & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnū nimis. Et ita patet quomodo mors humiliat omnem humanā gloriam, siue de fortitudine, siue de pulchritudine, siue de quacunque gratiositate corporali. 2.Re.14

Secundo, describitur in auctoritate inducta spiritualis transgressio, scilicet quæ fit ab homine impio. Vbi aduertēdum est, quod ab homine impio tollitur omnis modus pacis. Et ratio est: quia cū pax, secundum Augustinum, sit ordinata tranquillitas, id est, tranquillitas sequēs ex ordinata vita, sicut fit in homine impio vita omnimode inordinata, ita tollitur ab eo omnis modus pacis. Nam vita hominis debet esse ordinata respectu Dei; respectu sui; & respectu proximi. Sed vita hominis impij efficitur inordinata respectu Dei: qui scilicet Deo non obedit. Item respectu sui: quia caro spiritui, & sensualitas rationi rebellat & contradicit, & ipse magis sequitur carnem & sensualitatem, quam rationem. Fit etiā inordinata respectu proximi: quia qui sibi nequā est, cui alij bonus erit? Ergo propter inordinationē suā perdit pacem pectoris, id est, trāquillitatem & pacem consciētiæ. Sed propter inordinatam vitam respectu proximi, perdit pacem temporis. Sed propter inobediētiam Dei, priuabitur pace æternitatis: quę erit in ipso Deo. Et ideo dicitur Esa. 48. quod *non est pax impijs:* Et eodem 57. *Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest.* Tertio, describitur in auctoritate introducta vniuersalis boni priuatio: quia *nulla erit vltra spes.* s. alicuius boni. Et ratio est: quia bonum hominis triplex est, s. externum, & internū, & supernum. Sed impius mortuus & dānatus, est priuatus spe boni exterioris: quia à *nulla creatura* extra se existente, potest aliquod suffragium siue auxiliū recipere. Vnde priuatus est beneficio & vtilitate omnium creaturarum, siue omni refrigerio. Item est priuatus spe boni interioris: quia priuatus est gratia Dei & virtutibus, nec est possibile vltra recuperare ea, quæ recuperari possunt in vita ista per pœnitentiam: vnde loco earum habet habitus vitiosos qui eum cruciāt, & mordent ad modum vermium. Item est priuatus spe boni superioris, quod est bonum æternum, & beatitudo sanctorum: quam sancti qui sunt in cœlo habent in re, sed quæ sunt in mundo in spe. Sed impius dānatus, nec in re, nec in spe habet, Esa.48.

quia scit se esse in æternum priuatum gloria æternæ beatitudinis:quam f.cōsecutus fuisset,nisi fuisset ex culpa sua. Et ideo dicitur Prou.10.*Spes impiorum peribit.* Et sic patet primum principale.

Prou. 10

B SECVNDO quoq; describitur in themate mercatoris conditio ex exercitio temporali, à quo scilicet denominatur mercator: scilicet quia mercationem exercet. Vbi aduertendum, quod quidam dixerunt, quod omnis mercatio illicita est. Vnde Aristoteles in politicis dixit, quod omnis mercator est vituperabilis. Et rationem assignabat, quia omnis actio nostra iudicatur bona vel mala, ex intentione finis: sed finis intentus ex mercatione est lucrū, quod pertinet ad cupiditatem, & ideo mercatio illaudabilis est, quia ex cupiditate lucri procedit. Sed isti pro tanto non bene dicunt, quia etiam ipsum lucrum potest ad bonum finem ordinari, sicut ad domus & familię sustentationem, vel pauperum subuentionem, & huiusmodi:tamen si mercator lucrum intendat non quasi finem, sed vt stipendium laboris, mercatio erit licita, & etiā laudabilis propter aliquem bonū finem, ad quem etiam ordinatur. Reprehenditur tamen mercator cupidus, qui non intendit nisi ad lucrum, & qui tantum occupatur circa mercationes, quod negligit spiritualia; & qui ponit finem suū in lucro & diuitijs: & non attendit ad incertitudinem vitæ suæ. Vnde dicitur Iaco.4. *Diuitis mercabimur & lucrum faciemus: qui ignoratis quid sit vobis in crastinum.*

Iac.4.

In quibus quidē verbis, de mercatoribus describuntur tria.

Primo mercatorum actus: cùm dicitur: *mercabimur.*

Secundo mercationum fructus: cùm subditur: *& lucrum faciemus.*

Tertio ipsorum euentus: quia *ignoratis, &c.* Actus ergo potest esse iustus; fructus potest esse licit[a], sed euetus est incertus & dubius.

Circa primum attendendum est, quod homo potest licite, & etiā illicite mercari, scilicet emēdo vel vendendo. Et hoc pręcipue consideratur ex quatuor.

Primo ex modo, scilicet vt pure, & sine vitio fiat. Nam si fieret cū mendacijs, & cum fraudibus, & dolositatibus, erit profecto illicita mercatio. Et quia vix fit hodie mercatio sine fraudibus, vel saltē sine mendacijs, videtur impleri illud Apocā.13. *Et faciet,* inquit, *ne quis possit vendere aut emere, nisi habeat characterem bestiæ, aut nomen bestiæ: aut numerum nominis eius.* Bestia enim quæ à vastando dicitur, diabolum repræsentat; cuius quidem character est fraus, vel falsitas eius; quia ipse mendax est & pater eius: vt dicitur Ioan.8. Sine hoc ergo charactere, fraudulentię vel mendacij, non videtur hodie vendere vel emere mercatores: & tamē subditur in Apocā. 14 quod qui accipit characterem, scilicet bestię in fronte sua, aut in manu sua, bibet de vino iræ Dei. Secundo vero consideratur an sit brutalis, & illicita mercatio ex precio rei emptæ, vel venditæ: quia si sit iustū preciū, erit mercatio licita: si vero non iustū, illicita. Dicitur autem iustum preciū, quando est secundum valorē rei. Quia emptio & venditio introducta est, pro communi vtilitate vtriusq; partis, scilicet emētis & vendentis: dum vnus indiget re alterius & è contrario. Et quod introductum est pro communi vtilitate, non debet cedere in grauamen magis vni, quam alteri. Vnde secūdum ęqualitatem rei debet contractus inter eos institui. Quātitas autem earum rerum, quæ veniunt in vsum hominum, mensuratur secundum precium

Apō. 13

ciuim

cium datum, & ad hoc secūdum Philosophum inuentum est numisma. Et ideo si precium excedat quantitatē valoris rei, vel res excedat precium, non seruatur æqualitas iustitiæ, & ideo rem charius vendere, vel vilius emere quam valeat, secundum se iniustum & illicitum est. Tertio, considératur an sit illicita vel licita mercatio, ex vitio, scilicet rei vēditæ. Nam aliquando res quæ vēditur, habet vitium siue defectū, quantum ad speciem rei. Et si talem defectum venditor cognoscat esse in ipsa re, quam vendit, tunc in ipsa venditione fraudem committit, ex qua redditur, venditio illicita, & non solum peccat iniuste vendendo, sed etiam ad restitutionem tenetur, vt si vendat aurum falsum, vel crocū falsum pro vero, vel vinum mixtum pro puro scienter. Sed si venditor ignorat vitium, tunc non peccat vendendo, quia licet faciat iniustum naturaliter, tamen operatio eius non est iniusta. Sed quando cognouerit ipsum vitium: tunc tenetur ad compensandum damnum emptori.

Item si venditor æstimat rem suam, quantum ad speciem, minus preciosam quam sit, vt si vendat aurum pro auricalcho: emptor si illud cognouit, iniuste egit, & ad restitutionem tenetur. Sed si illud tunc non cognoscat, quādo emit, licet tunc nō teneatur, tenetur tamen, cum ad eius notitiam venerit. Aliquando res quæ venditur, habet defectum & vitium, quantum ad quantitatem, puta quando non vtitur recto pondere, vel mensura: & tunc etiam est fraudulenta, & illicita vēditio. Vnde Deut. 25. Dominus prohibuit dicens. *Non habebis in sacculo tuo diuersa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor.* Et postea subditur. *Abominatur enim Dominus eū qui facit hoc: & auersatur omnē iniustitiam.* Aliquando vero res vendita, habet defectū quantū ad qualitatē, vt si morbosum pro sano vendatur, & sic de alijs similibus: quod si quis scienter fecerit, fraudulēter ac illicite vēdit, & ideo ad restitutionē tenetur. Quarto, cōsideratur an mercatio vendētis vel ementis sit licita, vel illicita, ex commodo vel dāno consequēte, prout, s. per accidēs cedit in vnius cōmodum, & in alterius detrimentum: puta cùm vnus indiget habere rem aliquam, & alter multū læditur si ea careat. In tali enim casu iustū preciū erit, si iustus ęstimator aspiciat non solū ad rem, quæ vēditur, sed etiā ad dānū, quod vēditor incurrit ex tali vēditione: & ideo licite potest vendi res talis magis quam valeat, quia licet secūdū se minus valeat, non tamē minus valet habenti. Si autem ex ipsa re vendita multum iuuetur emptor, & vēditor ea carendo non damnificatur: tunc si eā superuenderet, illicita vēditio esset: quia vtilitas quæ accrescit alteri, nō est ex vēditione: sed ex conditione emētis. Nullus autem quod suum non est, alteri vendere debet, licet damnū quod patitur vendere poßit: ille tamen qui multum iuuaretur ex accepta re alterius, potest aliquid sua spōte supererogare vendēti, cùm hoc euidēter pertineat ad eius honestatē. Est etiā quandoq; mercatio indecēs propter statū: puta si clerici, vel principes fiant mercatores, sicut dicitur Apoc 18. *Mercatores tui erāt principes terræ.* Secundo, in auctoritate allegata describitur mercationū fructus, cū dicitur: *& lucrum faciemus:* & hoc est quod non sinit mercatores, imo homines esse lapsos. Quæsiuit enim Adrianus Imperator à Secūdo Philosopho: quid est quod nō sinit hominē esse lapsum? respō. lucrū.

Deut. 25

Apoc. 18

Sed nota, quod mercator non lucraretur, si non venderet rem emptam plus quàm empta sit. Hoc autē sibi licet: vel quia in aliquo rem meliorauit; vel quia precium est meritum secundum diuersitatem loci vel temporis; vel propter periculum, cui se exposuit merces transferendo: vnde charius vendere potest. Chrysostomus tamen dicit super Mattheū, quod quicunque rem comparat, vt integram & immutatam vendendo lucretur, iste est mercator, qui de templo Dei eijcitur. Sed hoc intelligitur de mercatore, qui vltimum finem mercationis in lucro constituit. Quod præcipuè apparet, quia vendendo plus rem in nullo mutatam, modo videtur premium sui laboris accipere. Potest autem intendi lucrum licitè, non sicut vltimus finis; sed propter alium finem necessarium vel honestum: puta ad domus suę sustentationem, vel ad subueniendum indigentibus, vel ad publicā vtilitatem patriæ, scilicet vt res necessariæ ad vitam nō deficiant patriæ, & lucrum expectat non quasi finem, sed velut stipendium laboris. Tertio, describitur euentus intentus cùm additur, *& ignoratis quid sit vobis in crastinum:* siue quantum ad personas, siue quātum ad mercationes. Nam quantum ad personas, si hodie viuat, cras potest mori: quantum ad mercationem, qui hodie est diues, cras potest depauperari, & perdere merces & lucrum: & tales euentus futuri à nobis ignorantur, quia non possumus eos cognoscere in se, cum nondum sint; nec in suis causis, quæ se habent ad vtrumlibet, nec sunt determinatæ ad vnum: & licet sint effectus determinati in diuina præscientia, tamen ipsa occulta est nobis, nisi inquantum Deus hominibus voluerit reuelare. Et ideo dicitur Prouerb. 27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.* Eccle. 8. *Multa hominis afflictio: quia ignorat præterita: & futura,* scilicet contingētia *nullo modo potest scire nuncio,* Prou. 27

C

TERTIO, describitur bonus mercator defunctus, à domicilio finali: *quia in domo Domini.* Notandum, quod domus Domini vocatur habitatio paradisi: in qua licet nō sit mercatio vel mercator: tamen ille qui fuit mercator, si mercationem suā sine peccatis exercuit, & alias bene vixit; vel saltem si in fine bene pęnituit, pergit post mortē corporis. Qualis autem sit illius domus habitatio: Psalm. 83. ostendit dicens. *Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* In quibus quidem verbis cęlestis gloriæ mansio quadrupliciter commendatur Primo, ex copiositate, in eo quod dicitur *beati.* Beati enim dicuntur illius domus habitatores: quia habent copiam & abundantiam omnium bonorum. Nam secundum Boetium. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Et hanc beatitudinem habent qui habitant in domo Domini: propter quod dicit Psal. 64. *Beatus quē elegisti & assump. inha. in atr. tuis.* Psal. 83. Psal. 64

Secundo, commendatur ex satietate, cùm subditur: *qui habitant in domo tua domine.* Nam & si auarus habeat abundantiam, propter parcitatem non comedit, nec accipit de rebus quātum vellet: vnde dicitur Eccles. 6. *Vir cui dedit Deus diuitias & substantiam & honorem: & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo: sed homo extraneus vorabit illud.* Et ideo talis licet habeat bonorum abundantiam, non habet tamen satietatem; sed in domo Domini cęlesti, quilibet replebitur & satiabitur Eccl. 6.

tiabitur: secundum illud Psal. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ.* Psal. 64.

Tertio, commendatur ex perpetuitate: quia in sæcula sæculorum. In his enim sæculis notatur perpetuitas laudis: quæ est hominum beatorum, & etiam angelorum. Sed sæcula hominum habēt augmentum successiuum: quia iugiter ingrediūtur homines cælum, & adduntur laudantibus. Et inceperunt sæcula hominum ab Ascensione Christi, quando primo ingressi sunt homines cęlum. Sed angelorum sæcula incęperūt ab origine mundi. Et boni angeli qui permanserunt postquam beatificati sunt, semper omnes simul fuerunt beati, & laudantes Deum: neutra tamen sæcula finientur. Vel dicuntur sęcula sęculorum, quia præsentia sæcula quę temporalia sunt, sunt figura sęculorum sequentium: quæ scilicet, sunt perpetuas, quia continua fit successio temporum præsentium: quia sicut sol mouetur ab oriente, & iterum redit ad orientem, & iterato etiam facit eādem circulationem: & sic circulatio semper succedit circulationi, ita & tēpus tempori, puta dies diei, & annus anno. Talis inquam successio temporum, quæ semper iteratur, quædam vmbra est perpetuitatis sæculorum sequentium, in quibus sancti semper laudāt Deū: quia ab initio sęculorum pręsentium semper angeli laudauerunt Deum: & in perpetuum laudabūt homines beati simul cū eis: ideo dicūtur laudare & gaudere in sęcula sæculorum: sicut etiam homines damnati simul cum diabolo, dicuntur torqueri in sęcula sęculorum in perpetuum, secundū illud Apoc. 20. *Diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis.* Apo. 20

Quarto, commendatur ex iocūditate: quia *laudabunt te.* Ex continuo interiori gaudio, quod habebunt de Deo & à Deo, procedet exterior vox continua laudis, & gratiarum actionis, secundum illud Esaiæ 1. *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Gaudium, scilicet interius, & lætitia exterior: gratiarum actio pro ereptione à malis: & vox laudis pro acceptis bonis. Ad quæ nos perducat, &c. Esa. 51.

In funere alicuius artificis.

SERMO XXXI.

OMNIS *artifex, & omnis ars non inuenietur in ea amplius.* Apoc. 18. Apoc. 18

Artes hominum sunt necessariæ propter passibilitatem, & corruptionem corporis. Sicut ars textoria necessaria est ad faciendum indumenta: quę scilicet protegunt corpus humanum, ne patiatur à frigore. Et ars piscatoria & coquinaria est necessaria ad præparandum cibos: quibus passio famis repellitur, & interior defectus, & corruptio prohibetur. Et ars medicinę necessaria est cōtra passiones & corruptiones ægritudinum: & sic de alijs. Vnde & Galenus dicit, quod si esset immortale & impassibile corpus, nō indigeret arte cōseruante ipsum. Hinc est ergo quod in alia vita, quæ est impassibilis & incorruptibilis, sicut in beatis; vel saltem incorruptibilis, sicut in damnatis: non habent facere artifices, neq; artes. Et ob hoc dicitur in verbis propositis, *quod omnis artifex,* &c.

A In quibus quidem verbis, circa defunctos artifices, considerare possumus tria.

Primo, laudis præconium, scilicet in artifice vel arte: cùm dicitur, *omnis artifex,* &c.

Secundo, mortis exterminiū: propter quod *non inuenietur amplius.*

Tertio operis pręmium : quia *in ea.*

CIRCA primum nota, quod differentia eſt inter opus morale, & opus artificiale. Nam opus morale non poteſt homo facere bonũ, niſi bonus. Et ratio eſt, quia ex eadem cauſa procedit ꝙ homo ſit bonus : & quod faciat opus moraliter bonum, ſcilicet ex virtute. Et ideo Philoſophus dicit, quod virtus eſt quę bonũ facit habentem, & opus eius bonum reddit. Figura huius habetur Matth. 7. vbi dicitur quod bona arbor fructus bonos facit: & non poteſt mala arbor bonos fructus facere Sed opus artis poteſt facere bonum, etiam qui nõ eſt bonus. Licet enim Philoſophus adnúmeret artem inter virtutes intellectuales, tamen non dicitur eſſe virtus, quia faciat hominem bonum, ſicut facit virtus moralis ſed ſolum quia facit facultatem operãdi, ſed virtus moralis vtrumque facit. Et hinc eſt quod in artifice non attendimus ad bonitatem hominis, ſed ſolum ad bonitatem operis : & de hac laudatur artifex. Vnde dicitur Ec-
Eccl.9. cleſiaſt. 9. *In manu artificum opera laudabuntur.*

In quibus quidem verbis, artificum conditio notificatur ex quatuor.

Primo, ex inſtrumento naturali: quia *in manu*

Secũdo, ex habitu intellectuali: quia eſt ars à qua denominantur artifices: vnde dicit: *artificum.*

Tertio, ex effectu artificiali: cũ additur: *opera,* ſcilicet artis

Quarto, ex fructu honorabili quia *laudabuntur*: reputat enim ſibi artifex ad fructum & honorẽ, quod eius opera laudentur.

Circa primum attendendum eſt, quod manus eſt naturale inſtrumentum & coniunctum, quo
Cant.7. artifices operantur. Cant. 7. *Sicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificu.* Vbi per monilia intelligũtur virtutes, ſiue habitus virtutũ, quæ tũc manu fabricamus, quãdo virtutũ opera facimus; quia habitus virtutũ moralium, ſecundum Philoſophũ, ex actibus acquiruntur: quia frequenter agendo iuſta, efficimur iuſti, & ſic de alijs virtutibus Notandũ eſt etiã, quod in ipſa diſtinctione manus, oſtẽditur quę virtutum opera facere debeamus. Eſt enim manus hominis per quinque digitos diſtincta. Quorum primus, qui eſt groſsior, vocatur pollex: ex eo quod inter cæteros, virtute plus polleat. Vnde in hoc digito deſignatur iuſtitia: eo quod inter virtutes morales plus polleat. Vnde Philoſophus dicit 5. Ethic. quod iuſtitia eſt pręclariſſima virtutũ: & neque lucifer neq; heſperus eſt ita clarus Vnde etiã Auicenna in 2. lib. medicinæ ſuæ dicit, quod iſte digitus, ſ. pollex, eſt iuſtitia omniũ digitorum: quia. ſ. omnes alij digiti cũ ei applicantur, ad quandam æqualitatẽ reducuntur. Ille ergo habet pollicẽ manus, qui iuſta operatur Iſte digitus, ſecundũ Cõſtantinũ, ex tribus oſſibus cõponitur, quę referuntur ad triplicem iuſtitiã, ſ. diſtributiuã, quæ cõpetit diſpenſatoribus; vindicatiuã, quæ competit correctoribus; & comitatiuã, quæ cõpetit mercatoribus, Secundus digitus vocatur index, quia per ipſum res indicamus, & demonſtramus, & hoc pertinet ad prudentiã, quæ nobis quæ agenda ſunt demõſtrat & ordinat Et tres partes huius digiti, ſignificant tres partes prudẽtiæ, quæ ſunt memoria, reſpectu præteritorum; intelligentia, reſpectu præſentium; & prouidentia, reſpectu futurorum. Tertius digitus qui eſt medius, dicitur impudicus, eo quod dum manus aliquid turpe tangit, hic digitus cũ ſit maior cęteris, illud

prius

prius attingit. Vnde ſignat tēperantiā, quæ impudicitiā & voluptatē carnis tangit reprimendo, & moderando Et tres partes huius digiti, ſignificant triplicē temperantiā, quarū vna eſt in abſtinētia ciborū; ſecunda ſobrietas potationū; tertia continentia venereorū. Quartus digitus vocatur anularis, quia in ipſo anulus defertur. Sicut autem anulus in digito, ita eſt in opere fortitudo, quæ neceſſaria eſt precipue in continuando & perſeuerando: eſt enim anulus ſicut corona digiti, quia ſola perſeuerātia coronatur. Et tres partes huius digiti, ſignificant triplicem fortitudinē. Vna eſt in aggrediendo, quod pertinet ad fiduciā; alia in ſuſtinendo, quod pertinet ad patientiā; & tertia in cōſummando, quod pertinet ad perſeuerantiā. Quintus digitus dicitur auricularis, eo quod cum ipſo aures ſcalpimus, & hic ſignificat obediē-
Pſ.17. tiam: quia ſcriptū eſt in Pſ.17. *In auditu auris obediuit mihi.* Et tres partes huius digiti, ſignificāt quod obedientia eſt homini tripliciter neceſſaria. Primo, reſpectu Dei, ſ. vt homo obediat diuinę volūtati. Secundo, reſpectu proximi. ſ. vt obediat ſuperiori poteſtati. Tertio, vt obediat proprię rationi. ſ. vt ſit ſenſualitas ſubiecta rationi. De iſtis ergo digitis manus dicitur
Dan.5. Dan. 5. *Apparuerunt digiti quaſi manus hominis, &c.*

B Secundo deſcribitur cōditio artificum ex habitu intellectuali, qui eſt ars; quia ab arte, qui eſt habitus intellectualis, denominātur artifices: & ideo dicitur *artificum.* Sed quia artifices poſsūt & bene, & male vti arte ſua, notādū, quod quidā ſunt artifices diaboli. Diabolus enim fallax & mendax eſt.
Ioan.6. Ioan 6. *Mendax eſt & pater eius.* ſ. mendacij. Vnde quicunq; faciūt artē ſuā cū falſitate & mendacijs, ſunt de arte diaboli. Nam quidam artifices ſunt, qui interdum faciunt opera ſua falſificata: ſicut illi qui faciunt aurum vel argentum alchimicum, & vēdunt ipſum pro vero: vel ſicut ſpeciarij, qui ponūt in cōfectionibus vel ſyrupis mel, vel puluerem zuccari pro bono zuccaro. Et ſimile eſt de quocunque artifice, falſificante opera ſua; ſicut quidam falſificant crocum, & quicunque alij ſint, qui faciūt vt vendant res falſas pro veris. Iſti ſimiles ſunt artificibus illis, qui faciebant Deos falſos, id eſt, idola pro veris dijs. Oſeæ 13. *Fecerunt* Oſeæ 13.
ſibi conflatile de argento ſuo, quaſi ſimilitudinem idolorum, factura artificum totum eſt. Ad hoc peccatum idolatriæ reducuntur artes magorum, & necromaticorum, quia etiam ſunt artes diaboli, quibus Deus maxime irritatur ad vindictā. Vnde de Manaſſe dicitur. 2 Paral. 33. cap. quod obſeruabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus inſeruiebat. Habebat ſecū magos & incantatores, multaque mala operatus eſt coram Domino, vt irritaret eū. Sunt etiā de arte diaboli artifices mēdaces, qui nō ſeruant pacta quę promittunt, & ideo infideliter agunt. Pſ. Pſ.57.
77. *Auerterunt ſe & non ſeruauerūt pactum, &c.* Itē diabolus quicquid facit, cū peccato facit Et ſic quidā artifices, neſciūt quaſi de arte aliquid facere, vel vendere ſine peccato, dicendo mendacia, vel vendendo rem pluris quā valeat, vel vendēdo rem falſam & vitioſam pro bona, & nō manifeſtādo vitium occultum, vel ſi ſit vitiū damnabile, vel damnoſum, vel periculoſum, tenetur de damno vel periculo; vel ſi non ſit vitium periculoſum nec dicunt vitium quod eſt in re, nec diminuūt de precio. Vnde omnes tales diabolus tollet & portabit in infernum niſi correxerint ſe. Hoc figuratum eſt. 4. Reg. 24. vbi habetur quod rex Ba-

bylonis, i. diabolus transtulit in captiuitatem, scilicet peccati, & in infernum, omnem artificē, scillicet, qui cum prędictis peccatis facit artem suam. Quidam vero sunt artifices Dei, sicut illi qui purè, & fideliter faciunt artē suā, & de arte sua & lucro faciunt etiā eleemosynas: nec propter occupationem artis dimittunt spiritualia bona quæ facere tenentur.
Sap. 13. Et de tali potest dici illud Sap. 13. *Arte sua usus est diligenter*. Tertiò, describitur in auctoritate allegata conditio artificum, & effectu artificiali, in eo quod dicitur *opera*. Artifex enim qui nihil operatur, nihil lucratur. Prouerb 10.
Prou. 10 *Egestatem operata est manus remissa*. Sic etiam in quo non facit opera virtutum, non meretur. & ideo dicitur Ecclesi. vlt. Operamini opus vestrum ante tempus: & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. Et dicit *ante tempus*: scilicet mortis: quia post non est tempus operandi, sed recipiendi. Et ideo consulit Sapiens Eccl. 9.
Eccl. 9. *Quodcunque facere potest manus tua instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas*. Quartò, describitur ex fructu honorabili: cùm additur, *laudabuntur*. Vbi aduertendum est, quod opera artificum non debent laudari, nisi primo bene videantur, & inspiciātur. Vnde si essent in tenebris, ita quod non posset videri illud, quod melius & preciosius est in eis, non deberent laudari. Et sic est etiam de operibus moralibus: quia modo fiunt ita in tenebris, quod non apparet id quod melius & principalius est in eis, scilicet intentio à qua sequēs opus denominarur, scilicet bonum vel malum. Et ratio est, quia intētio est finis: quia scilicet finis est illud quod primo est in intentione operantis: sicut sanitas infirmi est illud, quod primo intenditur à medico; & propter hunc finem adhibet medicamenta sanatiua: sed vnumquodque denominatur à fine, sicut dicit philosophus: vnde cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Quia igitur intentio est de fine, ideo ab intētione ipsius finis, opus denominatur, Et propterea Gregor. dicit quod si praua est intentio quæ præcedit, peruersum est omne opus quod sequitur, etiam si rectū esse videatur. Quia igitur, licet opus videatur, intentio tamen non videtur: non possunt opera hominum, in vita ista, bene laudari: sed apparente claritate diuini iudicij, illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur secreta cordium & intentionum; & tunc erit vera laus & perfecta operum factorum. Vnde Apostolus 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare: quousque veniat Dominus,* 1. Cor. 4
qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiū: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Prouer. vlt *Laudent eam in portis opera eius*. Hæ portæ sunt duo iudicia hominum; vnum particulare, quod fit in morte: & aliud generale, post resurrectionē generalem in fine mundi. In quibus, ex ipsis operibus factis, apparebit quis sit laudabilis, vel non. Sed primum est Deo manifestum, nobis autem occultum: sed secundū erit omnibus patulum.

SECVNDO in themate ponitur mortis exterminium: *quia non inuenietur amplius*. Manifestū est enim quod iste dum viueret, frequenter de arte sua requirebatur: sed nunc postquam est per mortem sublatus, nullus requiret eum amplius, & si requireret non inueniret: vnde dicere possit illud Psal. 36. *Quæsiui eum & non est inuentus locus eius*. In quibus quidem verbis describuntur duo. Psal. 36 G

Primo,

Primo, hominis viui conside-ratio: cùm dicitur, *quæsiui eum*, s. mentis consideratione.

Secūdo, hominis defuncti subtractio: quia *non est inuentus locus eius*.

Circa primū notandum, quod multum deberet homo viuens quærere, & mente considerare de amico defuncto, vel consanguineo vbi sit: quia si sciret quod esset in cęlo, deberet sibi congratulationem: quia est extra omnem miseriā, & est in omni abundantia omnis boni. Et de quibusdam est certum quod sunt ibi, sicut de pueris decedentibus post baptismum, qui sine macula sunt ante thronum Dei. Vnde de talium morte non deberet homo lugere, sed potius gaudere. De quibusdā vero probabile est, quod ibi sint, sicut illi, quorum mortem bona vita præcessit: quia sicut dicit Augustinus. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit. Itē sicut illi, qui de suis peccatis plenam & veram pœnitentiā ostenderunt: vnde Dominus dixit. *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum*. Si verò esset in inferno, tunc deberet de statu eius concipere magnum horrorem & pro se magnum timorem, ne scilicet ipse sic vadat ad tantā pęnam, quæ talis ac tanta est, quod hic æstimari nō possit. Et de quibusdam certum est quod ibi sint, sicut infideles qui sine fide moriuntur: quia *qui non credit iam iudicatus est*. Et sicut hi qui moriuntur hæretici, vel impœnitentes, & desperati, vt qui occidūt seipsos. Si autem sint in purgatorio, sicut communiter accidit de his, qui moriuntur etiā pœnitentes, quia raro pœnitentia tanta est, quod statim faciat ad cœlum euolare: quia si pœnitentia non est perfecta in vita ista, tunc oportet quod compleatur in purgatorio pœna, & de tali defuncto debet habere compassionem: quia pęna cuiuscunq; in purgatorio existētis, tanta est quod nulla pœna huius vitæ potest ei comparari, sicut Augustinus dicit: & ideo debet eum iuuare cum eleemosynis, & Missis, & alijs suffragijs. Et isto modo debent quærere de consanguineo, vel amico suo defuncto, vt possit dicere illud Canticorum 3. *Quæsiui quem diligit anima mea*. Secundo ponitur in auctoritate adducta hominis defuncti subtractio, *quia non est inuentus amplius locus eius*, scilicet in mundo isto. Quod est error illorum qui dixerunt, quod post magnū annum, qui erit secundum quosdam errantes post completū circulū cęli stellati, scil. post triginta sex millia annorum ab initio mundi tunc fiet reiteratio hominum, quia redibunt ijdem homines ad easdem artes: ita quod adhuc Plato leget Athenis. Sed cōtra hoc est auctoritas scripturę diuinę quę dicit 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terra quæ non reuertuntur*. Vnde secundū veritatem fidei catholicę, qui defuncti sunt, nunquā reuersuri sunt ad hanc vitā mortalem. Sap. 2. *Non est agnitus qui sit reuersus ab inferis*. & paulo post. *Nō est reuersio finis nostri*. Et hoc verū est secundū communē legem: licet de speciali gratia, & diuino miraculo aliqui resuscitati fuerint à Christo, vel ab antiquis prophetis, vt ab Helia & Heliseo. vt patet de Lazaro & alijs: sed priuilegiū particulare non facit legem communem. & licet omnes defuncti sint resurrecturi, nō tamen ad vitam mortalem, sed cum immortalitate. Et quia Diony. dicit, quod hoc fuit angelis casus, quod est hominibus mors: & ideo sicut dicitur de angelis cadētib. Apoc. 12. quod *locus eorū non est inuentus amplius*

Cant. 3. 2. Reg. 14. Sap. 2. Apoc. 12

amplius in cœlo:ita dici poteſt de morientibus,quod locus eorũ nõ eſt inuẽtus amplius in mũdo. Ex quo ſequitur quod nũquam amplius perfruentur, nec mundi diuitijs,nec delitijs, nec eius honoribus potientur.

TERTIO ponitur in themate aſſumpto præmium operis: cùm dicitur,*in ea.* Vbi nota quod duplex eſt locus retributionis defunctorum hominum,ſ.locus inferni,quæ figuratus eſt in ciuitate Babylonica ; & ibi eſt retributio malorum in duplici pœna,ſcilicet damni de amiſſione gloriæ, & etiam ſenſus ex ardore gehennę. Propter pœnam ergo ſenſus audientur ibi clamores luctus & triſtitiæ. Sed propter pœnam damni deficient ibi voces laudis & lęticiæ. Et hoc figurate dicitur Apocal. decimo octauo, vbi Metaphorice loquitur de pœna damnatorum ſub figura ciuitatis Babylonicæ dicens. *Clamauerunt flẽtes & lugentes. Væ væ, ciuitas illa magna:* & dicit bis væ propter duplicem pœnam prædictam. Et poſt ſubditur infra. *Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra non inuenietur. Et vox citharedorum & muſicorum, & tybia canentium, & tuba non audietur in ea.* Sed locus retributionis iuſtorum,eſt locus paradiſi,qui figuratus eſt in ciuitate, ſcilicet Ieruſalem : de qua econtrario dicitur Eſa. 51. *Gaudium & lætitia inuenietur in ea:gratiarum actio: & vox laudis.* Gaudium, ſcilicet ab interiori,de animæ beatitudine: lætitia de exteriori corporis glorificatione: gratiarum actio pro ereptione à malis : & vox laudis pro repletione in bonis. Pſal. 102. *Qui redimit de interitu vitam tuã: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Et hæc eſt corona æternæ gloriæ. Ad quam nos &c.

Apoc.18

In funere alicuius iuuenis.

SERMO XXXII.

MEmento creatoris tui in die iuuentutis tuæ,antequam veniat tempus afflictionis. Eccleſ.vlt. Eccl.vlt.

Cùm homo à Deo habeat animam & corpus, & exteriora bona,id eſt temporalia. In his quidem quæ ad animam pertinent, dicit Seneca, quod nihil eſt dignius memoria. Inter cuncta, inquit, humanæ naturæ commoda, nihil dignius memoria reperitur. Nam in anima nobiliſſima pars eſt intellectus, ſiue ratio: memoria autem,non quidem ſenſitiua, quam habemus communem cum brutis: ſed intellectus,quę eadem potentia eſt cum intellectu & ratione. Sed dicitur ratio,vt eſt inquiſitiua: intellectus,vt eſt apprehenſiua ; ſed memoria, vt eſt retentiua. Et quia retinere maioris virtutis videtur eſſe, quam inquirere vel apprehendere : ideo memoria dicitur eſſe digniſſimũ quid in anima. Sed in his quæ ſpectant ad corpus, nihil eſt charius vita: & præcipue quando eſt magis florida, vt in ætate iuuenili. Sed in exterioribus præcipue appetitur proſpera fortuna. Hortatur ergo nos Salomon in auctoritate propoſita,vt omnia iſta tria cùm aſſunt nobis, in illum referre ſtudeamus, à quo ipſa percepimus, ſcilicet in noſtrum creatorem: dicens vnicuique iuueni. *Memento creatoris. &c.*

In quibus quidem verbis tria facit. A

Quia primo oſtendit, quod debemus referre in Deum noſtram memoriam : cùm dicitur. *Memento creatoris tui.*

Secundo noſtram iuuenilem vitam :cùm ſubditur,*in die iuuentutis tuæ,*

Tertio proſperam fortunam: cùm

cùm subinfertur, *antequam veniat, &c.* id est, dum es in prosperitate.

HORTATVR ergo nos Primo ad memoriam creatoris nostri: quia nihil est cuius homo ita faciliter obliuiscatur. Et causa potest esse, & potest hoc contingere ex elatione. Dicit enim Senec. quod memoria beneficiorum, scilicet receptorum, labilis est. Homo enim beneficiorum quæ dedit, magis recordatur, quã eorum quæ recepit. Et ratio est: quia homo inter cetera animalia est maioris elationis animi, & ideo in illud quod est excellentius, & honorabilius magis & libentius tendit: quam illud quod est despectibilius, à quo libenter auertitur. Cùm igitur beneficiũ dare sit agere: recipere autem sit pati: & agere sit nobilius quàm pati: & pati sit despectibilius: ideo magis habet homo animum ad beneficia data quam ad recepta: & ideo magis recordatur eorum. Vnde Dominus noster ait: vt dicitur Actuũ vigesimo, quod *beatius est magis dare quam accipere.* Quia igitur creator omnium se habet ad nos solum ratione benefactoris, & non beneficiati, quia bonorum nostrorum non indiget: vt dicitur in Psal. decimo quinto. ideo humanus animus tanquam elatus & indignatiuus faciliter auertitur ab eo, & obliuiscitur eius. Vnde dicit Deuter. 32. *Deum qui te genuit dereliquisti: & oblitus es Domini creatoris tui.*

Act.20

Deut.32

Sed posset aliquis dicere, quod hoc non procedit ex vitio elationis, sed ex virtute magnanimitatis: quia secundum philosophum in 3. ethicorum. Vna proprietas magnanimi est, quod nõ est memor beneficiorum, & sic obliuisci benefactionis, vel beneficij nõ est ex elatione, sed ex magnanimitate. Sed intelligendum est, quod philosophus dicit magnanimum non esse memorem beneficiorum, quantum ad hoc quod non est sibi delectabile, quod beneficia recipiat: nõ autem quantum ad hoc quod benefactori sit ingratus: quoniam maiora sibi recompensare studet: quod pertinet ad perfectionem gratitudinis, in cuius actu vult superexcellere. Sed circa Deum creatorem, qui est prima causa omnium bonorũ, istud non habet locum: quia tanto quis est excellentior & virtuosior, quanto plus recipit de influentia suæ bonitatis, & potestatis, & sapientiæ siue virtutis, quæ tria includuntur in nomine creatoris. Implicat enim diuinam potestatem, quia solius Dei est creare, vt dicit Augustin. 5. de trinitat. cap. 13. Item implicat diuinam bonitatem: quia enim bonus, ideo creauit res: vt ait August. 2. de ciuitate Dei. Itẽ implicat sapientię veritatẽ: quia omnia in sapientia fecisti ait propheta. Ex quo ergo homo accipit à Deo totum suum esse, & ingenuũ siue nobile esse, quia creatura rationalis, & accepit bonum esse siue gratificatum, & accepturus est si perseuerauerit in bono beatum esse: merito debet habere Deum in memoria: alioquin si oblitus fueris, eris ingratus, & ex ingratuitate merebe-ris, vt tibi gratia subtrahatur. Et econtrario, memoria beneficiorũ Dei faciet te apparere gratum: & ipsa gratitudo ampliorem impetrabit gratiam. Figura huius habetur Tobiæ primo. *Quoniam memor fuit Dei in toto corde suo, dedit ei Deus gratiam.* In quibus quidem verbis ostenditur, quod Tobias memoriam suam referebat in Deum. Tob.1

Primo quidem actualiter. quia *memor fuit Dei.*

Secundo integraliter: quia *in toto corde suo.*

Tertio

Tertio vtiliter:quia *dedit ei Deus gratiam.*

Circa primum notandũ, quod illud quod facit hominem esse memorẽ Dei, est amor charitatis, sed quod maxime facit immemorem, est amor cupiditatis. Nã eorum ad quæ magis afficimur, magis recordamur, & minus obliuiscimur. Vnde Philosophus in libro de memoria & reminiscentia ponit, quod vnum de adiuuãtibus memoriam est, vt homo affectum adhibeat ad ea, quæ discit, & ideo obliuio Dei, præcipue causatur ex modico affectu ad ipsum, eo autem minus homo afficitur ad Deum, quo magis afficitur, & cupidus est ad mundum. Propterea dicitur 1.Ioan.2. quod
1.Ioan.2 *qui diligit mundum non est charitas*
Iac.4. *patris in eo.* Et Iac. 4. *Qui voluerit esse amicus huius sæculi: inimicus Dei constituitur.* Vnde Aug. dicit, quod venenum charitatis est cupiditas, quæ tollendo amorẽ Dei, tollit memoriam Dei. Amor autẽ charitatis facit hominem Dei recordari, & in ipsamet Dei memoria delectari: sicut homo cõsueuit delectari in recordatione rei a-
Ps.76. matæ Vnde Psal.76. ait. *Memor fui Dei & delectatus sum.* Et aliquãdo præ abundantia delectationis interioris, prorumpunt sancti viri exterius in vocem diuinæ laudis: sicut vinum quando bullit in vase, aliquando eructat exterius. Ps.
Ps.114 114 *Memoriam abundantiæ suæ tuæ eructa.* Est enim memoria Dei, vt vinum faciẽs feruere cor purum. Vnde Oseę 14. *Memoriale eius sicut*
Oseæ 14 *vinum Libani.* Libanus enim interpretatur candidatio, propter candorem nimiũ, qui erat in mõte Libani: vnde significat candorem, id est, puritatem cordis. Vnde vinum Libani est amor cordis puri, quod feruere & eructare facit memoriam Dei.

Secũdo ostendit in auctoritate adducta, quod habebat memoriam integraliter: quia *in toto corde.* Vbi notandum, quod aliquando vocatur, cor intentio mentis: vnde de hypocritis, qui ea quæ faciunt non faciunt recta intentione, quia non propter Deum, sed propter fauorem mundi: dicitur in Psal.77. *Generatio quæ non* Ps.77.
direxit cor suum. Qui ergo sic est memor Dei, quod omnem intẽtionem suam dirigat in Deum, ille dicitur memor esse Dei in toto corde suo: & talem hominẽ trahit ad se, id est, ad suam gratiam, & ad suam gloriam. Iob 34.
Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum eius & flatum ad se trahet. Iob 34.
Ps.118. *In toto corde meo exquisiui* Ps.118.
te. Tertio ostenditur de Tobia, ꝙ habebat memoriam Dei vtiliter: quia ex hoc dedit ei Deus gratiã. Et ratio est: quia memoria Dei quandoque humiliat hominem, maxime quando iudicia eius ad memoriam reducit: sicut faciebat Ps.118. qui dicebat. *Memor fui* Ps.118.
iudiciorum: humilitas autem ad gratiam disponit, sicut inclinatio vasis ad hauriendum aquã. Vnde Iaco.4. *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.* Iac.4.

SECVNDO in themate assumpto ostenditur, quod debemus referre in Deum nostrã iuuenilem vitam, cùm dicitur, *in diebus iuuentutis tuæ.* Vbi aduertendum est, præcipue in ætate iuuenili necessarium est habere memoriam Dei. Et ratio est duplex. Primo, quia in iuuentute est homo de viuendo magis pręsumptuosus. Secundum enim Philosophum in 2 lib. Rhetoricorum: hęc est vna differentia inter iuuenes & senes, quia senes sunt difficilis spei: quia de pluribus parũ vel male sperant. Quod cõtingit eis propter tria. Primo propter experientiam, experti sunt enim quod plura eorum quæ fiũt, mala sunt,

ſunt, nam multa eueniunt in deterius: propter quod ſenes omnia referunt in peiorem partem, & de facili credunt. Secundo cōtingit propter timiditatē, ſunt enim formidoloſi, quia ſunt frigidi, & deficiunt in natura, & timor eſt quædam infrigidatio. Sed ſicut audacia facit ſperare: ſic timiditas deſperare. Tertio contingit, quia ſenes magis viuunt memoriæ quam ſpei, nam reliquum vitæ eorum eſt modicum, quia modicum habent viuere: quod autem eſt præteritum eſt multum, quia multum vixerunt. Cùm ergo ſpes ſit futuri, memoria vero præteritorum, ſenes modicum ſperant, & multum memorãtur. Iuuenes autem è contrario, vt dicit Philoſophus, de facili ſperant, quia ſecundum plurima viuunt ſpei: cũ enim memoria, vt dictum eſt, ſit præteriti, & ſpes futuri, iuuenibus autem futurum ſit multum, quia ſecundum ordinem communem naturæ, multum debent viuere, prӕteritum autem eſt breue, quia modicum vixerunt: ideo iuuenes modicum viuunt memoriæ, quia modicum habent de vita in præterito, ſpei autem, quia multum ſperant ſe debere viuere, & multa ſe facturos. Et propter ſpem præſumunt de miſericordia Dei, & inuoluunt ſe in peccatis, & obliuiſcuntur Dei. Sed in tali ſpe frequenter fruſtrantur: quia credentes ſe diu viuere, quandoque citius moriuntur, ſiue morte violenta, ſecundum illud Hiere. 11. *Iuuenes morientur in gladio*: ſiue morte naturali, ſcilicet aliqua infirmitate ſecundum illud Eſa. 40. *Deficient pueri & laborabunt: & iuuenes in infirmitate cadent*. Neceſſaria eſt ergo eis memoria Dei: quæ ſuo timore refrӕnat eorum præſumptionem: quia etiam ſi multis annis deberent viuere, finaliter tamen oportebit eos venire ad eius iudicium, & tunc cogentur cognoſcere, quam vana fuerit eorum vita & ſpes. Et ideo dicitur Eccleſiaſt. 11. *Et ſi annis multis vixerit homo & in his omnibus lætus fuerit: meminiſſe debet tenebroſi temporũ*: ſcilicet mortis vel iudicij: & *dierum multorum*, ſcilicet poſt iudicium vel mortem: quia erunt dies æternitatis: *quæ cum venerint vanitatis arguentur præterita. Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua*, id eſt, ſi lӕtatus fueris *& in bono*, ſcilicet quod tibi placeat, *ſit cor tuũ in diebus iuuentutis tuæ: & ambula*, id eſt, ſi ambulaueris *in vijs cordis tui*, id eſt, voluptatibus cordis: *& in intuitu oculorũ tuorum*, ſcilicet delectando in viſibilibus: & hoc in exteriori homine: *& ſcito quod pro omnibus his adducet te Deus ad iudicium*. Secũda ratio, quare prӕcipue in iuuẽtute eſt neceſſaria memoria Dei, eſt: quia iuuentus reddit hominẽ magis pronum ad peccandum. Vnde neceſſaria eſt iuuenibus memoria Dei, quæ ſuo timore à peccatis refrӕnet. Vnde Tobias monebat filiũ ſuũ iuuenem dicens. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato conſentias*. Tobiæ 4. Cauſa autem quare iuuenes magis ſũt proni ad peccata, eſt: quia fortius impugnãtur. Vnde ex perſona iuuenis fortis dicitur in Pſ. 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi*. In quibus verbis primo deſcribitur pugna: quia *ſæpe expugnauerunt, &c.* Secundo victoria, *etenim non potuerunt mihi*. Pugnæ autem difficultas oſtenditur ex tribus.

Primo ex tentationũ frequentia: quia *ſæpe*.

Secundo ex tentationum violentia: quia *expugnauerunt*.

Tertio ex ӕtatis inexperientia: quia *à iuuentute mea*.

Circa

Circa primum notandum, quod diabolus videns iuuenes esse pronos ad diuersas, & plures passiones, vt ad concupiscentiã ciborũ, & venereorum, & ludorũ, & iras, & huiusmodi, ideo sæpe tentat eos: modo de vna passione; modo de alia, & ideo sæpe facit eos cadere modo in peccatum luxuriȩ, modo in peccatum gulȩ, modo in peccatum iræ; & sic in diuersa peccata. Figura huius habetur

Matt. 17 Matth 17. in illo dęmoniaco de quo dicitur ibi. *Male patitur: nam sæpe cadit in igne, & crebro in aqua.*

Mar. 9. Et Marci 9 dicitur de eodem ꝙ *accidit ei ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquam misit.* scilicet spiritus malus, vt eum perderet. Per ignem intelliguntur passiones irascibilis: per aquã passiones concupiscibilis, ad quas iuuenes proni sunt. Secundo pugna qua impugnantur iuuenes, habet difficultatem ex impugnãtium hostium violentia, quæ notatur, cùm dicitur *expugnauerunt.* Vbi nota, quod dæmones obsident, & expugnant animã cum exercitu vitiorum, in quo exercitu superbia quasi vexillum portat. Psal. 118.

Ps. 118. *Posuerunt signa sua signa.* Greg. Euidentissimum signum reproborum est superbia: & electorum humilitas. Quam cum quisque habet in se, aperte cognoscitur sub cuius potestate seruiat rectoris. Inuidia sagittas trahit, detrahendo alijs. Hiere. 9.

Hier. 9. *Extenderunt linguã suam quasi arcum mendacij & non veritatis.* Et post. *Lingua eorũ dolum locuta est.* Ira autẽ quasi pyrata lapides iactat blasphemiȩ & improperia. 2. Reg. 16 Semei maledicebat Dauid mittens lapides aduersus eũ: sed ipse deterius se percutit in capite, quam alium in veste. Ecclesiastici 27. *Qui in altum mit-*

Eccl 27. *tit lapidem, super caput eius cadet.* Accidia fossatum euacuat ab aquis gratiæ. Iudith 7. Holofernes fecit præcludi aquæductum: ne veniret in ciuitatem cordis aqua gratiæ lętificans. Psal. 45. *Fluminis* Ps. 45.

impetus lætificat ciuitatem Dei, auaritia fossata implet per terrenorũ cumulationẽ. Dan. 11. *Veniet Rex* Dan. 11.

aquilonis & comportabit aggerem, scilicet diuitiarum, *& capiet vrbes munitissimas.* Luxuria ignem succendit. Iob 31 *Ignis est vsque ad* Iob 31.

consumptionem, alias perditionem, *deuorans.* Gula hunc ignem nutrit & accendit, apponendo ligna cibariorum. 4. Reg. 25. *Nabuzardã* 4 Re. 25.

princeps seruorum incendit domum. Qui ergo sic expugnatur debet clamare ad Dominũ dicens illud Psal. 34. *Expugna impugnantes me.* Ps. 34.

Apprehende arma & scutum & exurge in adiutorium mihi. Tertio notatur diuersitas pugnæ in iuuenibus, ex ætatis inexperientia, cùm dicitur, *à iuuentute mea.* Multa enim sunt terribilia & difficilia militibus inexpertis, quando vadũt ad pugnam: quæ facilia & intrepidabilia videntur militibus expertis. Et ratio est, sicut dicit Philosophus in ethicis Experientia videtur esse quædam fortitudo. Nam sicut dicit Vegetius de arte militari. Nemo se facere metuit, quæ se bene didicisse confidit. Iuuenes autem inexperti & inexercitati sunt, & in corporalibus, & in spiritualibus. Et ex tali inexperientia, sicut dicit Philosophus in secundo rhetoricorũ, contingunt eis duo. Primum est, quod non sunt maligni moris, sed facilis moris: quia de facili persuadetur eis, scilicet quia inexperti sunt, & nondum viderunt multas nequitias. Secũdum est, quia sunt de facili creditiui. Cuius etiam ratio est inexperientia: quia nondum sunt in multis decepti. Et hinc est quod diabolus, qui est malignissimus & expertissimus, suis callidis & fraudu-

fraudulẽtis tentationibus & persuasionibus, faciliter decipit eos, & capit in peccatis, vt ducat eos in carcerem inferni. Vndè conqueritur ecclesia. Thren. 1. dicẽs. *Iuuenes mei abierunt in captiuitatem.* Vndè suadetur Eccl. 30. *Non des illi partem:* alias potestatem scilicet diabolo, *in iuuentute tua.* Quãdo aliquis malitiosus & callidus, potest obtinere partem in possessione alicuius simplicioris viri, tantum scit postea facere, quod habet postea totum; ita & diabolus, quandò potest inclinare & obtinere oculum, vel cor in iuuene. Sed optima defensio est custodia, quam habebat ille qui dixit Mat. 19. *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea.* Nã de præceptis dicitur: *si seruaris seruabunt te.* Secundum principale, quod notatur in auctoritate adducta, est tentationum victoria: de qua dixit: *Etenim non potuerunt mihi,* scilicet preualere: & hoc Deo sua gratia confortante & protegente Apost. Philip. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Iere. 1. *Nõ præualebunt aduersum te: quia ego tecum sum.* Hanc Dei societatem habent iuuenes, qui sunt fortes ad resistendum. Iac. 4 *Resistite diabolo, & fugiet à vobis:* sicut telum percutiens in rem solidã & fortem, & resistentem resilit, & refugit, sed in mollem penetrat & intrat: sic etiam & diabolus. Sed debent etiam iuuenes tenere manu, id est opere, gladium verbi Dei. 1. Mach. 3. *Protegebat castra gladio suo.* 1. Ioan. 2. *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis: & verbum Dei manet in vobis: & vicistis malignum.*

Thren. 1 / Eccl. 30. / Mat. 19. / Philip. 4 / Ierem. 1. / Iac. 4. / 1. Mac. 3 / 1. Ioa. 2.

C TERTIO ostenditur in themate, quod debemus offerre Deo nostram prosperam fortunã vndè dicit, *antequam veniat tempus afflictionis,* id est, antè tempus aduersitatis: quia gratius est Deo quod seruias ei & memor sis eius quandò benè est tibi: quia videtur magis sponte fieri, & ex maiori amore, quàm quod fit in aduersitate. Eccl. 32. *Grandinem præibit coruscatio:* quià debet homo coruscare virtutibus, & clarescere coram Deo, antequam veniat grando periculi & infortunij. Vel antè tẽpus afflictionis, id est antè tempus senectutis vel mortis. Tempus enim senectutis, dicitur tempus afflictionis: quia sicut dicit Horat. Multa senem circumueniunt incommoda. Nam in sene, sicut dicit Greg. in quadam Homel. super Ezech. statura curuatur, ceruix exaltata deprimitur, frequentibus suspirijs pectus vrgetur: virtus deficit, loquentis verba anhelitus intercidit; & si languor deficit senibus, ipsa salus ægritudo est, post senectutem sequitur afflictio mortis vndè Ezech. 7. *Afflictio tua,* scilicet senectutis, *afflictio ecce venit,* scilicet mortis. Sed si antè tale tẽpus homo memor fuerit Dei, vt abstineat à peccatis, & sollicitetur de operibus bonis: licet visus fuerit postea affligi per senectutem, vel exterminari per mortem: tamen anima peruenit post hoc ad æternam pacem. Vndè Sap. 7. *Æstimata est afflictio exitus illorum, & quod à nobis est iter exterminij, illi autem sunt in pace.* Ad quam nos perducat, &c.

Eccl. 33. / Ezec. 7. / Sap. 7.

In funere vnius senis.

SERMO XXXIIII.

M*Ortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum.* Gen. 25. Gen. 25.

In omnibus humanis euentibus prudentes viri respiciunt ad vltimum, id est, ad exitum vndè Boëtius dicit, quod rerum exitus prudẽtia metitur, & ideò de hoc faciunt

faciunt totam vim: sicut in mercatione non fit vis de emptione, vel de portatione, sed de lucro, quia qualitercunque sit empta; vel portata dummodo inde mercator bene lucretur, deputatur bona mercatio. Et in agricultura non fit vis de aratura vel semente, sed de messe. Et in cura medici, non est vis de dieta vel potione, sed de sanatione. Sic non de hominis natiuitate, vel augmento, vel nutritione, vel fortuna Deus curat, sed de morte. s. qualiter homo moriatur: quia ibi est tota vis, scilicet salutis vel damnationis. Verumtamen secundum mundum reputantur bene mori, qui moriuntur in bona ætate, & prosperitate, sicut refert verbum propositum de Abraham, dicens, quod *mortuus est, &c.*

A In quibus quidem verbis describuntur duo.

Primum est corruptio generalis: qui *mortuus est*: sicut generaliter omnes homines moriuntur.

Secundum est conditio specialis: quia *in senectute bona, &c.* ad quam non omnes preueniunt.

CIRCA primum attendendum est cùm dicitur, *quia mortuus:* quod mors siue mori omnibus est commune, quia est commune mori: mors nulli parcit honori Nec etiã vlli seruo. Vnde assimilatur mors illi animali quod dicitur hiena, quæ dicitur variare sexum: quia eadem aliquando inuenitur masculus, aliquando fœmina. Dicitur insuper de hiena, quod habet collum viperæ, dorsum elephantis, vocem hominum signat, in quantitate autem & voracitate repræsentat lupum, & in pilis colli equum Assimilatur ergo mors hienę quantũ ad sexus varietatem, quia scilicet aliquando masculos, aliquãdo fæminas inuadit, nulli scilicet sexui parcens: quæ etiam habet de similitudine viperæ propter moriendi celeritatem, quia frequẽter moriuntur homines inopinate, & per mortes violentas & casuales, antè tempus mortis naturalis: sicut accidit ipsi viperæ, quæ cum tempus pariendi filios aduenerit, filij non expectantes naturæ operationem, eius latera rodunt, & cum matris interitu exeunt. Ita multi antè tempus, scilicet senectutis, vel mortis naturalis, disrumpuntur per mortẽ. Elephanti vero assimilatur, propter bellicositatem, quia elephas est animal aptum ad bellum: sed bellum siue pugna mortis est maxima. Est enim ibi pugna naturæ, quæ per mortem dissoluitur: est enim pugna animæ, quæ exire de domo propria, & in regionem sibi ignotam ingredi cõpellitur. Est etiã ibi in peccatore pugna conscientiæ, quæ supra se habet iudicem iratum, & intra se peccatorum remorsum, & sub se infernum præparatum, & iuxta se aduersarium truculentum, & terribile est venire ad talem pugnam. Vocem autem hominis signat, propter fallacitatem: fallit enim hominem propter incertitudinem, quia nescit homo finẽ suum, vt dicitur Eccl 9. Lupo autem assimilatur propter voracitatẽ: omnes enim deuorat mors, & nũquam satiatur. Collum autem equi habet propter refrænabilitatem: quia imponit frænum, & terminum malitiæ humanæ, scilicet quantum ad culpã: quia amplius mala facere nequeunt, vndè ipsi non dimittunt peccata, sed peccata dimittunt eos, Ioan. 8 *In peccato vestro moriemini.* Sap. 4. Ioan. 8

B SECVNDO describitur conditio specialis, quia *in senectute bona, &c.* Non enim omnes homines ad ætatem senilem perueniunt, quia plures moriuntur in iuuen-

iuuentute, quam in senectute, sicut plures occiduntur agni quam pecudes, & ita citò frangitur vas nouum vt antiquum, & facilius scinditur arbor iuuenis quã antiqua. Commendatur tamen in proposita auctoritate antiquitas ætatis ex tribus.

Primò ex sensuum integritate: quia *in senectute bona.*

Secundò ex temporum longæuitate, quia *prouectæ ætatis.*

Tertiò ex virtutum operositate, quia *plenus dierum.*

Circa primum nota, quòd corporaliter, dicitur senectus bona, quando non tollit sensum nec interiorem, puta memoriam, nec exteriorem, sicut auditum vel visum, & huiusmodi. Sed vlterius loquẽdo, tria præcipuè sunt quæ senectutem hominis faciunt dici bonam.

Primum est bona vita præterita. Et huius ratio est, quia aliquid dicitur bonum triplici de causa, scilicet aut quia venerabile, sicut bonum honestum puta virtus, aut quia delectabile, vt cibus, aut quia vtile, sicut medicina vel nummus. Sed bona vita præterita, reddit primò senectutem venerabilem, secundùm illud Sap. 4. *Senectus venerabilis est non diuturna, neque numero annorũ computata: cani sunt sensus hominis. & ætas senectutis vita immaculata.* Item bona vita præterita reddit senectutem delectabilem. Est enim differentia inter bonũ & malum, quia malum est delectabile in fieri, sed tristabile in facto esse: vndè mali replentur pœnitudine, scilicet post factum. Bonum autẽ est difficile in fieri, sed delectabile in facto esse: vnde finis malorum est agere, finis bonorũ est egisse. Et ideo senex, qui bonam vitam duxit, dum recordatur bonorũ quę fecit, multũ delectatur. Item bona vita præterita reddit senectutẽ vtilem: quia quantò diuturnior est vita bona, tantò magis fructuosa, sicut palma quantò annosior, tantò fructuosior, Iob 29. *Sicut palma multiplicabo dies:* ergò ille senex moritur in senectute bona, plenus dierum, diuitijs, & gloria. Secundùm quod facit senectutem bonam est memoria, quia secundũ Philosophũ, iuuenes viuunt spei, senes autem memoriæ. Vndè senes ex bona memoria habent sanius consilium, scilicet propter experientiam: quæ secundũ Philosophũ fit ex multis memorijs. vndè 2 Paral. 10. Reprehensibilis ostenditur Roboam, qui dereliquit consilium senum. et secundum beatum Greg. senes habent dulce colloquium. Vndè dicit in Dialogo, quod senũ locutio semper sibi dulcis, siue amabilis fuit. Et ideò dicitur . *Non te prætereat narratio seniorũ, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quam ab ipsis disces intellectum: & in tempore necessitatis dabis responsum.* Tertiũ quod facit senectutem bonam, est bona natura, id est, cõplexio naturæ, quãdò scilicet talis est, quod sensus non obtũdit, sicut dicitur de B. Augustino, quod in senectute sua erat integro aspectu, atque auditu, & mẽbris omnibus sui corporis incolumis. Et de Moyse dicitur Deutero 34. *Quod Moyses erat centum viginti annorũ quãdo mortuus est: nõ caligauit oculus eius, & dẽtes illius nõ sunt moti.* Itẽ quãdo talis est cõplexio, quod in sene vires non prosternit, nec animum eius deijcit per pusillanimitatem: sicut dicit Caleph Iosue 14. *Quadragintaquinque anni sũt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quãdo ambulabat Israel per solitudinẽ. Hodie 85. annorum sum, sic valens vt eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum.* Illius in me tẽpo

Sap. 4. Iob 29. Eccl. 8. Eccl. 8.

ris fortitudo perseuerat tam ad bellandum quam ad gradiendũ. Sed quia in pluribus senibus vires deficiũt, orabat ipse psalmographus Psalm.70. Deum dicens. Ne proiicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.

Psal.70.

C Tertio in themate Impræsentiarũ assumpto, cõmendatur antiquitas ex temporũ lõgæuitate: quia *prouectæ ætatis*. Prouecta enim ętas est vltima ætas: quæ vocatur prouecta, id est, procul vecta: erat enim tunc Abraham de quo ad litteram thema loquitur 175. annorum. Variantur enim ętates hominis secundum similitudinem varietatis lunæ: quia luna maximè dominatur terrestribus, & ideò secundùm Prolomæum sumuntur varietates ætatum ex circulo lunæ.

Luna enim quadrupliciter variatur. Quia quando primo intẽditur quousque sit media, est calida & humida, scilicet in effectu. Et talis est in se prima hominis ætas, quę dicitur puerilis: quę est ætas augmẽtatiua, quæ est cõmuniter vsque ad tertium septẽnium, id est 21. annum, vel in quibusdam fortioris complexionis, vsque ad 25. Secundò, luna a media vsque ad plenilunium est calida & sicca. Et talis est secunda ætas, quæ dicitur virilis, & est ætas statiua: quia adhuc in ea nec humidum nec calor deficit, & ideò adhuc stat, & substantia & virtus licet deficiat in hac ætate virtus augmentatiua Et hęc ætas durat vsque ad trigesimumquintum annum, vel quadragesimum si sit homo fortis complexionis. Tertiò, luna cadens à plenilunio quousque efficiatur dimidia, est frigida & sicca. Et talis est tertia ætas, quæ dicitur senectus: & est solum virtus diminutiua, quia cum humido euaporante, continue etiam expirat calidum, & sic diminuitur virtus vitæ. Et tali ætati attribuuntur quatuor.

Primum est, quod senes huius ætatis sunt constantes, quia frigidum & siccum benè retinent.

Secundum est, quod fortiter apprehendunt, propter defectum calidi commiscentis operationes rationis.

Tertium est, quod sunt sapientes propter multorum experientiam, & versutiam, quæ ex frigido & sicco confortatur.

Quartum est, quod in eis cessat dissolutio iocorum, & venereorum, propter immobilitatem frigidi abscindentis motum & sicci quod non de facili mouetur extra seipsum. Et hęc ętas secundum quosdam durat vsque ad 70. annum.

Quartò, luna à medio vsque ad nouilunium est frigida & humida. Est talis est quarta ætas, quæ dicitur senium, siue decrepita, in qua est diminutio tam substantiæ, quam virtutis, & hæc ætas est ætas prouecta, quæ durat vsque in finem vitæ. Mors igitur non parcit ætati, quia quosdam aufert in iuuentute, quod quandoque vtiliter fit, ne à mundi malitia corrumpantur. Vndè de tali potest exponi illud Sap. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius Et loquitur de malitia dæmonũ, & fictione mundi. Quosdam vero mors rapit in ætate virili, & non in iuuenili. Et aliquando vtiliter dimittuntur, vt in melius immutentur, sicut Apostolus dicebat 1. Cor. 13. Cum autem factus sum vir euacuaui quæ erant paruuli. Quosdam verò mors vsque ad senectutem, vel senium, siue vsque ad prouectam ætatem relinquit, sicut quidam fructus relinquuntur vsque ad plenam maturitatem,

Sap. 4.

1. Cor.

tem, vt sint dulciores, & sapidiores, & meliores: sicut de Iosue dicitur Iosue 13. quod Iosue senex prouectæque ætatis erat: & tunc dulcior in conuersatione, & sapientior in operatione, & melior in regiminis prouisione fuit.

D Quartò commendatur homo antiquæ ætatis in themate assumpto, de virtutũ operositate: cùm dicitur: *plenus dierũ.* Plenus enim dierum dici potest, qui dies suos benè occupauit: quia licet non maneat tempus, manet tamen temporis fructus, id est, meritum & laus eorum, quæ in temporis decursu benè operatus est. Et de

Psal.72. talibus dici potest illud. Psal.72. *Dies pleni inuenientur in eis*: sicut dies autumni sunt pleni fructibus, & sic ipsi bonis operibus. Econtra autem, qui tempus suum in malis expenderunt vel ociosè

Iob 7. deduxerunt: dicuntur eos habere vacuos, scilicet à mercede. Iob. 7 *Habui menses vacuos: & noctes laboriosas enumeraui mihi.* Habent enim operantes bona in nocte peccati, operationes quidam laboriosas: sed tamen à mercede æternæ retributionis vacuas. Sed sicut mensis excedit noctem: ita & æterna retributio quam perdunt, excedit laborem bonorum operum, quæ faciunt. Ad quam retributionem æternam nos perducat Deus, &c.

In funere vnius puellæ.

SERMO XXXIV.

Matt 9. NOn est mortua puella, sed dormit. Matth 9.

Duo errores periculosi fuerũt de homine antiquitus dicti. Primus fuit eorum, qui dixerunt quod anima non viuit post corpus, sed cum ipso corpore pariter resoluitur. Et isti submoto honore immortalitatis, quem Deus secundùm animam intellectualem eis dedit, fecerunt seipsos similes

Eccl.3. bestijs, dicẽtes illud Eccl. 3. *Vnus est interitus hominis & iumentorũ, & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo: sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia: & nihil habet homo iumentis amplius.* Vndè

Psal.48. de eis Psal 48. dixit. *Homo cum in honore eßet, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Secundus fuit eorum, qui dato quod ponerent animam immortalem, dixerunt tamen impossibile esse eorum resurrectionem; attendentes tantum ad ordinem, & potentiam naturæ: secundùm quam non inuenitur possibile, vt fiat regressus de corporali priuatione mortis, ad pristinum vitæ habitum. Sed non aduerterunt, quomodo hoc sit possibile, & facile Dei omnipotentiæ, & ideò hoc per Dei omnipotentiam fiendum esse, beatus Iob per reuelationem ipsius Dei certissimè cognoscens,

Iob 19. ait Iob 19. *Scio quod redemptor meus viuit, &c.* Et idcirco Dominus noster Iesus Christus volens vtrumq; errorem, de puella, iam in corpore mortua, auferre, ait verbum propositum. *Nõ est mortua puella*, scilicet in anima: quãuis corpore sit defuncta, *sed dormit*, id est, mortua est in spe resurrectionis, quia sicut possibile est homini excitare dormientem, ita facile est Deo resuscitare morientem.

A In quibus quidem verbis circa puellam defunctam ostẽdit tria.

Nã primò ostendit spiritus incorruptibilitatẽ, cũ ait, *non est mortua* scilicet secundum animam.

Secundò obitus celeritatem, quia *puella* erat scilicet defuncta in puellari *ætate*.

Tertiò defectus reparabilitatẽ, quia *dormit*, id est, sicut dormiens potest, & debet aliquãdo excitari

ita ipsa defuncta resuscitari:vndè per Christum fuit mox resuscitata.

CIRCA primum notandum est,quod sicut aliquando accidit de arbore, quòd in ramis & in stipite, quæ apparent videatur sicca & mortua:tamen in radice quæ non apparet remanet virtus vitæ, propter quod succiso ligno arboris cum ramis, fit ex radice pullulatio arboris nouæ. Sic etiam mortuo homine secundùm corpus remanet anima,quæ est radix vitæ: ita quod virtute Dei iterum reunitur eidem corpori,virtute Dei reformata secũ-
Phil.3. dùm illud Phil.3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ,configuratum corpori claritatis suæ,&c.*& tũc pullulabit nouus homo, idem tamen numero propter idẽditatem animæ & materiæ corpora-
Ps.117. lis. Et ideò potest spiritus hominis dicere illud. *Nõ moriar sed viuam* In quibus quidẽ verbis duo facit. Quia primò remouet à se priuationis malitiam,cum dicit: *non moriar.* Secundò asserit perfectionis permanentiã:*quia viuã.*

Circa primum attendendum est, quòd homo licèt secundùm corpus non possit euadere mor-
Psal.88. tem,propter quod dicitur Psa.88 *Quis es homo qui vi. & non vide mor.*q.d nullus secundum animã tamẽ communem mortem euadere potest.scil.& naturæ, & culpæ,& gehennæ.benè ergo est animę,quia euadit mortem naturæ: sed melius si euadat mortẽ culpæ :sed optimè si euadat mortẽ gehẽnæ.Euadit ergò anima mortem naturæ: quia corrupto corpore non corrumpitur anima. Et hoc habet anima hominis ex eo quod est naturæ & substantię intellectualis. Nam intellectualis substãtiæ, sicut dicit Beatus Dionisius, habent indeficientiam, ab omni materia & morte mundæ existentes: & ideò in morte separantur à corpore,sicut perpetuum à corruptibili: sicut Pilosophus dicit. Et de hoc habetur argumentum ab experientia veritatis. Nam frater quidã de ordine fratrum Prędicatorum,cum esset mortuus, antequam sepulturæ corpus eius traderetur, apparuit de sero, in corporali tamẽ effigie, quidam fratri amico suo vigilanti, & legenti: quem cum ille antè se stantem vidisset, qui eum esse mortuum ignorabat:lętificatus de eius præsentia dixit. Benè venias: quandò venisti ad conuentũ.Benedictus Deus quod video te sanum, quem audiuerã pridie grauiter infirmatum. Cui respõdit ille dicẽs. Verè infirmatus fui, & isto sero corpore sum defunctus,& modò fratres de cõuẽtu vbi eram, circa corpus meũ mortuum psalmos & orationes dicunt. Ille igitur hoc audiens,& aliquantulum territus, assumpta tamen fiducia ei dixit, Si ita est vt dixisti:placet tibi vt mihi respondeas de tribus. Primum est quid sentit anima in ipsa separatione à corpore. Secũdum est an sit verum,quod anima post egressum à corpore,statum assistat diuino iudicio: & qualiter iudiciũ illud fiat.Tertium mihi pandas, quid iudicatũ sit de te. Ille autẽ ad singula quæsita respondẽs ait. Ad primum respõdeo quid mihi circa hoc acciderit,referens quia ea hora qua morti appropinquãs incœpi corpore resolui: diabolo immittente imaginari cœpi ac credere,quod deberẽ ex toto deficere,& tam in anima quã in corpore corrumpi: sed angelo Dei occultè suadente,& meipso hora regressus dixi.Vbi nũc fides mea est, quam vsque nunc inuiolatã tenui de animæ immortalitate,& alterius vitę statu. Et statim me in huius fidei cõfessione firmato, visa

visa est fieri reuolutio quædā subita, ac si totus mundus ab imo uerteretur ad summā. Et sic me solā animā à proprio corpore separatam, & in me consistentē, cū lætitia ueritatis transactæ meæ si dei reperi. De secundo verò respondeo, quòd cū essem separatus à corpore: quoddā immēsum lumē intellectuale desuper in mēte mea resplenduit, ex quo diuinæ maiestatis præsentiam intellexi: sub cuius virtute luminis, omnia quæcunq; egeram, & merita vel demerita ante mentis meæ oculos subitò sunt adducta, & ipso ostendente lumine, ego ipse cognoui: & cuius gloriæ præmio ex meritis essem dignus, & cui etiā purgatorij pœnæ ex meis negligentijs & defectibus applicandus & post hoc dictum lumen disparuit. De tertiò verò tibi pando quod sum propter meos defectus adiudicatus purgatorij pœnæ ad certū tempus: sed propter sanctā amicitiam & charitatē quā habui tecum, cōcessum fuit mihi à Domino vt tibi apparerem, & ad illā pœnā abbreuiandā missarum & deuotarū orationū, tua & aliorū per te suffragia postularē: quę & nunc à charitate tua piè & fidenter exposco, post quod valedicto disparuit. Et iste postmodū vt fidelis amicus, & per se & per alios fratres per dies multos petita suffragia non destitit ei dare. Valdè autem lætificatus remāsit, quod tam de immortalitate animæ, quam de statu alterius vitæ, & de amici etiam salute certificatus est. Et sic etiam verificatū ostendit quod dicitur Matth. 22. quod *non est Deus mortuorum sed viuentium*, scilicet animarum. Matt 22

B Potest & secundo anima euadere mortem culpę, quam incurrit perdendo vitam gratiæ, secundum illud Iacob. 1. *Peccatum cum consummatum fuerit*, scil. per consensum, quia inchoatur in cogitatione, procedit in delectatione, consummatur in consensu, *generat mortem*. Sed hanc mortem euadet, aut quæ innocentiam seruauerit, aut quæ per pœnitētiam se emendauerit. Eze. 33. *Si dixero impio morte morieris: & egerit pœnitentiā à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, vita viuet & non morietur*. (Ezec. 33) Item potest euadere mortē gehēnę, quæ dicitur mors æterna. scilicet viuēdo in gratia, & per fidem formatā. Vnde Ioā. 11. *Omnis qui viuit*, scil. vita gratiæ *& credit in me*, s. fide formata charitate, qua s. credendo, & diligēdo, & operando in eū tēdimus, & ideò in eum credere dicimur: talis, inquā, *non morietur in æternū*. (Ioan. 11) Secundò notatur permanentia perfectionis, perfectio enim viuentis est ipsum viuere, & ideò dicit: *sed viuam*, s. vita immortali: nā secūdum animam habet vitā immortalem naturæ, & post etiā viuere vita gratiæ, & tandem vita gloriæ quæ erit vita tota intellectualis: & hāc petebat Ps. 118. dicens. *Intellectum da mihi & viuam*. (Psal. 118)

C SECVNDO in themate assumpto tangit Dominus obitus celeritatē, quia. s. adhuc puella erat, de qua prius dixerat *filia mea modo defuncta est*: & ita accelerata erat ei mors, non expectans eius senectutem, erat enim in puellari ætate, sicut est modo ista, & quæ spectabatur fortè vt citò iret ad sponsum carnalem, modò ire cōpulsa est ad videndum iudicē cœlestem, scilicet Christum, & feliciter erit ei, si inuenta fuerit habere in re illud quod puella sonat in nomine. Nam puella sicut dicit Isid. est nomen ætatis, integritatis, & honestatis, & dicitur puella, quasi pura sicut pupilla. Vndè beata puella, quæ ad Christū vadit parua per humilitatem, integra per virginitatem; honesta per pudi-

pudicitiam, pura per sinceritatis munditiam. Vel parua in sui æstimatione, integra sine carnis corruptione, honesta in moribus, pura in operibus. Talis debet esse quęlibet anima quę procedit per mortem ad sponsum videndum in gloria. Quod figuratur Act. 12 vbi dicitur quod *processit puella ad videndum.* Vbi de anima quæ egreditur bene disposita, sub figura puellæ describuntur tria.

Act. 12.

Et primum est mortis profectus quia *processit.*

Secundum est morientis virtus: quia *puella.*

Tertium est fælicitatis intuitus: quia *ad videndum.*

Circa primũ notandum, quòd anima sancta & pura, quãdo hinc egreditur, debet procedere: quia cum læta processione ducitur ad sponsum cęlestem, scilicet cum choris & laudibus sanctorũ angelorum. Hoc figuratũ est Iudic. 21. in filiabus Sylo, quę interpretantur translatæ, de quibus ibi dicitur. Cũque videritis filias Sylo: id est, animas sanctas de corpore translatas, *ad ducendum choros ex more procedere.* Sed ista processio læta perfectius fiet in die iudicii; quando sicut dicitur Ioannis 5. Procedent qui bona fecerunt in resurrectionẽ vitæ qui verò mala egerunt in resurrection ẽ iudicii, scilicet damnationis. Et sic erit duplex processio. Vna bonorum alia malorum: vna ad vitam; alia ad mortem æternã. Secundò describitur virtus, & ornatus qui debet esse in anima hominis morientis: scilicet in puellã. Nã puellæ secundùm complexionem sunt calidæ & humidæ. Et sic anima vt sit benè disposita, debet esse calida per dilectionem, & humida per deuotionem, ita quod frequenter lachrymis & deuotione abundet: in quas deuotionis lachrymas præcipuè resoluitur persona deuota, audiendo, vel meditãdo verba diuina. Vndè Cant. 5. dicit puella: id est, anima Deo deuota *Anima mea liquefacta est vt dilectus locutus est.* Nam in liquefactione animæ, notatur calor dilectionis resoluẽs, & humor deuotionis decurrens. Item puellæ secundum corporis dispositionẽ, sunt tenellæ, graciles flexibiles, & pulchræ. Et sic anima debet esse tenella per beneuolẽtiam, gracilis per abstinentiã, flexibilis per obedientiam, & pulchra per mũditiam. Figura huius habetur 3. Reg. 1. vbi dicitur de Abisac Sunamite. *Erat autem puella pulchra nimis,* quia non erat sordida, id est in peccatis fœdata. De tali enim dicit Deus Pater filio suo sponso illud Leuit. 21. *Sordidam & repudiatam non accipies sed puellam de populo meo* scilicet sanctorum. Tales sunt animæ quæ venduntur diabolo pro vino delectationis peccati, secundùm illud Ioëlis 3. *Puellam vendiderunt pro vino, vt biberet.* Tales animæ quę egrediuntur ex corpore, ducuntur captiuæ à diabolo ad carcerẽ inferni, secũdum illud 4. Reg. 5. *Captiuas duxerunt puellas* scilicet latrũculi Syriæ: per quos dæmones designantur. Non ergò tales vult rex siue sponsus cœlestis, sed vult eas pulchras, per munditiam mentis & corporis, secundũ illud Hest 2 Quærantur regi puellæ virgines, atque speciosæ. Virgines scilicet per continentiam carnis: & speciosæ per munditiam mẽtis. Talis figuratur in Rebecca, de qua dicitur Gen. 24. Erat autem Rebecca puella decora nimis, viroque pulcherrima.

Iud. 21.

Ioan. 5.

Cant. 5.

Leui. 21

Ioel. 3.

4. Re. 5.

Gen. 24

Tertiò notatur in auctoritate adducta fælicitatis intuitus, quia *processit ad videndũ,* scilicet Christum sponsum suum: quem in vita hac videre non poterat. Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet.*

Exod. 33

In

In hac visione est tota merces se-
cundum August. quia tunc sicut
1.Ioan.3 dicitur 1.Ioan.3. *Similes erimus ei,*
& videbimus eum sicuti est. Et in
hac visione erit perfecta satietas
& pax animæ. In cuius figura di-
Luc.2. cit Symeon Luc.2. *Nunc dimittis*
seruum tuum Domine, &c. Et de
hac visione dicit Greg. in moral.
Cum peruenerimus ad te fontē
vitæ & dulcissimam speciem, erit
nobis ex visione tua inserta sitis
simulque satietas: sed longè ab-
erit à siti necessitas, & à satieta-
te fastidium, quia sitientes satia-
bimur, & satiati sitiemus.

TERTIO in themate assumpto
ostēditur defectus reparabilitas,
cùm dicitur, *sed dormit:* quasi di-
cat, licet defecerit per mortem,
reparari tamen potest per resur-
rectionem: sicut ille qui dormit
euigilari potest per excitationē.
Psal.40. Psal.40. *Nunquid qui dormit non*
adijciet vt resurgat? Vbi notādum
est quod mors beatorum assimi-
latur somno, siue dormitioni,
propter tria.

Primò quidem propter quietis
suauitatem, quia nullorum labo-
rum dormiēs meminit, sed tunc
dulciter requiescit. Et ita viri iu-
Apo.14. sti per somnum mortis, requiem
à laboribus capiunt. Apoc.14.
Beati mortui qui in domino moriū-
tur, &c. & ad æternæ pacis dulce-
dinem perueniunt, secundùm il-
lud Psal.4. *In pace in idipsum dor-*
miam & requiescam.

Secundò propter dormientis
securitatem, quia scilicet dum
homo dormit, nullius aduersarij
potentiam pertimescit. Et ita iu-
sti per somnium mortis, de om-
nium aduersariorum manibus e-
ripiuntur, & æternæ securitatis
Leui.26. fiducia perfruuntur Leuitic. 26.
Dormietis & non erit qui exterreat.
In hoc tamen distat securitas
mortis iustorū, à securitate dor-
mientium, quia securitas somni
est ex insensibilitate, sed mortis
securitas est ex libertate: de qua
in Psal.123. Laqueus cōtritus est: Ioan.
& nos liberati sumus. Vndè Ioā.
11. *Si dormit saluus erit.* Tertiò pro
pter figuræ dormientis mutabi-
litatem; quia extra videtur mor-
tuus, qui maximè intus viuit. Et
sic isti cum mortui secundū car-
nem sunt: tunc vera vita viuunt.
Et ideò dicitur ex persona iusti
mortui Cant.5. *Ego dormio, & cor* Cant.5.
meum vigilat, id est, mens est in
contemplatione æternæ verita-
tis: in qua vita æterna est. Ad quā
nos perducat, &c.

In obitu mulieris nobilis & pulchræ.

SERMO XXXV.

OMnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni 1.Pet.1. 1.Pet.1.

Dicitur quod pauo, quando ex-
tensis alis suis videt pulchritu-
dinem pennarū suarum, in ima-
ginatione sua quodammodo ex-
tollitur de sua pulchritudine, &
facit rotam suam: sed quandò in-
clidato capite, pedum suorum
turpitudinem aspicit, totus deij-
ci & humiliari videtur. Ita mu-
lier pulchra vel nobilis, quandò
cogitat nobilitatem & pulchri-
tudinem corporis sui: componit
se, extollitur, & progreditur vt à
cunctis aspiciatur. Sed si inclina-
ret caput, id est, mentem ad res-
piciendū turpitudinem pedum,
id est, vilitatē finis corporis sui,
quod citò resoluetur in putredi-
nem & vermes; multum humi-
liaretur, & despiceret seipsam,
quia gloria & flos carnis citò de-
ficit. Et ideò dicitur in verbo pro
posito, quod *omnis caro fœnū, &c.*
In quibus quidem verbis vani- A
tas gloriæ carnalis describitur,
ex tribus.

Primò ex infirmitate generali:

quia *omnis caro.*

Secundò ex corruptibilitate naturali: quia *fœnum.*

Tertio ex facilitate instabili: quia *omnis gloria,&c.*

Circa primum nota, quod magna differentia est inter mulieres sanctas, & mulieres vanas. Quia mulieres sanctę gloriantur solum de interioribus, quæ pertinent ad animam; scilicet de pulchritudine & ornamento virtutum. Vndè de muliere sancta dicitur
Psal.44 in Ps.44 Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbreis aureis quæ sunt opera in charitate facta *circumamicta varietate:* scilicet aliarum virtutum. Sed vanæ mulieres gloriantur solùm de exterioribus, s. quæ pertinent ad carnem: vt de pulchritudine membrorum; de ornatu vestimentorũ, de magnitudine temporali maritorum vel propinquorũ. Et ratio huius diuersitatis est, quia vanæ mulieres student plus placere mundo quã Deo: sed huiusmodi carnalia sunt, ex quib. efficiũtur gratiosę mundo: vt pulchritudo & ornatus, & similia, & ideò in talibus maximè gloriãtur. Sed sanctæ mulieres non appetunt placere mundo, sed Deo: sed Deo sciunt se non placere propter ista carnalia, sed magis ex taliũ affectu ei displicere, secundum illud
Rom.8. Rom.8. Qui autem in carne sunt i. in carnaliũ affectu: Deo placere non possunt. Vndè in talib. nolũt gloriari, quia sciũt esse cõtempti bilia Deo: vndè magis in spiritualibus gloriãtur, quæ sciunt ei esse accepta: nã ea quæ sunt magis accepta mundo, Deus cõtemnit, vt pulchritudinem, vel nobilitatem carnalem, & magnitudinem temporalem. Et econtra ea, quæ mundo contẽptibilia sunt, Deus magis eligit: vt nullus glorietur de carnalibus. Vndè dicitur 1.
1.Cor.1. Cor.1. Infirma mũdi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus: & ea quę nõ sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. In quibus quidem verbis Apostolus mundi gloriam repellendam esse ostendit quoad quinque.

Nam primò quidem ostendit quare non est gloriandum de fortitudinis firmitate, s. quia *infirma mundi elegit,&c.*

Secundò quare non est gloriãdum de originis nobilitate: quia *ignobilia mundi, &c.*

Tertiò quare non est gloriandum de diuitiarum copiositate: quia *contemptibilia elegit,&c.*

Quartò quare non est gloriandum de famæ claritate, quia *Deus elegit ea quæ non sunt,&c.*

Quintò quare non est gloriandum de pulchritudinis formositate: *vt nõ glorietur omnis caro,&c.* 1.Cor. 1.

Circa primum attendendum est, quod non est gloriandum in sanitate, vel fortitudine corporis quia *infirma mundi, &c.* Quod quidẽ ex hoc apparet, quia nonnumquam sanitas carnis causat infirmitatẽ mentis, & fortitudo corporis, parit debilitatem spiritus. Sunt enim quidam fructus qui habent exteriorem corticem durum & fortem, sed interiorẽ medullam teneram & mollem, sicut nuces, & amigdala, & pini fructus, & similia. Et sic quidam habent corpus robustum & sanum, sed spiritum debilem & infirmum. Et de talibus fuit Saul, qui corpore fortis erat, & anima debilis, quia à carnis voluptate vincebatur. E contra quidam fructus sunt, qui habent exteriorem substãtiam debilem & mollẽ, sed interiora ossa dura & fortia, sicut cerasa, & pruna. Et ita quidam habent corpus passibile & infirmum, spiritum verò fortẽ & promptum. Et de talibus erat Mat.26.

Aposto-

Apostolus qui dicebat.2.Cor.12. *Cum infirmior*, s.corpore, *tūc fortior sum*, & potens, s.spiritu. Et hoc ideò est, quia peccatum est quod reddit spiritum, siue animam debilē & infirmam. Sed infirmitas corporalis præseruat ab infirmitate peccati, quia infirmitas vna præseruatur ab alia; de qua apparet exemplū etiā in corpore. Sicut pueri, quibus in partibus capitis accidūt vlcera, & apostemata, & adest fluxus nariū: præseruātur ab epileptia, vt dicit Auicenna, quia sic purgatur humiditas cerebri, quæ si non purgaretur induceret epileptiam. Sic etam per infirmitates corporis, purgantur & remouentur interdum tentationes, & malæ dispositiones mentis, quæ facerent hominem, nisi sic purgaretur, ruere in peccata. Ex his ergo satis apparet, quod infirmitas corporis gignit [2.Cor. 12.] fortitudinē mentis. Cor.12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Et tūc [Mat.26.] accidit quod dicitur Matth.26. *Spiritus quidē promptus est caro autē infirma*, scilicet ad faciendum bonū, & ad tolerandum malum.

Secundò non est gloriandum de originis nobilitate: quia *ignobilia elegit Deus*, quasi non curans de nobilitate carnis. Vndè frequēter ignobiles sunt meliores, & sanctiores nobilibus: quia etiam ipsa nobilitas est eis occasio ambitionis, & superbiæ: & multi etiā degenerant à suæ nobilitatis origine. Videtur enim ipsa nobilitas ad ambitionem bonorū inclinare. Vndè Philosophus dicit in 2.Rhet. quod nobilitas est facere eū, qui habet ipsam, amatorem honoris. Et ratio est, quia omnes cū habent aliquid de aliquo consueuerunt accumulare ad illud; est enim naturale quod imperfectum desiderat perfici: ideò etiā modicum volunt diuites fieri ditiores; & ita honorabiles amant esse honorabiliores: nobilitas ergò existens quædā honorabilitas proximorum, facit ipsos nobiles esse amatores maiorum honorū. Et ex tali appetitu sequitur inuidia ad eos qui sunt in honore, & aliquandò insidiæ, ad abijciendū eos, & aliquando faciunt scismata & scandala in ciuitatibus, vt ipsi honores assequantur: sicut fecit Catilina Romæ, prout Salustius refert. Item nobilitas aliquandò facit eos superbos, & despectiuos, qui sunt similes progenitoribus suis, prout Philosophus dicit ibidem. Et ratio est, quia dignitas & nobilitas sūt magis honorabilia: & etiam magis iactabilia longè facta, quam propè. Ideò quantò magis descendit generatio, tantò nobilitas facit superiores: propter quod filii nobilium se reputant meliores patribus suis: quia cum sit dare initiū quo parentes sui cęperunt ditari, & ipsi sunt magis longè à paupertate, quàm aliquis progenitorū; ideò magis se iactant & similes progenitorum despiciūt. Vndè & dux Calabriæ, dum peteret dominiū terræ, seu castri Sancti Geminiani: & illi de terra offerrent ei dominium terræ, prout dederant proauo suo Regi Carolo, qui fuit germanus sancti Ludouici regis francorum; ille respondit, Proauus meus quandò dedistis illi dominium, nondum erat Rex, sed tantum Comes prouinciæ, nec erat primogenitus regis, cui regni deberetur successio; ego autem sū Dux, & regis primogenitus, & ideò plus honoris debetis mihi facere quam illi: nec contentus fuit eorum oblatione, sed magis maius volebat dominium habere in eis, quod illi non dederunt. Item quia illi sunt nobiles, qui sunt de genere digno & virtuoso; generosum autem est.

tem est, non degenerare à naturali origine siue nobilitate: ideò multi nobilium efficiuntur degeneres, recedendo à nobilitate & virtutibus suorũ progenitorum: sicut accidit quandoque aliquibus terris, quod ex bono frumēto nascitur malum bladum. Itē dato quod nobilitas possit prodesse quantũ ad bona assequenda, vel mala euadēda in vita ista: tamen ad bona vel mala alterius vitæ, nihil prodest. Quid enim prodest existenti in inferno, sua vel filiorum nobilitas? Vndè Iob 14, *Siue nobiles fuerint filij eius: siue ignobiles: non intelliget. Attamen anima eius in semetipsa lugebit*

C Tertiò verò ostendit, quod non sit gloriandum de diuitiarum copiositate, quia *cōtemptibilia elegit Deus*: s. paupertatem & mendicitatem, vndè frequenter illi qui sunt pauperes sunt iusti, & illi qui sunt diuites iniqui. Et ideò Aug. Omnis diues, aut iniquus est, aut hæres iniqui. Ipsa etiam diuitiarum copia inclinat homines ad diuersa vitia: prout etiam ostendit ipse August. Sunt enim primo diuites contumeliosi & elati: quia eo ipso quod diuitias habent, videntur sibi habere omnia bona: quia s. videntur vulgaribus omnia esse appreciabilia precio diuitiarum, ac si omnia mēsurentur numismate: & ideo possidentes numismata credunt se omnia possidere, & ideo volũt omnes excellere, quod est superbiæ. Iterum, vt excellentes videantur, inferunt contumelias aliis & iniustitias faciunt. Item diuites sunt delitiosi, & iactabundi. Nam qui multas habent diuitias, videntur eis esse fælices: & ad fęlicitatem insinuandam multi vtuntur delitiis. Iactabundi etiam sunt, & aliorũ infestatores; quia semper videntur immorari & insistere circa illud quod ipsi admirantur & amant: & quia putant alios æmulari, & amare quę ipsi amant, videndo alios nō cōsequi talia armata & admirata, vt ipsi consequantur, iactant se ex hac, & alios infestant: & hoc insuper auget eorum iactantiam; quia vident quod etiā sapientes, & religiosi, & alij literati viri indigent eorum diuitiis, & oportet quod recurrant ad eos pro eleemosynis, vel mutuis. Vndè Symonides poeta refert, quod vxor Gęronis interrogata vtrum melius esset fieri diuitem vel sapientē? respondit quod melius est fieri diuitem, quia cōtingit videre sapientes frequētare ad ianuas diuitum Sunt etiam diuites superbi & ambitiosi: quia reputant sę dignos principari, & habere illa quorum gratia dignum est principari. Et breuiter concludendo mores diuitis sunt mores felicis, sed insensati. Et quia diuitię sunt organa ad fęlicitatē, & organum semper indiget directione, & dirigere est habentis prudentiam; Diues ergo non virtuosus est felix, quia habet illud in quo aliquo modo reseruatur felicitas, est tamen insensatus quia nō habet intellectum & prudentiam, quæ directiua sunt talis felicitatis Pauperes ergo contemptibiles sunt mundo. *Sapientia pauperis contempta est.* Sunt tamen honorabiles Deo magis quam diuites: quia isti carent spiritualibus diuitiis, quibus plerumque pauperes abundāt. Vnde Iac. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide & hæredes regni quod promisit Deus diligentibus se?* D

Quarto ostenditur in auctoritate adducta, quod non est gloriandum in opinionis siue famæ claritate: quia Deus *elegit ea quæ non sunt*, scilicet in fama vel nomine apud mundanos, *vt destruat ea quæ sunt*, scilicet in fama, id est

eſt, vt deſtruenda & annihilanda eſſe oſtendat. Vnde Apoſtolus Rom.4. Vocauit ſcilicet Deus ad iudicium ſuum ea quę non ſunt in nomine apud mundum, tanquam ea quę ſunt, ſcilicet famoſa apud mundanos: & tunc opera iuſtorum, quæ apud mundanos non fuerunt in precio, condemnabuntur vel deſtruentur.

E Quintò oſtenditur quod non eſt gloriandum de corporis ſpecioſitate. cum dicitur, *vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Licet enim mulieres pulchræ, in conſpectu hominum carnalium appareant glorioſę: tamen in cōſpectu Dei apparent plurimum ignominioſæ. Et ratio eſt: quia homines vident ſolum ea, quæ foris patent, Deus autem intuetur cor, ſed plerumque qui habent corpus pulchrum, habent cor peccatis fędum: & ideo hominibus nitent, & Deo diſplicēt. Vnde ſunt ſimiles ſepulchris dealbatis, quæ de foris apparent hominibus ſpecioſa, & intus plena ſunt ſpurcitiis. 1. Mach. 2. *Gloria eius*, ſcilicet qui gloriatur de pulchritudine carnis, *ſtercus & vermis eſt.* Stercus quātum ad illud quod in corpore continetur: vermis quātum ad illud in quod corpus reſoluitur: & ſubditur. *Hodie extollitur & cras nō inuenietur, quia conuerſus eſt in terram ſuam: & cogitatio eius periit.*

SECVNDO deſcribitur in themate aſſumpto vanitas glorię carnalis, ex corruptibilitate naturali: quia caro corruptibilis eſt vt fęnum. Vbi nota quod humana caro, ſiue homo carnalis aſſimilatur fœno triplici ratione.

Primò, propter mutabilitatem naturæ. Nam ſicut dicit Gloſſa ſuper illud Eſ. 40. *Omnis caro fænum.* Fęnum naſcendo habet virorem, creſcendo decorem, & vltimo habet florem, ſed tandem deſiccatum ſolis ardore, redigitur in puluerē. Item fęnū precīſum & ſiccū, nutrimēto eſt animaliū deputatum, Pſalm. 103, *Producens fænum iumenti.* Sic etiam humana caro naſcendo habet virorem vitę. Pſ. 91. *Cum exorti fuerint peccatores ſicut fænum.* Et dicit *peccatores*: quia omnes naſcimur infecti peccato. Sed creſcendo habet humana caro ſiue corpus decorē formæ: & poſt augmentum etiā aliquandò habet florem fortunę & temporalis gloriæ. Pſ. 71. *Florebunt de ciuitate ſicut fænum terræ:* ſed poſt hoc, fœnum ſolis ardore ſiccatur, id eſt, feruenti infirmitate, vel tribulatione exinanitur, & in puluerem per mortem redigitur. Eſa. 40. *Exſiccatum eſt fænū & cecidit.* Item hoc fœnum, ſcilicet corpus humanū per mortem præciſum, & per totalem tribulationem præſentis vitæ ſiccatum, ſicut quandò eſt in ſepulchro clauſum, vel humatum, efficitur nutrimentum animaliū, id eſt eſca vermium. Pſal. 104. *Comedit omne fænum terræ eorum.* Vndè verſus dicit. *Poſt hominem vermis poſt vermem fœtor & horror. Sic in non hominem vertitur omnis homo.* Vndè Bernardus dicit ſuper Can. Cur carnem tuam præcioſis rebus impinguas & adornas quam poſt paucos dies vermes deuoraturi ſunt in ſepulchro: & animā tuam bonis operibus non adornas, quæ etiā Deo & angelis præſentanda eſt in iudicio? Cur ergò animā tuam vilipendis, & ei carnem præponis? dominam ancillari, & ancillam dominari magna abuſio eſt. Secundò, caro vel homo carnalis aſſimilatur fœno, propter varietatem naturę. Nam fœnum quamdiu viret & frondet, montes & prata veſtit & ornat, & ſua venuſtate intuentium oculos reficit, & delectat: ſed feruente ſole, humiditas eius conſumitur,

ſumitur,& herba quæ ridere videbatur, à ſua gloria totaliter ſpoliatur, & pabulum ignis efficitur. Sic fortuna hominis viret, quando eſt cum corporis incolumitate & venuſtate. Frondet, quando eſt cũ diuitiarum vbertate vel quando eſt cum conſanguineorum, ſeu amicorum circumſtantium pluritate. Sed tunc montes veſtit, quandò eſt cùm honorum & dignitatũ ſublimitate. Tunc autem veſtit prata, quandò eſt cum famæ dilatatione & claritate. Talẽ ergò fortunæ venuſtatem, vniuerſorũ oculi cum admiratione intuentur, in eius intuitu amici reficiuntur & delectantur, ſed feruente ſole, id eſt, forti perſecutione dijciente, vel aduerſitate deprimente, vel veniente infirmitate conſumente: humiditas eius, id eſt, naturæ vel fortunæ vigor conſumitur, & ſua gloria per priuationẽ honoris, vel per ruinam mortis, totaliter ſpoliatur: pabulum ignis, id eſt, furoris perſequẽti, vel gehẽnæ infernalis aliquando efficitur

Iac. 1. Vndè Iac. *Exortus eſt Sol cum ardore & areſcit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt.* Tertiò, caro aſſimilatur fœno propter inflammabilitatem concupiſcentiæ: quia ſicut periculoſum eſt fæno vel ſtupæ eſſe iuxta ignẽ, ita viro eſſe, & cõuerſari iuxta mulierem. Bern. Cum muliere ſemper eſſe, & eam non cognoſcere, maius eſt quã mortuos ſuſcitare. Et ſi quid minus eſt non potes, quomodo quod maius eſt credam? Apoc. 9. Omne fœnum viride combuſtum eſt, id eſt, omnis voluptas carnis igne concupiſcentiæ inflammata.

G TERTIO in propoſito themate deſcribitur vanitas carnalis gloriæ, ex proſperitate inſtabili: quia *omnis gloria eius*, ſcilicet carnalis vitæ, *quaſi flos fœni*, vt flos ergò fœni eſt proſperitas vitæ carnalis, de qua non eſt gloriandum. Nam flores in auſtro vento diſſoluuntur, auſter autem calidus ſignat infirmitatis feruorem, quæ incolumitatem & proſperitatem carnalis vitæ reſoluit & gloriam eius retundit. Iob 14 *Quaſi flos egreditur & conteritur.* Iob 14. Flores enim dum humore modico nutriũtur, ſubitò ſolis incendio deſiccantur, & omnis eorum pulchritudo deperditur, conteritur & deletur: & ſimile accidit, de corporibus humanis. Itẽ flores in vento boreali diuellũtur, ventus autem boreas aſper, & fortis, eſt mors, per quam carnalis vita diuellitur. Item flores dicuntur quaſi fluores: quia citò defluunt, & ad materiam primã redeunt. Sic hominum vita citò defluit, & per mortem humanũ corpus in propriam materiam, id eſt, in terram redit. Pſ. 102. *Homo ſicut fœnum: dies eius tanquam flos agri, ſic efflorebit: quoniam ſpiritus pertranſibit, &c.* Pſ. 102. Ergò non eſt gloriandum in carne, ſed in ſpiritu id eſt, in ſpirituali teſtimonio bonæ conſcientiæ: ſecundum illud ſecundæ ad Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ:* quo ſcilicet ſecuri perueniemus ad gloriam beatitudinis æternæ. Ad quam, &c.

In funere vnius ſanctæ mulieris.

SERMO XXXVI.

F*Acta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Cant. 8 Cant. 8.

Homo vel mulier in vita iſta nõ poteſt reperire pacem. Et ratio eſt, quia quamdiu homo appetit aliquid & deſiderat, nõ eſt in pace donec habeat illud: & ideò nullus in hoc mundo eſt in plena pace, quia ſi habet vnum deſide-

desiderat aliud. Sed quando homo nihil appetit quod nõ habeat, & habebit omnia appetibilia, tũc erit in pace: sed hoc erit in futuro, quando omne quod desiderari potest, habebitur & inuenietur in Deo, qui est ipsa beatitudo Vnde Boëtius dicit, quod beatitudo est status omnium bonorũ aggregatione perfectus. Et ideò quando aliqua sancta mulier transit ex hoc mundo, & vadit ad vitam æternam, verè potest dicere verbum propositum. *Facta sum coram eo*, &c.

Iob 14.

A In quibus quidem verbis ostẽdit se post mortem mulier sancta tria bona esse assecutam.

Primò quidem firmam stabilitatẽ, in eo quod dicit, *Facta sum.*

Secundo honorificam sublimitatẽ: quia *coram eo.*

Tertio quietam tranquillitatem: quia *pacem reperiens.*

Pf.102. CIRCA primum aduertendum est quod ad ostendendã sui status immutabilitatem, & perfectam stabilitatẽ: dicit *Facta sum* Illud enim quod factum est, iam non est in fieri, quia quod factũ est iam quiescit in suo esse: quod autẽ est in fieri, est in motu quousque perficiatur; quia secundùm philosophum, motus est actus imperfectus. In omni enim re quæ mouetur, ad hoc est motus eius, vt ipsa perficiatur, & suam perfectionem assequatur. Vndè, quia anima nostra nondum habet suã perfectionem, ideo tota vita nostra quæ ab anima est, est motui & varietati subiecta. Iuxta illud Iob 14. *Homo natus de muliere bre. vi. temp. re. mul. mi* Et post. *Fugit velut vmbra, &c.* Vndè Aug. Fecisti nos Domine ad te, & inquietũ est cor nostrum, donec requiescat in te. Vniuersaliter autem, in quanta varietate & mutabilitate sit homo in vita ista, ostendunt nobis tria, scilicet tempus, corpus, & opus. Tempus quidem, quia diuersimodè variatur, scilicet ex vere in æstatem, ex æstate in autumnum, & ex autumno in hyemem, & ex hyeme in ver, & nunc facit nubilum, nunc serenum. Item corpus nostrum continuè variatur & mutatur, siue secundum alterationem, de sanitate ad infirmitatem, siue secundũ augmentum & dimunitionem, in iuuentute crescens: in senectute decrescens, diminutionem s. patiens in substantia & virtute. Itẽ est in homine varietas operum, ex mutabilitate voluntatis: quia sicut volũtas diuersificatur & in diuersa mouetur, sic & opera nostra diuersa sunt, vtpote procedẽtia ex ipsa voluntate mobili & imperfecta: vndè modo eligit vnum, modo aliud. Et sic mens & voluntas eius in diuersa rapitur & inclinatur, & diuersimodè variatur. Et totum hoc est, quia nondũ est perfecta, & in sua perfectione completa. Vndè solum beata anima, quæ vltimo fini est coniuncta potest dicere, perfecta sum. Sed coniunctio animę ad vltimum finem, qui Deus est, fit in visione diuinæ essentiæ: quia tũc anima ab omni mutabilitate exempta est in perfecta & stabili salute. Vndè tunc potest dicere illud Gene. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem: & salua facta est anima mea.*

Iob. 14. Cant. 8.

In quibus quidem verbis de statu æternæ beatitudinis, ad quam anima sancta post mortem peruenit, describuntur duo. Primũ est beatitudinis essentia, quia beatitudo essentialiter consistit in visione diuinæ essentiæ, quæ dicitur visio faciei, & de hoc dicit. *Vidi Dominum facie ad faciem.* Ibi enim facies Dei, quæ est diuina essentia, vnitur faciei animæ, id est, menti: vt scilicet Dei facies, id est, ipsa Dei essentia, ab huma-

humana facie, id est, mente, non per speculum & in ænigmate, sed per seipsam videatur, & non per aliquam similitudinem sui, sicut nunc res corporalis ab oculo, nō per suam substātiam, sed per suā similitudinem videtur : & lapis etiam non est in anima, sed species lapidis; vt dicit Philosophus, per quam scilicet speciem, ipse lapis intelligitur. Vndè Apostol.
1.Co.14 *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciē.* Sed nota, quod istam visionem beatam debet præcedere perfectissima puritas, & consequitur eam lætissima iucunditas. Nam etiam res corporalis, quantumcumque sit lucida, tantò clarius videtur ab oculo, quātò magis est mundus & purgatus: & sic quanto mens hominis magis purgata hinc exierit, tantò ibi ipsum Deū limpidius videbit. Propterea di-
Matth.5 citur Matt.5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et non ait mundo corpore, sed corde: quia non valet munditia corporis absque munditia mentis. Vndè Matth.23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis intus autem pleni estis rapina & immunditia.* Ergò illi qui exeunt hinc cum corde immundo, & sordibus peccatorum pleno, non videbunt Deum, sed diabolum, qui spiritus immūdus est: & tunc
Sap.5. accidit eis, quod dicitur Sap. 5 *Videntes turbabuntur timore horribili*: sicut videndo lupum, ouis tota perturbatur & tremit, sed adbuc ipsam visionem diuinæ faciei consequetur gaudiosa lætitia, sicut visio dilectissimi amici diu desiderata lætificat. Iob 33,
Iob.33. *Videbit faciem eius in iubilo: & iustitiam reddet ei:* id est prœmium iustorum operum merito tanto vbi faciem Dei videbit in maiori iubilo.

Secundò ostenditur in auctoritate adducta beatitudinis efficacia, in perfecta animæ salute, quia *salua facta est anima mea.* Felicitas vitæ præsentis, non animā saluat, sed perdit. Vndè Marc.8. Marc
Quid proderit homini si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat? Quandò in corpore abundant humores mali, & deficiunt boni, est signum mortis. Sed quandò è cōtrario abundant humores boni, & deficiunt mali, est signum salutis. Sic quādo homo abundat in bonis temporalibus, & deficit in spiritualibus, est signum perditionis animæ, sed quando è cōtrario abundat in virtutibus & bonis spiritualibus, licet deficiat in temporalib. est signum salutis, & quod Deus tali animæ assistat, vt eam saluam faciat, quia ex quo habet virtutes, quæ sunt arma spiritualia, potest se defendere ab hostibus animæ. Et ideò dicitur in Ps. Psal
108. Qui scilicet Deus, *astitit à dexteris pauperis, vt saluam faceret à perseq. animam*. Quando enim Dominus dat alicui peccatori abundantiam temporalem, qui tamen de spiritualibus virtutibus est omninò spoliatus, dicitur ei assistere à sinistris, quia in sinistra illius diuitiæ & gloria, scilicet temporalis, vt dicitur Prou.3. Sed quando pauperi in temporalibus dat diuitias spirituales gratię suę & virtutum, tunc dicitur ei assistere à dextris: & hoc est signum quod vult defendere, & saluare à persequentibus animam suam Psal.14. *A dextris est mihi Dominus ne commouear.*

SECVNDO in themate assumpto ostendit anima sanctæ mulieris, se assecutam esse post mortem honorificam sublimitatem, siue dignitatem in eo quod dicit, *coram eo*. Si autem magni honoris & dignitatis reputetur à B

mundi-

mundanis hominibus, assistere coram imperatore vel rege: quãtò maioris est assistere Regi Regum, & Domino dominantium? Figura huius habetur 3 Regum 10. in Salomone, cui dixit Regi-
3.Re 19 na Saba. *Beati serui tui qui stant coram te semper:* vndè multò magis hoc potest dici Deo. Et secũdum hoc in his verbis possumus notare tria pertinentia ad beatorum dignitatem.

Primò fœlicitatis statum: quia *beati.*

Secundò humilitatis meritum, quia *serui tui.*

Tertiò dignitatis prœmium: quia *stant coram te semper.*

Circa primum notandũ, quod illi domini beati qui sunt in statu fœlicitatis æternæ. Si inueniretur vna maxima domus, in qua esset omne pulchrum, omne delectabile, & omne bonum quod homo posset appetere, & nihil contrariũ: certè beatum se reputaret qui mereretur esse illius habitator, quia beatus est, qui habet quicquid vult, & nihil mali vult, dicit August. sed talis est domus Dei, de qua Dñs dixit Ioan.
Ioan. 14 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, id est, diuersi beatitudinis gradus: quia gloria & diuitiæ in domo eius. gloria enim tãta est quod excludit omnem miseriam & tristitiam: diuitiæ tãtæ sunt, quod excludunt omnẽ inopiam: & ideò benè dicitur in Ps.
Psal. 83. 83. *Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Secundò in auctoritate adducta nota humilitatis meritũ, quia *serui tui*, scilicet Dei. Illi enim sunt veri serui Dei, qui studẽt ei debitè seruire. Tales enim sunt qui seruiunt ei cum hilaritate, cum puritate, cum humilitate, cum sinceritate, & cum continuitate. Primò dico cum hilaritate, vt scilicet ostendatur non coactè, sed volũtarie seruire: quia Deus non vult coacta seruitia. Dicit autem Philosophus in magnis Moralibus. Si tristatur aliquis bona operari, coactus operatur: qui autem ex coactione operatur, nõ est virtuosus, & propterea in Psal. 99. dicitur. *Seruite* Psal. 99.
Domino in lætitia. Item debet seruire cum puritate, quia scilicet mundus dominus mundos vult habere ministros. Psal. 100. *Am-* Psa. 100
bulans in via immaculata hic mihi ministrabit. Itẽ cum humilitate, quæ scilicet subijciat hominem diuinæ voluntati, & eius mandatis: & quia hoc iustum est secundùm illud 2. Mach. 9. *Iustum est subditum esse Deo:* ideò humilitas iustitia vocatur: vndè super illud Matt. 3. *Decet nos implere omnem* Matth. 3
iustitiam, dicit Glos. in omnẽ humilitatem. Item debet seruire cũ intentionis sinceritate, s. vt ipse Deo placeat & non mundo: sicut seruus qui operatur coram domino, operatur sicut credit ei magis placere. Item debet seruire cum continuitate perseuerantię, vt non sit sicut seruus fugitiuus, aliquãdò recedens à seruitio domini. Et de omnibus istis dicitur
Luc. 1. *Seruiamus illi*, in quo notatur hilaritas: *in sanctitate*, in quo Luc. 1.
puritas *& iustitia*, in quo humilitas: *coram ipso* in quo intentionis sinceritas: *omnibus diebus vitæ nostræ*, in quo perseuerantiæ continuitas. Tertiò notatur in auctoritate adducta dignitatis prœmium, quia *stant coram te semper.* Vbi nota prœmij firmitatẽ: quia stant, non cadunt: imò nunquam cadere possunt, ab illius beatitudinis statu. Vndè dicitur de beato. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gẽtibus & tribubus & populis, & linguis: stantes ante thronum in conspectu agni, amicti stolis albis, &c.*

Secundò, nota prœmij clarita-

rem, quia *coram* te. s. Domino. Ps.
Ps. 55. 55. *Placeam corã Domino in lumine viuentium.* Res pulchra tunc placet, quando videtur in lumine: beati autem pulcherrimi erunt, & in lumine erunt, & ideò placebunt.
Ps. 114. Ps. 114. *Placebo Domino in regione viuorum.* Item nota præmij æternitatem, quia *semper*, semper enim faciem Dei videbunt: ex qua visione semper simul cum angelis beati erunt. De quibus dicitur Mat. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident*
Matt. 18 *faciem patris mei, &c.*

TERTIO, in themate assumpto ostẽdit se anima sanctæ mulieris post mortem corporis, esse assecutam quietam tranquillitatem: cum dicit: *quasi pacem reperiens.* Ex quo enim quælibet res peruenit ad finem intentum, nõ mouetur amplius, sed quiescit. Vndè anima post mortem corporalem creatori suo cõiuncta, in eo, tanquam in vltimo fine, omne eius desiderium requiescit: & tunc potest anima sancta dicere
Prou. 7. Deo illud Prou. 7. *Desiderans te videre reperi:* in eo enim reperit
Ps. 4. pacẽ perfectam. Ps. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Sed notandum, quia ad illam perfectã pacem peruenitur post
Rom. 2. laborem bonorum. Vnde Ro. 2. *Gloria, honor, & pax omni operanti bonum.* In quibus quidem verbis merces, quæ redditur laborantibus & benè operãtibus, cõmendatur ex quatuor. Primò, ex claritate, quia gloriosa. Nam secundum Ambros. dicitur gloria quasi clara cum laude notitia. Videmus enim, quòd quando aliquis laudatur de subtilibus operibus, coram magnis & pluribus, solet inde gloriari. Certè illi ita, qui intendunt bonis operibus, commendabuntur coram magnis. s. coram Deo & angelis, & coram
Sap. 3. tota cœlesti curia. Sap. 3. *Bonorũ laborũ gloriosus est fructus:* maximè quandò perseueraueris in bono opere. Iob 36. *Complebunt* Iob. 36.
dies suos in bono: & annos suos in gloria.

Secundò commendatur ex dignitate: quia *honor.* Nota, quãdò vnus bonus artifex & famosus, venit ad aliquam magnam curiã, solet honorari, & non sustinetur quod sedeat in terra. Sic qui erit famosus in bonis operibus, quæ sunt nobilia opera, honorabitur in curia paradisi cum beatis angelis: non sicut illi qui fecerunt opera mala peccatorum. Eccl. 14.
Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui operatur illud ibit cum illo. Et omne opus electum iustificabitur: & qui operatur illud honorabitur in illo. Psal. *Gloria & honore* Eccl. 14. Ps. 8.
coronasti eum Domine.

Tertiò commendatur ex tranquillitate; quia *pax.* Ibi enim erit omnis modus pacis: quia à superiori, & ab inferiori, & ab interiori, & ab exteriori. A superiori. i. à Deo. Esa. 9. *Pater futuri seculi* Esa. 9.
princeps pacis: sub tali enim patre & principe, nõ poterit perturbatio accidere. Item ab inferiori, id est, à mundo, quia omnis mũdus & omnis creatura mũdi, erit eis subiecta ad lætitiam, & delectationem. Psal. 36. *Delectabuntur in* Ps. 36.
multitudine pacis. Itẽ ab interiori, quia scilicet impletũ erit omne animæ desideriũ, & quantum ad intellectũ, sicut est desideriũ sciendi, & quantum ad appetitũ, sicut desiderium habendi Phil. 4. Phil. 4.
Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. &c. Item ab exteriori, quia erunt adinuicem, & cũ angelis Dei in magna cõcordia: nec ab impiis, vel dæmonibus poterunt molestari. Vndè Esa. 32. Isai. 32.
Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.

Quartò

Quartò deſcribitur à congruitate: quia *omni operanti bonum.* Hoc enim congruum eſt & iuſtum, & vt benè operanti reddatur præmium ſuum; nam merces non ocioſis, ſed operantibus debetur: & ideo qui operari noluerit, mendicabit in alia vita. Prou.20. Prouerb.20. *Noluerunt manus eius operari: mendicabit ergo æſtate*: in alia ſcilicet vita, *& non dabitur ei*: ſed alij remunerabuntur & gaudebunt, quia ſeruierunt Deo de ſuo officio. Vnde Prou.13. Prou. 13. *Anima operantis impinguabitur*, ſcilicet in gratia in præſenti, & gloria in futuro. Ad quam nos perducat, &c.

In funere vnius pauperis mendici.

SERMO XXXVII.

Lucæ 16. F*Actum eſt vt moreretur mendicus: & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ.* Luc.16.

Plerumque accidit, quod ea quæ ſunt apud mundum vilia & deſpecta, ſunt apud Deum & angelos ſuos honorabilia & accepta. Cuius figura habetur Exod.8. de ouibus quas Ægyptij abominabantur & ideò dixerunt filij Iſraël. Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. Sic accidit etiam de pauperibus, qui à diuitibus mūdi deſpiciuntur. Eccl. 13. Eccl.13. *Execratio diuitis pauper*, ſed à Deo plerunque & angelis honorantur, ſicut accidit de Lazaro mendico & paupere, de quo ad literam dictum eſt verbum propoſitum: ſed transferri poteſt ad quemcunque morientem bonū, pauperem & mendicum. Nam ille Lazarus à diuite epulone, & ſuis familiaribus fuit deſpectus & derelictus, quia cupiebat ſatiari de micis quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo &c. & tamen poſtea mortuus, fuit ab angelis Dei honoratus, & aſſumptus: quod fortè impletum eſt etiam de iſto paupere. *Factum eſt*, inquit, *vt, &c.*

In quibus quidem verbis deſcribuntur tria de ipſo.

Et primum eſt eius humilis conditio, quia *mendicus.*

Secundum eſt eius vtilis reſolutio: quia *factū eſt vt moreretur.*

Tertium eſt eius honorabilis remuneratio: quia portaretur ab angelis.

CIRCA primum aduertenda eſt differentia inter pauperē & mendicum, quia mendicus dicitur à mede, quod eſt defectus, & dico dicis: vndè mendicus quaſi defectum ſuum dicens: ſcilicet eleemoſynas quærendo; & ideò qui eleemoſynas quærūt dicuntur mendicantes: pauper autem dicitur quaſi parum habens de ære. Poteſt ergò eſſe aliquis mendicus & non pauper; ſicut qui quærit eleemoſynam, & non habet indigentiam: & iſte talis peccat. Primò quidem, quia fingit paupertatem quam non habet, & ita eſt mendax & hypocrita. Item, quia non mendicat ex neceſſitate, ſed ex cupiditate & auaritia. Item, eſt vt fur, quia contrectat quaſi rem alienam inuito Domino. Nam licet iſte qui dat eleemoſynam, volūtariè det, tamen credit dare pauperi, & ſi ſciret eum eſſe talem; qualis eſt ſcilicet non indigentem, non vellet dare ei, nec vellet eum habere, ſcilicet quia voluit & credidit dare pauperi, non tamē debet ſic recepta propterea illi qui dedit reſtitui, ſed veris indigentibus, & pauperibus exhiberi. Aliquis natura quādoque eſt pauper, ſed non mendicus, ſicut ille qui licet indigeat victum ſuum acquirere, mendicare tamen erubeſcens, vel propriis manibus laborando, vel diuitibus ſeruiendo, licito & honeſto

modo acquirit, vel lucratur necessarium sibi victum: & talis implet præceptum domini dicētis. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Aliqui vero vtrumque habēt scilicet paupertatem & mendicitatem: sicut quidam religiosi, qui sunt voluntariè pauperes, & necessario mendicantes. Et quidam etiam sunt ex necessitate pauperes, & mendicantes. Et ex persona cuiuslibet talis pauperis dicitur in Psal. 49. *Ego autem mendicus sum & pauper: & Dominus sollicitus est mei.*

Psal. 39.

In quibus quidem verbis tria debemus considerare.

Primo quidem effectū humanæ indigentiæ: quæ scilicet & cogit hominem mēdicare, & ideò primò dicit: *ego autem mendicus sum.*

Secundo defectum temporalis substantiæ: quia *pauper* sum.

Tertio prospectum diuinæ prouidentiæ, quia *Dominus sollicitus est mei.*

Circa primum notandum est, quod aliqui sunt qui mendicant ex cupiditate, scilicet diuitias habendi: & talis mendicitas illicita est omnibus, sed magis esset detestabilis in religiosis. Et ideò dicit August. in lib. de operibus monachorum. Multos hypocritas sub habitu monachorum vsquequaque dispersit callidissimus hostis, circumeuntes prouincias, & postea subdit. Omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus luctuosæ egestatis, aut simulatę precium sanctitatis. Quidam verò etiam mendicant ex ociositate, scilicet vt ociosè viuant. Cōtra quos dicit Apostolus 1. Thessal. 4. *Operamini manibus vestris sicut præcepimus vobis.* vbi glosa. opus est agendum, & non ociandum. Vndè piger qui efficitur mendicus ex eo quod suo tempore noluit laborare, quantum ex se non meretur eleemosynam accipere, & ideò dicitur Prou. 20. *Propter frigus piger arare noluit.* Et sequitur. *Mendicabit ergo æstate & non dabitur ei:* non tamen etiam tali est eleemosyna deneganda, quandò homo videt eum indigere. Quidam verò mendicant ex necessitate, sicut qui non potest habere aliundè vndè viuat nisi mendicet, puta quia est impotens & inualidus ad operandū, vt si sit cæcus, vel infirmus, quia talibus licet mendicare. Luc. 18. *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.* Si autem sit potens, & validus ad operandum & lucrandum, nō debet mendicare: vndè talis secundum legem ciuilem. Si immisceat se eleemosynæ Imperatoris, redigitur in seruitutē vt C. de mēdicantibus validis l. 2. Vndè etiam quædam glossa super Matthæū dicit. Iustius feceris, si iniustè petentē correxeris, quam si ei dederis. Sic illi qui detinētur in carceribus, ita quod nec operari possunt, nec aliunde habere, licitè mendicant: vndè Ps. 106. *Satiauit vinctos in mendicitate & ferro.* Dāda est ergò eleemosyna necessitatē patienti, etiā excommunicato: nisi ex securitate cibi negligeret iustitiam

1. Thess. 4.

Prou. 20.

Luc. 18.

Ps. 106.

Nam in tali casu dicit August. Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quam esurienti panis frangatur, vt iniustitiæ seductus acquiescat .q.5. non omnis. Sed prædicta intelligas, nisi tales esuriāt ad mortem: quia tunc quantumcunque negligerent iustitiam, pasci deberent. 86. dist. pasce. Sed nota, quod si diuites essent charitatiui erga pauperes vt deberēt faciliter impleretur illud Deut. 15. *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos:* quia in hoc nō prohibuit indigenti mendicare, sed prohibetur diuitibus ne tam tenaces sint, vt propter hoc

Deut.

aliqui egestate mēdicare cogantur. Quidam verò efficiuntur mēdici ex humilitate, ex eo enim q mendicitas videtur habere adiūctam maximā obiectionem, quia illi inter homines abiectissimi reputantur, quia non solùm sunt pauperes, sed etiam in tantum egentes necesse habent ab alijs victum acquirere. Et propter hoc, causa humilitatis aliqui laudabiliter mendicant, sicut alia assumunt quæ ad quandam abiectionem pertinent; ad extinguēdum scilicet superbiam in seipsis, vel in alijs per exemplum: quia sicut infirmitas quæ est ex excessu caloris, efficacissimè sanatur per ea quæ in frigiditate excedunt, ita pronitas ad superbiā per ea quæ multùm abiecta vidētur. Et ideò dicitur in Decretis, de pœnitentia dist. 2 c. Si quis semel. Exercitia humilitatis sunt, si quis se vilioribus officijs subdat, & ministerijs indignioribus tradat. Ita namque arrogantiæ & humanæ gloriæ vitium euitari, vel curari poterit. Quidam verò mendicāt ex vtilitate, sicut cum aliquis intendit ad aliquid vtile perficiendū, quod sine eleemosynis fidelium facere non potest sicut petuntur eleemosynæ pro constructione ecclesiæ vel pontis, vel pro quibuscumque alijs quæ vergunt in vtilitatem communē. Et ideò religiosis & prædicatoribus, qui vtilitati deseruiunt animarum, ex debito debetur victus ab his quibus prædicant. Vndè Apostol. *Si nos vobis spiritualia seminauimus: non est magnum si carnalia vestra metamus.* Si tamen nō quasi sibi debitum, sed quasi gratis dādum, mendicando petere velint, ad maiorem humilitatem pertinet, scilicet exemplo Christi qui sic mēdicare voluit. Salomon tamen mendicitatem fugiebat, ne ex hac induceretur ad auaritiam 1.Cor.9
vel furtum. Vndè ait Prouer. 30. *Mendicitatem ne dederis mihi, ne egestate compulsus furer, &c.* Prou.30

Secundò quoque in auctoritate adducta cōsiderare debemus defectum temporalis substantiæ, cū dicitur: *& pauper.* Paupertas facit hominem qui eam voluntariè assumit, vel saltem qui eam humiliter & patienter tolerat, esse socium Christi, non tantum in abiectione & humilitate, sed etiā in cœlesti dignitate. Videmus quòd quandò aliquis fuit socius alicuius, & peruenit vnus eorū aliquādo ad magnum statum, solet aliū exaltare: vndè frequenter filius vnius mediocris hominis, potest exaltari tantum, quòd potest loqui, sedere, & præferri aliquando magnis principibus, & magnis hominibus. Ita certè Christus eos qui fuerunt socij sui hic in via in humilitate & paupertate, exaltabit vt etiam præferantur multis magnis: vndè quamdiu aliquis est armiger non sedet ad magnā mensam regis, sed aliquantulum inferius, sed quando efficitur miles sic. Ita qui fuerunt in mundo isto armigeri Christi, qui portauerūt arma sua, vt paupertatem, humilitatem, charitatē & similia ipsum sequentes, non sedebunt in terra, sed in cœlo cum angelis. Et è contra est de armigeris diaboli, qui illi similes sunt in elatione: de alto superbiæ prosternuntur in terrā miseriæ. Et ideò dicitur de socijs Christi. *Suscitās à terra inopē: & de stercore erigens pauperē. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.*

Tertiò in auctoritate adducta debemus cōsiderare prospectum diuinæ prouidentiæ, quia *Dominus sollicitus est mei:* s. prospiciens ex sua prouidentia meā indigentiā, *sollicitus est mei.* i. habet curā mei. Nam si homo tātam curam habet de equo suo, vt nō absque

solli-

sollicitudine prouideat sibi de necessariis: multo magis Deus de hominibus sollicitus est, quos magis diligit quam homo equũ. Et ideò dicitur 1 Pet. vlt. *Omnem sollicitudinem vestrã proijcientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.* (1. Pet. vl.)

B SECVNDO ponitur in themate assumpto vtilis dissolutio, cũ dicitur, *factum est vt moreretur.* Vbi aduertendum est, quod bonus pauper non moritur cũ tristitia, imò potiùs cum lætitia. Et ratio est, quia homo lætari consueuit, vel de ereptione à malo, vel de translatione ad bonum. Et vtrumq; accidit pauperi sancto & bono in morte sua, quia eripitur à malo inopiæ & abiectionis: & trãsfertur ad abundãtiã & dignitatem æternæ beatitudinis, vndè potest dicere illud Gen. 46. *Iam lætus moriar.* Nõ autẽ ita accidit de homine diuite, imò moritur cum amaritudine & tristitia. Et ratio huius sapiẽtiæ est triplex. Prima est, quia diues moritur cum maiori priuatione. Videt enim diues se expoliari & priuari per mortẽ omnibus bonis, quæ cũ multo desiderio & labore cõgregauit: & quæ cũ magno affectu & delectatione possedit. Itẽ videt se priuari omni lætitia, & delectatione, & honore, quẽ ex diuitijs cõsequebatur: & hoc in perpetuum: & ideò est sibi mors valdè afflictiua & amara. Vndè Eccl. 41. *O mors quàm amara est memoria tua homini,* scilicet iniusto, *& pacem habenti in substantijs suis.* Pauper autem qui nihil dictorum habebat, imò cõtraria eis. nõ de morte affligitur, sed lætatur, considerans illud Ecclesiast. 40. *Melius est enim mori quam indigere.* (Gen. 46; Eccl. 41.; Eccl. 40)

Secunda verò est, quia diues moritur cũ maiori obligatione, Nam quãtò aliquis moritur cum maiori culpa, tãtò magis est obligatus ad maiorem pœnam: quia vbi plus est de culpa, plus est de reatu pænę, sed diuites in multis delinquunt & peccant, quia cupiditas diuitiarũ, & ipsæ diuitiæ etiã adeptæ, sunt eis occasio multarum tentationum & vitiorũ: Vndè Apostolus 1. ad Tim. 6. ait. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem* s. auaritiæ: quia crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Item in tẽtationem superbiæ: quia vermis diuitum superbia, sicut dicit August. Item in tentationẽ luxuriæ: quia ex diuitiis nascuntur delitiæ, ex quibus incitatur homo ad luxuriam. Vndè sicut dicit Bern. Perit humilitas in diuitiis, & castitas in delitiis. Et ideò videns se diues inuolutũ in multis peccatis, cognoscit se ire ad magnas pœnas: vndè magis de morte affligitur, & amaricatur. Sed pauper, qui à talibus peccatis inuenit se immunem, & qui per angustias paupertatis purgatus est à peccatis, moritur cũ cõsolatione maiori: quia expectat melius iudiciũ. Vnde dicitur. *O mors bonum est iudicium tuum homini.* (1. Tim.; Eccl. 41)

Tertia ratio est. quia diues moritur cum maiori dubitatione siue timore,

Nã quia post mortẽ sequitur iudicium, secundùm illud Apostoli. *Statutũ est hominibus semel mori, & post hoc iudicium*, & ille qui habet malam causam, cum maiori dubitatione & timore vadit ad iudicium: sicut diues sentiens se habere malam causã, siue propter delicta, quæ circa diuitias cõ misit, vel in acquirendo, vel in retinendo, vel in vtendo. Iuxta quod dicitur Eccl. 11. *Si diues fueris non eris immunis à delicto.* Et iterum propter eleemosynas quas potuit facere, & non fecit: quandò venit ad mortem, magis dubitat de diuina misericordia: (Hebr.)

&

& plus timet de diuina iustitia. Pauper autem qui in talibus nō deliquit, & qui hic semper afflictus fuit,& sperat de diuina misericordia, & confidit de diuina iustitia,minus timet. Considerat enim illud quod dixit Abraham
Luc. 16. diuiti epuloni in inferno existenti,Luc.16. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*,&c. Et idcircò dicitur Ecclesiast.&c. *Noli metuere iudicium mortis. Memēto quæ ante te fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi.*

C TERTIO notatur in themate assumpto remuneratio admirabilis,prupter duo. Primò,propter tranquillitatem honoris,scilicet vt *portaretur ab angelis*,qui primò fuerat hominibus despectibilis. Hoc tamen rationabile est propter tria. Primò,quia ipsi fuerunt custodes,quos iste pauper lætificauit,id est, eorum persuasionib⁹ obediendo, & diabolicis tentationibus non cōsentiendo,vel etiam de suis peccatis ad pœnitentiā redeundo, quia *gaudiū est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*: vt dicitur Lucæ
Luc. 15. 15. Item, quia ipsi sunt conciues, quos iste secut⁹ fuit,caruit enim materiali substantia,sicut carent angeli naturali materia,& maximè si fuit pauper voluntariè. In cuius figura dixit angelus Petro
Act. 12. Act. 12, *Sequere me,& exiens*,scilicet de carcere mundani affectus, *secutus est eum*. Item,quia ipsi angeli sunt consortes, cum quibus debet regnare in cœlis : & ideò
Psal. 90. dicitur in Psalmo 90. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te*,ecce quia custodes, *in omnibus viis tuis*: ecce quia cōciues, & conuiatores, *in manibus portabant te*, scilicet,ad gaudia paradisi, in quibus erunt consortes. Secundò remuneratio ista ostenditur mirabilis propter locationem quietis ; quia in sinu Abrahæ. Mirabile est enim , quod ille qui nec infra ianuam diuitis stare permittebatur , quod in sinu Abrahæ modò recipiatur. Recipitur tamen ibi anima hominis mendici,tanquam in loco magis congruō suæ humilitati, tāquam in loco magis tuto suæ sanctitati, tanquam in loco magis quieto suæ fælicitati . Vndè per sinum Abrahæ intelligitur locus quietis animarum sanctarum:quia sinus,secundum grammaticos, aliquando dicitur collectio vestis: aliquando verò vocatur sinus portus,vel littus maris , & in vtroque quędam quies,siue securitas designatur. Olim ergò dicebatur sinus Abrahæ limbus inferni, in quo antiqui patres quiescebant,Christi redemptionem expectantes: sed nunc vocatur sinus Abrahæ ipsa sanctorum requies,quam habent in regno cœlorum simul cum Abraham, qui fuit prima via credendi per fidē, qua omnes electi saluantur. vndè Matth. 8. *Multi venient ab oriente & occidente,& recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum*. Ad quod nos perducat,&c. Matth. 8

In funere vnius prædiuitis

SERMO XXXVIII.

QVid est tibi mare quod fugisti? Psal. 93.

Naturale videtur esse animalibus, vt fugiant loca in quibus paterentur incommoda : & ad loca , in quibus inueniunt sibi accommoda , se reducant. Ita enim faciunt grues , & hirundines, & ciconiæ, & plurimæ aues: quia scilicet hyemis tempore timentes incommodum frigoris,à locis frigidis recedentes,ad calida loca se transferunt.

Et econtrario tempore ęstatis, timentes caloris molestiã, fugiunt ad frigida loca. Vndè etiam de talibus Hier. dixit cap. 8. *Turtur, hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui.* Quantum autem ad homines, habetur exemplum huius Ruth. 1. de Elimelech qui fugere volens incommodum famis, abiit de terra Israël vbi erat fames, in regionem Moabitidem, vbi maior abundantia erat. Sic etiam Gen. 45. Ioseph mandauit patri suo Iacob, vt recederet de terra Chanaan vbi fames erat, & descenderet in Ægyptum, vt ibi victualia sibi daret. *Descende*, inquit, *ad me ne moriaris, & dabo tibi terrã Iessem, ibiq; te pascam. Adhuc enim quinque anni residui sunt famis, ne & tu pereas, & domus tua.* Mirandum ergo quod ille modo defunctus sic fugit de mũdo isto, vbi abundabat diuitiis & delitiis & erat plenus omnibus bonis, sicut mare plenũ est aquis: & iuit ad aliam viam vbi nihil istorum habet. Quęramus ergo ab eo, qui erat sicut mare habens plenitudinem aquarũ. i. diuitiarũ, prout dicunt verba proposita, *quid est tibi mare quod fugisti.* i. quid noui ratis tibi accidit vt fugeres & recederes à tot diuitiis; à tot delitiis; à tot honoribus, quid deficiebat tibi? quare fugisti? quò iuisti.

In istis ergo verbis Psal. facit tria; si volumus ea transferre ad istum nostrum defunctum.

Quia primò quærit de causa nouitatis præsentis: cum dicit, *quid est tibi?*

Secundo loquitur de abundãtia prosperitatis præcedentis vocando eum mare.

Tertio miratur de absentia hominis à diuitiis recedentis, cum additur: *quod fugisti.* s. de mundo isto, vbi tanta bona habebas.

Circa primum notandum est, quod si nos quæramus ab isto, *quid est tibi?* nullus nostrum posset pro eo respõdere, quia scimus de eo quod sibi fuit: sed tunc nullus scit ad plenum quid sibi modo sit. Si autẽ petamus ab eo, sicut dicitur Ioã. 1. *Quid dicis de teipso?* licet non possit nobis respõdere per loquelam verbi, respondet tamen nobis per euidentiam facti, manifeste nobis ostendens, quod quantum ad omnia quæ videmus, est sibi multum malè, intulit enim sibi mors mala dupliciter. Primò respectu vitæ pręsentis: quia destruxit sibi personam & abstulit sibi substantiam. Secundo respectu vitę sequentis: quia si ille qui moritur vadit ad purgatorium, habet ibi multum grauem pęnã: & si iret ad infernum, haberet ibi pęnam acerbissimam & interminabilẽ & irremediabilem: vnde dato etiã quod iste esset in purgatorio, quia ad paradisum non vadunt ita cito, nisi illi qui hinc exeunt perfectissimè purgati, adhuc verificaretur in eo quod dicitur Esa. 51. *Duo sunt quæ occurrunt tibi: vastitas & contritio, fames & gladius.* Duo sunt s. malorum genera, quæ tibi occurrunt, scilicet per mortem, vnum respectu vitæ præsentis, & ad hoc pertinet *vastitas & cõtritio*, alterum respectu vitæ sequẽtis, & ad hoc pertinet *fames & gladius.* Tangũtur ergo quatuor mala quæ sibi accidunt ex morte.

Primum ex destructione personæ, scilicet *vastitas.*

Secundum ex dispositione substantiæ: quæ dicitur *contritio.*

Tertium ex recordatione gloriæ, quæ dicitur *fames,*

Quartũ ex afflictione gehennę i. ignis purgatorij, quia idẽ est in substãtia ignis inferni & purgatorij, licet ex diuina iustitia non tãtũ affligat, & ista pęna vocatur *gladius.* Est ergo primũ malũ *vastitas*, quia s. vastatus est per mortem,

tem, & destructus in persona. Et hoc malum est in omnibus partib' corporis sui, in quib' euidẽter apparet ꝙ nihil remansit de vita, nihil de colore, nihil de fortitudine, nihil de sẽsu, nihil de motu nihil de actu. Certe mala passio est cordiaca. i. defectus cordi quia facit apparere quasi mortuum sed tamen in rei veritate adhuc vita est in eo, & ideo post modi cum confortatur & redit sicut etiam ille qui rapitur. Sed modo mors ita vastauit istũ, quod nec in apparentia, nec in resistẽtia remãsit in ipso aliquid de vita, nec spiritus redibit ad vitã hodiè vel cras, nec vsque ad finem mundi quãdo resurget omnes. Mala etiã passio est hydropisis, quæ deformat colorẽ quia in omni hydropisi fit discoloratio, vt dicit Auicenna. Et infirmitas etiã ictericia facit colorem croceũ, siue citrinum, propter colorũ diffusionẽ: sed aliquandò tales liberantur & redeunt ad suum colorẽ. Sed hic per mortem omnis color, & omnis decor cõuersus est in pallorẽ: nec est spes recuperandi. Itẽ vna febris cõtinua aufert homini fortitudinẽ, sed totaliter quantũ ad omnes vires vel partes non, sicut fecit isti mors. Et paralysis licèt auferat motum vel sensum, non tamẽ à toto corpore: quia aliquãdo caput remanet liberũ, vt quãdò humor procedit à nucha: aliquando est solũ in vno membro. Hic autẽ totũ corpus priuatũ est omni sensu, & motu, ita quod modò amplius nõ equitabit; nec peditabit, nec loquetur, nec aliquid operabitur quantũ ad vitã istam: & nihil sentit, aut videt de omni honore, qui fit ei in sepultura sua, & tantum habet de eo, quãtum si fieret ligno vel lapidi. Hoc figuratũ est Gẽ.19. in vxore Loth, quæ subitò conuersa in statuã salis, videbatur habere formã mulieris, & nõ erat mulier. Posset ergò anima istius dicere illud. Hie.4. *Tabernaculũ meũ*. i. corpus Hier.4. meũ *vastatũ est*. De tali enim tabernaculo dicebat B. Petr. 2. Pet. 2. Pet.4. 1. *Velox est depositio tabernaculi mei* i. corporis mors. Secũdũ malũ est ex dispersione substantiæ. i. diuitiarũ, quæ à Propheta vocatur *cõtritio*. Et ratio est: quia quãdiu res manet integra, cõseruantur in ea partes eius: sed quãdò frãgitur & cõteritur, tũc partes eius diuidũtur, & dispergũtur. Sũt enim quidã diuites, qui multũ laborant in congregatione substantię, & eam cõgregatã ita cõseruant, vt nec de ea eleemosynas faciãt, nec etiam curialitates aliquas, imò etiã pro se expensas faciunt valdè parcas. Sed quãdò venit cõtritio mortis, tũc eorũ diuitię diuidũtur & dispergũtur, vel inter diuersos hæredes, vel quia debẽt mala ablata restitui, vel quia aliquę eleemosynę fiunt, vel eius legata soluũtur. Et ideò tales diuites sũt similes porcis, de quibus nihil vtile habetur dũ viuũt, sed postquã occisi sũt, multi cõedũt ex eis. Itẽ sunt similes vasi testeo, in quo pueri cõseruant denarios qui eis dantur: de quo postquã immissi sunt, nõ exeunt denarij nisi cõteratur, siue frãgatur ipsum vas. Et sic est de diuitibus auaris, interdũ etiã hęres, cui remãserũt diuitiæ ab auaro cõgregatæ, talis est, quod citò eas dispergit & consumit in malis vsibus, & expensis. Vndè si talis auar' sciret diuitias suas sic dispergi propter mortem 2.Re.21 suã, posset dicere illud. *Circũdederũt me cõtritiones mortis*. Tertium malũ quod facit mors diuiti, est retardatio glorię, s. s. sit in purgatorio, & ista vocatur *fames*. i. vehemens appetitus perueniẽdi ad gloriã. Nã affectus quo desideratur summũ bonũ post hãc vitã est intẽsius in animabus sanctis, quę

esset in vita ista: quia nō retardatur affectu materialis corporis. Et quia terminus fruendi sūmo bono iam aduenisset, nisi aliquid impediret, ideò de retardatione maximè dolent: nam quanto aliquid magis desideratur, tantò eius absentia est molestior. Sed licet sint in tali fame, sunt tamen securi à morte æterna. Iob. 5. *In fame eruet te de morte.* Sed diuites qui sunt in inferno, habent aliā famem, i. ardentissimū desideriū habēdi aliquod refrigeriū, cōtra pœnā suam: quod tamen habere nō possunt, sicut patet Luc. 16. in diuite epulone, qui petiuit modicam aquam cōtra ardorē gehēnę & negata est ei Eccl. 40. *Fames, & contritio & flagella super impios.* Quartum malū est de afflictione gehennæ. i. ignis gehennalis. Sed siue sit ignis inferni, siue purgatorij, vocatur hic *gladius* quia ad modum gladij penetrabit vsque ad intima cruciatus illius ignis. Et cū sit instrumētū diuinę iustitiæ, nō solū poterit cruciare corpora quandò fuerint resuscitata, & fuerint in inferno, sed vterque ignis. s. inferni & purgatorii cruciat, & penetrat etiā vsque ad intima animæ: & ideo est cruciatus maximi doloris. Et ratio est quia dolor non est læsio, sed læsionis sensus: & ideò tantò quis magis dolet de aliquo lęsiuo, quātò est magis sensitiuum: vndè læsiones quæ fiunt in locis maximè sensibilibus, sunt maximum dolorem causantes. Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideò læsiuum quod agit in ipsam animā, maximè affligit eam. Et propterea istius gladii pœna. i. cruciatus ignis, quo anima etiam in purgatorio affligitur, excedit omnem pœnam istius præsentis vitæ. Potest ergò dici homini eunti ad purgatorium illud Luc 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius,* i. cruciatus maximi doloris.

Iob 5.

Eccl. 40

Luc. 2.

SECVNDO in themate assumto loquitur Psal. de abundantia prosperitatis præcedētis, vocando ipsum *mare*: quia sicut mare habet abundantiam aquarum, ita iste habebat abūdantiam diuitiarum. Dicitur enim Eccles. 1. quod *omnia flumina intrāt in mare.* Sic omnia flumina. i. omnium bonorum temporalium genera, confluxerunt ad prosperitatem istius: abūdabat enim in diuitiis & in honoribus, & in delitiis, & in multorū hominū obsequiis. Generalius autem loquendo, per mare intelligitur vita hominis, in mundo isto existentis. Et ratio est quadruplex. Prima, quia mare est multorum periculorū contentiuum. Est enim mare periculosum, primò, propter motū. *Motus magnus factus est in mari:* qui scilicet motus maris facit ipsum tēpestuosum, procellosum, & tumultuosum. Sic vita humana est tēpestuosa ex guerris; procellosa ex infortuniis; tumultuosa ex iniquitatibus & vitiis: quia *impij quasi mare feruens.* Esa. 57. Et ideò propter tales motus periculosum est mare vitæ humanæ. 2. Cor. 11. *Periculis in mari.* Item est mare periculosum propter ventum; est enim in mari impulsio contrariorum ventorum. Dan. 7. *Quatuor venti pugnabant in mari.* Nam vt ventus auster est præsens humanæ vitę prosperitas, vt aquilo est eius aduersitas; orientalis est inspiratio gratiæ, occidentalis suggestio malitiæ. Item mare est periculosum propter defectū, tam scilicet nauis quam nautæ, id est, gubernantis. Nauis enim, siue lignum, cum quo habemus transire mare præsentis vitæ, est corpus, quod est vas fragile propter passibilitatem, graue propter peccatorum onerositatem, & multis foraminibus penetrabile

B

Eccl. 1

Matth.

Esa. 57

2. Cor.

Dan. 7

bile propter sensuum susceptibilitatem: sunt enim sensus vt foramina quædam per quæ multæ aquæ, id est, multæ culpæ ingrediuntur ad animā submergendā. Item est frequenter defectus nautæ imperiti. i. rationis imprudenter regentis. Omnia enim hęc sentiunt homines periti in mari
Eccl.43 huius vitæ. Eccl.43. *Qui nauigant mare narrant pericula eius.* Secūda ratio quare humana vita assimilatur mari est, quia mare est animantium, & multiplicium monstrorum contentiuū & productiuum, vndè secūdùm Raba-
Psa.103. num plura mōstra producit mare quam terra. *Hoc mare magnum & spaciosum manibus illic reptilia quorum non est numerus.* Sic in mari huius vitæ sunt animantia diuersa & monstruosa multa, nō tantum corporaliter, sed etiam spiritualiter. Sunt enim in vita ista homines animales. i sensuales, non sapientes quæ Dei sunt: quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, vt dicitur 1 Cor.2. Item sunt monstruosi. velut illæ belluæ de quibus dicitur Dan.7. quod quatuor bestiæ grādes ascēdebāt de mari, diuersæ inter se. Nam prima, quę erat similis leoni, significat superbiam vitæ. Secunda, quæ est similis vrso, significat voluptatē carnalis concupiscentiæ. Tertia, quę est similis pardo, significat cupiditatem auaritiæ. Quarta, quæ habebat dētes ferreos & terribiles signat crudelitatē malitię. Tertia ratio, quare vita humana assimilatur mari. est: quia mare est nubium, & nebulæ, & ventorum generatiuum. Et sic generat vita præsens nebulas errorum, vētos persecutionū, siue tentationum, propter quas multi præcipitātur
Marc.5. & suffocātur Mar.5. *Grex præcipitatus est in mare*: & fuit grex porcorum, id est, hominum carnaliter viuentium. Quarta ratio quare vita humana assimilatur mari, est: quia mare est lunæ imitatiuum. Dicit enim Pilosophus in libro de proprietatib. elemētorum, quod mare imitatur naturam lunæ. Nam sicut adamantem sequitur ferrum: sic mare sequitur lunæ cursum. Vndè mare semper est in summo augmento & vigore, quandò luna est plena siue versus cælum, vt in nouilunio, siue versus terram, vt in plenilunio: & sicut luna in suo lumine plus proficit vel deficit, sic mare crescit amplius vel decrescit. Sicut ergò mare sequitur lunam, ita vita præsens sequitur fortunam. Vndè sicut crescit vel minuitur fortuna alicuius, ita est multū vel parum in precio vita eius. Vndè & metricè dicitur. *Cū fueris felix, multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris.* Iac.1. *Similis est fluctui maris: quia vento*, scilicet fortunæ, *mouetur & circumfertur.* Iac.1.

G TERTIO in themate assumpto Ps. admiratur de absentia, siue de absentatione hominis ab istis diuitiis recedentis: cum dicit: *quod fugisti.* scil. de mundo, in quo tot diuitiis & bonis abundabas. Nam apparente aduersario. i. morte, fugere expulsus est. Psal.113. *Mare*, id est, iste abundās aquis delitiarum, & diuitiarum, *vidit*, scilicet mortem: *& fugit.* i. de mundo velociter recessit. Sed notandum, quòd non solùm moriens, sed etiā homo viuens, propter velocem temporis cursum fugere dicitur: siue ipsius dies fugere dicuntur, secundùm illud Iob 9. *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt & non viderunt bonum, pertransierunt velut naues poma portantes.* Psal.113. Iob 9.

In quibus quidem verbis ostendit quatuor conditiones humanæ vitæ.

Primo

Primò quidem eius labilitatē, cùm dicit, *dies mei ve. fu. cur.* Nullus enim cursor, quantumcūque leuis & agilis, ita benè currit sicut nos. Nā cursor cum dormit vel quiescit, non currit: sed nos omni hora currimus ad mortē, sine interruptione, quia quicquid viuitur de vita demitur: & ideò nihil aliud est viuere, quam cursus ad mortem: vndè iste cursus se habet ad modum diei, qui hora post horā quotidie tēdit ad occasum; de prima ad tertiā: de tertia ad sextam: de sexta ad nonam: deinde ad vesperam, & de vespera ad noctem. Nam prima, quando sol est in ortu est infantia. Tertia, quando sol ascendit plus, est adolescentia: quādo vsus rationis & discretionis incipit vigere. Sexta, quādò sol est in feruore suo, est iuuentus quādò homo est in fortitudine sua. Nona, quando sol incipit tendere ad occasum, est senectus. Hora vespertina, quādò sol est in occasu, est senium: quia est propè interitū, Nox est ipsa mors: ecce cursus dierum nostrorū. Hierem. 49 *Subito eum currere faciam ad illā,* scilicet ad mortē. Vndè Greg dicit, quod homo ne finiatur, appetit; & per augmentum vitæ quotidiè ad finem tendit. Hier. 49

Secundò ostendit beatus Iob humanæ vitæ irreuocabilitatem: quia illud quod præteriit, nō potest reuocari: vndè subdit, *fugerunt,* scilicet absq; vlla spe reuersionis: vndè sicut vmbra transit, nec potest sequens transire eam: sic dies qui transierunt, nunquā postea redibunt Iob 14. *Fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Iob 14.

Tertiò, ostendit humanæ vitæ obscuritatem, quia non viderunt bonum: scilicet ipsum Deum, qui est omne bonum. Videmus enim quod locus vbi est vmbra, patitur defectum luminis ex interpositione corporis vmbrosi, inter ipsum locum & lumen. Ita ex interpositione vitæ nostrę corporalis, inter nos & Deum, deficit nobis lux beatę visionis, vt dictum fuit Moysi Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet.* Exod. Sed tunc erit verū quod dicitur Exod. 33. *ego ostēdam tibi omne bonum.* Exod. Vnde dicit Anselm. quod ibi erunt bona animę & corporis, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Cur per multa vagaris homūcio, quærēs bona corporis & animę? ama vnum bonum, in quo sunt omnia. Vel non viderūt bonum, quod specialiter in vita ista multi cogitant, talis ero, ita diues, ita faciam: sed frequenter præuētus morte, non videt ista quę proponebat. Sic dicebat ille Luc. 12. Luc. *Anima mea habes multa bona, &c.* Iste mensurabat vitam suam ad longas vlnas, & statim ille miser audiuit. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Ideò debet homo hoc solum appetere in quo sunt omnia bona Prouer. 11. Prou. 11 *Desiderium iustorum omne bonum.*

Quartò, ostendit vitæ humanę nullitatē: quia finaliter annulatur, vt ferè nihil ex ea remaneat: & ideò subditur, *pertransierūt ve. na. po. por.* Nauis enim poma portans dicitur homo, quia non relinquit post se nisi odorem momētaneum. Sic vita hominis nisi modicam memoriam; vxor sua plorabit, & filii sui, & filiæ: & aliquandò quādo est in feretro cogitabit mulier cui poterit maritari. Sap. 5, Sap. 5 *Tāquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius cū præterierit, nō est vestigium inueniri:* & sequitur ibi. *Sic & nos nati continuo desinimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.* Talia dixerunt

runt in inferno, hi qui peccauerunt. Vndè in hac naui, quæ intelligitur anima sancta, debent esse merces bona opera, funes, s. præcepta: malus, i. patientia; velum perseuerantia; gubernaculũ charitas; anchora fides, gubernator spiritus sanctus, domus nauis Christus: famuli ducentes nauẽ exempla sanctorum; vndè dici- Prou.31. tur de anima sancta Prou. 31. *facta est quasi nauis institoris* in qua scilicet, sunt omnia ista. Sequitur autem quod debeat poma portare, i bona opera, & redolentia coram Deo. Vndè debet homo de pomis suis, & de suis bonis operibus facere encenia Iuxta illud Cant.7. Cant. 7. *Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.* Vndè arbor, i. homo, debet portare poma, id est, bona opera in abun- Leui.26. dantia. Leuit. 26. *Pomis arbores replebuntur:* aliter certè si non por- Deu.20. tat ista poma, succidetur, & tolletur de terra viuentiũ. Deut. 20. *Si qua autem ligna nõ sunt pomifera, sed agrestia, & in ceteros apta vsus, ista succide:* tunc erunt ad alium vsum, scilicet, ad ignem æternũ. Vndè poma dantur post prandiũ in delectationem: ita fructus, i. fruitio bonorum nostrorum operum, dabitur nobis in paradiso, quandò dicet Dominus illud Cant.5. Cant. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructus pomorum suorum:* & hic est hortus paradisi. Ad quem, &c.

In funere vnius pauperis mendicantis.

SERMO XXXIX.

PAuperem *quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus,* Tob.3. *si timuerimus Deum.* Tob. 4.

Contrariam plerunque mutationẽ facit mors in iustis & peccatoribus: quia si peccator fuit diues, mors trãsfert eum ad summam paupertatem, quia scilicet expoliat eum omnibus diuitijs: & si ducit eum ad inferni gehẽnã, caret ibi omni bono, & omni refrigerio. E cõtra autem iustus, quantumcunque fuerit pauper, transfertur per mortem ab inopia mundi ad diuitias paradisi. Et de his clare patent exempla. Luc. 16 in diuite epulone, & in Lazaro paupere: de quo dicitur ibi quod *mortuus est diues, & sepultus est in inferno,* vbi fuit in tãta inopia, quod guttam aquæ petiuit, & habere non potuit. qui tamẽ dũ viueret epulabatur quotidię splẽdidè: è contra factũ est, vt moreretur mendicus, scilicet Lazarus, & portabatur ab angelis in sinu Abrahę, id est, in plurima requie & cõsolatione. Vndè postea dixit de eo Abraham ipsi diuiti loquens. *Nunc hic consolatur, tu vero cruciaris.* Vndè præfigurabat sinus Abrahæ, requiem & consolationẽ quam habet nunc Lazarus cum alijs beatis, in diuitijs & delitiis cœlestis paradisi. De hac mutatione, siue consolatione, siue translatione, quam facit mors in pauperibus iustis, potest exponi verbum propositum, cum dicitur. *Pauperem vitã gerimus,* s. in præsenti: *sed multa habebimus,* scilicet in diuitiis paradisi & hoc erit *si timuerimus Deũ* dum hic fuerimus viui.

In quibus quidem verbis ex persona iustorum pauperum ostenduntur tria.

Nam primò ostendunt se tolerare fortunæ angustiam, cùm dicunt, *pauperem vitam gerimus.*

Secundò ostendunt se expectare gloriæ abundantiam: cùm subdunt, *sed multa bona habebimus.*

Tertiò ostendunt se supponere iustitiæ consequentiam: cùm addunt: *si timuerimus Deum.*

Nam humana iustitia per quã preue-

peruenitur ad gloriam, consistit in declinando à malo, & in faciē- do bonum. Et vtrumque faciunt qui Deum timēt: quia per timorem Domini declinat omnis à malo: vt dicitur Prou. 15. & Eccl. 15. *Qui timet Deum faciet bona, &c.* Prou. 15

CIRCA primum notandum, quod quando arbor putatur, & amputantur ramusculi circunstantes; tunc magis crescit in altum, quia humor qui iret ad ramusculos, cedit in augmentum arboris. Sic amputatis temporalibus per paupertatē, anima magis crescit in spiritualibus: quia amor qui esset ad tēporalia, conuertitur ad spiritualia. Huius figura habetur Gen. 41. in Ioseph: qui ait. *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Vbi notātur quatuor quæ consueuerunt concurrere ad arboris augmentum, quæ concurrunt ad augmētum animæ in spiritualibus. Gen. 41.

Primum est agricola, i. Deus qui notatur primò, cùm dicitur, *crescere me fecit Deus.*

Secundum est planta, i. homo sollicitus: cùm subditur, *me.*

Tertium est terra, i. vita, siue viuendi modus: ibi, *in terra.*

Quartum est cultura, i. temporalium contemptus: cùm dicitur, *paupertatis meæ.*

Circa primum attendendum, quod Deus est qui facit hominē crescere in bonis temporalibus, s. in virtutibus & meritis. In virtutibus quidē: quia sicut augmētum arboris vel ramorum est ex radice, ita augmentum virtutum scilicet infusarum, vt fidei, spei, & charitatis, & cæterarū, est ex gratia, quæ est principium & radix talium virtutum. Nam sicut ab essentia animæ effluunt eius potentiæ naturales: ita à gratia, quæ est in ipsa essentia animæ, faciens eam per quādam similitudinem diuinæ naturæ participē effluunt virtutes spirituales prædictæ, quę sunt in potētiis animæ, per quas mouentur potentiæ ad opera ipsarum virtutū. Cùm igitur gratia sit à Deo, secundùm illud Ps. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus:* sequitur quod incrementum virtutum sit etiam à Deo. 1. Cor. 3. *Qui incrementum dat Deus.* Item ipse Deus est qui nos crescere in meritis facit. Meretur enim homo per bona opera quæ facit. Vnde Hiere. 31. *Et merces operi tuo.* Sed Deus est qui facit nos benè operari dupliciter. Primò, inquantū dat nobis gratiam per quam humana natura corrupta sanatur, & etiam sanata eleuatur ad operādū opera meritoria vitæ æternæ, qui excedunt proportionē naturæ: sicut medicus dat medicinam, per quam infirmus sanatur, & per quā fortificatur ad ambulādum & operandū. Alio modo, inquantum etiā post gratiam datam, mouet ad benè operandum, & ad rectè agēdum, hoc enim necessarium est: quia etiam postquā anima est sanata per gratiā, adhuc remanet infectio carnis alliciens ad peccādū, & remanet quædā obscuritas in intellectu, propter quā in variis euentibus rerū, ignoramus quid debeamus agere: nec etiā scimus quid nobis magis expediat, cùm nec nosmetipsos perfectè cognoscamus. Propter hoc etiam dicebat Apost. Rom. 8. *Quid oremus sicut oportet nescimus.* Propter hoc etiam dicitur Sap 9. *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidētiæ nostræ.* Et propterea indigemus dirigi à Deo, vt rectè operemur: & vt illud faciamus, quod magis expedit nobis. Propterea dicitur 2. Paral. 20. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te, s. Deū.* Sic ergò quia ipse

Psal. 83 | 1. Cor. 3 | Hier. 31 | Rom. 8 | Sap 9. | 2. Par. 20

ipse Deus, qui operatur in nobis velle & perficere: ipse est qui facit nos in meritis crescere & proficere. Dedit, s. Deus, *crescere illũ*,
Eccl. 54 scilicet in gratia & in virtutibus ex quibus etiam augetur bona voluntas & facultas benè operandi: & multiplicãtur etiam vlterius ipsa bona & meritoria o-
2.Cor.3. pera. Vndè 2. Cor. 3. *Multiplicabit semen vestrũ: & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Nam semen diuinum est gratia: incrementa sunt bona voluntas & facultas benè operandi; fruges iustitiæ sunt opera meritoria ex iustitia procedentia, quæ omnia Deus auget & multiplicat in sanctis operibus. Quia igitur tẽporalia Deus minima reputat respectu spiritualium frequenter expoliat & depauperat electos suos de tẽporalibus, vt faciat eos
Esa. 56. crescere in spiritualibus. Esa. 56. *Pro vrtica crescet myrtus.* Vrtica est diuitiarũ copia, quę ad modũ vrticæ vrit per inordinatũ amorem auaritiæ, & pungit per multas sollicitudines, pro qua amissa crescit myrtus id est, vigor virtutũ, quia myrtus est naturæ tẽperatæ, & dissoluta mẽbra cõstringens: & ita virtutes restringunt opera dissoluta & inordinata.

B Secundò in auctoritate adducta notatur illud in quo fit augmentum, scilicet ipse homo, qui mundum cõtemnit, qui. s. est loco plantæ, cum dicitur, *me.* Vbi est notandum quod isti hospitalarii, quãdò sunt homines pii & compassiui, quantò vident peregrinos magis pauperes & afflictos tantò libèrius suscipiunt eos & refouere conãtur: ita Christus libenter suscipit pauperes & afflictos, & à mundo abiectos. Refert Ambr. quod auis, quę Fulica dicitur, pullum eiectũ ab aquila de nido suo, quod quandoque aquila facit, non valẽs nutrire tot pullos quot habet, suscipit & nutrit. Et sic Christi gratia suscipit afflictos & pauperes: quos mundus abiicit & derelinquit, quãdò volunt ad eam cõfugere. Figura huius habetur. Vbi dicitur de viris Dauid, quod inuenerunt vnũ 1.Re.30.
Ægyptium in agro, & adduxerũt eum ad Deum; dederuntque ei panem vt comederet, & biberet aquam: sed & fragmen massæ caricarum: & duas ligaturas vuæ passæ. Qui cùm comedisset reuersus est spiritus eius, & refocillatus est. Et dixit ei Dauid. Cuias es tu? vnde, & quo pergis? Qui ait. Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalechitæ. Dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius: Quam figuram exponens Greg. ait. Quid est quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere lassatur, nisi quod amator præsentis sæculi peccati sui nigredine opertus, sępè ab eodem sicut infirmus despectusq; relinquitur, vt cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus aduersitate torpescat. Sed hunc Dauid inuenit, quia redẽptor noster veraciter manu fortis, nonnumquam quos despectos à mundi gloria reperit, in suo amore conuertit, & cibo suæ gratiæ, vel verbi scientia reficit: Psal.
vnde etiam Psal. 58. ait. *Ego sum pauper & dolens sa. tua Deus sa. me.* Tertiò in auctoritate adducta, notatur incrementi locus quia *in terra.* Vbi notãdum quod corpora quæ sunt in cœlo non recipiunt augmentũ neque diminutionem: sicut patet in stellis: sed corpora quæ sunt in terra, vt plãtæ & animalia, augmentum suscipere possunt. Sicut isti qui sunt in cœlo quantũ quidem ad meritum præmii essentialis, non recipiunt augmentum, neque diminutionem: quia non potest meritum eorum crescere, nisi forte vsque

vsque ad diem iudicij respectu præmij accidentalis: quia gaudiū eorū crescit ex hoc, quod aliqui ex eorum doctrinis vel exemplis trahuntur ad saluationē: sed post diem iudicij, nec in merito, nec in præmio crescent, habita finali & plena beatitudine, tā animarum quam corporum: & tunc erunt omnes saluādi in cœlo. Sed meritum eorum qui sunt in terra; & crescere & diminui potest.
Iob 1. Iob 1. *Possessio eius*, scilicet meritorum acquisitorū, *creuit in terra.* Quartò ostenditur in auctoritate adducta illud, quod proportionatur culturę, scilicet paupertas: cùm dicitur, *paupertatis meæ.* Nā paupertas præcipuè voluntaria, extrahit de agro cordis spinas diuitiarum, & lapides, id est, peccata auaritiæ, quibus induratur cor & alias malas herbas, id est affectiones & cupiditates malas, quę possent impedire fructū diuini operis, id est, diuinæ gratiæ, ne crescat in nobis: & hic fructus est salus animarum: & ideò dicitur
Psal. 71. in Psal. 71. *Animas pauperum saluas faciet.*

C SECVNDO in assumpto themate ostēdunt se boni pauperes expectare cœlestis gloriæ abundantiam, cùm dicunt, *sed multa bona habebimus.* Sed notandum, quòd bona præsentis vitæ, licet possint multa vni homini aduenire, non tamen omnia. Et quia etiā praua bona sunt non satiant animam nec etiam sunt durabilia: quia aut ipsa deserūt, aut dēseruntur per mortem, vndè Luc.
Luc. 12. 12. illi diuiti qui dicebat, *Anima mea habes multa bona, &c.* responsum est ei statim. *Stulte, hac nocte, &c.* Sed in cœlesti beatitudine, non solùm erunt multa bona, sed etiam omnia bona, quia beatitudo, secundùm Boëtium, est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Hoc autem præfigurabat manna, quod habebat in se omnis saporis suauitem, secundùm illud Sap. 16. *Paratum panē de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem: & omnis saporis suauitatem.* Sap. 16. Licet enim sit vnum summum bonum increatum, in quo beatitudo nostra consistit, scilicet Deus: tamen in illo vno sunt omnia bona: & ideò illa beatitudine, quæ in ipsius Dei visione consistit, adueniente, adueniens simul omnia bona. Vnde Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cū illa.* Sap. 7. In quibus quidem verbis, de cœlesti beatitudine quatuor innuuntur.

Primum est eius proprietas: quia *venerunt mihi.*

Secundum est eius satietas: quia *omnia bona.*

Tertium est eius æqualitas: quia *pariter.*

Quartum est eius tranquillitas: cùm additur, *cum illa.*

Circa primum attendendū est, quod non dicit, ego veni ad omnia bona, id est, ad cœlestem beatitudinem: imò potius dicit omnia bona venerunt mihi, scilicet, vt ostendat, quod potius ex Dei miseratione habet homo illa bona, id est beatitudinem, quam ex propria virtute, siue ex proprio merito, vndè super illud Rom. 6. Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Hic dicit Glossa, posset rectè digere, stipēdium iustitiæ: sed maluit dicere gratia Dei vita æterna: vt intelligeremus Deum ad æternā vitam pro sua miseratione nos perducere, non meritis nostris, nec vult hæc glossa dicere, quòd merita non valeant ad vitam æternam: sed vult ostendere, quod miseratio Dei est prima causa perueniendi ad vitā æternā, meritum autē nostrum est causa subsequēs. Vndè etiam dicebat *Veniant mihi miserationes tuæ & viuam,* s. vita æterna. Psal. 118. Secundò ostenditur beatitudinis

dinis satietas: cùm dicitur, *omnia bona*. Cùm enim bonum sit quod omnia appetunt, vt dicitur primo Ethicorum; sequitur quòd vbi habentur omnia bona, quòd omnis appetitus sit impletus: sed iusti in vita æterna habebunt quidquid desiderabunt: secundũ illud Prou. 10. *Desiderium eorum iustis dabitur*. Psal.20. *Desiderium cordis eius tribuisti Domine*. Hoc autem est quod iusti desiderãt, s. habere omne bonum. Et ideò sequitur quod ipsi habebunt omne bonum, & erunt in perfecta satietate: & hoc promisit Deus Moysi, cum ait.
Exo. 33. Exod.33. *Ego ostendam tibi omne bonum*. Non conceditur hoc homini in præsenti, scilicet, quod habebat omnia bona: sed reseruatur sibi in alia vita. vndè Cant. 7. *Omnia poma noua & vetera dilecte mi, seruaui tibi*. Per omnia poma intelliguntur omnia bona, quibus homo in vita æterna delectabiliter perfruetur: sed noua, erunt gaudia, quæ habebũt in delectatione humanitatis Christi: vetera, quæ in visione diuinitatis, quæ etiam ab initio angeli habuerũt: vel noua, in corporis glorificatione & mũdi innouatione, quæ fiet in die iudicij: & vetera, in animarum beatitudine, quæ prius est concessa. Et dicit, *dilecte mi*, vt ostendat quod per viam dilectionis & charitatis peruenitur
Rom. 8. ad ista Rom.8. *Diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonũ*, s. æternũ.

Tertiò ostenditur beatitudinis æqualitas, cũ dicitur *pariter*. Quod non sic est intelligendum, s. quod omnes beati sint in illa beatitudine pares; vel quod omnia ista bona omnes æqualiter habeant: sed est ibi parilitas ex parte obiecti beatificantis, quia s. diuina essentia videbitur, ex cuius visione omnes erũt beati, & habebunt omnia bona: & ideò ex hac parte nõ exit ibi gradus. vndè Esa.40. *Videbit omnis caro*, i. omnis homo, scil. beatus etiam post carnis resurrectionem, *pariter quod os Domini locutum est*, i. Dei verbum, in ipsa, s. diuina natura, *pariter*, scilicet in hoc, quod quilibet videbit ipsum: sed tamen erit ibi gradus ex parte beatorum, siue ipsius operationis, in qua beatitudo cõsistit: quæ est visio Dei per essentiam; quia secundum quod habitus perficiẽs ad operationem prædictam, scil. lumen gloriæ, erit perfectior, vno quam in alio: secundum hoc operatio ipsa erit perfectior, & delectatio maior. Et secundum hoc non erunt omnes pares, nec in eodem gradu beatitudinis, secundum quod vnus limpidius & clarius videbit Deum quam alius: nihilominus tamen cùm dicitur, quod *pariter* videbunt, posset etiã exponi *pariter*, id est, simul in eadem societate vel loco, scilicet in cœlo empyreo, existentes omnes non tantum angeli, sed etiam homines cum eis. Cuius figura habetur Actu.2. vbi dicitur, quod Actu. 2.
erãt omnes pariter in eodẽ loco. Vndè dicit natura angelica naturæ humanæ illud Iudic.19. *Hic maneat pariterq; i. simul, lætemur*. Quartò ostenditur in auctoritate adducta ipsius beatitudinis tranquillitas. i. pax in eo, quod dicit cũ illa. Nam cum illa, siue in illa cœlesti beatitudine, est trãquillitas perfectissimæ pacis, inquantũ omnia illa remota sunt in perpetuum à beatis, quæ possent eorum gloriam, & beatitudinem, & delectationem impedire vel perturbare, vel in aliquo molestare. Vndè August.19. de Ciuitate Dei. Possumus dicere finem bonorum nostrorum esse pacem, sicut & æternam vitam. Et dicit pacem esse finem, quia simul est cum ipso fine: & sicut propinquissima dispositio ad finem, scilicet in quantum excludit impedimenta beatitudinis: & indè

est quod illa beatitudo figuratur per ciuitatem Hierusalem, quę interpretatur pacifica. Vnde Gal. 4. *Illa autem quæ sursum est Hierusalem libera est.*

TERTIO in themate assũpto ostendunt pauperes iusti, se supponere iustitiæ consequentiã, cum dicitur, *si timuerimus Deum.* Vbi aduertendum est, quod quædam opera sunt iusta & bona, ad quæ non tenetur omnis homo: sicut ieiunare ieiunia ab ecclesia instituta, non tenentur grauiter infirmi, vel pueri qui sunt in augmento. Item ad dicendum officium ecclesiæ, tenentur solum clerici, nec solum omnes clerici, sed solum qui sunt beneficiati, vel habent ordinem sacrum: sed quædam alia sunt ad quæ tenetur omnis homo: sicut ad diligendũ, vel timendum Deum, & ad obe-
Eccl. 12 diendum eius mandatis. Et ideò dicitur Ecclesiast. 12. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.*

In quib⁹ quidẽ verbis tria facit. Quia primò inducit ad Dei reuerentiam: cum dicit, *Deum time.* Secundo ad eius obedientiam: cùm subditur, *& mandata eius obserua.* Tertiò assignat vtriusque causam: quia *hoc est omnis homo.*

Circa primum attendendum est, quod debes Deum timere reuerenter, id est, non sicut seruus, s. propter pœnam, sed sicut filius propter reuerentiam & beneuolentiam amoris: & iste timor nõ est coactus, neque pœnalis; & ideò remanet etiam in beatis. Vndè Psalm. 18. *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Vbi notandum quod talis timor vocatur castus, filialis, & amicabilis. Castus, quia ad modum sponsæ castæ debet anima timere Deum. Nam aliter timet virum vxor casta, & aliter adultera. Si enim vir est præsens, timet casta ne recedat: si est absens, timet ne venire differat. Adultera si vir est præsens, timet ne maneat: si est absens, timet quod redeat. Sic sancti viri si Deum habent præsentem per consolationem internam, timent ne recedat ipsam cõsolationem subtrahendo: & si aliquando recedit, timent ne venire differat diuinam consolationem eis reddendo. Tali timore ostendebat Psal. se timere Deum, qui timens ne ab eo recederet dixit. Psal. 50. *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me:* & si aliquando recessisset, timebat ne venire differret, dicens. *Redde mihi lætit sal. tui.* E-contra autem mali dicunt illud Iob 21. *Recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus:* quia timent ne maneat: dicunt, *recede à nobis,* & quia timent ne redeat: subdũt, *scientiam viarum tuarum nolumus.* Et est prædicta sententia B. August. de timore casto, super illud Psal. 127. *Beati omnes qui timent dominum.* Item vocatur timor filialis, quia aliter timet Deum filius, aliter seruus. Filius quidem timet offendere patrem, ne amittat eius gratiam & visionẽ suam: seruus autem ne incurrat pœnã. Ideo illi qui timent Deum timore filiali, manent in domo Dei, vt videant eius faciam, quam desiderauerunt: serui autem non manent, quia de ipsa Dei visione nõ curauerunt. vndè Ioan. c. 8. *Seruus non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum:* vndè dicit Aug. vbi supra de isto timore filiali. Interrogo vos, si Deus veniens propria vice loqueretur vobis & diceret homini: si peccare vis, pecca: fac quidquid te delectat, abundent tibi omnia terrena: nemo tibi resistat, & viue in illis non vsque ad tempus, sed semper: faciem tamen meam non videbis: fleret, gemeret, & respon-

deret

deret. Timor verus timor sincerus: imò tollantur omnia & faciē
Psal.79. tuam videam;& exclamaret Psal. 79. *Ostende faciem tuam & salui erimus.*
Eccl.25. Et ideo de tali timore dicitur Eccl.25. *Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei.* Itē vocatur timor amicabilis, quia timere debemus eum, vt veri amici. Aliter enim timet amicum offendere amicus verus, & aliter amicus fictus: verus enim timet offendere, ne perdat amicitiæ solatium. fictus verò timet ne perdat temporale subsidium. Veri autem amici Dei timent ipsum offendere, ne perdant eius amicitiam: ficti, ne perdāt terrenam substantiam. Fictus ergo amicus timet solum tempore prosperitatis, sed timorem abiicit tempore necessitatis. Et talem timorem voluit diabolus falsè imponere beato Iob, quandò dixit Iob 1. Nunquid frustra Iob timet Deum,&c. Verus autem amicus in omni statu fortis permanet. vndè Prou. 13. In timore Domini fiducia fortitudinis.

Secundò in auctoritate adducta inducitur homo ad obedientiam, cùm dicitur, *& mandata eius obserua.* Vbi aduerte, quod mādabiliter. i. ex amore, vt possit dici illud Ioan.14 Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui dili-
Ioan.14 git me. Aug. Qui habet, sc. in memoria, & seruat in vita. Item sunt obseruanda vniuersaliter, s. nullū omittendo. Iac.2. *Quicunque autem*
Iac.2. *totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Itèm sunt custodienda hilariter, siue delectabiliter, vt delectetur
Eccl.23. homo in eis. Eccl.23. *Nihil melius quam timor Dei: & nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini.* Vndè etiam Propheta ait: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.*

Tertio in auctoritate adducta assignatur ratio, quare vtrunque facere debemus: scilicet & Deum timere, & mandata eius seruare, scilicet quia hoc est omnis homo. Et ratio est, quia sicut timens Deum, & mādata eius obseruans in charitate, sine qua homo non est, secundùm illud 1. Corinth. decimotertio. *Si charitatem non*
habuero, nihil sum. vndè & beatus August. 20. de Ciuit. Dei, de hoc 1.Co.13
rationem reddens ait. Ideo hic est omnis homo: quia quicunque est hoc, id est, obseruator mandatorum Dei, vbique est: quoniam qui hoc non est, nihil est: non enim ad veritatis imaginem reformatur remanens in similitudine vanitatis: vndè Propheta in Psal.72.
Imaginem ipsorum ad nihilum redig. Psal. 72.
Ezech. *In præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt,* Ezec.20
quæ faciens homo viuet in eis, scilicet hic vita gratiæ, & tandem vita gloriæ. Ad quam clementissimus Dominus,&c.

In funere vnius diuitis.

SERMO XL.

D*iues cùm dormierit nihil secum afferet.* Iob 27.

Quandò duo homines vadunt simul per viam, & catulus sequitur eos, non potest discerni cuius sit iste catulus, quamdiu simul vadunt: sed statim cùm separantur ab inuicem, vt vnus recedit ab altero, catulus stat cum domino suo, & alium derelinquit. Et ita accidit de diuitiis mundi, quia quamdiu homo est in mundo, & affluit diuitijs, nequaquam discerni potest cuius sint illæ diuitiæ, an hominis, an mundi: sed quando homo separatur à mundo per mortem, tunc diuitiæ remanent in mundo,& hominē derelinquunt,

Et nihil pennitus possit secum portare de ijs quod dicitur in auctoritate proposita, *diues cùm dormierit nihil secum*, &c.i.cum mortuus fuerit, nihil secum afferet de temporalibus diuitijs.

In quibus quidem verbis de moriēte diuite tria describuntur.

Primum est conditio fortunæ: quia *diues*.

Secundum est corruptio naturæ: cum dicitur, *cum dormierit*, s. somno mortis, in quo natura huiusmodi hominis corrumpitur quo ad vitam corporalem.

Tertium est priuatio substantiæ: quia *nihil secum afferet*, scilicet de temporali substantia.

Videmus quod non timent homines de eo qui sit Dominus in aliquo ludo, quantumcunque imponantur ei ornamenta Domini, & tribuātur ei honores vt domino: quia considerant quod talis non est vere dominus: & quod citò de illo dominio deponetur. Sic non debet homo timere, quia videt se esse pauperem, & alium factum diuitem, quia ille non est verè dominus diuitiarum suarū: & post modicam vitam oportebit omnia dimittere, & totam gloriā illius dominij, quamuis ad modicum videatur ornatus diuitijs, & ab alijs honoratus, maximè quia sicut illius diuitię terminabuntur in morte; sic & ipsius paupertas si bene voluerit viuere. Vndè dicitur in Psal.48. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cū multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.*

In quibus quidem verbis describuntur quinque.

Primum est pauperis securitas cùm dicitur, *ne timueris.*

Secundum est diuitis prosperitas, cum subditur, *cum diues factus fuerit homo*, &c.

Tertium est hominis mortalitas, *cum interierit.*

Quartum est decedentis paupertas: quia *non sumet omnia.*

Quintum est morientis humilitas: quia *non descendet cum eo*.&c.

Circa primum aduertendum est quod si aliqui pauperes irent in via post dominum multum diuitem & curialem, de eo sperarent quod non deficeret eis in necessitate: & ideò non timerent suam paupertatem. Nos autem vitā huius mūdi omnes intrauimus pauperes: quia sicut ait Apost.1.Tim.6. *Nihil intulimus in hunc mundum:* vndè & nudi nascimur. Iob.1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* Habemus tamen nobiscum dominum diuitem & ita curialē, quod nō deficit in necessitate dū homo non forte faciat contra eū. vndè Apost.Ro.10. *Idem Dominus omniū diues in omnes qui inuocant eum.* Et sicut dicit Psa.9. *Factus est Dominus refug pau. adiu. inop.* & ideo non oportet pauperes timere de necessitatibus huius vitæ, si velint in eum sperare, & ab offēsis eum cauere. Vnde de talibus pauperibus dicitur in Psal.77 *Deduxit eos in spe, & non timuerunt.*

Nota quod multas prærogatiuas facit Deus pauperibus vt paupertatem non metuant: sed eam vel voluntariè, vel saltem patienter ferant. Prima est: quia ipsa est eorum exauditor. vndè Psal.9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus*, & Eccl.21. *Deprecatio pauperis vsque ad aures Dei perueniet.* Secunda est, quia est illorum memor. Ps.9. *Quoniā non in finem obliuio pauperis.* Tertia est, quia est eorum procurator. Psal.9. *Tibi dereli. est pauper.* & idem.39. *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus soll. est mei.* Quarta est, quia est eorum saluator. Psal.71. *Animas pauper. sal. fa.* Et ideò ad confortādum patientiam pauperis dicitur

Deut.

Deut.20. *Non timebis quia Dominus Deus tuus tecum*, ſ.vt tuus exauditor, vt tui memor, & vt tuus procurator & ſaluator. Eſa.41. *Ne timeas quia ego tecum ſum.*

Secundò notatur in auctoritate adducta conditio fortunæ, ſcil. proſpera: *cum diues fa. fuc. hom.* Tunc enim licet videatur bene ſtare, tamen vt plurimum ſtat valdè male: & præcipue ſi factus eſt diues de diuitijs malè acquiſitis: quod vt plurimum cõtingit, quia vix ſine peccato vſuræ, vel furti, vel rapinæ, vel mendacij, aut periurij & doli, diuitiæ acquiruntur. Prou.28. Prouer.28. *Qui feſtinat ditari non erit innocens.* Spinæ enim non colliguntur ſine manus colligentis læſione: nec lutum congregatur ſine congregantis inquinatione. Diuitiæ enim à Domino ſpinæ dicuntur. Luc.8. & ab Apoſt. ſtercora nuncupantur: & ideò dicitur Eccli.20. *Si diues fueris non eris immunis à delicto.* Item poſtquã homo per lucra illicita factus eſt diues, tunc eſt fortiſſimo laqueo illaqueatus à diabolo. vnde Augu. Res quam capis muſcipula eſt: dũ capis, caperis: ſicut auis rapiendo granum, & piſcis vermem, in hamo modica rapiunt, ſed mortis periculum incurrunt: plus damnificantur quàm damnificent aliũ, quia capiendo & tenendo alienũ, tenentur à diabolo. Itẽ in fundo fluminum tenetur vas plenum aqua, & hoc non eſſet niſi in ſe cõtineret aquam, & tam diu tenebitur, quãdiu aquam contineat. Sic qui tenet alienũ, tenebitur à diabolo, ſicut capiſtrum tenet equũ: quia equus mãdibulis tenet eum: & ſi dimitteret & non teneret, nõ teneretur ab eo, & hamus tenet piſcẽ, quia piſcis tenet eum, & auis laqueũ vndè Ec.9. *Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aues laqueo, ſic capiuntur homines tempore malo.* Dicitur quod malum eſt tẽpus, quandò vna denariata conſtat 10. denarijs, & certè vnus denarius furatus conſtat furanti plus quã 20. ſ. quia damnum animæ incurrit, quod incomparabile eſt auro & argẽto. Et de tali illaqueatione diuitum à diabolo dicit Apoſtolus. 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes & in laqueum diaboli,* &c. Sed quoniam proſperitas fortunę non ſolũ conſiſtit in diuitijs, ſed etiã in honore, ideò ſubditur: *& multiplicata fuerit gloria*, i. honor non ſolum eius, ſed etiam *domus eius*: quia ſcil. tota domus ſiue familia inde honoratur. Pſal.111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Sed tamen illa gloria contemptibilis eſt, quia nõ datur homini, ſed diuitijs. Sene. Mella ſequuntur muſcæ: grana formicæ: cadauera lupi: prædam ſequitur turba iſta nõ hominem Vndè deficientibus diuitijs deficit honor & gloria: deficientibus enim fructibus, vinea non viſitatur vel cuſtoditur: ſed excluſa relinquitur: & ſic homo deficientibus diuitijs. Stultè ergò agunt illi, qui vt dicit Pſalm.48. *Confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.* Vndè vera gloria non eſt à diuitijs exterioribus, ſed ab interioribus: dequibus Greg dicit, quod illæ verę diuitiæ ſunt, quę nos virtutibus diuites faciunt. Vndè Pſal. 44. *Omnis gloria eius ab intus.* Indè enim eſt teſtimonium bonæ cõnſcientiæ Vndè Apoſt.2. Corin.1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimoniũ conſcientiæ noſtræ.* Tertiũ quod notatur in auctoritate adducta, eſt hominum mortalitas, cùm ſubditur, *cum interierit.* Caſus aduerſus tãto periculoſius recipitur, quãto magis eſt inopinatus & improuiſus, & prǽcipuè caſus mortis. Aliquãdo accidit porcis, quod dum cõedunt vel iacent in pace, & ſecuritate ſua, & capiuntur & ad macel-

lum ducuntur, seu occiduntur.
Sic accidit etiam plerunque diui-
tibus, quod cũ in maiori pace vel
securitate perfruũtur diuitiis suis,
tunc inuaduntur & capiuntur à
morte: sicut patet in illo diuite,
de quo dicitur Luc. 12. quod dice-
bat. *Anima mea habes multa bo-
na, &c.* Et dicunt quidam istum
diuitem fuisse Nabal Carmeli.
Vnde de talibus dicit Apostolus,
1. Thess. 5. 1. Thess. 5. *Cum dixerint pax & se-
curitas, tunc repentinus eis superue-
niet interitus.* Quartum quod no-
tatur in superadducta auctoritate
est, decedentis paupertas, quia *non
sumet omnia*, scilicet à se possessa,
quia omnia relinquit hic. Nam
omnia corruptibilia reuertuntur
ad suum principium, sicut corpus,
quia sumptum est de terra, in ter-
ram reuertetur, secundùm illud
Gen. 3. Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris
pane tuo, donec reuertaris in terram
de qua sumptus es.* Et simile et-
iam accidit de corporibus iumen-
torum. Eccl. 3. *Omnia pergunt ad
Eccl. 3. locum unum, de terra facta sunt
& in terram pariter reuertuntur:*
quare cùm homo non habuerit
diuitias à se, sed à mundo, ideò
in fine hominis ad mundum re-
Psal. 48. uertuntur. Psalm. 48. *Relinquit a-
lienis diuitias suas.* Auarus ergò
similis est columbæ, quæ ibi ni-
dificat vbi parentes sui pullos
amiserũt: sic auari in mundo the-
saurizant, vbi parentes eorum
omnia reliquerunt. Hiero. Non
sunt bona hominis quæ secum
ferre non potest, sola misericor-
dia comes est defunctorum. ideò
Matt. 25. Virgines fatuæ. i. animæ
imprudentes, quæ exeuntes à cor-
poribus non sumpserunt oleũ, i.
meritum operum pietatis, & mi-
sericordiæ, exclusæ sunt à nuptiis
paradisi. Quartò ostenditur mo-
rientis humiliatio: quia *non de-
scendet cum eo*, scil. in sepulcrũ, vel
in infernum *gloria eius*: quia vtro-
bique non in gloria, sed in igno-
minia erit, secundùm illud Oseæ
4. *Gloriam rerum in ignominiam cõ-* Oseæ 4.
mutabo. Nam in ignominia erit
anima in inferno, & in sepulchro
fœtido corpus & vermibus plenũ
1. Mach. 2. *Gloria viri peccatoris ster-* 1. Mac.
cus & vermis est. Et benè dicit
peccatoris, quia gloria viri iusti
magna est, & animæ in cœlo, &
corporis in tumulo: quia corpora
sanctorum etiam in tumulis clau-
sa, honorantur & adorantur pro-
pter spem futuræ resurrectionis.
in quo plenius glorificabuntur.
Psalm. 149. *Exultabunt sancti in* Ps 149.
gloria lætabuntur in cubilibus suis.

SECVNDO in themate as-
sumpto notatur corruptio natu-
ræ, quando subditur, *cùm dormie-
rit.* id est, cum mortuus fuerit Phi-
losophus in libro Ethicorum vo-
cat somnium dimidium vitæ, di-
cens: quod felix non differt à mi-
sero secundùm dimidium vitæ, id
est in somno, nisi quia meliora
sunt fantasmata, id est somnia iu-
storum. Et secundùm hoc mors
potest assimilari somno siue dor-
mitioni, quæ est dimidium vitæ
magis propriè quam somnus. Nã
cùm vita hominis sit in anima &
in corpore, mors quæ tollit vitam
corporis, & relinquit vitam ani-
mæ, dimittit quasi dimidium vi-
tæ. Et de tali dormitione mortis
dicitur in Psalm. 75. *Dormierunt* Psal. 75.
*somnium suum, & nihil inuenerunt
omnes viri diuitiarum in manibus
suis.* In quibus quidem verbis
agitur de duobus.

Primò de morientium expe-
ctatione: cùm dicitur, *dormierunt
somnum suum.*

Secundò de diuitum frustra-
tione, quia *nihil inuenerunt omnes
viri diuitiarum in manibus suis.*

Circa primum attendendum
est quod sicut ille qui ad dormiẽ-
dum se ponit, ponit se sub spe
surgendi à somno: ita quicunque

moritur

moritur, debet mori sub spe fu-
Psal. 40 turæ resurrectionis Psal. 40. *Nunquid qui dor. non adij. vt resur.* Et sicut facile est homini excitare aliquem à somno ita facile est Deo
Ioan. 11 resuscitare à morte vndè Ioan. 11. *Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt a somno excitem eum.* & loquebatur de somno mortis. quia Lazarus iam mortuus erat. Sed notandum, quod secundum medicinam aliquis somnus est laudabilis & aliquis illaudabilis. Ladabilis quidē est somnus suo tempore factus & in quo corpus dulciter quiescit. Sic mors laudabilis est, quæ aduenit homini eo tempore quo est bene dispositus, scil. secundùm animam, puta quandò inuenit eum in gratia siue baptismali, sicut mors puerorum, vel saltem in gratia pœnitentiali, & in statu charitatis: quia tunc cum sint filij Dei ducuntur ad æternā
Ps. 126. hæreditatē secūdùm illud Ps. 126. *Cùm dederit dile. suis somn. ecce hære. de fi. mer.* Tunc etiam dicitur dormiens, i. moriens ad dulcissimā quietē duci, s. paradisi de qua
Psal. 4. dicitur in Ps. 4. *In pace in idipsum dor. & requie.* Et ideò sicut somnus corporalis est ad quietem & sanitatem corporis, quia motus corporis & sensus non saluarentur, sed deficerent, si aliquandò non quiescerent, quæ quies fit in somno. Ita & somnus mortis est ne-
Ioa. 11. cessarius ad quietē, & salutē animæ. Vndè Ioan 11. Si dormierit saluus est. Somnus autē illaudabilis, est somnus non suo tēpore factus, & iste præcipuè in infirmo non est bonum signum, vt dicit Hippocrates in lib. pronosticorū, & precipuè quandò est cū inquietudine, & fantasijs distortis. Et talis est peccatoris qui fit incongruo tēpore, s. quandò est in peccato, & in mala dispositione animę: & tunc veniunt dęmones, & immittunt ei fantasias distortas, & deceptorias, vt non redeat ad pœnitentiam, & moritur cum inquietudine, & horrore conscientiæ & talis somnus mortis nō est ei ad salutem, sed ad damnationē & ad mortem æternam. Hoc figuratum est Iudic. 4. in Sysara, qui capite, scil. mentis, defixo terræ, id est affectibus terrenis vel peccato, cum clauo obstinationis & desperationis, soporem, i. mortis corporalis sociās, s. morti æternæ, defecit in corpore, & mortuus est etiam in anima. s. æterna morte.

Secundò in auctoritate adducta, agitur de diuitum frustratione, quia *nil inuenerunt*, &c. Aliquandò accidit dormienti, quod somniat se inuenire magnas diuitias, & videtur ei tenere eas manibus, & recondere pro se: sed postquā excitatus est, nihil inuenit in manibus suis. Sic diues quamdiu viuit, contrectat diuitias & pecunias suas manibus, & recondit, & lætatur in eis: sed post somnū mortis, nihil inuenit sibi de omnibus illis. vnde Iob vigesimo-septimo. Aperiet oculos suos & nihil inueniet. vbi Grego. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Vndè de diuite epulone existente in inferno dicitur Luc. 16. Eleuās
autē oculos suos cū esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Luc. 16.
Lazarum, quē s. prius aspicere nō dignabatur. Notanter autem dicit prius, quod nihil inuenerunt in manibus suis, quia enim diuitias suas in manibus suis tenuerūt, & eas dū viuerēt pauperibus distribuere noluerunt: ideò de eis post mortem nihil inuenerunt, quas quidem inuenissent, si in manibus pauperum ponere voluissent: vndè beatus Laurentius dixit tyranno, Thesauros ecclesiæ quos requiris, iam in cælestes thesauros manus pauperum deportauerunt. Greg. Tēporalia omnia quę seruādo amittimus, larg:ēdo seruamus,

Propterea dicitur Prouerb.31. de muliere forti. *Manum suã aperuit inopi, & palmam suam extendit ad pauperem.*

TERTIO agitur in proposito themate de priuatione substãtiæ, quæ. s. fit per mortem cum dicitur, *nihil secum afferet*, scilicet de suis diuitijs: & ideo est quia anima intellectiua non est susceptiua substantiæ materialis & corporalis. Vndè etiam in corpore existens, secundùm intellictum recipit species sine materia, prout Philosophus dicit. Multò ergò magis cum à corpore separatur & denudatur, nihil materiale & corporale secum afferre potest. Cum ergo illæ diuitiæ sint materiales & corporales, non est mirũ, si de talibus nihil secum dicantur afferre. Sed notandum, quod accidit de diuitijs sicut de pratis vel arboribus infructuosis, quia licet talia prata in vere vestiantur herbis & floribus, vel arbores frõdibus, tamen nec in messe illa afferunt segetes, nec illæ in autumno afferunt fructus: & ita temporales diuitiæ quamuis in hoc mũdo exornent, & florere faciant diuites: post mortem tamen in iudicio, vel in inferno nullũ fructum afferant eis. Vndè Abac.3. *Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. Abscindetur de ouili pecus, &c.* Et tangit illa de quibus præcipuè erant diuitiæ antiquorum, scilicet de fructibus arborũ, & frugibus terræ, & de animalibus, de quibus nihil fructificat diuiti post hanc vitam: sola ergò bona opera sunt quæ afferũt fructus permanentes, quia licet transeat opus remanet tamen meritum, & præmium æternum. Vnde Dominus ait Ioan.15. *Posui vos vt eatis & fructum afferatis*: s. meritorum, *& fructus vester maneat*, scil. in præmio vitę æternæ. Ad quam nos. &c.

SERMO XLI.

In funere vnius diuitis afflicti.

HVmiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Psal.44. Psl.44.

Videmus communiter in his, quæ sunt ex contrariis mixta, quod denominantur à contrario prædominante, id est, cuius virtus & proprietas magis apparet in mixto. Et ideo corpus humanum, licet sit corpus mixtum & ex quatuor compositum contrariis elementis, tamẽ quia plus apparet in eo virtus & proprietas terræ, sicut patet ex eius grauitate, & corpulentia, & impuritate, & in finali resolutione in terram, idcircò terrestre vocatur siue terrestris domus. 2. Corint.5. *Scimus quod (si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur*, &c. Imò etiã hac de causã ipse homo vocatur terra Eccl.10. *Quid superbis terra & cinis?* vnde homo ab humo, dicitur, id est, ab humida terra, sicut & animalia in quibus prædominatur proprietas aquæ, dicuntur aqua siue aquatica: & sic de aliis. Nunc autem sunt tria loca principalia humanæ habitationis. Vnus supremus, qui est locus felicitatis & delectationis, scilicet cœlum empyreum, qui est locus angelorum & sanctorũ, de quo Psal.22. ait. *In loco pas. vbi me collocauit.* Alius verò est infimus qui est locus infelicitatis, & damnationis, scilicet infernus, qui est locus dæmonum & peccatorum: qui cum mortali peccato decedunt: de quo Baruch 3. *Coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum.* Alius locus est medius, id est mundus: & quia medium sapit naturam extremorum, sicut aër qui est medius inter ignem & aquam,

aquam, conuenit cum igne in calido, & cum aqua in humido: est enim aër calidus & humidus, sed magis temperatè calidus quā ignis, & minus humidus quam aqua. Sic etiam quia mundus medius locus est inter paradisum, in quo est summa delectatio, & infernum, in quo est summa afflictio: ideo licet temperatus, habet tamen de vtroque quandam admixtionem consolationis & afflictionis, & gaudii & mœroris,
Prou.14 secundum illud Prou 14. *Risus dolore miscebitur: & extrema gaudÿ luctus occupat*, tamen quia plus habet de afflictione quam de consolatione, quia humanæ fælicitatis dulcedo multis amaritudinibus est respersa, ideo denominatur à prædominatione: quia locus afflictionis vocatur. Et in hoc loco post peccatum superbiæ posuit Deus hominem vt humiliaretur, & vt magis humiliaretur dedit ei sententiam mortis, id est vt omnes homines moriantur, & mors maximè humiliat hominē, quia nulla superbia, nulla diuitiarum copia, & nulla etiam potentia morti resistere potest. Sic ergò habemus duo. Primò, quod mundus dicitur locus afflictionis. Secundo, quia in hoc loco Deus posuit hominem cum sententia mortis, vt humiliaretur: & hoc est quod dicitur in verbis propositis. *Humiliasti nos, &c.*

In quibus quidem verbis describuitur breuiter tria, quę Deus circa homines facit.

Et primum est beneficium, quo deijcimur ex diuina misericordia, cum dicitur: *humiliasti nos.*

Secundum est supplicium, quod patimur ex diuina iustitia, cum subditur: *in loco afflictionis.*

Tertium est exterminium, quo corrumpimur ex diuina potētia, cum subinfertur: *& cooperuit nos vmbra mortis.*

CIRCA primum notandum est, quod sicut ille qui habet lapidem in manu, & vult eum in altum proiicere, primo inclinat manum in qua ipsum lapidem habet, & postea in altum mittit. Sic Deus ex suæ gratiæ beneficio, quos primò humiliauit, postea exaltat. Eccl.7. *Humiliat & exaltat circumspector Deus.* Humiliat autē dupliciter. Vno modo per pœnitentiam, in quantum ipse pœnitentiam instituit, in qua humiliamur s. vel Deo in contritionis mœrore, quia in corde viri humiliabit eum, siue sacerdoti in confessione. Eccl.4. *Presbytero humilia animam tuam.* Alio modo humiliat nos Deus per tribulationes, & afflictiones; quia licet dum sentiuntur videantur inferre tristitiam, tamen si patienter portentur: postquam transierunt perducunt ad magnam lætitiam: sicut ille qui à chirurgico incenditur, & inciditur vt sanetur, licèt tunc doleat, tamen postquam sanus est factus & euasit mortem, multum lætatur. Ita tribulationes & afflictiones præsentes, licet videantur dolorosæ, tamen patienter portatæ sanant animam à peccatis, & faciunt euadere mortem æternam: & introducunt ad æternam lætitiam. Vndè in Psalm. 89. Psal. 20
Lætati sumus pro diebus quibus nos humi. annis quibus vidi. mala.

In quibus quidem verbis tanguntur quatuor effectus præsentium tribulationum,

Primus quia lætificant: vndè dicit: *lætati sumus.*

Secundus quia clarificant: vndè subditur, *pro diebus.*

Tertius quia humiliant, & ideò subiungitur, *quibus nos humiliasti.*

Quartus quia mollificant, scilicet ad compassionem, & ideò subinfertur, *annis quibus vidimus mala*, scilicet aliorum, compatiendo, & condolendo eis.

Circa primum notandum est,
quod tribulationes sunt causa le-
titiæ triplici ratione. Primò ratio-
ne patientiæ: quia tribulatio pa-
tientiā operatur, patiens autem
licèt secundùm corpus sentiat
cruciatum, tamen secundū men-
tem considerat tribulationum
fructū & præmium: & ideò secun-
dum diuersa insunt ei duo cōtra-
ria quia ex passione cruciatur, sed
ex apprehensione animæ lętatur.
2.Mac.6. Vndè 2. Mach. 6. dixit Eleazarus.
*Duros corporis sustineo dolores: se-
cundū animā verò propter timorem
tuū libenter hoc patior.* Et sic etiam
fecerunt alij sancti martyres, qui
ingemiscebant carne, sed lætabā-
Esa. 24. tur corde Isa. 24. *Ingemuerunt om-
nes qui lætabantur corde.* Secundò
tribulationes sunt causa lætitiæ,
ratione diuinæ gratię: quia in plu-
ribus cōtingit, quod dolor corpo-
ris tātus est, quod facit nō sentire
animalē apprehensionē, seu dele-
ctationē mentalē virtutis. Et ideò
Deus infundit aliquibus tantam
gratiam & consolationem in ipsa
tribulatione, quod fortius eleuāt
animā ad diuina, in quibus dele-
ctentur, quā à corporalibus pœnis
afficiatur: & tūc anima exultat in
tanta lætitia, vt pro nihilo quasi
habeat corporis cruciatus. In hu-
ius rei figura dicitur Deut. 8. *Af-
Deut. 8. flixi te penuria & dedi tibi māna.* Et
hoc Deus facit, quia quantò ama-
riores sunt herbæ medicinæ, tātò
plus oportet ponere de zuccaro
vel mell e. vt infirmus facilius ab-
Ps.93. sorbeat potionnem. Ps. 93. *Secundū
multi. dolorum meorum in cor. meo.
consola. tuæ læti. ani. meam.* Tertio
tribulationes sunt causa lætitiæ,
quia. s. per multas tribulationes o-
portet nos intrare in regnū Dei,
in quo est æterna lætitia. Quod
autem per tribulationes oportet
nos intrare in regnū Dei, & glo-
riam, patet exēplo Christi & san-
ctorum suorum, quorum exēpla
considerando, est etiam tribulatis
causa consolationis & lætitiæ. Nā
aqua amara, transiens per aquam
dulcem, dulcis efficitur: & vinum
dulce, trāsiens per gariofilū, quasi
gario filatus est. Sic tribulationes
& tētationes, quæ prius per Chri-
stum & sanctos transierūt, exem-
plo illorum nobis debēt esse dul-
ciores Ber. Magna est consolatio
mēbris ex capite Greg. Facta præ-
cedentiū recolamus, & non erunt
nodis grauia quę toleramus. Vn-
dè qui corsiderant exēpla Christi
& martyrum, lætificantut in tri-
bulationibus Esa. 16. *Lætātur super* Esa. 16.
muros cocti lateris, & muri cocti la-
teris fuerunt sancti martyres, de-
fensantes & muniētes Ecclesiam:
& excocti igne passionis: ergo o-
stendunt nobis eorum exempla,
quod per tribulationum præsen-
tiū tristitiam, oportèt transire ad
æternam lætitiam. s. cœlestis Hie-
rusalem, & tunc dicetur illud Esa.
66. *Lætamini cum Hierusalem, &* Esa. 66.
*exultēt in ea omnes, qui diligitis eā:
gaudete cum ea gaudio, vniuersi qui
lugebatis.* Secundus effectus tribu-
lationum est, quia clarificant ani-
mam: & ideo vocantur dies quan-
do dicit: *pro diebus:* dies enim dici-
tur à dyam, quod est claritas. Cla-
ritas enim diei duobus modis in-
ducitur. Vno modo per purifica-
tionem aeris. Nam quādò aer est
plenus densissimis nubibus; tunc
quandoque ita obscuratur, quod
videtur quasi nox: sed vento aqui-
lonari flante, expelluntur nubes,
purificatur aer, & dies clarificatur
hic quando peccator est plenus
magnis peccatis, anima ita obscu
ratur & tenebratur, vt videatur
esse in nocte. Sed adueniēte vēto
tribulationis vehementis, redit
homo ad agnitionem sui, & ad
pœnitentiam: & tunc anima ex-
pulsis nubibus peccatorum, puri-
ficata clarescit. Vnde debent di-
cere sic tribulati & sic cōpuncti,

Nox præcessit, dies appropinquauit, abiiciamus ergò opera tenebrarum? Rom.13. Secundò inducitur claritas diei per illuminationem. s. solis: redeunte scilicet sole super terram. Sol autem iustitiæ, id est, Deus qui recessit ab homine per peccatum, tunc ad ipsum hominē redit, quandò homo redit ad ipsum Iac.4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Sicut portus appropinquat naui, quandò nauis appropinquat ei. Et si aliquis auertisset faciem suam à facie alicuius, qui esset immobilis, tunc illius facies esset ad eum cōuersa, quandò ipse conuerteretur ad eā. Et sic est quandò peccatores, qui erant auersi ab eo peccando, conuertuntur ad ipsum pœnitendo. Vnde Zach. 1. *Conuertimini ad me: & ego conuertar ad vos.* Conuertimini ad me. s. à tenebris peccatorū recedendo: & ego cōuertar ad vos, lumen gratiæ infundendo. Ps. 138. *Nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius ita & lumen eius.* Iob 17. *Noctem verterunt in diem.* Tertius effectus tribulationū est, quia humiliant, vndè dicit *quibus nos humiliasti.* Nam sicut inclinātur arbores pondere pomorum, ita humiliantur homines pondere tribulationum. Psal.88. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Sed tamen talis humiliatio si sit ficta, vel violenta tantùm, non valet ad salutē. Sicut humiliatio Antiochi 2 Machab. 9. *Humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Deo virtutem in semetipso contestans.* Et post hoc ergò cæpit, ex graui superbia deductus, ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga: & infra. *Orabat autem scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecutus.* Eccles.12. *Si humiliatus vadat curuus, abiice animum tuum, & custodi te ab illo.* Aliquandò etiam si sit imperfecta, valet ad salutem temporalē, sicut patet in Achab 3.Reg.21. *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* 2. Paral. 12. *Quia humiliati sunt, non disperdam eos.* Sed si sit vera & perfecta humiliatio, liberat hominem à malis temporalibus & spiritualibus Psalm. 114. *Humiliatus sum, & liberauit me.* Iob 22. *Qui humiliatus fuerit erit in gloria.* Quartus effectus tribulationum est, quia mollificant, scilicet ad compatiēdum aliis. Nam etiam ille qui erat durus, quandò patitur, ipse magis compatitur aliis, quos videt mala pati. Nam ferrum in ignem missum, ita mollescit, vt faciliter adhæreat alteri ferro ignito: & sic afflictus igne tribulationis, facilius compatitur alteri afflicto, & ex tali compassione accrescit homini præmium lætitiæ: & ideò dicitur in auctoritate: *& pro annis.* supple lætati sumus, *quibus vidimus mala* aliorum compatiendo s. eis: sed illi qui diligunt mala aliorum, lætantur de eis, sicut inuidi, & sunt digni pœna. Sap.15. *Malorum amatores digni sunt morte.* Et sic qui fecerint mala aliis, quæ non debent, recipient ea. Esaiæ tertio. *Væ animæ eorum quoniam reddita sunt eis mala.*

Iac.4. | Zach. 1. | Ps.138. | Psal. 88. | 2.Mac.9 | Eccl.12 | 3.Re 21. | 2.Par.12 | Psa.114. | Iob 22. | Sap. 15. | Esa 3.

B SECVNDO ponitur in themate assumpto supplicium, quod patimur ex diuina iustitia: quia propter peccata nostra sumus positi in loco afflictionis. Est enim duplex locus afflictionis. Vnus per se, alius per accidens. Per se quidem ille est afflictionis locus, qui ad hoc solùm deputatus est, vt existentes in eo affligantur: & hic locus est infernus, vndè vocatur locus tormentorum. Lucæ 16. *Testetur illis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum:* & talis locus est pessimus. Luc. 16.

Malus

Malus quidem propter tormentorum acerbitatem, peior propter tormentorum pluralitatẽ, sed pessimus propter tormentorum æternitatem. Sunt enim in inferno tormenta crudelia, & plura, & ęterna. Vndè possunt dicere damnati peccatis suis, vel dæmonibus illud Num. 20. *Adduxisti nos in locum istum pessimum.* Alius est locus afflictionis per accidens, scilicet mundus, in quo non fuit homo positus vt affligeretur, imò vt delectaretur, & ad meliora promerenda operaretur, secundũ
Gen .2. illud Gen.2. Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. Et infra eodem. Tulit ergo Deus hominem & posuit eum in paradiso voluptatis vt operaretur, &c. Sed postquam homo peccauit, & Deum offendit, eiectus est de loco delectationis. & missus in locũ afflictionis, vt ibi afflictus humiliaretur: vbi potest dicere illud Ps.37. Afflictus sum & humiliatus sum nimis. Vndè propter peccata hominum, frequenter inducit Deus super mundum magnas afflictiones. Et ideo dicit Deus Hiere.19. Inducam afflictionẽ super locum istum, ita vt omnis qui audierit illam, tinniant aures eius, eò quod dereliquerint me.

In quibus quidem verbis tanguntur quatuor rationes, quare tribulationes præsentis vitæ sunt patienter ferendæ.

Prima sumitur ex parte inferentis, scilicet Dei: qui ait. *Inducam, &c.*

Secunda ex parte continentis: *super locum istum.*

Tertia ex parte audientis: *ita vt omnis qui audierit.. &c,*

Quarta ex parte patientis: quia *dereli. me.*

Circa primum notãdum, quod sicut infirmus debet patiẽter sufferre, quando affligitur à medico, ex eo quod facit ad eius curationem: ita homo debet patienter sustinere, quando affligitur à Deo, quia facit hoc ad eius correctionem & purgationem. Vndè multum gaudere debet peccator infirmus, quando videt cœlestem medicum intromittere se de infirmitate sua, & ex hoc sperare veniam. Nam illi qui in hoc mũdo prosperantur, sunt velut infirmus desperatus à medico, relictus voluntati suæ, cui nihil quod petat denegatur. Vndè Gregor. Desperatis ægris, medici, quidquid poscunt dare præcipiunt: qui autem ad salutem reduci possunt, dari multa contradicunt. Maius ergò beneficium confert Deus homini, quando ipsum affligit, quam cum ipsum prosperari permittit. Plus enim confert puero, qui eum corrigit, quam qui libitum suum facit: & frenetico vel insano, qui ipsum ligat, quam qui eius insaniã non refrenatur: tunc enim exponitur periculo, sicut nauis sine anchora, ventis & procellis exponitur. Et sic etiam dicit Greg. Mactandus vitulus liber ad pascua dimittitur; seruandus, iugo permittitur: quia iniustus ad debitam mortem currens, effrænatis voluptatibus vtitur; iustus verò à delectatione retrahitur transitoriæ iucunditatis. Vndè Iob 6
Iob 6. *Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Sed tũc apparet quod Deus afflixerit peccatorem pro bono suo, quando cognoscens se affligi pro peccatis suis, reuertitur ad pœnitentiam, vt purget peccata sua. Vndè Leuit.26. *Affligentur donec confiteantur iniquitates suas, & malorũ suorũ recordentur, quibus præuaricati sunt in me?* Hoc etiam affectu petebat Hiere. affligi peccatores, quandò dixit Hiere. 17. *Induc super eos diẽ afflictionis.*

Secun-

Secunda ratio quare afflictiones huius vitæ sunt patienter tolerandæ, sumitur ex parte continentis, id est, loci in quo sumus. Vndè dicit *super locum istum*. Videmus enim quod locus prophanatur propter ea quæ fiunt in loco: sicut ecclesia violatur, propter effusionem sanguinis vel seminis in ea, & ideo oportet quod reconcilietur & sanctificetur. Et sic mundus, seu locus mundi, quodammodo efficitur particeps malorum quæ fiunt in eo. Sed quandò homines qui peccauerunt in loco, per afflictiones & tribulationes quas patiuntur in ipso loco, in quo peccauerunt, siue per afflictiones pœnitentiæ purgantur: tunc & ipse locus dicitur purgari & reconciliari, & sicut fuit particeps malorum, sic efficitur particeps bonorum. Vndè dicitur 2.Mach.5. *Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit.* Ideoque & locus ipse particeps factus est populi malorum, postea autem fiet locus bonorum: & qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterũ magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur. Vndè & finaliter mundus innouabitur, & glorificabitur resuscitatio, & innouato, & glorificato homine.

2.Mac.5

Tertia ratio quare afflictiones sunt patienter ferendæ, & quare positi sumus in loco afflictionis, est ex parte audientis: vndè dicit, *vt omnis qui audierit tinniant, &c.* Punitur enim & affligitur aliquando vnus peccator, vt alij qui audierint terreantur. Notandum est enim, quod in exemplũ aliorũ affliguntur aliquando & iusti, & peccatores. Iusti quidem in exemplum patientiæ, sicut dicitur de Tobia, quod hanc tentationem permisit Dominus euenire illi, vt daretur posteris exemplum patiẽtiæ eius, sicut & sancti Iob. Tobiæ 2. Peccatores autem affliguntur in exemplum, vt alij eorum pœnam audiendo vel videndo, terreantur & retrahantur ab imitatione culpæ, & quando ex magnitudine pœnæ auditæ, ille qui audit vehementer admiratur, & terretur, dicuntur aures eius tinnire. Et quia duplex est pęnã qua homo potest affligi, scilicet per subtractionem boni, & per illationem mali, quandò ex vtriusque auditu aliquis multum terretur, vel admiratur, dicuntur tinnire ambæ aures eius. Dextera, propter timorem, de subtractione bonorum. Sinistra, propter timorem, de illatione malorum. Vndè 1.Reg.3. *Ecce ego facio verbũ in Israël, quod quicunque audierit tinnient ambæ aures eius. In die illa suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius*, &c.

Quarta ratio quare tribulationes sunt patienter sustinendæ, accipitur ex parte patientis, quandò ille qui patitur meretur affligi. Vndè Lucæ 23. dixit latro crucifixus cum Christo. *Nos quidem iuste, supple patimur: nam digna factis recipimus.* Esa.46. *Ego feci & ego erã.* Et ideò in auctoritate adducta assignat istam causam inducendæ afflictionis, per quam ostendit: quod merebantur affligi, scilicet quia *dereliquerunt me.* Nã cum duo sint in peccato, scil. auersio ab incommutabili bono, & conuersio ad bonum commutabile: ratio culpæ magis accipitur ex auersione à Deo: quam ex conuersione ad creaturã. Vndè si aliquis conuerteretur ad creaturam sic, quod ex hoc non auerteretur à creatore, non haberet rationem culpæ. Et ideo, iusta causa afflictionis est, quando aliquis propter quodcumque aliud relinquit creatorem suum. Vndè 3.Reg.9. *Quia dereliquerunt Dominum Deum suum.* Et post. *Idcirco*

inducat

inducit Dominus super eos omne malū. Et meritò, quia in Deo, quem dereliquerunt est, omne bonum,

TERTO in themate assumpto ponitur exterminium, quo corrumpimur, scilicet mortis: cum dicitur: *cooperuit nos vmbra mortis*, id est necessitas moriendi, & hæc est nostra mortalitas: nam antequam homo peccaret, poterat homo nō mori: & ita possibilitas non moriendi, erat quædam vmbra immortalitatis vitæ futuræ: sed post peccatum habuit possibilitatem, & necessitatem moriendi, propter quod in viuendo semper tendit ad mortem. Et ideò ista talis possibilitas seu necessitas, est vmbra mortis, quæ præcedit ipsam mortem in viuente. Et hæc est qua omnes cooperimur: quia omnes subiecti sumus mortalitati & necessitati moriēdi. 1. Paral. 29. *Dies nostri quasi vmbra sunt super terram.* Iob 3. *Obscurent eum*, scil diem *quo natus vel cōceptus sum* in originali peccato, *tenebra & vmbra mortis*, quia scilicet ex originali peccato secutæ sunt & tenebræ ignorantiæ, & necessitas moriēdi. Vel ipsa mors hominis corporalis vocatur vmbra mortis scilicet æternæ. Vmbra enim licet habeat aliquo modo figuram rei, cuius est vmbra, non tamen est illa, nec adæquatur ei. Sic mors corporalis assimilatur morti æternæ, quia est in inferno: de qua dicitur in Psal. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos*, scilicet excoriatio corporis indumento, & abtonsa lana temporalium, sunt depositæ animæ in inferno, velut oues excoriatæ, vbi mors ita depascet eos, quod tamen non extinguit: quia mors in eis secundum Greg. semper viuit, & finis semper incipit, & defectus nunquam deficit. Et ideò secundum Ber. semper moriuntur ad vitam, & semper ad mortem viuūt: Assimilatur ergò mors corporalis illi morti æternæ, quia sicut mors corporalis separat carnē ab anima, ita illa mors æterna animam à Deo. Et sicut mors corporalis priuat hominem vita naturæ, & bonis temporalibus: ita illa mors æterna priuat eum vita gloriæ, & bonis æternis; non tamen ista mors illi adæquatur, nec est ista, quia ex ista morte tenebrosa, nunquam transitur ad lucem, sed ex obscuritate corporalis mortis aliqui transeunt ad lucem gloriæ, sicut ex vmbrositate auroræ transitur ad plenā lucem diei. Vndè Iob 23. Subitò cum apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. Et in eodem 12. Producit in lucem vmbram mortis. Et hoc fit, quando ex morte corporali perducitur aliquis ad lucē æternæ gloriæ. Ad quam nos, &c.

SERMO XLII.

In funere vnius afflicti vel diu infirmi.

M*Elior est mors quam vita amara: & requies æterna quam languor perseuerans.* Eccl. 30.

Plerumque contingit, quod ea quæ secundum se sunt meliora, & magis eligibiliora, ex aliquo adiuncto fiunt minus eligibilia: sicut philosophari est melius secundum se, & magis eligibile quam ditari, quia sicut dicitur Prouerb. 8. Melior est sapientia ad quam scilicet studet Philosophus cunctis opibus: sed tamen si philosophari esset cum nimia indigentia, non esset magis eligendū, vndè Philosophus dicit in lib. Topic. quod philosophari est melius quam ditari: sed non magis eligendum indigenti. Sic vita est eligibilis magis quam mors, sed tamen si mors sit homini bona, & vita esset multum amara: melius esset

esset eligenda talis mors, quam vita. Et sic licet melius sit quod corpus conseruetur in vita, quam quod quiescat in sepulchro: tamē si longæuitas vitæ esset cum continuo languore & afflictiua infirmitate, non esset melius, nec etiā magis optabile. Et hoc quod expresse dicitur in verbis propositis. *Melior est mors, &c.*

A In quibus quidem verbis quatuor Ecclesiasticus facit.

Quia primò extollit illud, quod est terminatiuum afflictionis, scilicet mortem, dicens: *melior est mors.*

Secundò despicit illud, quod est afflictionis inclusiuum, quod est *vita amara.*

Tertiò adiungit illud, quod est afflictionis exclusiuum: quod est *requies æterna.*

Quartò describit illud, quod est afflictionis continuatiuum, scilicet *languor perseuerans.*

CIRCA primum attendendum est, quod vnicuique illud videtur esse melius, & magis eligēdum, ad quod magis afficitur, & è contrario nihil videtur sibi esse minus eligibile, quam carere illo, vndè auaro qui maximè afficitur ad diuitias, videtur melius etiam mori quam carere diuitijs & esse indigentē. Et secundū hoc dicitur Eccl. 40. In vita tua ne indigeas melius est enim mori quam indigere: quamuis possit hoc exponi etiam de homine virtuoso, quia melius videtur ei mori corporaliter, quam expoliari diuitijs spiritualibus, s. virtutum & indigere. Item ambitioso, qui maxime afficitur ad gloriā & honorē, melius videtur mori quam priuari gloria & honore, & viuere in ignominia. Vndè dicit Ambr. super illud 1. Corin. 9. Bonum est magis mihi mori, quam vt gloriam meā quis euacuet. Apostolus tamen illud verbū dixit, nō de gloria tēporal & vana, sed de spirituali & bona: quā habebat ex eo, quod prædicabat euangelium sine sumptu, & eleemosynis, de proprio labore viuens: quamuis ei licitum fuisset viuere de eleemosynis, sicut alij faciebant, qui euangelium prædicabant. Homini autem virtuoso, qui maximè afficitur ad bonum virtutis, gloriosius videtur & melius, mori & etiam occidi, quam prætermisso bono virtutis, peccare, & vitiosam vitam ducere, quæ sibi odibilis est Et ideo dicitur de Eleazaro 2. Mach 6. Iste gloriosissimam mortem, magis quam odibilem vitam cōplectens, voluntariè præibat ad supplicium. Vbi prærogatiua mortis viri probi & fortis: apparet ex quatuor.

Eccl. 40 — 1. Cor. 9 — 2. Mac. 6

Primò ex commēdatione, quia vocat eam gloriosissimam mortem.

Secūdò ex comparatione, quia comparat eam ad odibilem vitam.

Tertiò ex prælectione, quia magis eam complectens.

Quartò ex patientis feruore, quia voluntariè præibat ad supplicium.

Circa primum aduertendū est, quod mors viri probi & fortis, puta alicuius martyris, potest dici gloriosa, & gloriosior, & gloriosissima. Gloriosa quidem, ratione pugnæ, quia talis est pugna martyrij quod moriendo viuitur, cadēdo resurgitur, & morte victoria comparatur, sicut Chrys. dicit. Sed dicitur gloriosior, ratione causæ, quia martyrem nō facit pœna sed causa: puta si patiatur propter iustitiā vel legē, sicut Ioan. Bapt. vel fidei sicut Paulus: vel Ecclesiæ, sicut Thomas Cātuariēsis. Sed dicitur gloriosissima ratione victoriæ, vel coronæ: quia nō solum martyr coronatur laurea, sed etiā aureola Ps. 8. Gloria & honore coronasti eū. Generalius autē loquēdo, ista

mors potest dici gloriosa, quàm præcedit testimonium bonæ conscientiæ .2. Corin 1. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Sed illa est gloriosior, quam sequitur approbatio diuinæ iustitiæ. Vndè 2. Cor. 10. *Qui gloriatur in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat,* &c. scilicet approbando eum in iudicio, post mortem. Sed illa mors est gloriosissima, quæ perducit ad visionem claritatis æternæ: ibi erit maxima gloria, id est clarissima, cum laude notitia. Psal. 149. *Gloria hæc est omnibus sanctis eius.* propterea etiã dicitur in Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini,* &c. & hæc mors sequitur ex bona vita, sicut ex bona cultura terræ, sequitur fructus prætiosus. Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Secundò apparet ex comparatione, quia comparatur ad vitam odibilem hominis peccatoris. Vita enim peccatoris est odibilis Deo, quia *altissimus odio habet peccatores,* vt dicitur Eccl. 12. & maximè superbos: quia *odibilis coram Deo & hominibus est superbia.* Eccl. 10. Item est odibilis proximo, quia licet homo debeat, in quolibet proximo suo diligere naturã, in quolibet tamen debet vitium & culpã odisse. Augustinus in sententijs Prosperi. Sic diligendi sunt homines, vt eorum non diligantur errores. Aliud est enim amare quod facti sunt, & aliud odisse
Psal. 118 quod faciunt Ps. 118. *Iniquos odio habui.*

B Item est peccatoris vita odibilis sibiipsi. Quod potest probari per quinque, quæ sunt amicitiæ propria secundùm Philosophum 9. Ethic. Vnusquisque enim amicus.

Primò quidem, vult suum amicum esse, & viuere, id est, conseruari in vitæ integritate: sed mali non volunt conseruare integritatem interioris hominis.

Secundò, ei quem diligit, vult homo bona: sed mali non appetunt spiritualia, quæ sunt animæ suæ bona.

Tertiò, qui diligit, operatur bona ad ipsum quem diligit: sed mali non operantur ad bonum animæ suæ.

Quartò, conuiuit delectabiliter amico suo, sed magis non est delectabile conuiuere secum, redeundo ad cor: quia inueniunt ibi mala præterita, & præsentia, & futura quæ abhorrent. Quintò, concordat homo cum eo quem diligit, quasi in eisdem delectatus & contristatus: sed mali seipsis non concordant, propter conscientiam remordentem. Ex quibus omnibus patet, quod *qui diligit iniquitatem odit animam suam:* Ps. 10
vt dicitur in Psalm. 10. & per consequens vitam suam, secundùm animę salutem. Tertiò ostenditur prærogatiua mortis viri fortis ex prælectione, quia prælegit eam vitæ odibili, quia magis ei est complacens. Si aliquis haberet Dominum, quem multum offendisset, & qui ei multum esset iratus, & vocaretur ad iudicium eius, si inuenire posset aliquem mediatorem qui esset placator irę illius, libenter complecteretur & illum, & eius auxilium. Sic homo peccator, qui multum offendit Deum, & qui prouocauit sibi iram Dei, quandò considerat se vocari per mortem ad iudiciũ eius, multum debet vigilare, & esse sollicitus, quomodo posset inuenire modum placandi iram eius, & inueniens debet eum cõplecti & non dimittere. Eccl. 4. Qui vigilauerit ad istam, scilicet ad mortem, id est, sollicitè ad eam se præparando, complectentur placatorem. Iste placator est pœnitentiæ luctus. Cuius figura habetur Esaiæ 28. in Ezechia, qui

eũ audiſſet. Diſpone domui tuæ, quia morieris tu,& non viues. Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit. Obſecro Domine, &c. Et fleuit Ezechias fletu magno. Et ſtatim intrauit Propheta ad eum, & oſtendit Deum eſſe placatum ei, dicens. *Audiui orationē tuam,&c.* Sed iſte fletus pœnitentiæ debet eſſe cum dolore contritionis, cum rubore confeſſionis, & cum labore ſatisfactionis. Iſta enim ſunt munera, quibus ira Dei placatur, ſcil. munere cordis, quod eſt doloroſa cōtritio:& munere oris ſiue linguę, quod eſt pudoroſa confeſſio, & munere manus.i. operis, ſiue obſequij, quod

Gen. 32. eſt laborioſa ſatisfactio. Gen. 32. Placabo eum muneribus. Per iſta etiam tria extrahuntur tres ſpinæ peccati, quæ ſunt infixæ peccatori, quę ſeinuicem complectuntur, ſ. peccatum cordis, oris,& operis: ex quo nerui. i. ſpinæ ſeinuicem complectuntur: Nam ex peccato cordis procedit peccatum oris: ex quo etiam nonnunquā ſequitur peccatum operis, ſicut quandò aliquis volēs & deliberās carnaliter peccare, ſollicitat & requirit mulierem verbis:& illa cōſentiente, proceditur ad actū carnis. Et iſtæ tres ſpinę peccati, ſ. cordis, oris, & operis, ſeinuicem complectuntur & ita frequenter accidit etiam in alijs. Sed extrahitur ſpina, i. peccatum cordis per dolorem contritionis, ſed ſpina,i. peccatum oris, extrahitur per pudorem confeſſionis: & ſpina, id eſt, peccatū operis, extrahitur labore ſatisfactionis. Sed notandū, quod tā homo iuſtus, quam etiā peccator, eligit interdum potius mortem quam vitam. Sed peccator facit hoc non ratione culpæ, ſed ſolùm ratione pœnæ,ſ. vt pœna quam viuens patitur, per mortem finiatur:& ſecundùm hoc dicitur Hiere. 8. *Eligent magis mortē quam vitam, omnes qui reſidui fuerint de cognatione hac peſſima.* Hier. 8

Sed iuſtus tam ratione pœnæ quàm culpæ. Ratione quidē culpę, quia potius vult quamcunque pœnā, quam committere culpam. Vnde Heb. 11. *Magis eligens affligi cū populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem:* Heb. 11. & ideò martyres potius voluerunt occidi, quā contra fidem peccare. itèm etiam ratione pœnę, quia multotiens eligunt potius mori quam videre vel experiri mala huius vitæ præſentis. Vnde Tob. 3. Expedit mihi mori magis quàm viuere. Et 1. 1. Mach. 3. Mac. 3. *Melius eſt nobis mori bello, quā videre mala gentis noſtræ, &c.*

Quartò in auctoritate adducta oſtenditur prerogatiua mortis viri fortis, puta martyris ex feruore patiētię: quia *vol. prai. ad ſup.* Vbi nota feruorem martyris. Primò ex electione, quia voluntariè, non coactè. Itèm ex preuentione, quia præibat. Et ex paſſione, quia ad ſupplicium. Ita deberet homo peccator ire ad ſupplicium pœnitentiæ. Primò, ſcilicet libenter, quod eſt voluntariè ire. Iſta voluntas oſtenditur ex duobus. Primò, ex correctione peccati preteriti. Secundò, ex fuga & cautela futuri. Eccleſ. 20. *Quàm bonum eſt correctum manifeſtare pœnitentiam:* Eccl. 20 *ſic enim effugies voluntarium peccatum.* Secundò debet ire celeriter: quia debet præire, id eſt præuenire mortem vel infirmitatem. Luc. 1. *Præibis enim ante faciem Domini,* ſcilicet confeſsionem accelerādo. Lu Pſal 93. *Præoccupemus faciem eius in confeſſione,* ſcilicet, vt nō appareāt turpitudines peccatorum ante faciem eius. Itèm patienter ſcilicet ſuſcipiendo & tolerando pœnam ſatisfactionis: quæ poteſt intelligi per ſupplicium, inquātum eſſe debet afflictiua, quia ſi hoc ſupplicium refugeret, ad maius ſup-

Matt.25. plicium iret, scli. ęternum: de quo Matth 25. *Ibunt hi in supplicium æternum.*

E SECVNDO, in thematè assumpto ponitur illud, quod est afflictionis inclusiuum, scil. *vita amara*. Vbi aduertendum quod duplex est amaritudo. Vna est vitę præsentis, & hæc diuersis remedijs potest amoueri, vel temperari. Vndè figurata est in aquis Marath, quæ per immissionem ligni dulcoratæ sunt. Exod. vigesimoquinto. Et ideò dicitur Eccl.

Eccl.28. vigesimo octauo. *Nonne à ligno dulcorata est aqua amara?* Vndè & sancti viri, per immisionẽ, id est considerationem, ligni crucis, i. pœnarum, quas Christus pro nobus pertulit in cruce, dulcorauerunt sibi amaritudines præsentis vitæ, vel per aliquam considerationem sapientiæ, quæ ligno vitæ assimilatur Prouer. tertio. Alia verò est amaritudo vitæ sequentis, id est, infernalis pœnæ, quæ nec remoueri potest, nec etiam temperari. Et de hac exponi posset

Iob 3. illud Iob tertio. *Quare misero data est lux, & vita his qui in amaritudine animæ sunt*. Vbi aggrauatu & horrenda esse ostenditur damnatorum pœna ex quatuor.

Primò ex priuatione boni, & ista notatur in *misero*.

Secundò ex congruitate mali, & istam denotat *lux*.

Tertiò ex duratione supplicij quæ designatur in *vita*.

Quartò ex afflictione animi quæ designatur in *amaritudine animæ*.

Circa primum notandum est, quod multum miser potest dici quilibet damnatorum in inferno cum sit omni bono priuatus. Est enim triplex bonũ scilicet, supernum, externum, & internum. Bonum supernum est bonum æternum sci. cælestis beatitudnis, quod quidem illi qui sunt in cælo, iam possident in re: fideles autem qui viuunt in mundo, habẽt illud in spe. Sed miseri damnati, nec in re ipsum habent, nec in spe habere possunt. Vndè etiam spe ipsius ęterni boni priuati sunt ex toto quod tamen bonum cõsecuti fuissent, si non fuisset ex culpa sua. Bonum autem externum est omne bonum temporale huius mundi, quo, s. nos iuuamur, quo bono carent damnati: quia vident se priuatos adiutorio & vtilitate omnium creaturarũ, sine omni refrigerio. Aliud est bonum internum, s. gratia, & virtutes, & dona spiritussancti: quibus etiam carent damnati & habent postea malos habitus vitiorum, qui eos cruciant ad modum vermium, vndè cuilibet dãnato potest dici illud Apoc. tertio. *Tu es miser & miserabilis & pauper*. Miser, Propter carentiam boni ęterni: miserabilis, proptet defectũ boni inteni; sed pauper, propter expoliationem omnis boni externi. Vndè & infernalis regio dicitur terra miseriæ & tenebrarum. Iob decimo. Secundo aggrauatur pœna damnatorum, ex cognitione mali quia scilicet optimè agnoscunt mala quæ patiuntur. Sed quare data est lux talis cognitionis misero damnato: certè in pœnam suam. Nam quãtò plus cognoscit homo malum suum tanto plus affligitur & dolet, quia dolor non est læsio sed læsionis perceptio: & ideò ignorantia mali diminuit de pœna. Licèt autem damnati sint obscurati corporaliter, tamẽ ad maiorem pœnam suam habent lumen intellectus: quo cognoscũt & bona quæ amiserunt, & mala quæ patiuntur Iob 12. *Producit in lucem vmbra mortis*. Tertiò, aggraueur eorum pœna ex duratione supplicũ, quia scilicet, data est misero damnato vita, scilicet indefi-

Apoc.3.

Iob.12.

indeficies. Vndè vt nunquam careant miseria, nunquam poterunt carere vita: libenter enim vellent mori, & non esse, vt tali pœna carerent. Licèt enim non esse per se non sit appetibile, tamen inquãtum esset ablatium tanti mali, haberet rationem boni & sic est appetibile. Vnde Apoc. 9. *Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Ps. 48. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Quarto aggrauatur eorũ pœna ex amaritudine interiori: quia in amaritudine animæ sũt. Tria enim peccata sũt quæ præcipuè consueuerunt in anima amaritudinem generare, s. odium inuidia & ira: & ista tria maximè sunt in eis. Habent enim damnati summum odium inter se, & ad Deum & sanctos: imò etiam patres ad filios, & è conuerso. Cruciantur etiam de inuidia, quam habent ad beatos, videntes eos esse in gloria inæstimabili. Cruciantur insuper de ira, quam habent contra Deum & sanctos, & etiam ad seipsos & semper sunt in maxima amaritudine animæ. Esa. 24. *Amara erit potio bibentibus illam.* Ezec. vigesimo septimo. *Plorabunt in amaritudine animæ.*

Apoc. 9. Psal. 48 Apoc. Psal. 24. Ezec. 27.

D TERTIO in thesmate assumpto, ponitur illud quod est afflictionis exclusiuum, scilicet *requies æterna*. Quandiu enim aliquid est in motu & labore, non quiescit, nec requiem habet. Vndè quia in mundo isto homo semper est in motu, quia nunquam in eodem statu permanet, & etiam in labore, quia homo ad laborem nascitur, ideò non habet hic requiem. Vnde Micheæ 2. *Surgite & ite: quia non habetis hic requiem.* Sed terminato omni motu & labore, vt in cælesti beatitudine, tunc erit perfecta requies. Apoc. 14. *Amodo iam dicit spiritus vt req. à la. suis.* Omnis enim laboriosus motus, videtur fieri propter aliquam indigentiam, vel fugiendi malum vel adipiscendi bonum. Sed in cælo non erit aliqua talis indigẽtia, vbi aberit omne malum, & aderit omne bonum, vndè cessabit laboriosus motus, & erit homo in opulenta requie. secundum illud Esa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ: & in requie opulenta.* Vndè & cœlum empyreum, quod est beatitudinis locus, vt sit conforme quieti beatorum, dicitur non moueri. Psalmo centesimo trigesimo primo. *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo,* &c.

Mich. 2. Iob. Apoc. 14 Esai. 32. Psal. 131

E Quartò notatur in themate assumpto, illud quod est afflictionis continuatiuum, scilicet languor perseruans, id est, diutina infirmitas: quia sicut illa grauat medicum corporalem, ita perseuerantia & diuturnitas peccati, offendit medicum cœlestem. Ecclesiast. decimo. *Languor prolixior grauat medicum.* Nam sicut dicit Hiero. Humanum est peccare, sed diabolicum est perseuerare. Et sicut languor breuis faciliter sanatur Eccli. 10. *Breuem languorem præcedit medicus: inueteratus autem difficiliter.* Sic à peccato citò resurgens faciliter purgatur; sed peccatum per consuetudinem inueteratum, difficiliter expiatur, vel corrigitur. Et ratio est, quia consuetudo est altera natura: & ideò per consuetudinem efficitur quasi innatũ. Et sicut dicit Seneca Quod innatum est, vel infixum, non tollitur, sed linitur. Sed quãuis per medicum corporalem non possit sanari omnis languor corporalis, tamẽ omnis languor peccati sanari potest per medicum cælestem, scilicet Deum. Deuter 7. *Auferet Dominus à te omnem languorem:* sed oportet primò adhibere medicinam pœnitentiæ Ecclesiast. 18. *Ante languorem ad*

Eccl. 10. Eccl. 10. Deut. 7. Eccl. 18.

bibe medicinam : quia per pœnitentiam acquiritur sanitas gratiæ & gloriæ. Ad quam nos perducat, &c.

In funere vnius robusti, qui statim moritur

SERMO XLIII.

Iob 21. ISTE *moritur robustus & sanus*. Iob 2.

Frequenter videmus quod illud, quod videtur robustius & fortius, citius deficit quã illud quod videtur debilius & infirmius. Sicut leo est fortior & robustior ceruo, & tamẽ minus viuit, & citius morte moritur naturali, quã ceruus: & fortior est falco quàm cornicula. Et lignum castanearũ videtur fortius quam lignũ palmæ. Ita aliquando qui videntur languorosi, diutius viuunt, quàm illi, qui videntur sani & robusti: vnde aliquãdo absque aliqua apparente infirmitate, tales qui vidẽtur sani & robusti, subito moriuntur ita vt de sua sanitate vel fortitudine, nullus considerare possit. Sic accidit etiam modò de isto nostro defuncto. Vndè dicitur in verbis propositis. *Iste moritur robustus & sanus*.

In quibus quidem verbis, tripliciter describitur talis defun- A ctus

Et primò, ex corruptione imminenti: quia *moritur*

Secundò, ex fortitudine præcedenti: quia *robustus*.

Tertiò, ex valitudine apparenti: quia *sanus*, saltem erat apparẽter licèt forte non existenter.

CIRCA primum aduertendũ est, quod repentina mala periculosiora sunt quàm præuisa: quia iacula præuisa minus feriunt: sicut Gregorius dicit. Et idcircò subitanea mors est valdè periculosa, quia in eo statu in quo homo inuenitur moriens, in eo iudicatur & semper manet. Et ideò dicitur figuratè Ecclesiast. vndecimo. *Si lignum ceciderit ad austrum vel ad aquilonem, ibi erit*. Et exponitur à Hieronymo & à Gregorio. Si lignum, id est homo, ceciderit per mortem in austrum id est in gratia finali: vel ad austrũ cadit, quãdò per mortem ab gloriam vadit: vel ad aquilonem, id est, in frigore malitiæ & peccati, vel ad aquilonem cadit, quando per mortem ad æternam supplicium ducitur. Et sequitur, ibi erit scilicet, immutabiliter. Hiero. Vbicunque locum tibi præparaueris futuramque sedem, siue ad austrum siue ad aquilonem: ibi cum mortuus fueris permanebis. Sed nota, quod ille dicitur mori subitò, qui mortem suam non præuidet cogitando, etiamsi quãtum ad tempus tardè moriatur, Et secundùm hoc multi peccatores subitò moriũtur & malè: quia finem suum præuidere neglexerunt: & de talibus dicitur Iob 34. *Subitò morientur, & media nocte curuabuntur populi, & pertransibũt*. In quibus verbis quidẽ verbis de malorum morte quatuor describit.

Primò eius velocitatem: quia *subito morientur*

Secundò eius obscuritatẽ: quia *media nocte*

Tertiò eius humilitatem: quia *curuabuntur populi*.

Quartò eius mutabilitatem: quia *pertransibunt*.

Primò ergò mali, & peccatores dicũtur mori subitò, quia scilicet improuisi & impræparati moriuntur. Et ratio est, quia tantum sollicitantur, & curant de his quæ pertinent ad vitam, quod negligunt cogitare, vel præuidere ea quæ spectant ad mortem: & ideò subitò, i. quandò non expectant, neque cogitant, ex diuina sentẽ-

tia superuenit eis mors: sicut aui quiescenti super arborem, ea non perpendente, superuenit percussio sagittæ. Figura huius habetur 1.Reg.25. de Nabal, qui interpretatur stulus, vel insipiens: quia dicitur ibi quod percussit dominus Nabal. & mortuus est, scilicet subitò. Esa 30. *Subitò dum non speratur veniet contritio eius*. Et ideò consulitur Eccl.5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, &c.* Et hoc faciendum est. quia post mortem remedium nō est. vndè Prouerb. 6. *Subitò conteretur, & non habebit vltra medicinam.*

Eccl. — Isa.30. — Eccl.5. — Prou.6.

Secundò describit beatus Iob in auctoritate adducta mortis obscuritatem, quia *media nocte*, i. in obscuritate cordis, sicut beatus Gregorius exponit, quia non habuerunt lucem considerationis & præuisionis ipsius mortis. Et notandum, quod obscuritas ipsius noctis, est ex interpositione terræ inter nos & solem. Et sic est obscurias in corde vsurariorum, & aliorum auarorum ex interpositione cupiditatis terrenæ, inter animam ipsorum & Deū. Et ideò Chrysostomus dicit, quod tenebræ animæ sunt diuitiarū cupido, & in tali tenebra moriuntur impœnitentes. Vndè dictum est illi diuiti Lucæ 12. *Stulte hac nocte*, id est in hac obscuritate, *animam tuam repetent à te*: quia dum in tēporalibus gaudere cogitabat cœca anima eius, rapta est ad ea quæ ignorabat. Contra quod dicebat Apostol 1. Thes.5. His qui iā terrena contempserant, & ad æterna bona per mortis prænisionem se præparabant. Iam non estis noctis neque tenebrarum, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. Dies enim illa, scilicet mortis, illos tamquam fur conprehendit, quos improuisos & impræparatos inuadit, & ad æterna supplicia rapit.

Luc.12

Tertiò describit beatus Iob mortis humilitatem. quia *curuabuntur populi*. Qui enim viuentes curuari, id est, humiliari ad pœnitentiam noluerunt voluntarii, humiliati per mortem diuinæ sententiæ, curuantur inuiti: sicut taurus indomitus qui refugit collum subdere iugo, humano studio subdit ei nolens. Et talis sic curuatus & humiliatus, potest dicere illud Psal.37. *Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem.* Psal. 37

Quartò describit beatus Iob in auctoritate adducta mortis mutabilitatem quia *pertransibunt*. Secundùm Gregoriū aliud est transire, aliud pertransire; quia transimus viuendo sed pertransimus moriendo. Ipsa enim vita nostra continuè transit ad mortem. Sap. secundo. *Vmbra transitus est tempus nostrum.* Primus enim homo sic cōditus fuit, vt staret: & ideò ipse stabat tempore transeunte: sed postquam ipse peccauit & Deum offendit, factus est transiens cùm tempore Et sic etiam nos de eius vitiosa radice propagati, sic transimus cum tempore, scilicet, de infantia ad adolescentiam, & indè ad iuuentutem, & de iuuentute ad senectutem: & indè ad mortem. Sapien. 2. *Transiet vita nostra tamquam vestigium nubis.* Sed in morte dicimur pertransire. Psal 102. *Spiritus pertransibit in illo, & non subsistet.* Ipsa enim mors dicitur pertransisse, Rom. 5 *In omnes homines mors pertransiet*, s. ab Adam.

Sap. 2. — Ps. 102. — Rom. 5

SECVNDO in themate assumpto describitur homo defunctus, ex fortitudine præcedenti: quia *robustus*. Vbi aduertendum, quod aliquis potest dici robustus vel à robore corporis, vel à robore mentis Robur autem corporis non est virtus licèt posset esse instrumentum virtutis, si aliquis

benè vtatur eo, scilicet ad actum virtutum. Sed aliquandò contingit, quod qui plus habet de robore corporis, magis deficit in virtutibus animæ. Vndè Samson qui non vincebatur ab hoste, vincebatur tamen à meretrice de voluptate carnis. Vndè tale robur scilicet corporis tantum, non sufficit ad solamen animæ verò aliquando impedit eam, vt cum

Amos. 2 homo vtitur eo in fraudem. Vnde dicitur. Amos *Robustus non saluabit animam suam:* quamuis etiam exponatur de anima, id est, de vita corporali, quæ ab anima est: quam etiam robustus saluare non potest: quia quantumcunque robustus, non potest finaliter resistere morti. Secundò potest dici aliquis robustus, à robore mentis, quod differt à robore corporis, quia frequenter illi qui sunt imbecilles corpore, sunt robusti corde & mente & ad hoc robur multum valet sapientia & doctrina: quia vir sapiens, & doctus, videt vbi timendum est, vel

Prou.24 non: & ideò non timet vbi non est timendum. Propterea dicitur Prouerb. 24. *Vir sapiens fortis est, & vir doctus, & robustus & validus.* In quibus quidem verbis tangitur triplex virtus hominis sapientis.

Nam primò quidem vir sapiēs habet virtutem cōtemnendi prospera: & ideò dicit quod *fortis est.* Et ratio est quia sapientia illuminans intellectum, facit virtutes, & bona spiritualia apparere amabilia, & appetibilia: sed voluptates & prospera huius mundi, facit apparere contemptibilia & mortifera. Et ideò facit animum fortē ad contemnendum ea. Quamdiu enim ferrum manet frigidum, est forte & non potest faciliter plicari: sed quandò in igne calescit emollitur & plicatur: & saxum quia durum & forte est, nō emollitur aqua. Sic, quamdiu cor non incalescit igne auaritiæ, est forte ad contemnendum terrena. Animus etiam quando facit sapere spiritualia, facit despicere carnalia quia gustato spiritu desipit eum caro: & faciendo etiam percūctare æterna, facit contemnere temporalia cum considerantur æterna. Et ita facit animum fortem ad contemnendum talia. Iob. cap. 9. *Si sapiens corde est, & fortis robore.* Iob 9

Sapiens ad discernendum noxia, & fortis ad contemnendum ea, qui frequenter appetitus ad talia vehementissimè inclinat: quia sicut dicit Augustin. Aliquandò etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat: & ideo requiritur fortitudo animi ad vincendum talem appetitum, scilicet, delectationem carnis vel mundi.

Secundò verò vir sapiens ostēditur habere virtutem tolerandi aduersa cum dicitur, *vir doctus*, scilicet à Domino *robustus est*, scilicet ad tolerandum aduersa. Et benè dicit *doctus*, patienter Verbo quidem cum dixit: Matth. 5. Matt.5

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum &c. Exemplo verò cum dixit Io. Ioan.15

26. *Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequētur.* Psal. 1. Psal.

Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, sicut ille qui docet dimicare. Hoc bellum per patientiam & bona opera vincitur. Et ideò sicut dicit Augustinus. Perfectio Christianitatis est bona facere, & mala pati: & talis est fortitudo & robur, quo peruenimus ad vitam æternam. In cuius figuram dixit Moyses Iosue Deut. 31. Confortare & esto robustus. Deut.31

Tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum iurauit Dominus: quę terra vitam æternam figurabat: Robustus

bustus

bustus autem pugnat miles, qui expectat de victoria ditari: sic debet homo robustus contra aduersa pugnare per patientiam: vt acquirat æternas diuitias. Vndè Pro. 11. *Robusti habebunt diuitias.*

Prou. 11. Robusti scilicet in virtutibus, habebunt in futuro diuitias æternas; quæ solæ verè diuites faciūt. Prou. 12 Prouerb. 21. Cogitationes robusti semper in abundantia.

Tertiò quoque sapiens ostenditur habere virtutem vincēdi tentationum certamina: & ideò dicitur, validus, quasi valens contra omnium tentationū genera. Terra quæ est benè munita, & de victualibus prouisa interius, & benè murata exterius, est valida ad resistendum hostibus. Sic anima quæ est plena interius diuitijs virtutum, & est clausa benè exterius bona & diligenti custodia sensuū, Prou. 18 est valida ad resistendū omnibus tentationibus. Vndè Prouer. 18. *Substantia diuitis vrbs roboris eius: & quasi murus validus circumdans eum.* Itèm per sensus non ingrediuntur ad animan, nisi imagines rerum, i. fantasmata, & species, siue similitudines earum: quæ quasi validè conteruntur, quandò malæ tentationes benè repelluntur 4 Reg. 11. Imagines, s. Baal. id est diaboli contriuerunt validè: hæ imagienes sunt tentationes & illusiones diaboli, quæ cōteruntur.

TERTIO in themate assumto describitur defunctus ex valitudine apparenti: quia *sanus*, scilicèt videbatur apparenter, quādò mortuus est: vel existenter erāt, si occisus fuit ab aliquo. Vndè sanitas corporis subitò potest perdi, siue ex vulnere, seu percussione hominis, siue ex percussione Dei, & aliqua infirmitate subitò immissa. Vndè Hierem. 14. Hier. 14 *Percusisti nos ita vt nulla sit vltra sanitas*; vndè magis debet homo curare de sanitate animæ, quā tamen homo habere non potest, nisi expellatur egritudo peccati, per medicinam pœnitentiæ, & purgationem confessionis Sed sicut non valet mortuo medicina corporalis, sed solùm viuenti: sic nec medicina pœnitentiæ valet post mortem. Et ideò dicitur Eccles. Eccl. 17. decimo septimo. *Viuus & sanus confiteberis*. In quibus verbis tanguntur tria.

Primò tempus apertum pœnitentiæ, quod est in vita præsenti: cum dicitur, *viuus*.

Secundò pœnitentiæ commoditas: quia *sanus*.

Tertiò pœnitentiæ necessitas cum dicitur, *confiteberis*.

Circa primum attendendum est quòd optimum tēpus ad pœnitentiam, & ad peccari confessionem est dum homo viuit. Nā putatio arboris, quæ fit ad remouendum ramusculos superfluos, quæ possent impedire arboris augumentum vel fructum, non prodest arbori ad fructum vel augmētum, nisi quandiu arbor viuit: sed postquam succisa, vel arefacta est, non prodest. Confessio ergò peccatorum, quæ est sicut quandam putatio, per quam cum gladio linguæ amputantur peccata quæ impediunt fructum & profectum salutis, facienda est dum homo viuit, id est antè mortem quia mortuus confiteri non potest. Vndè Ecclesiast. decimo Ecc. 17 septimo. *Antè mortem confitere: à mortuo enim quasi nihil perit confessio.* Et ratio est, quia confessio ad expiationem mortaliū peccatorum, quia de venialibus, quæ possunt remitti per solam contritionem interiorem, non tenemur de necessitate confiteri, neque de necessitate absoluta, quia sic nec de eis pœnitere tenemur: quia illa tenetur homo facere de necessitate absoluta, sine quibus non est salus, & ideò sic non

tenetur homo ad pœnitentiam peccati venialis, cum ex hoc mortem non incurrat, nisi forsitan ex contemptu dimittat. Nec etiam tenetur ad confessionem venialium de necessitate, quæ est ex suppositione finis, scilicet remissionis eorum; quia etiam sine cōfessione vel actu, vel voto existēte, possunt venialia remitti: quāuis perfectionis sit venialia confiteri. Quia igitur confessio fit ad expiationem mortalium peccatorum, & mortalia peccata post mortem expiari non possunt, licet venialia possunt in purgatorio expiari: ideò confessio peccatorum fieri debet antè mortem, scilicet à viuente. Vndè Eccl. 17. *Confiteberis viuens.* Eccl. 17.

Secundò in auctoritate adducta tangitur pœnitendi commoditas, quæ est dum homo est sanus, quia tunc potest sine impedimēto confiteri, si vult. Aliquandò autem infirmus non potest sanus fieri sine auxilio medicinæ. Et sic peccator non potest habere sanitatem gratiæ, sine auxilio pœnitentiæ. Figura huius habetur Ioan. 5. vbi legitur, quod erat Hierosolymis probatica piscina quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, & isti erant incurabiles propter diuturnitatem morbi. Itèm cæcorum, claudorum, & aridorum: & isti erant incurabiles propter naturam morbi. Sed qui primus descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Ista piscina est pœnitētia, quinque autem porticus sunt quinque pœnitentiæ opera, quæ sunt contritio, confessio, carnis afflictio, eleemosyna, & oratio: & vltima tria pertinent ad satisfactionem, & tunc commouetur illa piscina, quandò peccator diuina gratia mouetur ad faciendum hiuiusmodi opera, vel fuit mota in passione Christi, in cuius virtute pœnitentia operatur salutē. Languidi ergò sunt assueti, & inueterati in peccatis. Cæci sunt per ignorantiam peccantes. Claudi qui bona nolunt operari. Aridi vero sunt terreni, qui sunt sine pinguedine deuotionis & charitatis: sed tamen omnes sanantur virtute pœnitentiæ. Sed postquā infirmus sanatus est, adhuc indiget custodia, & cautela ad conseruandam sanitatem: & oportet quod abstineat à nociuis. Et sic post pœnitentiam oportet cauere à peccatis, & occasionibus peccatorum. In cuius figuram Dominus Ioan. 5. dixit paralytico curato. *Ecce sanus factus es: iam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat.* Ioan. 5.

D Tertiò autem in auctoritate adducta, tangitur pœnitendi necessitas: cum dicitur: *confiteberis.* Nam si ille qui habet vulnera vult ea curari & sanari, oportet quod ea detegat medico. Et sic oportet detegere peccata medico spirituali, id est, sacerdoti, per confessionem. Anselmus. Peccata si celantur, sunt insanabilia Iac. 5. *confitemini alterutrū peccata vestra.* Vndè dicit glo. quod loquitur de confessione mortalium, & venialium sed maiora, scilicet mortalia, solis sacerdotibus, sed leuiora sociis confiteri possumus: sed de mortalibus est præceptum, de venialibus verò consilium. Nota quando apostema conuertitur ad exteriora, possibile est ad sanitatem venire: sed quandò conuertitur ad interiora, & in eis crepat, signum est mortis corporis. Sic peccatum absconditum, causa est mortis æternæ: conuersum verò exterius, & manifestatum per confessionem, spiritualis sanitatis est indicium Prouerb. 28 *Qui abscondit scelera sua non dirige-* Iac. 5. Prou. 28

tur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea misericordiam consequetur. Et exponitur. Qui abscondit scelera sua confessori suo, non dirigetur, scilicet ad Dominum. Vndè abscondere scelera sua, est abscōdere latrones in domo sua: vel est abscondere ignem in sinu, vel est bellum conscribere pro aduersario contra se in die iudicij, quia secundùm quod in corde vniuscuiusque scriptum inuenietur, sic iudicabitur. Sequitur: *qui autem confessus fuerit*, scilicet ei qui potest absoluere. Confessus fuerit dico verè, purè, integrè, & spontaneè: sequitur, *& reliquerit ea*, scilicet voluntariè & opere: *misericordiam consequetur*, id est, veniam de peccatis & gloriam de pœnitentia. Ad quam nos perducat, &c.

In morte vnius sancti viri.

SERMO XLIIII.

Prou. 14. *Sperat iustus in morte sua* Prou. 14.

Quandò agricola benè coluit agrum suum, scilicet arando & 1. Cor. 9. seminando: habet spem in messe futura. 1. Cor 9. *Debet in spe qui arat arare: & qui triturat in spe fructus percipiendi.* Sic iustus qui benè purgauit animam suā, & bonorum operum semina multa misit: debet sperare bonam messem, id est bonam mercedem. Nā tempus laboris est tempus vitæ, Iob 5. quia *homo ad laborem nascitur*, vt dicitur Iob. 5. sed tempus messis Gal. 6. est tempus mortis. Vndè dicitur Gal. 6. *Bonum facientes non deficiamus, tempore autem suo metemus nō deficientis*: & ideò dicitur in verbo A proposito quod *sperat*, &c.

In quibus quidem verbis, circa virum iustum & bonum, cuiusmodi fuit iste defunctus, tria describuntur.

Nam primò ponitur illud, quod est infirmitatis confortatiuum. s. spes: vndè dicitur, *sperat*.

Secūdò verò ponitur illud, quod est voluntatis directiuum s. iustitia. Vndè subditur, *iustus*.

Tertiò illud, quod est fęlicitatis allatiuum, scil. mors: cū additur. *in morte sua.*

CIRCA primum attendendum, quod spes hominum mundanorum & peccatorum, mendax est, quia ponunt spē suam in his, quę mentiuntur eis: nam mentiri est contra mentē ire & talia contra mentem eorum vadunt. Ponunt enim quidem spem suam in humana potentia, sicut reges & principes mundi, & qui in eis cōfidunt: credentes in tali potentia conseruari & defensari. Sed quia humana potentia fragilis est, & citò deficit, vel quia violēter tollitur, quia vnus deiecit aliū, sicut Nabuchodonosor deiecit Arfaxat regem Persarum & Medorum, qui gloriabatur quasi potens in potentia sua, & in gloria quadrigarum suarum. Et ipse Nabuchodonosor pugnauit contra eum: & obtinuit. Iudith 1. Sic Alexander deiecit potētiā Darij regis persarum, & Medorum, & omnium aliorum orientalium regū. quia constituit prælia multa, & obtinuit omniū munitiones, & interfecit reges terræ, vt habetur 1. Mach. 1. vel etiam deficit humana potentia, quia per naturalē mortē hominis terminatur. & ideò assimilatur baculo arundineo, qui frangitur dum eius fortitudini quis innititur, & facit ruere innitentem, & aliquando ledit manū eius, Et sic humana potentia & fortitudo, plerumque mentitur & fallit: quia vndè credit stare, indè ruit, vndè credit saluari, indè periclitatur is qui in ea confidit. 4. Regum 18 Re... 2. In quo confidis vt audeas rebel-

lare : an speras in baculo arundineo atque cōfracto Ægypto, super quē si incubuerit homo cōminutus ingreditur manum eius, & perforabit eam Sic est Pharao rex Ægypti omnibus, qui confi-

Esa. 30. dūt in eum. Esa 30 Superantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti. i. in potentia sæculi : & erit vobis fortitudo Pharonis in confusionē: & fiducia vmbræ Ægypti in ignominia. Quidam verò ponunt spem suam in mundi abundantia, id est in copia diuitiarum, quæ etiam fallax est & mētitur: quia credit homo in eis inuenire quietē, & inuenit magnā inquietudinē, sperat inuenire in diuitijs omnē sufficiētiā, & inuenit multiplicem defectum; sperat habere in eis vitā felicē, & incurrit mortē infelicē. Sic accidit diuiti epuloni. Luc. 16. Quia mor-

Luc. 16. tus est diues & sepultus est in inferno. Sic accidit alteri diuiti qui dicebat Luc. 11. Destruā hor-

Luc. 12. rea mea & maiora faciam, & illic congregabo omnia quæ nata sunt mihi & bona mea: & dicā animæ meę. Anima habes multa bona, &c. Sic est qui sibi thesaurizat, & nō est in Deum diues. Propterea dicebt Apostolus. 1. Timot. 6. Diuitibus huius sæculi præcipe non

1 Tim. 6 sublime sapere, nec sperare in incertum diuitiarum. Eccl. 31. Beatus diues qui inuentus est sine

Eccl. 31. macula, & qui post aurum non abiit nec sperauit in pecunia, & thesauris. Quidam verò alii sunt, qui confudunt in humana sapientia, sicut Philosophi confidebāt de scientia & sapientia sua, credētes per eam se inuenisse omnes veritates, & tamen in pluribus errauerūt: qui dicentes se esse sapien-

Rom. 1. tes stulti facti sunt. Rom. 1. Omnes ergò qui ponunt spem suam in huismodi mundanis & caducis finaliter inuenientes sed deceptos, dicent illud Esa. 28. Posuimus in mendacio spē nostram: sed Esa.
iusti qui ponunt spē suam in Deo, non decipiuntur, neque confunduntur. Eccl 2. Nullus sperauit in Eccl.
illū, & cōfusus est. Sed spes iustorum confortat infirmitatem & debilitatem eorum, & maximè in aduersis faicit eos patientiam habere, vndè dicitur. Ro. 8. Quod nō Ro.
videmus speramus & per patientiā expectamus: sed & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. In quibus quidem verbis tria de spe iustorum ponit Apostolus

Primò, tangit ipsius spei obiectum, cum dicit, quod non videmus speramus, scilicet æternam beatitudinem.

Secundò, describit spei effectū, quia faicit patienter expectare, & ideò subdit; per patientiam expectamus.

Tertiò addit sperantium auxilium: quia spiritus aiduuat infirmitatem nostram.

Circa primum notandum, quod B
spes communiter est de eo quod nō videtur. Et ratio est; quia spes propriè dicitur esse non de præsēti sed de futuro. Vndè sicut timor est de futuro malo, ita spes de futuro bono. Et quia istud quod futurum est nondū est; ideo nondum apparet neque adhuc in se videtur. Sed, quia futura præexistunt in suis causis, ideò vidēdo apparere causas præsentes, speramus de effectibus futuris: sicut videndo nubes densari in aere, speramus habere pluuiam; & videndo semina benè nata in agro, speramus de futura messe. Et sic ex his quæ videmus: speramus ea quæ non videmus : quæ scilicet meliora sunt quam ea quæ videmus, sicut pluuia melior quam nubes, & messis melior quam sementis. Sed quasi condensæ nubes sunt tribulationes præsentis vitæ: quæ quidem etsi lumen so-

lis

lis intercipiant quoad terrestria, nō tamen quoad cęlestia: quia in terrenis & peccatoribus, ex ipsis tribulationibus lumen rationis offuscatur, & tollitur per impatientiam & iram. Sed viri iusti & cælestes, semper lumen rationis habent clarum: quia per patientiam & mansuetudinem, perturbationes tribulationum ad orbem rationis ascendere non permittūt: vndè ex eorum nubibus, id est, ex eorum tribulationibus, oritur pluuia, id est infusio inuisibilis gratiæ & interioris refrigerii, quæ facit fructificare eorum terram, id est eorum vitam. Idem ex seminibus eleemosynarum, & aliorū bonorum operum quæ faciunt: sperant colligere fructum æternæ beatitudinis vbi sunt bona æterna. Hoc est ergò quod non videmus, & tamen speramus, scilicet æternam beatitudinem, quā recepturi sumus: non solùm ex bonis quæ facimus, sed etiam ex malis quæ patimur. Et licèt illius beatitudinis bona quæ speramus, sint modò inuisibilia, meliora tamen sunt omnibus quæ videmus quia ista temporalia, illa æterna.

2.Cor. 4. Vndè dicitur 2. Cor. 4. *Illud quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna:* & talium inuisibilium est spes.

Rom. 8. Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes: nam quod videt quis quid sperat?* Secundò in auctoritate adducta ponitur effectus spei, quia quamuis bonum quod speretur differatur, tamen facit illud patienter expectare: & ideo dicit *per patientiam exspectamus*. Agricola enim non stans post sementem colligit fructum, sed patienter expectat vsq; ad tempus messis vel vindemiæ. Vndè Iac. 5.

Iac. 5. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & cōfirmate corda vestra: quoniam aduentus Domini appropinquabit.* Quilibet enim nostrum agricola est, & habet colere agrum cordis sui. De quo Aug. Cor nostrum ager Domini est, excolamus eū cælestibus disciplinis. Fructus autem, quem patienter expectare debemus, est præmium æternæ gloriæ: sed temporaneus fructus erit gloria animę, serotinus erit gloria corporis in resurrectione. Quandò medici dant potiones amaras, vt facilius sumantur admiscent zuccarū vel aliud dulce. Sic Dominus amaritudini & tristitię præsentiū tribulationū, admiscuit gaudium spei æternorū bonorū vt patientius tolerentur.

Rom. 12. Vnde Ro. 12. *Spe gaudentes: in tribulatione patientes.* Tertiò quoque in auctoritate adducta addit Apostolus sperantiū auxiliū: cum dicit: *Sed & spiritus adiuuat infirmitatē nostrā.* Ita enim est de anima sicut de gallo super cāpanili, qui mouetur ad omnem vētū, quia nō est firmiter situatus. Ita certè anima, quæ est sine gratia spiritus sancti, est instabilis, & obedit cuilibet tentationi: vndè est sicut homo qui est in ianuis mortis, qui non potest resistere morbo, quia natura nimis debilitata in ipso, & oportet ipsū reuoluere de lecto in lectum. Ita certè anima, sine spiritus sancti gratia nō potest resistere morbo peccati, sed per peccatū debilitatur & voluitur de lecto in lectū: de peccato cogitationis in delectationē: & de delectatione in consensum; & inde in operationē, & indè in consuetudinē! sed spiritus sanctus adueniens, dat animæ vigorē resistendi peccatis, nec potest ibi diabolus aliquid accipere, quia benitus est,

nitus est, nec oculum ad malè videndum; nec os ad malè loquendum; nec manum ad malè operandum: nec cor ad malè appetendum. Eph. 3. ca. *Det nobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine.* Nota quod benè indigemus adiuuari, quia caro concupiscit aduersus spiritum: & spiritus aduersus carnem. Vndè si facimus mala, spiritus non vult: si bona, caro repugnat. Sed ex quo ista contrarietas in vna persona inuenitur? Responsio. Caro est natione terrestris, & delectando generatur: spiritus cęlestis, quia à Deo corpori infunditur, & quilibet trahit ad suam naturam: vnde caro trahit ad delectationes inferiores, scilicet ad auaritiam, superbiam, gulam, & ad carnis illecebras, nullum facit bonum trahēs ad inferiora, sed spiritus trahit ad superiora. Ideo Rom 8. *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verè secundùm spiritum sunt, quæ spiritus sunt sentiunt, & ideò quicunque spiritu Dei aguntur hi filij sunt Dei.*

Eph. 3.

Rom. 8.

C SECVNDO ponitur in themate assumpto illud, quod est voluntatis formatiuum: cum dicitur, *iustus.* Nam iustitia, sicut dicitur in principio Digestorum, est cōstans & perpetua voluntas, ius suum vnicuiq; tribuens. Sed notandum, quod iustus quam diu viuit, multas augustias patitur, quia multæ tribulationes iustorum: sed tandem per mortem ab omni angustia liberatur. Et tūc verè potest dici illud Prou. 11. *Iustus de angustia liberatus est.*

Prou. 11.

In quibus quidem verbis describuntur de ipso tria.

Primum est constantia, quā habuit: quia *iustus.*

Secūdum est pęna, quam sustinuit: cum subditur: *de angustia:*

Tertium est gratia, qua recepit quia *liberatus est.*

Circa primum attendendū est, quod in hoc apparet constantia hominis iusti, quia propter nullā causam declinat, vel diuertit à iustitia, scilicet nec à iustitię modo, nec à iustitię specie, nec à iustitię ordine: hæc enim tria sunt, quę in omni re requiruntur, scilicet modus, species, & ordo. Sunt autem primò quidem, qui diuertūt à iustitię modo, sicut illi, quibus deest modestia discretionis. Quod fit duobus modis. Vno modo, quandò iustitia est diminuta, videlicet quandò magna dimittunt, & faciūt vim de modicis. Et talis erat iustitia Scribarum & Pharisæorū qui decimabant mentam, & anetum, & cyminum, relinquebant quæ grauiora sunt legis, iustitiam scilicet & fidem. Talis est etiam iustitia eorum, qui maiorem vim faciunt in obseruantia consiliorum, quam mandatorum; vel in obseruantia constitutionum, quā regularium votorum. Exemplum de moniali quę maiorem vim faciebat in fractione silentij, quam virginalis claustri. His ergò dicitur Mat 5. Nisi abūdauerit iustitia vestra, plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Secundo receditur à modo iustitiæ, quandò excedit aliquis per indiscretum feruorem. Contra quod Eccl. 7 dicitur. Noli esse iustus multum: neque plus sapias quam necesse est. Et de hoc etiam intelligi potest illud quod ibi sequitur. Iustus perit in iustitia sua: scilicet alios iudicando indiscretè, & hoc est iustorū, qui facta vel peccata aliorū aggrauant, & sua alleuiant. Item iustitiam indiscretè exercendo. Exemplum de illis, quibus dixit sanctus homo, quod benè pertingeret Romam si non festinaret: & de illo qui putauit se esse de numero angelorum, & audiuit

Mat. 5.

Eccl. 7.

quod erat de numero asinorum, ibat enim quatuor pedibus in signum humilitatis, propter hoc cũ dixisset Ps. 10. Iustus Dominus & iustitias dilexit: statim addit: æquitatem vidit vultus eius: æquũ enim est quod in nullam sui partem excedit. A debita verò specie iustitiæ diuertit, cui deest debita forma disciplinæ, quod fit duobus modis. Vno modo quandò facit aliud quam illud quod facere debet, sicut faciunt singulariter viuentes in cõmunitate: de quibus dicitur. Rom. 10. Ignorantes Dei iustitiam & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Nota iustitiam Dei, quæ debet esse in nobis per humilitatem & obedientiam: de qua Matth. 4. Sic decet nos implere omnem iustitiam: sed isti singulares non debent esse in paradyso cũ alijs, qui nolunt illum mereri cum alijs. Alio modo deest debita forma disciplinæ, quando quis facit quod debet, sed alio modo quam debet: quia debet quisque obedire humiliter. Iuxta illud Lu. 17. Cum feceritis omnia quę pręcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus quod debuimus facere fecimus. Sed alium modum apponunt qui de suis operibus gloriantur, similes gallinis, quæ de vno ouo faciunt multum clamorem. Nota exemplũ de Pharisęo Luc. 18 quod publicanus descẽdit iustificatus ab illo, & non ille. His dici potest illud Amos 6. Conuertistis fructum iustitię in absinthium.

Psal. 19
Rom. 10
Matt. 4.
Luc. 17.
Amos 6.

A debito autem iustitię ordine declinat, cui deest recta intentio: debet enim intentio opus ordinare. Sed ista declinatio fit duobis modis. Vno modo, quando non fit ex donatione, sed ex coactione: sicut quandò non audet, vel non potest aliud facere. De quo Eccles. vigesimo. Est iustus qui se nimium submittit à multa humilitate: & sequitur. Et si præ inopia: alias ab imbecillitate virium veretur peccare: si inuenerit tempus malefaciendi malè faciet. Horum simplicitas est, sicut simplicitas vulpis captæ, quæ cum soluitur, statim currit ad gallinas: tales deberent semper suppeditari, quia in eis honores non mutant, imò monstrant mores. Alio modo quandò fit ex affectu sed inordinato, vt quando fit propter humanã laudem. Matt 6. Attendite vobis ne faciatis iustitiam vestram corram hominibus vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cęlis est. Iustus ergò qui non declinat à modo, vel specie, vel ordine iustitiæ, semper tenet viã suam rectam, secũdùm illud Iob 16. Tenebit iustos viam suã. Secundò tangitur pœna quam sustinet iustus dum viuit, quia frequenter est in angustia. Tangitur enim homo iustus ex omni parte dum viuit, scilicet ex parte posteriori, vel ex motu culpæ præteritæ ne forte sit remissa, vel vitæ suæ pręteritæ, ne fuerit benè deducta. Itèm ex parte anteriori: quia nescit homo finem suum. Eccl. 9. Itẽ ex parte dextera & sinistra, quia nescit homo vtrũ amore an odio dignus sit. Ibidem in principio. Nam odium Dei ad sinistrã, amor vero ad dexterã perinet. Et ideo dicere cogitur illud Dan. 13 *Angustiæ sunt mihi vndique* Psal 118. *Tribulatio & angustia inuenerunt me*. Tribulatio ab exteriori: angustia ab interiori.

Eccl. 20.
Mat. 6.
Iob. 16.
Dan. 13.
Ps. 118.

Tertiò notatur in auctoritate adducta, gratia quã recepit: quia liberatus est. Vbi notãdum, quod consueuit homo se liberare à periculis corporalibus, aut sensu, aut prece, aut precio, aut emẽda. Sic etiam liberatur homo iustus

ab anguſtijs & periculis vitæ hu-
ius, ſcilicet aut ſenſu circumſpe-
ctionis, aut verbo ſupplicationis,
aut dono erogationis, aut emen-
dæ ſatisfactionis. Senſu quidem
circumſpectionis, quia quandò
videt homo ſenſatus & ſapiens
locum, vel ſtatum in quo præſen-
tit alijs periculum imminere: tūc
facit & dimittit illū, & vadit ad
tutiorem locum vel ſtatum. Et ſic
facit ille qui fugit peccatum, &
vadit ad pœnitentiam: vel qui fu-
git ſæculum & vadit ad clauſtrū,
vt euitet peccati vel ſæculi nau-
fragium. Figura huius habetur in
Sap. 10. Loth: de quo dicitur Sap 10. *Sa-
pientia iuſtum à pereuntibus impijs
liberauit deſcendente igne in penta-
polim.* Idem ſapientes & ſenſati
viri, quando vident ſe obſeſſos
aliquandò nauigio declinant in-
ſidias obſidentium Tanquā enim
mare eſt mundus, obſidentes au-
tem ſunt demones, animas remi-
gum tanquam pyratæ quidam in-
uadentes. Sed ſapientes ad nauem
pœnitentiæ vel religionis fugi-
unt: & ad portum ſalutis tutius
Sap. 14. veniunt. Sap.14 *Exiguo ligno cre-
dunt homines animas ſuas, & tran-
ſeuntes mare per ratem liberati ſunt.*
Et ſicut interdum pyratæ proijci-
unt ignem poſt fugientes, Sic &
dæmones ignem aduerſitatis vel
tentationis, poſt fugientes pecca-
tum vel ſæculum: ſed Dominus
ad portum ſuum confugientes
perire non ſinit. Eccl. 51. *Liberaſti*
Eccl. 51. *me ſecundum multitudinem miſeri-
cordiæ nominis tui: à rugiētibus præ-
paratis ad eſcam, de manibus quærē-
tium animam meam: & de portis tri-
bulationum quæ circumdederunt me:
à preſſura flammæ quæ circundedit
me, & in medio ignis non ſum æſtua-
tus.* Item liberauit iuſtus prece
ſeu verbis ſupplicationis, ſicut ſi
reus poſſet ſe liberare ſupplici
prece de manu iudicis, qui vellet
eum punire, non negligeret face-

re: & ſic iuſti, etſi aliquandò de-
linquunt, & Deum ſe offendiſſe
metuunt, ſupplici prece eum pla-
care ſatagunt, vt ab eius ira libe-
rentur. Vndè Prou 12. *Os iuſtorum* Prou.
liberabit eos: & licèt Deus non ſta-
tim exaudiat: finaliter tamē exau-
dit aſſiduè orantem. Eccl. 51. *Lau-* Eccl.
*dabo nomen tuum aſſiduè, & exaudi-
ta eſt oratio mea, & liberaſti me, &c.*
Itèm liberatur iuſtus dono largi-
tatis, ſcilicet eleemoſynarū. Ni-
hil eſt quod homo non daret, vt
liberaret ſe de manu Saraceno-
rum: quanto magis de manu dæ-
monum, Prou.6. *Omnem ſubſtan-* Prou.
*tiam domus ſuæ tradit, & liberabit
ſe.* Nihil etiam eſt quod nō daret
homo pro euaſione mortis tem-
poralis: quandò magis pro euaſio-
ne mortis æternæ vel ſpiritualis
debet eleemoſynas dare. Tob 4.
Eleemoſyna à peccato, & à mor-
te liberat. Itèm liberatur iuſtus
per emendam ſatisfactionis, quæ
emenda iuſtitia vocatur. Prouer.
10. *Iuſtitia liberabit à morte: Deus* Prou.
enim non iudicat bis in idipſum vn-
dè cum homo ſeipſum iudicat in
curia propria, liberabitur in curia
diuina. Prou. 11. *Iuſtitia rectorum* Prou.
liberabit eos.

D.

TERTIO in themate aſſum-
pto tangitur illud, quod eſt feli-
citatis allatiuum, ſcilicet mors
iuſti, cum dicitur, *in morte ſua*, per
quam ſcilicet tranſit iuſtus ad æ-
ternam fœlicitatem. Sperat ergò
iuſtus in morte ſua, quia per eam
à corporis carcere educitur: ab
omni labore eximitur, & ad æter-
næ vitæ requiē introducitur. Pri-
mò enim carcer corporis, licèt ſit
& bonis & malis anguſtioſus, &
pœnoſus: tamen differentia eſt in
exitu, quia ſicut dicitur Eccl. 4.
de carcere cateniſque interdum
quis egreditur ad regnum, & in-
terdum ad ſuſpendium. Vndè
quia iuſti & ſancti viri, cum de
carcere corporis vel vitæ præſedē

tis egrediuntur, vocantur ad regnum cœleste, ideò multum gaudent de morte. Et propterea dicebat Psalm. 141. *Educ de labore animam meam*: & ideò dolent de prolongatione vitæ, sicut idem Psal. 99. dicebat. *Heu mihi quia Ecolatus meus prolongatus est.* Sed mali per mortem vadunt ad suspendium damnationis æternæ, & ideo sicut ille qui dū suspenditur pro maleficio, quod commisit nunquam vellet audire, veni foras: ita peccatores numquam vellent mori, quia dictat eis conscientia, quod propter mala quæ commiserunt, digni sunt morte æterna. Et ideò studeant quantum possunt, domum seu carcerē corporis conseruare, cum cibis, & vestibus, & delectationibus, vt non ruant & compellātur exire: & ideò in eis amara est etiam ipsius mortis memoria, secundum illud Eccl. 41. *O mors quam amara est memoria tua.* Et ista talis differentia, quæ est inter exitum bonorum & malorum à carcere corporis, fuit figuarata Gen 40. in pincerna, & principe pistorum Pharaonis: quorum alter, scil pincerna id est iustus post triduum, s. natiuitatis vllæ & mortis, fuit restitutus pristinæ dignitati. s. ad quam primitus homo creatus est: alter verò, scilicet pistor, figurans ipsum post triduū mali consensus, & mali operis, & malæ consuetudinis, eductus à carcere corporis suspēsus est, suspendio æternæ damnationis. Et in vtroque. s. tam in iusto quam in impio, apparet bonum & æquum iudicium mortis. Eccl. 41. *O mors quam bonū est iudicium tuum.* Itèm per mortē homo iustus ab omni labore eximitur: vndè sicut mercenarius præstolatur finē operis sui, vt requiescat: ita vir iustus expectat mortem, vt requiescat à suis laboribus. Iob 14. *Donec optata veniat, & sicut mercenarij dies eius.* Apoc. 14 *Beati mortui qui in Domino moriuntur, &c.* Itē iustus per mortem suam ad vitę æternę requiem deportatur. Hoc figuratum est Lucæ 16. in Lazaro mendico: de quo dicitur. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ,* per quam æterna requies iustorum figuratur. Ad quam nos, &c.

Ps. 141. Ps. 99. Eccl. 41. Eccl. 41. Iob, 14. Apoc. 14 Luc. 16.

In funere vnius libenter morientis.

SERMO XLV.

IN *obitu suo non est contristatus: nec confusus est coram inimicis.* Eccl. 30. Ecc. 30.

Differentia magna est inter iustos & peccatores, tam in vita quam in morte. In vita quidem: quia peccatores volunt habere vitam gaudiosam & delitiosam. Iusti autem ducunt vitam tristē, & penuriosam. Et iusti è contrario habent mortem lætam & delitiosam. De hoc habetur exemplum expressum Lucæ 16. in diuite epulone, & Lazaro mendico. Quorum primus id est diues, duxit vitam in gaudiis & delitiis, quia induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendide, Lazarus vero duxit eam in penuriis & tristitiis, cum esset mendicus, & vlceribus plenus. Sed in morte deductus est diues ad tristitiam & penuriam inferni: vbi ad refrigerium cruciatus sui guttam aquæ petiit nec accepit. Vndè & Abraham dixit diuiti. *Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Itèm est alia differentia, quia peccator, sicut ab inimico, id est diabolo, in vita vincitur: ita ab eo in morte confunditur.

Nam

Nam ab eo in morte rapitur corã Dei iudicio, ab ipso accusatur & confunditur, & condemnatus à iudice, ad inimicis, id est à demonibus, ad supplicium confusibiliter ducitur, sicut latro ad furcas. Sed homo sanctus, sicut non vincitur ab inimicis in vita, ita nec ab eis in obitu suo confũditur, sed à sanctis angelis potius honoratur, & ad requiem deportatur, sicut de eodem Lazaro ibi dicitur. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinũ Abrahæ.* Sic ergò duo habemus de obitu iustorum. Primum est, quòd non est cum tristitia. Secũdum est, quòd non est cum confusione vel ignominia. Et hoc est quod dicitur in verbis propositis quæ possunt huic sancto viro defuncto congruè aptari: dicunt enim quod *in obitu suo non est, &c.*

A In quibus quidem verbis de iusto viro defuncto tria pescribũtur.

Primum est terminatio præsentis vitæ s. *in obitu suo.*

Secundum est consolatio finalis gratiæ: quia *non est contristatus.*

Tertium est superatio spiritualis pugnæ: quia *non est confusus, &c.*

CIRCA primum attendendum est, quod sicut dicit beatus August. in sententijs Prosperi. Mala mors putanda non est, quã bona vita præcessit: nam quales sunt præmissæ, talis sequitur cõclusio, & qualis præcessit dispositio materiæ, talis sequitur introductio formæ. Cum igitur mors sit conclusio totius vitæ, & tota vita sit dispositio ad mortẽ: sequitur, si bona vita præcedit, quod debeat sequi bona mors. Et ideò si quis vult habere mortem iusti, oportet quod antè mortẽ dum viuit faciat opera iusti. Et

.14 ideò dicitur Eccl. 14. *Ante obitum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* In quibus quidem verbis describuntur tria.

Primum est opportunitas tẽporis, scilicet *ante obitum.*

Secundũ est congruitas operis cum subditur: *& operare iustitiam.*

Tertium est impossibilitas mercedis: cum additur: *quoniam non est apud inferos, &c.*

Circa primum notandũ, quòd tempus opportunũ ad iustificationem pœnitentiæ, & ad purgãdum peccata, est antè obitum hominis, id est quamdiu viuit. Nam si aliquis esset accusatus de crimine capitali, & vndè deberet incurrere sententiam mortis, & daretur sibi terminus ad sui desẽsionem: si differret ostendere suã iustitiam, & facere suam defensionem vsque post terminum elapsum: tũc nõ audiretur, sed daretur sentẽtia cõtra eũ. Sic homo qui mortaliter peccauit, accusatur apud Deum à cõscientia sua, sed datur sibi terminus ad purgãdum & defendendum se, per iustificationem pœnitentiæ vsque ad mortem: vndè si differat pœnitentiam suam vsque post obitum, tunc non valet ei, sed datur contra ipsum sententia damnationis æternæ. Et ideò dicitur Eccles. 17. *Ante mortem confitere.* Et eiusdem 18. *Ante iudicium para iustitiam.* Consueuerunt operarij in fine diei vocari, non ad opus, sed ad pagamentum, vt soluatur vnicuique secundùm quod operatus est, tamen si cõductor esset pauper, & non haberet pecuniam paratam, non esset sibi facile tũc statim soluere omnibus: sed si esset diues, & potens, tunc esset sibi facile dare pagamentum omnibus. Sic in fine vitæ quilibet in obitu suo vocatur ad pagamentum, id est vt iudicetur, & retributionem accipiat secundũ opera sua: & Dominus qui vocat ita

dines

diues est, & potens in iustitia & misericordia, quòd facile est ei statim omnibus soluere. i. retribuere secundùm opera sua: & sic
Eccl. 11. facit. Vndè dicitur Eccl. 11. *Facile est Deo in die obitus, retribuere vnicuique secundùm vias suas.* Secūdò, ponitur congruitas operis, cum subditur in auctoritate inducta, *operare iustitiam.* Hoc enim omnibus congruit, scilicet operari iustitiam: quia hoc necessarium est omnibus ad salutem. Et ratio est, quia duo sunt de necessitate salutis. s. abstinere à malo: & facere
Psal. 36. bonum, secundùm illud Psal. 36. *Declina a malo & fac bonum*; primū pertinet ad innocentiam, secundum ad iustitiā: quorum vtrunq; est ad salutem necessarium, secūdùm illud. *Domine quis habi. in*
Psal. 14. *tab. tuo, &c.* qui scilicet est mons salútis, & respondet subdens. *Qui ingreditur sine macula; & operatur iustitiam.* Sed nota, quòd homo debet operari iustitiam & respectu Dei, & respectu sui, & respectu proximi. Respectu quidē Dei, primò quidem in emendatione commissorum: id est, seipsum punire de suis offensis, quia quem inferior prælatus sufficienter correxit, superior postea veniens non corrigit. Sic si homo in præsenti
1. Cor. 11 sufficienter se punit, non punietur in iudicio. Apostolus 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos diiudicaremus non vtique iudicaremur.* Ideò dicitur Prou. 18. quod *iustus in principio accusator est sui*, ante scil. quam ab aliis accusetur in futuro. Vbi glossa dicit: omnis qui verè iustus est vbi peccantium errata conspicit, primò seipsum accusat, posteà alios benignè corripit. Iniustus verò nō accusat se in præsenti: ideò accusabitur in futuro: Senec. Qui in secreto nolunt audire veritatē, in publico audient eā. Itèm debet homo operari iustitiam respectu Dei, in solutione debitorum, id est, vt Domino suo reddat quod ei debetur: quia ex quo homo est seruus Dei, & de dominio suo, debet ei seruitium de feudo suo.
2. Mach. 9. *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* 2. Mac. 9
Qui feudum ei, à quo emptus est auferret & traderet ei, qui non habet ius, iniustus esset. Sic qui seipsum ei auferendo, à quo factus est & redemptus est, seruit diabolo: magis iniustus est. Bern. Fidelem esse vrget iustitia naturalis, totum se tradere illi à quo se totum habet. Et tenetur homo Deo seruire de tribus mensuris. s. de corde per dilectionem, de corpore per bonam operationem, de possessione per eleemosynarum largitionem. Itèm debet homo operari iustitiam respectu Dei, in supererogatione gratiarum. Nam sicut à Deo gratis accepimus se & sua: sic debemus & nos & nostra. Prou. 12. *Qui negligit damnum* Prou. 12.
propter amicum, s. Christum, *iustus est*: damnum scilicet amicorum corporis, honoris, & rerum: nam omnia ista neglexit Christus pro nobis, vt nos retineret. Sic tu non cures quid perdas, vel quid deficiat, dummodò Deum retineas. August. Quidquid voluerit Deus meus auferat, se mihi det. Secundò debet homo operari iustitiam respectu proximi. Primò quidem, vt ei nocumentum non inferat. Tullius. Primum fundamentum iustitiæ est, ne cui noceatur: deinde quod communi vtilitati seruiatur, magis aliis quam sibi prodest, & vtilitates suas negligat, communia emolumenta proponens. Ideò dicitur Prou. 16. *Initiū* Prou. 16.
vitæ bonæ facere iustitiam. s. naturalem: de qua Matth. 7. *Quæcunque* Matth. 7
vultis vt faciant vobis homines: & vos eadem facite illis. Et Tobiæ 4. Tob. 4.
Quod ab alio oderis tibi fieri: vide ne tu aliquando alteri facias. Prou. 16. Prou. 16
Semita iustorum declinat mala.

Itē debet homo facere iustitiam respectu proximi, vt mala sibi ab eo illata remittat. Et hoc quidem iustum est, vt qui iudicari vult à Dño in foro misericordiæ in eodem foro cū proximo velit iudicare, alioquin misericordia non defēdet eum si eā negauerit proximo, quia *iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam* Iaco. 2. Talis enim illi aufert ius suum, qui dixit. *Mihi vindictam & ego retribuam:* & ideò iniustus est, qui se vindicare vult, qui verò remittit, iustus est: quia pro indulgentia iudulgentiam soluit. Psal. 36. *Mutuabitur peccator & non sol. iust. autem mi. & te.* Impossibile est enim vt riuulus fluat, & fons siccus sit: misericordia autem dei fons est, misericordia autem nostra riuulus. Augustinus, Fluit riuulus misericordiæ nostræ ad proximum, numquid fons. i. misericordia dei siccabit erga nos? Matt. 5. *Beati misericordes quia ipsi misericordiam consequentur.* Itèm debet homo facere iustitiā respectu proximi, vt ei bona exhibeat: sicut scriptum est in Psal. 111. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum seculi, glo.* Qui dat, suam iustitiam operat, quia proximo debitum soluit. Oseæ. x. *Seminate vobis iustitiam,* id est *eleemosynam in veritate, & metite in ore misericordiæ.* i. in ore illius qui dicet Mat. 25. Esuriui & dedistis mihi manducare. Venite ergò benedicti &c. Debet etiam homo iustitiam operari respectu sui. Primò quidem vt sit animæ suæ iustus procurator, quia anima est pupilla, exul, & incarcerata: quæ & in hominis custodia posita est ei commendata, ideò iustum est vt ei necessaria prouideat Proue. 13. Iustus comedit & replet animam suam: quia quærit ei cibum spiritualem. Iniustus videt, qui melius procurat ancillā suā quā Dominam suam. Iob 24. Pauit sterilem & quæ non parit glo. i. carnē, quæ dum sola terrena appetit, bonas cogitationes gignere nescit: & viduæ id est animæ benè non facit. Itē debet operari iustitiam respectu sui, vt sit corporis iustus gubernator, secundū quod dicit Eccle. 33. Cibaria, & virga, & onus asino. i. corpori debentur. Sed multi ita impinguant asinū, quod non possunt eum tenere, sed proiicit eos in lutum peccati. Et nota, quandò in terra non fit iustitia habitant ibi latrones, sic in terra corporis peccatum, si nō fit iustitia pænitentiæ. Esaiæ 26. Quia iustitiam non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ i. peccatum & mali motus. Item debet homo facere iustitiam respectu vtriusque, scilicet corporis & animæ, vt promotor ad bonum. Prouerb. 4 Iustorū semita. i. vita, quæ dicitur semita proter breuitatē, quasi lux splendens. i. alios illuminās per exēplū procedit & crescit vsque ad perfectum diem, scilicet æternitatis.

Tertiò quoque in auctoritate adducta superius tangitur impossibilitas mercedis, quia post mortem non est possibile mereri æternam mercedem, in qua est plena refectio & satietas animarum: vndè subditur, quia non est apud inferos inuenire cibum, scilicet secundùm glo. æternæ refectionis. Et ratio huius est, quia ad merendum illam satietatem & refectionem æternæ beatitudinis, requiritur ratio inuestigās quid sit agendum, & scientia distinguens bonum agendum à malo vitando, & sapientia, quasi saporando præeligens bonum à malo, & vltimò ipsum opus bonū quo mereamur. Sed nihil horum apud inferos est, vndè homini consulitur Ecclesi. 9. Quodcumque potest manus tua, scil. siue magnum

Marginalia (left column): Iob. 92; Psal. 36.; Matt. 5.; Psal. 111.; Matt. 25; Prou. 13. (right column): Iob.; Eccl.; Psal. 93.; Esa.; Iob 15.; Prou.; Tob. 12.; Eccl.

gnum siue paruum, instanter operare: scilicet absque dilatione, absque interruptione, absque desertione, & sine cessatione; quia nec opus, scilicet ad merendum, nec ratio. i. facultas ad inuestigandum, nec scientia. i. facultas ad distinguendum, nec sapientia, scilicet gustandi vel sapiendi praeeligendo bonum, *erit apud inferos quo tu properas*, scilicet tu peccator nisi hic vitam tuã corrigas: vel tu homo quilibet, quantum est ex te, nisi diuina gratia adiuueris.
Psal. 93. Nisi quia Dominus adiu. me pau. ha. in infer. anima mea. Quandò arua sunt à cultoribus totaliter derelicta, non afferunt fructus qui sint in cibum hominum. Sic sunt animae damnatorũ in inferno, derelictae. s. à Deo, de quo Psal. dixit Iob. 15. *Pater meus agricola est:* & ab alijs cultoribus, scilicet Angelis & sanctis, & ideò non est ibi cibus inuisibilis beatae fruitionis, secundùm illud Abach. 3. *Arua non afferent cibum*, & de hoc
Tob. 12. cibo dixit Raphael Tob. 12. Ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri nõ potest vtor.

B SECVNDO in themate assumpto ponitur consolatio finalis gratiae; quia non est contristatus. Ratio quare iustus non contristatur in obitu, sed potius gaudet, est, quia quandò quis amittẽdo id quod minus diligit, videt se consequi illud quod maximè diligit, non tristatur, sed potius gaudet: sicut si auferretur clerico Ecclesia Parochialis, vt daretur ei Episcopatus. Sed iustus in morte amittendo temporalia, vel vitam corporis, quae minus diligit, videt se consequi per diuinam gratiam vitam beatam & aeternam, quam maximè diligit, ideò non contristatur sed gaudet. Sic in vita quãdò accidit aliquod damnum in temporalibus, quae minus diligit, quia ex hoc videt se proficere in bonis spiritualibus, quae magis diligit: ideò non contristatur, sed potius consolatur. Ideò dicit Prouerb. 12. *Non contristabit iustũ quicquid ei acciderit.* Huius autem Prou. 12. rationem assignauerunt Stoici: quia nullus tristatur nisi de amissione suorum bonorum, iustus autem non reputat bona sua nisi iustitiam & virtutem, quam non potest amittere: alioquin subijceretur iustus fortunae, si pro amissione bonorũ fortunae tristaretur. Sed cõtra hoc videtur esse, quia Christus fuit maximè iustus. Hierem. 23 *Hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustus noster.* Hier. 23 & tamen dicitur de eo Matth. 26. Math. 26 quod coepit contristari & maestus esse. Ergò multo magis alij, qui minus iusti sunt contristantur, vel contristari possunt. Ad quod dicendum est, quod Stoici ideò negauerunt posse esse tristitiam in animo sapientis siue iusti, quia tristitia est de malo, quod iam accidit: nullum etiam verum malum existimauerunt Stoici posse accidere sapienti vel iusto viro, & hoc ideò, quia non credebant aliquid esse bonum, nisi honestum, quod homines bonos facit: nec aliquid esse malum, nisi inhonestum per quod homines mali fiunt. Sed quamuis hoc verum sit, quod honestum est principale hominis bonum, & inhonestum principale hominis malum, quia hoc pertinet ad ipsam rationem, quae est principalis in homine: sunt quaedam tamen secundaria hominis bona, quae pertinent ad ipsum corpus, vel ad res exteriores corpori seruientes. Et secundùm hoc potest in animo sapientis esse tristitia, quantum ad apetitum sensitiuum, secundũ apprehensionem huiusmodi malorum: quia motiuum obiectũ tristitiae est malũ interius aprehẽsũ, siue secũdũ rationẽ, siue

secundum imaginationē: sicut cū aliquis tristatur de amissione gratiæ vel pecuniæ. Et quia anima Christi potuit interius apprehendere aliquid vt nociuū, & quantū ad se.s. passionē suā & mortem, & quā tū etiā ad alios, sicut peccatū discipulorū, vel etiā Iudæorū occidētiū ipsum: ideò potuit esse, & fuit in eo vera tristitia, non tamē ita quod rationē perturbaret, vel ei damnaretur Hiero. dicit super Mat. quod Dominus noster vt veritatē assumpti probaret hominis verè quidē contristatus est: sed ne passio in animo eius dominaretur, per passionem, dicitur quod cœpit contristari. Nam aliud est contristari: aliud incipere contristari. Quia contristari est, quando passio talis animo.i.rationi dominatur: & tunc est passio perfecta. Sed incipere contristari, est passio inchoata in appetitu sensitiuo, & vlterius nō procedēs. Sic ergò tristitia remouetur à Christo secūdū passionē perfectā. Et secundū hoc

Esa. 42. dicitur. *Non erit tristis neque turbulentus*, fuit tamen in eo initiata secundum passionē: & sic dici potest de alijs iustis. Et secundùm hoc intelligitur quod dictum est, s. quod non contristabit iustum quidquid ei acciderit: quia scil. ex nullo accidente eius ratio cōturbatur. Et notantur in istis verbis duo de viro iusto.

Primum est eius æquanimitas: quia non contristatur, ideò dicit: *non contristatur iustus*.

Secundum est, eius magnanimitas: cum subditur: *quidquid ei acciderit*.

Circa primū notandū est, quod quædam contristatio est, quæ est laudabilis: sicut est tristitia pœnitentiæ; & hæc est salutifera, & secundùm Deum. Vndè 2. Corin. 7. *Gaudio non quia contristati estis: sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Licet enim tristitia secundùm se sit mala, saltē malitia pœnæ: propter quod dicit Philosophus in 7. Ethicorum, quod omnis tristitia est malum & fugiendum: tamen inquantū pęna tristitiæ ordinatur ad bonum finem; puta ad pœnitentiam & purgationem peccati, est voluntaria & laudabilis, non propter se tantum, sed ratione finis, sicut potio medicinæ amaræ propter sanitatem: quia tūc habet rationem boni, quia ratio eorum quæ sunt ad finē, trahitur ex ipso fine, & ideo talis tristatio est laudabilis, & secundùm Deū, & idèo subdit Apostolus ibi. *Contristati enim estis secundùm Deū, vt in nullo detrimentū patiamini ex nobis. Quæ enim secundū Deū tristitia est, pœnitētiā.s. salutē stabilē operatur?* Sed tamē talis tristitia propriè nō est in iusto, inquantū iustus est: quia inquantum iustus est, non peccat, neq; facit vndè pęniteat. Et de tali iusto dicitur Eccl. 24. *Felix qui* Eccl.
non habuit animi sui tristitiam. Nec obstat quod dicitur Eccl. 7. *Nō est* Eccl.
enim homo iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet: quia loquitur de peccato veniali, à quo nullus est immunis quantumcunque iustus, excepto Christo, & matre sua, qui hoc ex singularis gratiæ munere habuerunt. Sed ad venialiū pœnitentiā homo propriè loquēdo nō tenetur, cū ex eis mortem animæ nō incurrat: nisi fortè ex contēptu dimittat. Vndè etiāsi nō pęniteat de venialibus, potest venire ad vitā æternam: cum etiā post hanc vitā venialia possint remitti per purgatorij pœnā: quāuis etiā in hac vita venialia per pænitentiā remittātur. Itèm est aliqua contristatio, quæ est tolerabilis: puta quando contristatio est solū in sensualitate, & non perturbat rationem: & talis cōtristatio benè inuenitur in iustis, quia videtur esse ineuitabilis, nec est contra Deum. Et de hac dicitur 1. Pet. 1.

Modi-

Modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus, &c. & dicit *modicum:* quia nõ procedit vsque ad rationem, vt eã perturbet. Sed est alia contristatio detestabilis, & mala: quia est contra Deum, vel ratione eius de quo est: puta si quis tristetur de bono diuino, sicut facit accidiosus vel de bono proximi, sicut facit inuidus: vel potest esse contra Deum ratione modi, quia excedit modum rationis, ipsam rationem perturbans, sicut est impatientia & ira. Et ista nõ sunt in homine iusto.

Tob. 2. Tob. 2. *Non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei:* sed immobilis in Dei timore permãsit, gratias agẽs Deo omnibus diebus vitæ suæ. Secũdò notatur iusti magnanimitas, cum dicitur, *quidquid ei acciderit*, scilicet aduersi quia præ magnitudine animi, quasi nihil reputat ista bona fortunæ. Et ideò aduersa quæ accidũt in talibus, non curat, ad maiora bona intendens. Et indè est quod non terretur, quandò occurrunt ei aduersa, secũdùm illud Prouer.

Pro. 28. 28. *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit.* De leone enim dicitur Prouer. 30. quod leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum. Et ideò homo iustus, propter nulla aduersa quæ accidunt, prætermittit ea quæ debet facere secundùm virtutem, &

Act. 20. secundùm Deum, vndè Actor. 20. dicit Paulus Ephesiis. Vos scitis, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cũ omni humilitate, & lachrymis, & tẽtationibus quæ mihi acciderũt ex insidiis Iudæorum: quomodo nihil subtraxerim vobis vtilium quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos: testificans Iudæis atque Gẽtilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrũ Iesum Christum. Et nunc ecce ego alligatus spiritu, vado in Hierusalem, quæ in ea mihi ventura sunt ignorans: nisi quod spiritus sanctus per omnes ciuitates protestatur mihi dicens, quod vincula, & tribulationes Hierosolymis me manent: sed nihil horum vereor.

TERTIO ponitur in themate assumpto superatio spiritualis pugnæ: cum dicitur, quod *non est coram inimicis cõfusus*, s. in morte vel antè tribuual Christi. Licet enim diabolus acriter impugnet hominem in vita, tamen acrius in morte: & qui tunc non vincitur, non confundetur Psal. 126 *Beatus vir qui imple. desi. suum ex ipsis non confun. cum loquetur inimi. suis in porta.* Ps. 126.

In quibus quidẽ verbis de viro iusto moriente describuntur tria.

Primum est felicitatis assecutio, cum dicitur, *Beatus vir, &c.*

Secundũ est damnationis euasio, quod *ex ipsis non confundetur.*

Tertium est impugnationis superatio: cum dicitur: *cum loquetur, &c.*

Circa primum notãdum, quod sicut dicitur Prouer. 11. Desideriũ iustorum est esse bonum, & ideò tunc impletur desideriũ iusti cũ assequitur esse bonum, & hoc est esse beatum: quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus sicut dicit Boet. dicit Psal. 102. *Replet in bonis desiderium tuum.* Secundò ponitur damnationis euasionẽ, cũ dicitur, *ex ipsis non confundetur*, ex ipsis. s. quibus homo efficitur beatus, siue quibus ad beatitudinem perducitur. s. ex vitatione peccatorũ, & operatione virtutum, non cõfundẽtur, scilicet confusione dãnationis. Ps. 36. *Non confundentur in tempore malo*, scilicet in tempore mortis vel iudicii: quia est malum his qui confunduntur. Tertiò ponitur impugnationis superatio cum subditur: *cum loquitur*

inimicis suis. i. dæmonibus, non consentiendo, scilicet contradicendo: in porta, hoc est in morte, eo modo quo dixit beatus Martinus diabolo. quid hic adstas cruenta bestia, &c. & hæc est porta s. mortis per quam iusti intrant vitā æternam, secundùm illud Ps. 97. *Hāc portā Domini iusti intrabunt in eā*. Ad quā nos, &c.

Ps. 97.

In funere vnius desiderantis multum mori.

SERMO XLVI.

DEsiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Phil. 1.

Phil. 1.

Frequenter accidit, quòd illud quod secundùm se est malum & inuolitum, ratione alicuius effectus vel finis consequentis, efficitur bonum & voluntarium: sicut adustio vel incisio carnis, quam facit chirurgicus, secundùm se est dolorosa & inuoluntaria: sed inquantùm est ordinata ad sanitatē, & sanitatis effectiua, bona est & voluntaria. Sic mors Christi videlicet passio, secūdum se mala fuit: sed in quantū fuit ordinata ad nostram redemptionem, & nostræ salutis effectiua, bona & grata fuit: vndè quidam metricè dixit. *Actio displicuit, passio grata fuit*. Actio. s. occidentium Christum iniustè, & peccātium scilicet passio, inquātum ad nostram salutem ordinata. Hac etiam ratione dicunt quidam doctores quod damnati appetunt non esse: quia licèt non esse secundùm se non sit appetibile, tamen inquantum est illius tantæ miseriæ ablatiuū, habet rationē boni & appetibilis. Hoc etiam modo mors corporalis, quæ est distructiua corporalis vitæ, & naturalis, quæ omnibus est amabilis, secundùm se quidem nō est appetibilis, imò est omni animali odibilis. Et propterea Boet. dicit in li. de cōsolatione Philosophiæ, quod omne animal vitam tueri laborat mortem vero perniciemque deuitat. Et ob hoc etiam dicit amplius. 2. Cor. 5. quod nolumus expoliari. s. tunica corporis sed superuestiri, scilicet incorruptione, vt absorbeat quod mortale est ad vitam. Sed tamē quia nō possumus nisi per mortem esse cum Christo i. Christo coniungi in visione, & fruitione suæ Deitatis, in qua nostra beatitudo & vita æterna consistit, secundùm illud Exod. 33. Non videbit me homo & viuet: ideò hac de causa desiderant sancti viri mori magis quàm viuere, dicentes illud Ionæ. 4. *Quæso Domine tolle animā meam quia melior est mihi mors quam vita*. Hac ergo ratione dixit Apostolus verba proposita, desideriū supple sum, habens dissolui. i. vt per mortem dissoluatur vnio animæ & corporis mei, & subdit rationē cum dicit: & esse cū Christo i. vt Christo sim coniunctus in beata fruitione.

Cor. 5.

Exo. 33.

Ioan. 4.

In quibus quidem verbis innuuntur tria.

Et primum est affectio gloriæ finalis, quæ ostenditur per desiderium mortis, *desiderium inquit habens*, scilicet moriendi.

Secūdū est corruptio vitę corporalis: cū subditur: dissolui, scil. per separationem animæ à corpore.

Tertium est adeptio præsentiæ salutaris: scilicet esse cū Christo.

Circa primū attendendum est, quòd duplex est ratio quare aliquando sancti viri habēt desideriū moriendi. Et vna quidē est ex calamitate vitę præsentis. Secūda ex dulcedine diuinę bonitatis, qua perfruentur in vita sequēti. Vndè quia nec de isto exire, nec ad illā accedere possunt, nisi per mortē mediam, sicut de obscuritate noctis ad claritatē diei non peruenitur, nisi per auroram, quæ tenet vmbram, id est similitudinē mortis: secundùm illud. Si subitò

Iob

tò apparuerit aurora arbitrantur vmbrã mortis. Ideò sancti viri, vt exeant de nocte præsentis vitæ, & perueniant ad claritatem diuinæ visionis, habent desiderium moriendi, secundùm illud Esaiæ 26. Esa.25. Anima mea desiderauit te, in nocte. Quasi dicat in nocte id est in obscuritate aduersitatũ & calamitatum præsentis vitæ. Anima mea desiderauit vt exuta à corpore, haberet te Deũ verũ, & dulcissimam lucem. In quibus quidem verbis triplex ratio tãgitur quare animæ humanæ inest desiderium perueniẽdi ad Deum. Et prima est ex proprietate spiritualis naturę. scil. ipsius animæ humanæ quæ tãgitur, cum dicitur anima mea. Secunda est suauitas dulcedinis diuinæ, cum subdit. *desiderauit te.* scilicet Deum.

Tertia est ex obscuritate huius temporalis vitæ: quæ tangitur cum dicitur in nocte.

Circa primum attendendum est, quòd ceruus aliquandò à venatoribus, & à canibus inuasus, iuuat se cursu & fuga velocissima, & facit maximos saltus: & si euadit, remanet lassus & sitibundus, Lassus propter laborem motus & cursus, sitibundus autem, quia desiccatur ex calefactione motus, & ex timore, vndè tunc maximè desiderat fontes aquarũ, & refrigerium aquæ & quietem. Sic etiam anima viri fidelis & iusti, in vita ista habet persecutionem venatorum, id est tentationes dæmonum, qui non venantur nisi animas: & ideò dicit diabolus mũdo vel morti illud Gen. 14. Gen. 14 Da mihi animas cetera tolle tibi. Habet etiam vir iustus persecutiones canum. i. prauorum hominum latrantium detractiones & contumelias, & mordentium per nocumẽta & iniurias. Vndè Apostolus Phil. Phil. 3. Videte canes: videte malos operarios. Et aliquandò sunt canes qui blandiuntur cauda, & lingendo lingua, sicut adulatores & seductores, qui verbis blandis decipiunt & corumpunt. ideo sancti viri iuuant se cum fuga, sicut dictum fuit Arsenio. Fuge homines & saluabris, & tunc fecit maximum saltum: quia recessit de sæculo, & iuit ad vitam solitariam. Et talem etiam saltum facit, qui transit de sæculo ad religiosam vitam, ne corrumpatur à consortio prauorum, & à vitiis mundanorum. Nã videmus quod etiam elementa, vbi contingunt se, alterantur & corrumpuntur à proprietatibus suis: sicut terra ab aqua humectatur, & aer infrigidatur, & ab igne inflammatur. Ita homo à prauo consortio inficitur: vnde etiam vnus prauus homo, inficit totam vnam congregationem, & vna ouis morbida totum gregem, & vnus malus humor totũ corpus Apost. i Cor v. 1.Cor.5. *Modicũ fermentũ totũ massã corrũpit.* Propter quod iubet Augustinus tales ab ordine eiici, ne cõtagione pestifera plurimos perdãt; sicut medicus cauat malũ dentem & abscindit membrũ putridũ: & ideò debet homo, quantũ potest, ab huiusmodi separari. est etiam vir iustus in continuo discursu, & mutabilitate rerũ tẽporaliũ, quia omnia quæ in mũdo sũt. in motu continuo sunt: non solũ quantum ad mutabilitatẽ naturę, sicut videmus qñ mutãtur elementorũ qualitates quia vno tẽpore dominantur elemẽta inferiora f. in hyeme quando sol mouetur per signa meridionalia: & secundũ hanc mutationem generantur frigora, venti & pluuiæ: & aliquãdo dominãtur elementa superiora sicut in æstate: & tunc generãtur calores, & siccitates & grãdines & fulgura, & huiusmodi. Itẽ mutantur temporũ vicissitudines. s. per 4. tẽpora anni, & hominũ ætates diuersæ.

Sed etiã mutantur homines mutabilitate fortunæ, s. de prosperitate in aduersitatem, de sanitate in infirmitatẽ, de diuitijs in paupertatẽ, de honore in opprobriũ, & è conuerso. Vndè dicunt prosperitas & diuersitas illud Boetij in lib. de consolatione. Hunc cõtinuum ludum ludimus, fortunã volubili orbe versamus. Summa infimis, & infima summis mutare gaudemus. Ex tali mutabilitate prouenit homini plerumque labor & dolor. Est etiam in homine iusto vehemens timor peccandi, quia quamdiu anima est in corpore, habet voluntatem vertibilem ad bonum & ad malum: nec est aliquis in carne viuẽs, qui possit ex toto absolui à peccato, nisi per gratiam specialem: sicut fuit beata virgo Maria. Et ratio huius est, quia licet voluntas non possit cogi à carne, tamen multum inclinatur ab ea: quia propter vehementes passiones ab ea consurgentes, voluntas impellitur ad malũ, propter quod dicebat Apo-
Rom. 7. stolus Rom. 7. *Infœlix ego homo quis liberabit me de corpore mortis huius.* i. *peccati.* Et propter talem impulsum multum timet homo iustus de casu in peccatum. Ideò ex omnibus dictis malis lassatus homo iustus, concipit sitim magnam. i. desiderium moriendi: quia per mortem liberatur à venatoribus. i. à dæmonibus & à canibus. i. à prauis hominibus, à mundi mutabilitate, aduersitate & à timore peccandi: & peruenit ad ipsum Deum, in quo omnis motus & labor quietatur, in quo omnes æstus & ardor tentationũ, & tribulationum, cessat & refrigeratur, & in quo etiam omnis sitis. i. omne desiderium perfectè
Psal. 41. satiatur, & ideò dicebat Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, &c.* Secunda ratio, quare homo iustus desiderat ire ad deum est ex suauitate dulcedinis diuinæ: propter quod dicit Deo. *Desiderauit te*, scilicet videre visione beata, per quam perfruitur anima dulcedine bonitatis diuinæ. Nota sicut nos videmus, quod motus naturalis tantò magis intenditur, quantò magis appropinquat fini: sic desiderium Dei cum sit motus animi in ipsũ Deum desideratum, tantò magis accenditur, quantò anima magis est propinqua & iam disposita ad habendum Deum. Et ob hanc causam dicunt Doctores, quod pœna purgatorij maior estquã aliqua pœna huius vitæ, quia quãtò magis aliquis desideratur tantò eius absentia est molestior: & quia affectus quo desideratur sũmum bonum post hanc vitam, in animabus sanctis est intensus, quia non retardatur affectus mole corporis, & etiam quia terminus fruendi summo bono iam aduenisset, nisi aliquid impediret, ideò de tali retardatione maximè dolent. Sed anima sancta, quæ purgatione non indiget, occurrens immediatè ipsi deo, & vidẽs eum visione beata, prout desiderabat, reperit ipsum esse fontem totius dulcedinis: & tunc dicit Deo illud Prouer. 7. *Egressa sum in occursum tui, desiderans te videre, & reperi.* Prou.

Tertiò ratio desiderandi Deũ est ex obscuritate præsentis vitæ: quæ notatur in auctoritate adducta cũ dicitur *in nocte.* Ille enim qui est in obscuritate tenebrarum, desiderat lucem, quia dulce lumen & desiderabile est oculis videre solem, & multò magis videre deũ, vndè in præsenti vita non possumus videre Deum, quia sumus in obscuro, sicut in nocte non videmus solẽ. Sed quãdò anima sãcta exit de vita ista, tũc potest dicere illud Apostoli Roma. 13. *Nox præcessit: dies autem appropinquauit* Rom.

& tunc

& tunc videt solem. i. Deum:

B SECVNDO in themate assumpto tangitur corruptio corporalis vitæ, in eo quod dicit. *dissolui.* Hæc enim dissolutio fit, quandò diuiditur vnio animę & corporis per ipsius animæ separationem. Vnde Dominus dixit Ioan.2. Ioan.2. *Soluite templum hoc: & tribus diebus excitabo illud*: & dicitur ibi quod hoc dicebat de templo corporis sui. Nota ne manè aliquandò nebula consurgit paulatim ex terra, sed apparente sole Sap.2. citò dissoluitur vndè dicitur Sap. 2. *Transiet vita nostra tamquã vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggrauata.*

In quibus quidem verbis describit humanam vitam tripliciter.

Quia primò ostendit eius labilitatem, quia *transiet vita nostra.*

Secundò ipsius breuitatẽ. *quia tãquã vesti.nu.* quia citò disparet.

Tertiò eius corruptibilitatem: *quia sicut ne: &c.*

Circa primum notandum est, quod sicut apparet in horologio quod fit cum stilo ferreo infixo tabulæ vel lapidi, positis ad spheram solis, sicut transit tempus vel hora secundùm motum solis, ita mutatur vmbra, quam facit ille stylus, secundùm diuersa puncta in horologio signata: Et sic est de vita humana, quia sicut transit tempus, ita mutatur, & trãsit cõtinuè ipsa vita secundum diuersas ętates. Sed quia vita ipsa finita est & breuis, quantum transit de tẽpore, tantũ minuitur de vita. Et sicut dicit Greg. Homo à principio ita fuerat conditus, quod trãseunte tempore ipse stabat: sed posteà propter peccatũ, factus est instabilis & mutabilis, ita quòd transeunte tempore, vita eius cũ Sap.2. tẽpore transit. vndè dicitur. *Vmbræ trãsitus est tẽpus nostrũ.* Psal. 143. *Dies eius sicut vmbra prætereunt.*

Secundò ostendit sapiẽs in auctoritate adducta, vitæ humanæ breuitatem, quandò dicit, *sicut vestigium nubis.* Parum enim durat nubes in aere, quia citò resoluitur in aquam vel aerem: & sic homo breui tempore viuit in mundo, & citò per mortem in elementa resoluitur. 3. Reg. 18. 3.Reg.18 *Ecce nubecula parua quasi vestigiũ hominis.* Sed notandum, quòd spiritualiter vita peccatoris tenet vestigium & similitudinem nubis, quia nubes ad modum spongiæ est tota cauernosa, vana, & vacua, nulla stabilitate suffulta, sed à ventis hinc indè deducta: Et sic homo qui viuit in peccato, est omni virtute vacuus, cauernis & foraminibus latentium & patentum vitiorum plenus, & in operibus totus inanis, & in nullo bono proposito firmus, sed magis à vento, id est tentatione diaboli, vel vanitate mundi ad omnia mala deductus. Vndè dicitur in Epistola Iudæ. *Hi sunt nubes sine aqua,* scil. *gratia quæ ventis circũferuntur.*

Tertiò ostendit humanæ vitæ corruptibilitatem: cum subditur, *& sicut nebula dissol.* &c. Nam sicut post breue tempus dissoluitur nebula ita & vita humana per mortem citò corrumpitur, siue quia fugatur à radio solis. i. per illationem violentæ mortis, vel per mortem naturalem deficit, quę est ex aggrauatione caloris, i. ex aggrauatione febris vel alterius infirmitatis, & tandem etiã mors sicut dicitur in Psal. 144. *Nebulam sicut cinerem spargit*: quia humani corporis vitam & substãtiam in cinerem & puluerem resoluit. Eccl. 10. *Quid superbis terra & cinis?* Eccl.10 Itèm assimilatur humana vita nebulæ ratione tentationis: quia dicitur Iob 7. secundùm aliam literam, quod *tentatio est vita hominis super terram.* Et hæc tentatio repræsentatur in nebula,

bula, quia nebula in initio noctis, & in initio diei solet aggregari, aerē turbulentum reddens. Sic in initio conuersionis, quandò terminatur nox culpæ, & inchoatur dies gratiæ, tentationes animum turbulentum reddentes oriuntur. Sed sicut nebula radio solis exorti dissoluitur, ita tentatio, illustrantibus radiis die consolationis dissoluitur, & calore solis, id est feruore spiritus fugatur. Eccl. 43. *Aperti sunt thesauri*, id est diuinæ consolationes: *& euolauerunt nebulæ sicut aues*, id est tentationes, quæ ad modum auium alis cogitationum & desideriorum euolātes recesserunt.

Eccl. 43

¶ TERTIO in themate assumpto notatur adeptio præsentiæ salutaris, quæ est esse cū Christo, id est in præsentia & societate Christi, in gloria paradisi, vbi est perfecta salus. Sed notandum, quòd sicut Christus antequam transisset ad gloriam paradisi, primò fuit mortuus propter peccata nostra, vt nos viuificaret: ita oportet primò nos esse mortificatos peccatis & iustificatos, quod possimus esse cum Christo in gloria paradisi. Et propterea dicit Apostolus. Mortui enim estis: & vita vestra abscondita est cū Christo in Deo. Cū autē Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. In quibus quidem verbis agitur de duobus.

Col. 3.

Primò quidem de nostra iustificatione: cū dicitur, *mortui enim estis, &c.*

Secundò de nostra glorificatione: cùm additur, *cum autem Christus apparuerit vita vestra, &c.*

Circa primū notandum, quod nostra iustificatio fit per hoc, quod morimur pèccatis, & viuimus Deo: & ideò dicit primò, *mortui enim estis*, scilicet peccatis: *& vita vestra* scilicet qua viuitis per gratiam. *abscondita est* scilicet in anima, *cum Christo*, scil. qui per ipsam gratiam & fidē habitat in nobis, & hoc *in Deo*, id est in eius Deitatis virtute. Nota, quod nos videmus in hyeme, quod istæ herbæ & arbores videntur mortuæ, sed quandò venit æstas, reuiuiscere videntur. Sic isti mortui peccatis, qui sunt in pænitentia, videntur quod sint quasi mortui: sed quandò venit æstas gloriæ, tunc apparet quod habeāt in se vitam manifestam, quam prius in interiori gratia habebant absconditam, sicut herbæ & arbores in radice Rom. 6. Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quod simul viuemus cum ipso. Vndè etiam granum seminatū in terra, nisi prius mortificetur in terra, nihil fructificat, iuxta illud Io. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuū fuerit multum fructum affert.* Sic homo, nisi priùs mortificatus esset per pœnitentiam, nihil esset. Roma. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis vinetis*, 2. Tim. 2. *Si conmortui sumus & conuiuemus: si sustinebimus & conregnabimus.* Secūdò agitur in auctoritate adducta de nostra glorificatione, quia *cū Christus apparuerit, &c.* Videmus quod quādiu est guerra inter principes, & durat adhuc bellum, nō apparet adhuc quis sit victor, nec gloriantur nec ipsi, nec viri eorū de victoria: sed quando bellū finitum est, & vnus fuit victor, tunc ille gloriatur cū suis militibus, & alius tristatur cū suis. Sic quia guerra est modò inter Deum & diabolum, nullus adhuc gloriatur de victoria plena, nec sui milites. Sed quandò mundus finietur, tunc diabolus cum suis confundetur. Sed Christus tunc apparebit victor, & ostendet gloriam suam suis militibus. 2. Reg. 6. dicitur de Dauid. *Gloriosior apparebo*: vndè verum erit illud Ps. 16. Eg

Rom. 6.

Io. 12.

Rom.

2. Tim.

2. Reg.

16. *Ego autem in iuſti. appa.con.tuo.* Leu 9. *ſa.cum ap[illegible]tu.* Leui 9. *Apparuit gloria Domini omni multitudini.* Ad quam, &c.

In funere unius peccatoris, malè morientis.

SERMO XLVII.

Pſ. 33. MOrs peccatorū peſſima. Pſ. 33. Sicut bonus exitus, & finis alicuius hominis, prouocat alios ad ſimilia operandum: ita exitus & finis malus, reuocat ab operando. 1.Reg.6. De hoc habetur figura 2.Re.6 vbi legitur, quod ſurrexit Dauid & omnis populus, vt adduceret arcam Dei. Poſtquam autem peruenerunt ad arcam Nachon, extendit manum ſuam Oza ad arcā & tenuit eam. Iratuſque eſt indignatione Dominus cōtra Ozam: & percuſſit eū ſuper te neritate: qui mortuus eſt. Et extimuit Dauid Dominum in die illa, dicens. Quomodò ingredietur ad me arca Domini? Et noluit diuertere ad ſe arcam Domini: ſed diuertit eā in domum Obededon Gethei. Et habitauit arca Domini in domo Obededon tribus menſibus, & benedixit Obededon, & omnē domum eius. Nunciatumque eſt Dauid quod benedixit Dominus Obededon & omnia eius propter arcam Domini. Dixitque Dauid. Ibo & reducam arcam cū benedictione in domum meam. Et ſic patet quod Dauid propter malū exitum, id eſt, occiſionem Ozæ, reuocatus eſt ab arcæ reductione: & è contrario propter bonum finem & exitum Obededon, prouocatus eſt ad eius reductionem. Sic ergò videndo bonum finem, id eſt, bonam mortem ſanctorum & iuſtorum, qui benè vixerunt: Pſ. 125 de qua dicitur in Pſ. 125. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorū eius, &c.* debent homines prouocari ad eorum imitationem, vt poſſit quilibet dicere illud Num. 23. *Fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Num. 23 Et è contrario videndo malam mortem hominum peccatorū, debent homines terreri, & ab eorū imitatione retrahi. Et ideò de iſta mala morte hominum peccatorum dicitur in verbis propoſitis, *Mors peccatorum peſſima.*

In quibus quidem verbis deſcribuntur tria. A

Et primò quidem illud, quod eſt omnibus communicabile: ſcil. *mors.*

Secundò illud quod debet eſſe omnibus deteſtabile: ſ. *peccatorum* tranſgreſſio.

Tertiò illud quod debet eſſe omnibus formidabile: ſcil. quòd *peſſima* fit mors.

CIRCA primum notandum, quod illud quod eſt omnibus hominibus cōmunicabile, eſt mors: quia ſicut omnes fluuij aquarum continuè currūt ad mare, ita omnes homines viuentes continuè currunt ad mortem. Vndè 2. Reg. 14. 2.Re.14 *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram.* Sed in iſta cōmunitate notandum eſt, quod eſt magna differentia inter mortem hominis iuſti, & peccatoris. Quia iuſtus quacunque morte corporali moriatur, benè moritur, ſiue morte præuiſa, ſiue præuenta. Et ratio eſt: quia iuſtus homo à peccatis abſtinendo, vel ſe in vita ſua à peccatis purgando, & bona operando, ſemper eſt quaſi præuiſus & præparatus: & ideò quādocūque, vel qualitercunq; veniat mors, eſt ei bona, quia implet illud quod Sene. dicit. Mors, inquit, vbique te expectat: & tu ſi ſapiens fueris, vbique expectabis eam. Et idcirco dicitur de iuſto Sapien. 4. *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Sap. 4. Peccator autem ſemper malè viuendo, vel malam vitam non corrigendo, eſt ſemper impa-

imparatus, & ideò quandocunq; vel qualitercunque moriatur, habet mortem nequissimam. Vndè
Eccl.28. Eccl.28. *Iugum illius iugum ferreũ est, & vinculum illius vinculum est æreum: & mors illius mors nequissima est.*

In quibus quidem verbis tanguntur quinque mala, quæ facit peccatum in homine peccatore,

Primum est, quia mentem grauat: & ideò vocatur *iugum.*

Secundum est, quia cor indurat: & ideò vocatur *ferreum.*

Tertium est, quia ligat: & ideò vocatur *vinculum.*

Quartũ est, quia fructum linguæ euacuat: & ideò dicitur *æreum.*

Quintum est, quia finaliter dãnat: & ideò mors illius dicitur *mors nequissima.*

Circa primum notandum est, quod iugum hominis peccatoris, dicitur ipsum peccatum; quia sicut iugum grauat & premit ceruicem bouis, ita peccatum grauat & deprimit mentem hominis.
Psal.28 *Iniquitates meæ supergressæ sunt ca. meum, & sicut onus, &c.* Vndè sicut is qui portat graue onus, vadit festinus vt deponat onus: ita peccator deberet festinare ad pœnitentiam, vt deponeret onus
Heb.12 peccati. Vndè Hebr.12. *Deponentes omne onus, & circunstans nos peccatum per patientiam curramus.* Illi qui volunt euadere periculũ maris, proiiciunt onera vt alleuiant nauem. Sic qui volunt euadere periculum mortis, debènt proiicere onus peccatorum. Itèm boues cum iugo attrahunt aliud onus post se, quia peccatũ quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit.
Eccl.28 Eccl.28. *Beatus qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus.* Istud iugum maximè soluitur operibus misericordiæ &
Esa.10. pietatis. Esa.10. *Computrescet iugũ à facie olei.* Secundum malũ quod facit peccatum est, quia cor indurat, & ideò in auctoritate adducta non solùm iugum sed & ferreum vocatur, quia ferrum durius est ceteris metallis, & sicut incus ferrea, ex assidua malleatione magis induratur, ita peccatoris cor induratur, ex assidua consuetudine peccandi. Iob 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis: & stringetur quasi malleatoris incus*: sed lapis quantumcunque sit durus, aliquando Iob 41
tamen à calore ignis soluitur. *Lapis calore solutus, &c.* Et patet etiam in lapidibus de quibus fit Iob
calx. Itèm ferrum quantumcũque durum, tamẽ mollescit in igne. Et sic duritia peccati aliquandò soluitur igne, vel calore tribulationis, vel contritionis. Quod si non fit erit ad maius iudiciũ, secundũ illud Ro.1. *Secundum duritiam tuã & impœnitens cor, thesaurizas tibi irã in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Tale autem cor sicut fer- Rom.
rum durũ præcipuè habẽt pagani & gentiles, in peccato infidelitatis existentes. Vndè Hiere.28. *Iugum ferreum posui super collum gentiũ.* Hier.28

Tertiò ostenditur in auctoritate adducta, quòd peccatum animum ligat, & ideò vocatur vinculũ: ligat enim detinendo per voluntatis obstinationem. Augu. Ligatus eram non catena ferrea, sed mea ferrea voluntate. Diabolus enim facit de anima currum, trahens eã ad inferum cum sarcina peccati. Dicitur de castore animali, quod facit domunculas suas de lignis super fluuium, quia habet caudam vt piscis, quam tenet in aqua: & præcisis lignis vndè facit domunculã, si potest capere aliũ castorẽ, reuersat eũ, & impositis lignis super eum, trahit eũ ad modũ plaustri. Sic diabolus, quandò potest capere animam per consensum tentationũ, onerat eã peccatis, & ligat eam per obstinationem: & trahit eam ad infernũ quasi plau-

strum

Esa.5. strum oneratum. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculū plaustri peccatum.*

Quartò ostenditur, quomodò peccatū fructum linguæ euacuat: & ideò vocatur æreum. Et ratio est, quia tollit charitatē, sine qua locutio linguæ non valet ad meritū. Vndè Apost. 1. Cor 13. *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habuero; factus sum velut æs sonans, & cymbalū tinniens, &c.* quod scilicet aliis sonando seipsum consumit. Augustinus. Rectè fari & malè viuere, est se sua voce damnare.

1.Cor.13

Quintò ostenditur quod peccatum finaliter etiam damnat. Vndè dicitur quod *mors eius*, scil. peccatoris *nequißima est*, scil. quādo impœnitens moritur. Nequam enim est ex conscientię corrosione, nequior ex mentis desperatione, & nequissima ex æterna damnatione. Sed ista mors nequissima, procedit ex nequissima vita peccatoris, qui fuit nequam in peccati perpetratione, nequior in cōtinuatione, nequissimus in obstinatione. Vndè in morte talis perdit sensum, & moritur sicut fatuus. Eccl. 22. *Nequißimi nequissima vita super mortem fatui.*

Eccl. 22.

B TERTIO in themate assumpto ponitur illud, quod debet esse omnibus detestabile, scil. peccatorum transgressio: cum dicitur. *peccatorum.* Vbi aduertendū, quòd vnicuique seruo debet esse detestabile illud vndè incurrit odium Domini sui, & tātò amplius, quātò maior est Dominus & altior: & hoc est peccatum, quia scilicet propter peccatum efficiuntur homines exosi altissimo Domino. Vndè Ecc. 12. *Altißimus odio habet peccatores: & misertus est pœnitentibus.* In quibus quidem verbis notantur de Deo tria.

Eccl. 12.

Primum est, immensitas potentiæ, propter quam dicitur *altißimus.*

Secundum est, seueritas iustitiæ: propter quam *habet odio peccatores.*

Tertium est liberalitas gratiæ: propter quam *misertus est pœnitentibus.*

Circa primum notādum, quod sicut videmus in mundo, ille Dominus est maioris potentiæ qui est in altiori dignitate, vndè maior est potestas episcopi, quam simplicis sacerdotis, in iuribus & actibus Ecclesiasticis: & maior auctoritas Archiepiscopi, quam simplicis Episcopi: & maxima potestas Papæ respectu inferiorū prælatorum, & sic est etiam in potestatibus sæcularibus: vndè nō debet homo obedire inferiori, contra superioris mandatum: sicut materia corporalis, puta lignum, non obedit igni, quādo virtus aquæ fortior superuenit ei, vndè cū Deus sit in altissima dignitate, ipse est summè potens: & ideò maximè debemus ei obedire, non solùm ex timore, sed etiā ex amore sicut patri. Vndè Eccl. 4. *Eris tu velut filius altißimi obediens.* Sed aduertendum, quod res grauis, quantò ab altiori cadit, tātò tardius descendit, sed fortius percutit. Et sic vindicta Dei altissimi tardius venit, sed grauius punit. vndè Valerius maximus dicit, quod lento gradu ad vindictā sui diuina procedit ira, tarditatēque supplicij grauitate compensat. Et ideò dicitur Eccl. 5. *Ne dixeris peccaui, & quid accidit mihi triste: altißimus enim est patiens redditor.* Secūdò ostenditur in auctoritate adducta sæueritas iustitiæ: quia *odio habet peccatores.* Vbi nota, quod odium apud homines dupliciter manifestatur. Vno modo subtrahendo bonum, & hoc modo Deus dicitur odisse illos, quibus non confert gratiam: sicut illos quibus confert dicitur dilige-

Ecc. 4

Eccl. 5.

Malac. 1 diligere Malach. 1. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Alio modo inferendo malum, scilicet pœnæ, propter malum culpæ, scilicet remouendum, vel puniendum. Vnde Eccl. 12. dè Eccl. 12. *Altissimus odio habet peccatores: & impiis reddet vindictã.* Sap. 9. Et nota, quod dicitur odire peccatores, non homines. Nihil odisti eorum quæ fecisti, homines enim ipse fecit non peccatores: & ideò homines diligit, sed peccato-Psal. 5. res odit. Vndè. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Tertiò in auctoritate adducta ponitur liberalitas gratiæ: quia misertus est pœnitentibus, tripliciter. Primò remittendo culpam, scil. per contritionem cum proposito con-Psal. 31. fitendi. Psalm. 31. *Dixi confitebor aduer. me iniusti. meam do. & tu re. &c.* 2. Re. 12 Vndè statim vt ipse Dauid confessus est peccatum suum, dicens. Peccaui Domino: intulit Nathan Propheta dicens. Dominus transtulit peccatum tuum. Non est aliquis debitor, qui non citò confiteretur & recognosceret debitum suum, si ex recognitione & confessione remitteretur ei debitum à creditore suo. Hoc figuratum est in illo seruo, qui procidit ad pedes domini Matt. 18 sui. De quo dicitur, quod misertus est Dominus serui illius, & debitũ dimisit ei. Secũdò relaxãdo pœnam, sicut fecit Niniuitis. Ionæ 3. quandò conuersi sunt ad pœnitẽtiam. Vndè Ionæ 3. Cõuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. Tertiò conferendo gratiã, scil. iustificantem & dirigentem. Eccl. 17. Eccl. 17. Pænitentibus dedit viam iustitiæ.

C TERTIO in themate assumpto ostenditur, & ponitur illud, quod debet esse omnibus formidabile: sicut est pessima mors. Circa quod notandũ, quòd peccatorũ mors dicitur pessima, quando per mortem tendunt ad æternã damnationem, in qua grauia mala, & horrenda incurrunt. Et huius figura habetur 2. Mach. 6. vbi dici-2. Mac. 6 tur. Pessima autem & vniuersis grauis erat malorum incursio.

In quibus quidem verbis ostenditur, quòd magnam pœnam incurrunt peccatores, qui malè moriuntur quadrupliciter.

Nam primò ostenditur quòd est magna excessiue, quia *pessima.*

Secundò quòd magna intensiuè: quia *grauis.*

Tertiò extensiuè: quia *vniuersis.*

Quartò multiplicatiuè; quia *malorum,* &c.

Circa primum notãdum, quòd peccatorũ mors dicitur esse mala, propter expoliationẽ bonorum præsentium. Ps. 48. Ne timueris cũ Ps. 48 diues fa. fu. &c. Sed peior est propter incursionem malorum sequẽtium, scilicet infernaliũ tormentorum. De quibus Lucæ 16. Luc. 16 Eleuans autem oculos cum esset in tormentis, &c. Sed pessima est propter priuationem bonorũ in æternum manentiũ: quia priuati sunt æterna beatitudine, quæ secundum Boetium, est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Propter omnia ergò prædicta, peccatorum mors est dolorosa & pessima. Vndè Baruc. 2. Mor-Baruc. 2 tui sunt in doloribus pessimis, in fame, & in gladio, & in emissione. In fame, scilicet propter carẽtiam bonorum desideratorum. In gladio propter vltionem commissorum peccatorũ, quia vltor iniquitatis est gladius: vt dicitur Iob Iob 19 19. Et emissione, id est, exclusione à regno cœlorum.

Secundò, pœna peccatorũ erit magna intẽsiuè, quia grauis: licèt vnus alio grauius affligatur, secũdum exigentiam, & gradum culparũ, quia secundũ mensurã delicti erit & plagarum modus, id est pœna-

pænarum mensura: tamen tam immensus erit ardor, id est, afflictio illius ignis, quòd erit vnicuique grauis ad portandum, sicut in eodem igne, licèt diuersæ materiæ diuersimodò inflammentur, tamen vnaquæque grauiter crematur. Vndè Esaiæ. 30. Ardens furor eius & grauis ad portandum. Esa. 30.

Tertiò erit magna extēsiuè, quia vniuersis, scil peccatoribus dānatis. In mundo enim isto, neq; omnia bona vel mala proueniūt vniuersis, sed in alio sicut vniuersis beatis aderunt omnia bona, propter suauitatē diuinę fruitionis, in qua sunt omnia bona, secundùm illud Ps.144. Suauis Dominus vniuersis: Sic in inferno vniuersis aderit afflictio omnium malorū. Nam sicut in corpore, in quo quodlibet membrum est corruptum & infirmum, vniuersa membra sentiunt pænam & dolorem: ita in inferno, sicut vniuersi fuerūt corrupti peccatis, ita vniuersi sentient de pœnis, & sicut non deficiet malitia culpæ, ita nec afflictio pœnæ. Hierem.6. Vniuersi corrupti sunt, deficit sufflatorium in igne. Et post. Malitiæ eorum non sunt consumptæ. Ps.144. Hiere.6

Quartò ostenditur quod peccatorum pęna erit magna multiplicatiuè, quia erit ibi non tantum vnum, sed omnium malorum incursio. Cū enim duplex sit genus mali, scilicet malū culpæ, & malū pænæ: vtrumque erit in eis, scilicet malum culpæ, vel horribilis in his in quibus non fuit expiatum, vel per circūcisionem in lege veteri, vel per baptismum in noua. Itèm mortalis, sicut in omnibus damnatis ad pœnam gehennæ: vel veniale in his qui decesserunt cum mortalibus, & venialibus. Itē erit ibi malum duplicis pœnæ, scilicet damni de amissione bonorum tēporalium, & æternorū: & sensus, sicut pœna gehennæ. Deuter. 22. Congregabo super eos mala: & sagittas meas complebo in eis. Hiere.11. Inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt. Vndè quilibet eorū dicere potest illud Gen.42. In me mala omnia ceciderunt. Sed è contra dicitur cuilibet beato, qui benè mortuus est, illud Ps.90. Non accedet ad te malum, & fla. non ap. ca. tuo. & hoc erit in gloria cœlesti. Ad quā nos per. &c. Deut.22 Hiere. 11 Psal.90.

In funere vnius sancti viri.

SERMO XLVIII.

PRetiosa in conspectu Domini mors sanctorum. Ps.115. Ps. 115.

Consueuit homo in fine operis recipere prætium eius, & ideo finis operis boni dicitur pretiosus. Sic in fine vitæ suæ, id est, in morte sanctus homo recipit præmiū: & idcircò sanctorum mors dicitur pretiosa, id est, gloriosa, præcio plena. Et licèt mors sanctorū in conspectu hominum aliquando sit despecta, tamen in conspectu Domini semper est pretiosa sicut patet de morte sanctorum martyrum. Et ideò benè dicitur in verbo proposito. *Pretiosa in cōspectu Domini, &c.*

In quibus quidem verbis sanctorum virorum mors ex tribus commendatur.

Primò quidem ex præmii plenitudine, quia *pretiosa.*

Secundò ex iudicii rectitudine: quia in *conspectu Domini.*

Tertiò ex priuilegii magnitudine: quia *mors sanctorum*, quæ scilicet est priuilegiata magnis præmiis.

CIRCA primum notandum est, quod prętium consueuit dari opifici in fine operis, scilicet ipso opere cōpleto & terminato: quia scilicet tunc apparet quam sit pretiosum, id est, quanto precio sit dignum. Et ita præmium sanctorum

sãctorũ & redditur eis in morte. i. in fine vitæ: quia tunc apparet perfectè quo prætio: i. qua mercede sint digni, & ideo mors sanctorũ dicitur preciosa, & ideo vsque in finẽ vitæ quãdo recipitur prǽmium animę, vel vsque ad diẽ iudicij, quia omnes simul præmiabũtur etiã in corpore: oportet eos esse in labore, & patienter expectare ad modũ agricolæ laborantis & patienter vsque ad messẽ fructũ expectantis. Et de hoc exemplum habetur Iacob. 5. vbi dicitur, Patientes estote fratres vsque ad aduentũ Domini. Ecce agricola expectat prætiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum.

In quib. quidẽ verbis facit tria. Quia primò dat virtutis documentum: cùm dicit: patientes estote fratres.

Secundò ostendit laboris terminum scilicet vsque ad aduentum Domini.

Tertiò inducit longanimitatis exemplũ, quia agricola expectat.

Circa primum notandũ, quòd ille qui habet gubernare nauem, & videt se esse in procella maris, si vult sapienter gubernare, oportet quod patiatur multa incommoda, & sollicitudines, & labores Et sic ille qui habet gubernare exercitum, & habet vndique inimicos pugnare paratos. Ita etiam spiritualiter, si quis vult sapiẽter gubernare vitam, id est animam suam inter procellas sæculi, & inter bella spiritualium hostium, opus est quod patiatur labores, & sollicitudines, & tribulationes. Et qui se talia patienter portat, ostẽdit esse animæ vel vitæ suæ sapientẽ gubernatorẽ. Et ideò dicitur. Qui patiens est multa gubernatur sapientia. Nota etiam, quòd sicut ignis facit laterẽ crudum esse durum & fortem, vt nõ

Prou. 14

dissoluatur in aqua sic charitas facit hominem patientem, vt nõ soluatur in tribulatione. Charitas patiens est.

Secundo in auctoritate adducta ponit terminum laboris & tribulationis, scilicet vsque ad aduentum Domini, scilicet in morte vel in iudicio. Nam sicut tenebræ noctis durant vsque ad aduentũ luminis diei, sic tribulationes præsentis vitæ vsque ad aduentũ Domini, vel particularẽ, in morte vel generalem in die iudicij. Quousque veniat Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum. Illuminabit enim, i. manifestabit reprobis tenebras. i. occultas latebras peccatorum: & fugabit à iustis tenebras tribulationum. Vultum confortat cor laborantis & patientis, quandò audit appropinquare terminum laboris vel passionis suæ. Sic & homo sanctus, considerando propinquitatem aduentus Domini in morte. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam aduentus Domini apprinquabit. Tertiò in auctoritate adducta introducitur exemplum agricolæ quoad tria. Primò, quoad longanimitatẽ in expectando; quia agricola expectat prætiosum fructum, &c. Notandum, quod agricola qui benè laborauit colẽdo, & seminando agrum suum, potest probabiliter expectare prætiosũ fructũ. Et ita qui laborat purgando agrum conscientiæ suæ, & mittendo semina bonorũ operum, potest sperare & expectare preciosum præmium. 2. Ti. 2. Laborantẽ agricolã primũ oportet de fructu percipere. Sed nota quãtumcumque agricola laboraret & seminaret agrum, si nõ haberet pluuiam non recolligeret fructum, & confusus esset à spe sua. Et sic est de his qui laborant in bonis operibus, sine

pluuia gratiæ vt qui faciunt bona stando in peccatis. Hierem. 14. Hier. 14
Quia non venit pluuia in terram confusi sunt agricolæ: qui vt non confundantur à spe siue expectatione sua, opus habent & pluuia & cultura. Et sic vt homo non cōfundatur à spe futuræ beatitudinis, requiritur & gratia Dei & meritum bonorum operum: quia spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei & meritis perueniens. Psalm. 118. *Non confundes me ab expectatione mea.* Psal. 118.
Secundò introducitur exemplum agricolæ quoad tolerantiam in sustinendo quia patienter ferens. Notandum, quod malum culpæ deterius est quam malum pœnæ. Nam pœna facit hominem non malum: sed culpa malum facit. Et ideò Dionysius dicit, quod puniri non est malum, sed fieri pœna dignum. Ideò virtuosus homo potius eligit sustinere patienter malum pœnæ, quam velit committere malum culpæ. Vndè. 2. Mac. 6. dicitur de Eleazaro, quàm *patienter sustinens destinauit non admittere illicita.* Et notandū, quod quamuis possit esse magnum meritum in tolerando patienter, & humiliter pœnam quam homo meruit: tamen adhuc est maius in tolerando eam quam non meruit. vndè, 1. Pe. 2. Si benefacientes patienter suffertis, hæc est gratia apud Deum. Tertiò introducit exemplum agricolæ quoad perseuerantiā in permanēdo. s. vsque ad finem: & ideò subditur in auctoritate inducta, donec accipiat temporaneum & sero: quasi enim temporaneum fructum accipit homo in morte, id est animę glorificatione, sed serotinum in die iudicij, in corporis resurrectione & renouatione. Oseæ 6. Veniet quasi imber vobis temporaneus. & serotinus. Quasi enim imber temporaneus erit glorificatio animæ, scilicet quasi serotinus glorificatio corporis: & vtraque erit à superiori gratia & virtute, ideò assimilatur imbri, siue pluuiæ qui à superioribus partibus in terram descendit Hierem. 5. Metuamus dominum Deum nostrū, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam.

2. Mac. 6
1. Pet. 2.
Oseæ 6.

SECVNDO in themate assumpto commendatur mors sanctorum ex rectitudine iudicij, quia *in conspectu Domini*: quia licet in iudicio hominum videantur aliquando malè mori; in conspectu tamen diuini iudicij, mors eorum est preciosa. Vbi aduertendum, quod in curiis dominorum mundi, vt plurimum malè recipiuntur pauperes, & benè recipiuntur diuites, & sic etiam apud Deum est, sed differentia est inter diuites. Quia enim homines vident ea quæ foris patent, Deus autem intuetur cor: ideò respiciunt homines solùm ad diuitias corporales exteriores. Deus autem magis respicit ad diuitias spirituales interiores. Et qui talibus diuitiis locuples est, securè in morte vadit ad eius curiam, & securè apparet in conspectu eius, quia ipse dixit Exo. 23. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, scilicet bonis spiritualibus: vndè talis habet diuitias abscōditas, & est locuples in conspectu Dei secundùm illud 1. Pet. 4. *Qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* In quibus quidem verbis iustus & sanctus vir tripliciter commendatur. B Exo 23. 1. Pet. 4.

Primò quidem de interiori custodia: cum dicitur: quia est *absconditus homo cordis.*

Secundò in spirituali innocentia: cum subditur, *in incorruptibilitate quieti, &c.*

Tertiò de cælesti abundantia: quia *in conspectu Dei, &c.*

Circa primum attendendū est quòd in corde hominis.i.in mente hominis rationali, potest esse aliquid quod non est abscondendum, scilicet potius propalandum scilicet peccatū. Et ratio est, quia peccatum est sicut quoddam vulnus ipsius mentis: scilicet sicut dicit Boetius. Si operam medicantis expectas, opus est vt vulnus tuum detegas. Et sic est qui vult sanari à peccato, opus quod detegat peccatum, scilicet confitendo
Prou. 28 Prouer.28. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quædam autem alia sunt quæ abscondenda sunt: sicut debet homo abscondere cōsilia sua ab his qui inuident: & quia non cogitant nisi quomodo
Eccl.37. possint nocere. Eccl.37. *A zelantibus te.* i. ab inuidentibus tibi, *absconde consilium.* Itèm dicitur homo abscondere bona quæ facit, scilicet quantum ad intentionem, vt scilicet in abscondito cordis, non ad hominum gloriam consequendam faciat ea, sed ad honorē Dei, & proximi ædificationem. Dicitur quod fæmina pauonis abscōdit oua, ne à masculo suo dissipētur; sic debet homo abscondere opera sua, ne destruantur, ab humanæ gloriæ fauore. Vndè Matt.
Matt. 6. 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrū qui in cælis est.* Figura huius habetur Esa.
Esa. 32. 32. vbi dicitur. *Et erit vir sicut qui absconditur à vento:* scilicet vanæ
Matt. 6. gloriæ. Mat. 6. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit eleemosina tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Vndè sanctorum virorum vita, licèt aliquandò sit abscondita mundo, cui mortificati sunt, est tamē no-
Colo. 3. a Deo. Iuxta illud Colo.3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est. &c.* Secunda commendatio in auctoritate adducta, est de spirituali innocentia: cum subditur, *in incorruptibilitate quieti. &c.* Quasi dicat, spiritus debet manere incorruptus & quietus, & modestus. Tunc autem manet incorruptus. s. è corruptione peccati, quandò in innocentia perseuerat, & talis spiritus est quietus à rixa vitiorum, & modestus. i. mensuratus per amorem virtutū. Talis ergò incorruptio seruatæ innocentiæ facit hominem esse Deo propinquum. Vndè & cælū quod est corpus incorruptibile per quādam congruentiam dicitur esse locus Dei, qui est incorruptibilis & immortalis, secundùm illud
Psal. cxiij. Psal. cxiij. Cælum cæli Domino &c. Et idem dominus, in cælo sedes eius: & multò magis incorruptio spiritus, & puritas à peccato. vndè Greg. Nazianze. dicit. Prima sapientia est vita laudabilis & apud Deum pura mens, per quam puri puro iunguntur, & sācti sancto sociantur. Vndè Sap.6. Incorruptio facit esse proximum deo. Sed spiritus vbi est corruptio peccati, non potest esse quietus in se, quia appetitus peccandi, vel remorsus peccati non permittit. Iob 9. *Non concedit quiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus:* ita est remorsus conscientiæ de peccato. Debet etiam homo esse quietus respectu
1. Thes. aliorum 1. Thes.4 *Operam detis vt quieti sitis.* 1. Timot.2. *Tranquillam & quietam agamus vitam.* Tranquillam in nobis; quietam ad proximos: vel tranquillam interius, & quietam exterius. Debet etiam esse modestus. i. moderatus in motibus & actibus suis siue in vestitu & cultu, siue in verborum affatu, siue in loco vel rixa, siue incessu & statu, & in aliis consimilibus. Augustin. Incessu

Phil. 4. cessu statu & habitu, &c. Philip. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Tit. 3. *Admone illos non litigiosos esse: sed modestos.* Tit. 3.

Tertiò commendatur vir sanctus de cælesti abundantia: quia est in conspectu Dei locuples. Notandum, quòd in conspectu mundi est locuples, qui habet multùm de auro: sed in cõspectu Dei est locuples, qui habet multam charitatem. Et ratio est: quia ille efficitur locuples, qui facit multa continua lucra. Sic est ille qui habet multam & fruentem charitatem; quia amor Dei nunquam est ociosus. Operatur enim magna si est, vt dicit Grego. Operando autem magna, acquirit magna lucra. i. magna merita apud Deum. Vnde charitas feruens assimilatur auro, quia facit animam locupletem. Et ideò

Apoc. 3. suadet Dominus Apocal. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias.* Et dicit aurum ignitum. i. charitatem feruentem in amore Dei & proximi. Et dicit à me non à mundo: quia *qui diligit mundum non est charitas patris in eo.* 3. Io. 2.

1. Ion. 2. De tali ergò auro sunt diuitiæ iustorum, de quibus gaudent & epulantur in cælo, antè Dei

Psal. 67. conspectum. Psalm. 67. *Iusti epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.*

TERTIO in themate assumpto commendatur mors iustorum à priuilegij magnitudine: quia mors sanctorum est, quæ magnum priuilegium habet ex eo, quod sancti viri in morte sua eximuntur ab omnibus magnis: & perfruuntur omnibus bonis: & ideò dicuntur beati. A-

Apo. 14. poc. 14. *Beati mortui qui in Domino, &c.* In quibus verbis tangũtur tria bona, per quæ viri sancti per mortem eximuntur à tribus malis, in quibus viuimus.

Primum est bonum gloriæ: cum dicitur, beati, per quod eximuntur ab omni flagello.

Secundum est debitum naturæ: cum subditur, mortui, per quod scilicet sunt exempti ab omni periculo.

Tertium est donum gratiæ: cùm additur, qui in Domino moriuntur. i. in gratia Domini: scilicet per quod eximuntur ab omni peccato.

Circa primum attendendum est, quod sancti qui sunt mortui dicuntur beati dupliciter, Vel in spei certitudine, sicut illi qui sunt in purgatorio. Vel in re, sicut electi qui anima in gloria sunt assumpti. Psalmus 64. Beatus quem elegisti & Psal. 64. assumpsisti. Quem elegisti, scilicet per gratiam: & assumpsisti scilicet in gloriam: & talis est ab omni malo, & ab omni flagello securus. Psalm. 90. *Non accedet ad te malum: & flagellum* Psal. 90. *non appropinquabit tabernaculo tuo.* Ad hanc autem beatitudinem sancti viri perueniunt, vel per opera actiuæ vitæ, quæ sunt opera misericordiæ. Prouerbio. decimo quarto. Qui miseretur Prou. 14. pauperi beatus erit. Vel per opera vitę contemplatiuæ, quæ pertinent ad sapientiam. Ecclesiastic. decimo qnarto. Beatus vir qui in Eccl. 14. sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circunspectionem Dei. Et vult dicere, qui in sapientia morabitur, scilicet superna contemplando, & in iustitia meditabitur scilicet eam faciendo. Et dicit Alcuinus quod iustitia est animi rectitudo, vnicuique tribuens propriam dignitatem, superiori reuerentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, amicis beneuolentiam, & inimicis pa-

tientiam, & miseris compassionem operosam. Et in sensu, id est, mentis intellectu, cogitabit circumspectionem Dei, id est, qualiter Deus omnia circumspicit, etiã vsque ad abscondita cordis: quia qui hoc cogitat, à malo retrahitur, & ad bonum animatur. Secundò tangitur debitum naturæ, per quod exempti sunt sancti mortui ab omni periculo: & hoc debitum naturæ est mors, & ideò dicit mortui, quia ex tunc sancti perire non possunt, quod quidem de viuentibus non contingit, qui subiacere possunt periculis & animæ & corporis: propter quod dicitur
Eccl.4. Eccl. 4. *Laudaui magis mortuos quã viuentes*: propter quod etiam cla-
Rom.7. mabat Apostolus Rom.7. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Tertiò tangitur donũ gratiæ, per quod sunt liberati à peccato: quia in Domino: quia in gratia Domini moriuntur. Notãdum, quod quibusdam Deus dat gratiam, & tamen non dat eis gloriam: quia scilicet non perseuerãt in gratia eis data: sed illis quibus dat gratiam finalem, scilicet vt moriantur in gratia, dat etiam eis gloriam, secundùm illud Psal.83. Psal.
Gratiam & gloriam dabit Dominus: & hoc præcipuè contingit sanctis qui benè viuunt, de quibus erat Phil.
Apostolus qui dicebat. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. Phil. 1. Itèm de Stephano Act. 7. dicitur quod *obdormiuit*: scilicet somno mortis, *in Domino*: scilicet in gratia Domini, per quam introiuit in vitam æternam. Apostolus Roman. 6. Gratia Dei vita æterna. Ad quam nos, &c.

Explicita est distinctio quinta, quæ agit de mortuis, secundum diuersitatem personarum & dignitatum.

DISTINCTIO SEXTA, IN QVA AGITVR DE MORTVIS SECVNDVM DIVERSITATEM CAVSARVM, modorum,locorumque,quibus homines decedere contingit:cuius sunt sermones nouem.

In funere alicuius in bello occisi, maxime ex causa iusta.

SERMO I.

1.Mac.3. MELIVS EST NOS *mori in bello, quam videre mala gentis nostræ & sanctorum* 1.Mach.3.

Videmus quod res maior facit disparere minorem: sicut præsentia solis in die facit disparere stellas: quia minus habent de lumine, & minoris sunt quantitatis. Et vnus homo communis staturæ iuxta vnum gigantem positus, videretur esse minimæ staturæ. Vndè Numer.13. exploratores qui à Moyse missi fuerant, dixerunt.
Num. 13 Vidimus monstra quædam filiorũ Enach de genere giganteo: quibus comparati quasi locustæ videbamur. Sic & maius malũ facit disparere,& præeligere minus: sicut potius eligit homo quod abscindatur ei vnum membrum, quam velit perdere totius corporis vitam. Et Dauid maius malum existimans incidere in manus inimicorum suorum, quam in manus Dei misericordis ait 2. Reg.
2.Re. 24 24. Melius est vt incidam in manus Domini: multæ enim misericordiæ eius sunt, quam in manus hominum. Hac etiam consideratione Iudas Machabæus iudicans maius esse malum totius gentis suę, & prophanationem sanctorũ locorum, quam mortem propriã, dixit proposita verba. Melius est nos mori,&c.

In quibus quidem verbis loquitur de tribus. A

Primò de re timorosa, scilicet de morte. Vndè dicit. Melius est nos mori.

Secundò de re periculosa, scil. de bello: cum subdit: in bello.

Tertiò de re angustiosa, scil. de visione malorum gentis suæ, vndè ait: quam videre mala,&c.

CIRCA primum notandum, quòd mors aliquandò dicitur bona aliquandò melior, aliquandò verò optima. Bona quidem propter iustitiam, melior propter misericordiã, sed optima propter gratiam. Propter primum dicitur Eccl.41. *O mors quam bonum est iudicium tuum!* Vbi nota, quod iu- Eccl 41.
dicium mortis dicitur esse bonum in triplici ratione.

Primò, quia non corruptum cupiditate pecuniæ Narrat Valerius de Cambise, quod quendam iudicem, corruptum cupiditate munerum, excoriari fecit, & de eius corio iudicialem sedem cooperuit, in qua filium illius, loco patris, ad iudicandum posuit. Est quoddam genus ranarum paruarum, quæ saltant in os canis latrãtis,

tis, & tollunt ei vocem. Sic aliquandò munus absconditum facit verum iudicem tacere. Sed mors non parcit propter munera, & ideo ita occidit diuitem sicut & pauperem. Lucæ. xvi. *Factum est vt moreretur mendicus &c.* Et post *mortuus est autem & diues.* Luc. 16.

Secundò quia iudicium non erroneum, scilicet ex ignorantia iudicis, vel ex astutia aduocati, quæ scilicet aliquando facit iudicem errare: vndè nec iudex seu aduocatus, siue ignorans, siue sapiens, potest effugere mortem. Eccles. 2. *Moritur doctus similiter & indoctus.* Eccl. 2. Tertiò verò est bonum iudicium mortis, quia non est iniquum ex personarum acceptione Hoc enim iudici competit, sine personarum acceptione inter partes æqualitatem seruare: quia sicut philosophus dicit in primo Ethicorum. Iudex debet esse sicut regula recta, ad nullam declinans partem odio vel amore. Et sic est ipsa mors, quia omnibus est æqualis. 2. *Reg.* 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur,* 2. Re. 14. Aliquandò autem declinat iudex à veritate iudicij timore alicuius potentiæ. Sed mors potentiam alicuius non metuit, imò deponit potentes de sede, & humiliat omnem superbiam. Dicitur quod quidam lapillus missus fuit Alexandro, qui cũ poneretur in lance ad ponderandum, præualebat omni ponderi quod ponebatur ex alia parte: sed puluere opertus, erat ita leuis; quod palea plus ponderabat eo. Et expositum fuit Alexandro, quod iste lapillus figurabat personam suam, qui viuẽs erat tantæ potentiæ quod omnibus præualebat, sed mortuus & terra opertus. i. sepultus, nullius potentiæ futurus erat. Iob. 14. Iob 14. *Homo cum mortuus fuerit, nudatus, atque consumptus; vbi quæso est,* scilicet. valor & sua potentia: quia non inuenitur amplius.

Secundò mors non solùm dicitur bona, sed etiam melior quã vita. vnde Ecclesiastic. 7. Eccl. 7. *Melior est dies mortis die natiuitatis: &* tamẽ homines gaudẽt in natiuitate alicuius hominis, & lugent in morte eius. Sicut Valerius maximus narrat de gentibus Thraciæ quæ in natiuitate hominis faciebant luctum, & in morte eius gaudium & conuiuium: significare volẽtes quod per natiuitatim homo venit ad locum miseriæ, sed quando moritur de miseria exit: & si iustus est, vadit ad locum quietis & lætitiæ. Est enim homo dum viuit subiectus multis miseriis de quibus omnibus exit, dum moritur. Dicitur enim Iob. 14. quod homo breui viuẽns tempore repletur multis miseriis. Iob 14. Et ab istis miseriis eximitur per mortem, quia scilicet per mortem egreditur de loco tempestuoso, scilicet de mundo, qui est velut mare habens tempestatem vndarum. i. tribulationum à mundo consurgentium, quarum vna præuenit aliam velut vnda præuenit vndam. Habet etiam mundus tempestatem ventorium. i. tentationum. Est etiam hic multitudo hominum seinuicem lædentium & persequentium: sicut in mari multitudo piscium. Vndè sicut ille qui est in mari multùm tempestuoso desideriũ habet veniendi ad portum quietis. Ita & vir iustus desiderium habet moriendi, vt perueniat ad Christi quietem, vndè & Apostolus dicebat Phil. 1. Phil. 1. Desiderium habens dissolui & esse cum Christo, qui scilicet est velut portus salutis & quietis. Item per mortem deponitur anima de equorabido & periculoso, scilicet de corpore quod frequenter facit animam ruere in præcipitium peccati

peccati

peccati & in baratrum inferni.
Rom. 7. vndè Apostolus Ro.7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius: Item egreditur de carcere angustioso qui etiam est corpus. Vndè Psal. clxi. Psal. 161. Educ de carcere Deus animam meam: vt confi. no. tu. Domine. Itèm alleuiatur à pondere oneroso. i. ab ipsius corporis infirmitate & corruptibilitate. Sap. 9. Sap. 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, &c. Itèm exit per mortem anima ab habitaculo ruinoso: quia quotidiè aliqua pars corporis & vitæ nostræ ruit & defluit Iob 8. Iob. 8. Innitetur super domum suam & non stabit. Itèm exit de opere laborioso: quia homo ad laborem nascitur, sicut dicitur. Io. 5. Ioan. 5. A quo scilicet labore quiescũt iusti post mortem secundùm illud Apoc. 14. Apoc.14. Beati mortui qui in Domino moriuntur, &c. Tertiò mors dicitur optima propter gratiam: scilicet quam sperat homo iustus recipere à Deo; non solùm in glorificatione animæ, sed etiã corporis, in gloriosa resurrectione de qua 2. Mach. 12. 2.Ma. 12. Considerabat scilicet Iudas, quod hi qui cum pietate dormi. ac. op ha. re. gratiã. Vbi nota quod sãcti viri propter pietatem, i. propter opera misericordiæ & pietatis quæ exercuerũt in vita, habẽt repositam in morte gratiam bonam, meliorem & optimam. Bonam quidem, inquantum liberantur à præsenti malo. Psal. 40. secundũ illud Psal. xl. Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum dominus. Sed meliorem, inquantum liberantur à futuro supplicio. Tob. 4. Tobiæ. 4. Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat: & non patietur animas ire in tenebras. Sed optimam in æternæ vitæ premio. 1. Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis est: promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Propter quæ omnia sancti viri ad magnum lucrum reputant sibi mortem, secundum illud Apostoli, Philipp. 1. Mihi viuere Christus est: & mori lucrum.

B SECVNDO agitur in themate de re periculosa: quia de bello; vndè dicitur: in bello. Ratio autem quare bellum est res periculosa est: quia sicut dicitur. 2. Reg. 11. 2.Re. 11. Varius est euentus belli: & nunc hunc & nunc illum consumit gladius. Et est triplex hominum bellum: & cuiuslibet varius est euentus: scilicet est bellum temporale, & spirituale, & finale. Temporale autem bellum potest esse iustum & licitum. Ad quod requiritur primò quòd pugnantes sint tales personæ quibus licitum sit pugnare, scilicet quod sint laici nõ clerici: quibus non licet sanguinem fundere. Itèm quod sit iusta causa, scilicet vt illi qui impugnantur ex aliqua culpa hoc mereantur. Vndè Augustinus dicit in libro quæstionum. Iusta bella debent diffiniri quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est quæ vel vindicare neglexerit quod suis improbè factum est: vel reddere quod per iniuriam ablatũ est. Item quod sit intentio bellantiũ recta, qua scilicet intendatur, vel vt bonum permoueatur vel vt malum euitetur. Itẽ requiritur ad iustum bellum auctoritas principis, quia priuata persona ius suũ potest in iudicio prosequi. Quodcunque autẽ istorũ desit non est iustũ bellũ sed iniustũ, sed præcipè quando iusta causa non subest, sicut dixit Iepte. reg. filiorũ Amõ. Nõ ego pecco in te, sed tu cõtra me male agis in ferẽs mihi bella nõ iusta, & de talib. Iud. 2. bellãtib. dicitur. Dissipa gentes, quã bella volunt. Dicũt autẽ astrologi quidã bella prouenire ex Psal. 67 celesti impressione puta ex cõiũctiõe Martis & Sat. quæ dicitur cõiũctio

media. Vnde quando eſt talis coniunctio dicitur ſignare guerras atque bella,& contrarietatem diuitum vel regum: & durat res donec iungatur alia vice prout dicit Meſalach. Sic quando apparet cometa quæ vocatur tenaculū, quæ aſſimilatur ſtellis, dicitur figurare bella & terrores, & magnos euentus in mundo. Sed ſecundum Theologos bella plerumque proueniunt ex Dei punitione: vt ſcilicet peccata hominum puniantur & purgentur per ſanguinis effuſionem,& per alia mala Eſa. 42. Ipſe eſt cui peccauerunt: & noluerūt in viis eius ambulare: non audierunt legē eius. Et effudit ſuper eos indignationē furoris ſui, & forte bellum. Sed ex parte hominum bella contingunt. Primò ex praua hominum diſpoſitione, puta ex dominio iræ vel concupiſcentiæ inordinatę alicuius rei temporalis. Iaco. 4. Vnde bella & lites in vobis. Nōne ex concupiſcentiis veſtris quæ militant membris veſtris. Secundum bellum quod contingit in hominibus eſt bellū ſpirituale. ſ. pugnantium non contra homines ſed contra vitia & tentationes vitiorum. Seneca. Pacem cum hominibus habebis bellum cum vitiis. Et iſta bella vincuntur orationibus, abſtinentijs, & occupationibus bonis, quæ ſunt quædam gubernacula animę quibus defenſantur. Prouerbio. 20. Gubernaculis tractanda ſunt bella. Tertium eſt bellum finale ſ. in morte, vbi pugnat natura contra morbum: & diabolus contra animam: & conſcientia contra peccatum. Vnde mors aſſimilatur cuidam animali de quo habetur in mappa mundi quod dicitur bęlua: quæ habet corpus aſini; crura cerui: pectus leonis: pedes equi: ingens cornu: vaſtum oris rictū. i. aperturā oris vſq; ad aures, os ſolidum: & vocē penè hominis. Aſinus eſt animal quod omnia portat ſecum quæcunque illi ſuperponuntur. Sic mors omnia bona temporalia hominis ſecum aſportat & tollit. Portat enim corpus ad tumulum: animā peccatoris ad infernū: & diuitias ad cōſanguineos transfert, quæ ſunt miniſtræ mortis ad aſportandum. Crura cerui habet propter velocitatē: habet enim mors curſum velociſſimum & continuum quo hominem inſequitur. Pectus autem leonis habet propter ferocitatem & intimiditatem: qua neminem timet, & nemini parcit. Nō enim pepercit Salomoni propter ſuam ſapientiā: nec Sanſoni propter ſuam potentiam & fortitudinem: nec Alexandro magno propter ſuam gloriam & magnificentiam. Equo autem aſſimilatur propter bellicoſitatem Hier. 8. Quaſi equus impetu vadens in prælium. Mors enim ad magnū bellum ſiue prælium inducit hominem: habet enim moriens pugnam cum mundo qui eum ſpoliat: cum infirmitate quæ eum cruciat: & cum dæmone qui eum expectat. Ingens autem cornu habet propter magnam poteſtatem qua omnia proſternit humana: proſternit enim & annihilat humanam fortiudinē: ſicut patet in Hercule: & humanā celſitudinē: ſicut patet in Holoferne. Vaſtum habet oris rictum propter inſatiabilitatem qua omnes inſatiabiliter deuorat. Os autem habet ſolidum propter tenacitatem: vbi eſt multitudo dentium propter varios moriendi modos, vocem autem hominis fingit propter fallacitatem. Multos enim decipit propter incertitudinem. Cum ergo talis belua aggreditur hominem inſtat ei periculo-

Margin notes: Eſa. 42. — Iaco. 4. — Pro. 20. — Hier.

culosum bellum: de qua si vult euadere oportet quod antè hoc se benè disponat ad ipsam mortē s. armando se armis pœnitentiæ. Pro. 24. Prouerbio. 24 Cum dispositione initur bellum.

C TERTIO in themate assumpto agitur de quadam re angustiosa. s. de visione malorum: vnde dicit: quā videre mala gentis nostræ & sanctorum. Vbi aduertendū quod Iudas Machabæus dixit hæc; ea quæ videbat mala, tripliciter accidere: quæ etiam frequēter hodie contingunt. s. quia primò videbat malos exaltari: secundò videbat bonos opprimi & cōculcari: tertiò videbat sancta prophanari. Videbat ergo mala gentis suæ. Primo quia cernebat malos exaltari. s. vt affligerentur bo- Pro. 29. ni Prouerbio. 29. Cū impij sumpserint principatum gemet populus. Legitur de Democrito quod eruit sibi oculos ne videret prosperitatem malorum & indignos exaltari. Ecclesi. 10. Est & aliud malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi: & diuites sedere deorsum. Secundum malum erat quia videbat bonos opprimi & conculari. De quo quasi admirans dicebat Deo Abachuch primo. Quare respicis contemptores: & taces, conculcante impio iustiorem se? Sed tamen Deus istud permittit ad profectum iustorū: quia ex talibus oppressionibus purgantur & maiora in cælo gaudia consequuntur: vndè in Psalm. centesimo decimo-octauo Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti annis quibus vidimus mala. Tertium malum erat quia videbat sancta prophanari: & ideò additur in themate & Sāctorum: quia sicut habetur secundi Machabæorum quinto. Antiochus ausus est intrare templū in vniuersa terra sanctissimum. Et scelestis manibus sumens sancta vasa quæ ab aliis regibus & ciuitatibus erant ad ornatum loci & gloriam: contrectabat indignè & contaminabat. Ex quo etiam habetur argumentum quod etiam qui indignè contrectant res sanctas, sicut clerici vel sacerdotes, in mortali peccato existentes, tangendo vel sacramenta vel vestes sacras, aut vasa aut ministrantes in eis, grauiter mortaliter peccant. Sed illi qui dignè ministrant sacramenta & recipiunt, gratiam consequuntur, qui scilicet perueniunt ad gloriam. Ad quam nos, &c.

In funere vnius occisi in campo belli.

SERMO II.

F*Acta est super me manus Domini: & eduxit me in spiritum Domini: & dimisit me in medio campi.* Ezec. 37. Ezec. 37

Sicut spiritus hominis. i. rationalis anima manu. i. virtute Dei creatur, & corpori immittitur: ita etiam Dei manu. i. virtute à corpore educitur per mortē; siue naturalem siue violentam quia numerus mensium eius apud ipsum est: & ipse constituit terminos eius, qui præteriri non possunt: & ideò etiam eductio eius à corpore eius qui in campo occiditur manui Dei attribuitur. Et ideò ex persona istius in campo certaminis occisi potest dici verbum propositum. Facta est super me, &c.

In quibus quidem verbis continentur tria quæ circa istius mortem possunt considerari.

Primum est diuinæ dispositionis adimpletio: quæ notatur cum dicitur, facta est, &c.

Secundum est animæ separatio: quæ notatur, cum subditur: & eduxit me in spiritu, &c.

Tertium est corporis destitutio: cum additur: & dimisit me in medio campo.

CIRCA primum notandum est, quod sicut artifex manu adimplet illud quod prius mente disposuit. Sic quando Deus temporaliter adimplet de homine vel in homine illud quod ab æterno disposuit de eo dicitur manus eius esse facta super hominem. Vndè quia iste sic mortuus est vt Deus disposuerat de ipso: ideò ex persona eius dicitur. Facta est super me manus Domini. Sed aduertendum quòd si esset aliqua manus tantæ magnitudinis quod ad omnem partem mundi se extenderet & ad omnem locum attingeret: tunc talem manum nullus posset effugere. Et talis est manus Dei per quam intelligitur eius virtus omnipotens: quia attingit à fine vsque ad finem fortiter: & disponit omnia suauiter: & ideo eam nullus potest effugere. Et ideò dicitur in Psalm.

Psal. 138 138. Si ascendero in cœlum tu illic es: si descendero ad infernum ades: si sumpsero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, &c. In quibus quidem verbis tanguntur tria generalia loca ad quæ manus Dei, id est, diuina virtus & operatio se extendit. Est enim locus superior: s. cœlum de hoc dicit. Si ascendero in cælum, &c. Itèm est locus inferior, scil. infernus: & de hoc dicit: si descendero ad infernum, &c. Et est locus medius, scilicet iste mundus qui designatur per extrema maris: quia terra in qua habitamus mari oceano cingitur, & ideò dicit: si habitauero in extremis, &c. Sed nota differentiam quia ad cælum ascendimus: ad infernum descendimus: & in extremis maris habitamus. Ascendimus ergò primò in cælum si fuerimus primò à peccatorum onere alleuiati: tam scilicet à peccato operis quã prauæ cogitationis seu affectionis: non enim grauia sed leuia ascendunt vndè in Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius?* Et respondet. *Innocẽs manibus & mũdo corde.* Itẽ si fuerimus feruore amoris Dei inflammati, sicut ad calorẽ solis eleuantur vapores nubium vndè Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Item si fuerimus mente humiliati. Nam auis volens in altum volare, primò se inclinat. Vndè Dominus primò descendit se humiliãdo, quam ascenderit se glorificando. Ephes. 4. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos.* Sed additur de loco cœli in auctoritate adducta: *tu illic es:* scilicet cum beatis, scilicet qui in hoc mundo fideliter ministrauerunt ei, in operibus actiuæ vel contemplatiuæ vitæ: sicut ipse promisit Ioa. 12. dicens. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Secundus est locus inferni: de quo dicit: *si descendero ad infernũ ades.* Vbi aduertendum est, quòd descendere propriè est grauium: vndè quia lapis grauior est quam lignum, ideò lignum in aqua natat, & lapis ad fundum descendit. Sic descendunt ad infernum animæ, quæ hinc exeunt peccato grauatæ & lapideæ, id est, duræ & obstinatæ in peccato. Exod. 15. *Descenderunt in profundum quasi lapis.* Huiusmodi autem sunt, qui per malam consuetudinem veterascunt in peccatis, & semper magis coinquinantur in mortalibus peccatis. Baruch. 3. *Inueterasti in terra aliena; coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.* Sed additur de loco inferni in auctoritate adducta,

Psal. Ps. 10[3] Ephes. Ioan. Exod. Baruc.

cta. Psal. *Ades tu Deus*: scilicet per iustitiam punientem. Nã ipse qui modo hominibus salubriter loquitur, percipiendo & admonendo, contemnentibus mandata & monita sua, ibi aderit puniendo: & dicet illud Esa.52. *Ego ipse qui loquebar ecce adsum.* Quasi dicat, ego ipse qui loquebar te admonendo, ecce adsum te puniendo, & etiam diabolus est ibi ad torquendum homines damnatos. Iob 1. *Affluit inter eos etiam sathan*, id est, aduersarius. Sed de loco mundi dicitur *si habi. in extrema.* &c. Vel per mare intelligitur vita impiorum, quia ad modum maris intumescunt per superbiã, spumant per luxuriam, absorbent per auaritiam insatiabilem. Vndè Esa.57. *Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest.* Huius extrema sunt extremæ damnationis supplicia, ad quę manu Dei, id est virtute Dei deducuntur impij. Istam manum nullus potest effugere, aut ei resistere, & hoc quia omnipotens est: vndè quamuis possit quis effugere manum hominum, non tamen manum Dei. Vndè Eleazarus dixit 2. Mach. 6. *Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar: sed manum omnipotentis, neque viuus neque defunctus effugiam.* Et sicut homo peccator dupliciter Deum offendit, scilicet in anima & in corpore: ita per manum Domini in vtroque punietur. Vel offendit Deum dupliciter, scilicet cõmittendo mala quæ prohibuit, & omittẽdo bona quæ præcepit: ideo duplici pœna punietur, scil. pœna sensus propter commissa, & pęna damni propter omissa Esaiæ 40. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*: horrendũ est ergò incidere in manus Dei viuentis: vt habetur Hebrę. 10. & ideò dicebat Iob 13. *Manum tuam longè fac à me.*

Esa.52. Iob 1. Esa.57. 2.Mac.6 Esa. 40.

SECVNDO tangitur animæ separatio: cũ subditur: *eduxit me*, scilicet de mundo *in spiritu Domini*: in spiritu dicit non corpore, quia spiritus separatur à corpore & recedit: sed corpus remanet mortuus. Dicitur autem spiritus Domini, quia à Domino creatus est ad imaginem & similitudinẽ eius. Ps.145. *Exibit spiritus eius*, scilicet à corpore, *& reuertetur*, scilicet corpus *in terram suam.* Sed notandum est, quod sancti viri multum appetunt, quod spiritus siue anima à corporis custodia educatur: sicut petebat Psalm. 41. dicẽs. *Educ de custodia animã meã.* B

Ps.145. Psal. 41.

In quibus quidem verbis tangitur triplex ratio, quare anima sancti viri desiderat à corpore separari.

Primò scilicet ratione claritatis, cum dicit: *educ.* Quamdiu anima in corpore est, in tenebris ignorantiæ est: nam quandò aliquis est in domo magna, quæ non est aperta, sed habet fenestras paruas, modicum lumen recipientes, est in obscuro, sed quandò educitur extra, tunc habet claritatẽ lucis. Magna autem domus est anima: de qua dicit Philosophus. Anima est quodãmodo omnia. i. omnium capax, quia omniũ similitudines in se recipit, vt sit omniũ cognoscitiua. Sed per parua foramina s. quinq; sensuũ, quãdiu est in corpore, lumen cognitionis recipit, quia omnis nostra cognitio oritur à sensu: & ideò semper est in quadam obscuritate ignorantia: maximè circa ea quæ seipsum trãscẽdũt, sicut sunt spirituales substãtiæ: & ea, quæ ad aliã pertinent vitam: ad quæ se habet intellectus noster sicut oculus noctuæ ad lucẽ solis, prout Philosoph. dicit. Sed quãdò anima educitur de corpore, tunc per seipsã illustratur à superioribus substãtijs, & intelligit nõ per cõuersionẽ ad fantasmata, sed

ſed per conuerſionem ad ea, quæ ſunt ſimpliciter intelligibilia, ſicut & aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ, quia ſicut anima ſeparata habet alium modum eſſendi, quam cõiuncta, ita & alium habet modum intelligendi; vndè ſecundũ naturalem cognitionem, poterit quidem intelligere per ſpecies intellectuales hic acquiſitas, ſed non eodem modo quo nunc, quandò eſt coniuncta, ſed ſecundùm modum conuenientem animæ ſeparatæ. Cognoſcunt etiam animæ ſeparatæ per ſpecies, ex influentia diuini luminis participatas, quarũ anima fit particeps, ſicut & aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ, quamuis inferiori modo. Vndè quàm citò ceſſat conuerſio ad corpus, ad ſuperiora conuertitur. Intelligit etiam anima ſeparata naturali cognitione ſeipſam per ſeipſam, & ſicut perfectè cognoſcit ſeipſam, ita etiam perfectè cognoſcit alias animas ſeparatas. Angelos autem cognoſcit per ſpecies diuinitus impreſſas, ſed tamen quia tales ſpecies recipiuntur in anima ſecundùm modum naturæ ſuæ, & natura ſua eſt inferior natura angelica: ideò deficiunt huiuſmodi ſpecies à perfecta repræſentatione angelorum, & ideò cognitionem habet de angelis deficientem & imperfectam, loquendo de cognitione naturali. Sic etiam per huiuſmodi ſpecies, quas habet anima ſeparata ab influentia diuini luminis, habet cognitionẽ de omnibus naturalibus, non perfectam & diſtinctam ſicut angeli, ſed communẽ & confuſam: vndè angeli per huiuſmodi ſpecies non ſolùm cognoſcunt naturas rerum in vniuerſali, ſed etiã in ſingulari ſub ſpeciebus contentas. Animæ autem ſeparatæ non poſſunt cognoſcere per huiuſmodi ſpecies, niſi ſolùm ſingularia iſta, ad quæ quodammodo determinantur vel per præcedentem cognitionẽ, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem, vel per diuinam ordinationem. Et ſic patet quòd anima ſeparata liberior eſt ad intelligendum, quam eſſet in corpore exiſtens: quia per grauedinem, & occupationem corporis impeditur: & inſuper quantum ad cognitionem gloriæ quam habent ſeparatæ animæ iuſtorum, habent cognitionem claram & perfectã de omnibus quæ cognoſcunt. Et propterea iuſtorum animæ quandò de corpore exeunt, & tranſeũt ad claritatem illius cognitionis, quæ erit in viſione Dei, dicũtur educi ad lucem, & tunc clarè vident iuſtiſſimã Dei ordinationẽ, & diſpenſationẽ circa multa quæ cõtingunt in mundo, quæ nõ apparent iuſta: ſicut eſt de afflictione bonorum, & proſperitate malorum. Vndè Micheæ 7. *Educet me in lucem: videbo iuſtitiam eius.* Pſal. 106. *Educit eos de tenebris.* Secundò anima viri iuſti appetit educi de corpore ratione libertatis, vt ſcilicet efficiatur libera à corporis cuſtodia; & ideò notanter dixit Pſal. in auctoritate adducta ſuperius *educ*, ſed addidit, *de cuſtodia.* Legitur de beato Marcello, quod in pœnam fuit deputatus ad cuſtodiam animalium, & ibi vitam finiuit. Sic magna pœna eſt, & quaſi quoddam animæ martyrium, cuſtodire corpus ſuũ quod eſt animale, & de ſe non ſpirituale, ſed carnalia & ſenſibilia tamen appetens. Et ideò beatus Andræas in cruce exiſtens, petebat à Deo vt abſolueret ſpiritum ſuum, & educeret à tali curia, & cuſtodia corporis. Oportet autem animam habere de corpore præcipuè duplicem cuſtodiam, ſcilicet à vitio luxuriæ, & à vitio gulæ, ſed ab vtraque cuſtodia liberabitur, quando exierit de carcere corporis per portam mortis.

Mich.

Pſ. 10

quæ

quæ porta ferrea est, & dura ad exeundum, sed tamen hæc porta vltrò aperitur ei, qui libenter & voluntariè moritur. Hoc figuratū est in beato Petro, quādò eductus est de carcere Herodis. Vndè dicitur Act.12. *Transeuntes autem*, scil. Petrus & Angelus eius, *primam & secundam custodiam*. Prima est à vitio gulæ, secunda à vitio luxuriæ, vel prima est custodia innocentiæ post baptismum, secunda gratiæ post pœnitentiam, & ita vtraque iuuat hominem Angelus, ei ad custodiam datus: *venerunt ad portam ferream*, id est, ad mortem corporis duram, *quæ vltro aperta est*: quia scilicet beatus Petrus Angelo auxiliante, voluntariè suscepit martyrium: & hæc porta ducit ad ciuitatem, scilicet cęlestem Hierusalem. Tertio desiderat anima viri iusti educi à corpore, ratione felicitatis, quæ innuitur in auctoritate adducta Psal. cum dicit *animam meam*. Nam anima existens in corpore, felicitatem beatitudinis habere non potest: sed à corpore egressa efficitur beata, quando videt faciem Dei: quam quidem visionem, quantò anima magis desiderat, tantò eum educiens à corpore, ardentiùs expectat: & tantò cum maiori luctu præsentis vitæ incolatum portat. Vndè Ps.41. dicebat. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, &c.* vsque ibi. *tuus.*

Act. 12.

Ps.41.

C TERTIO in themate assumpto ponitur corporis destitutio: cum dicitur: *dimisit me*, &c. vult dicere dimisit me, scilicet occisū in medio campi. Notandū, quod illi qui vadunt ad bellum campestre, multùm debent attendere, an habeant bellum iustū an non: quia si habent bellum iustū, possunt securius ire propter confidentiam diuini auxilij, quod etiā pauciores facit plerumque vincere, quandò habēt iustitiam pro se. Exemplum de hoc habetur 2. Regum 18. de populo Dauid, qui erat in numero paruo, sed habebat iustitiam: & de populo Absalon numeroso valdè: sed quia non habebat iustitiam, debellatus est à populo Dauid. Et ideò dicitur ibi. *Ingressus est populus* scilicet Dauid, *in campum contra Israel: & factum est premium in saltu Effraim: & cæsus est ibi populus Israel ab exercitu Dauid.* Et dato quod in tali bello, ex his qui habent iustitiam, aliquis occidatur, si alias sit benè dispositus, saluatur & habet vitam æternam. Ad quam Deus nos perducat, &c.

In funere alicuius mortui ex vulnere.

SERMO III.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt. Ps.87. Psal.87.

Quocunque modo homines moriantur, siue per corruptionem ægritudinum, siue per violentiam vulnerū, omnes tamen post mortem communiter destituuntur fauore fortunę: quia scilicet de bonis fortunę, quæ sunt bona huius mundi, nihil post mortē percipiunt. Ps.48. *Cum interierit*, scilicet homo, *non sumet omnia neque des. eum eo glo. eius.* Sed quia mori non naturali sed violenta morte, scilicet ex vulneribus illatis, magis videtur esse contra fauorem fortunæ; ideò specialiter de talibus mortuis ostendit Propheta in verbis propositis, quomodò destituuntur post mortē ab omni fauore fortunæ, vt scilicet sumantur dicta verba tanquā ipsi fortunæ dicta: vt accipiantur *sicut vulnerati dormientes*, id est, mortui quiescentes *in sepulchris*, *quorum* in fortuna *non es memor amplius*: Psal. 48.

quia

quia scilicet nō facis eos amplius esse in reputatione, & recordatione hominum: *& ipsi etiam de manu tua*, id est, ab auxilio fauoris tui *repulsi sunt*.

A In quibus quidem verbis tangitur triplex iactura talium mortuorum.

Prima est ex personæ læsione: quia *vulnerati*.

Secūda ex sepulturę requietione: quia *dormientes in sepulchris*.

Tertia ex fortunæ destitutione, cum dicitur: *quorum non es memor, &c.*

CIRCA primum nō attendendum, quòd plures homines moriuntur spiritualiter de vulneribus carnis. Sagittæ autē spirituales, quibus vulnerantur animæ, sunt tentationes malæ: & tunc ex vulneribus homines mortui corruunt, quando tentationibus consentiunt. 1. Paral. 5. *Vulnerati multi corruerunt: fuit enim bellum Domini.*

1. Par. 5.

In quibus quidem verbis ostenditur tentatorum hominum periculum ex tribus.

Primò quidem ex interiori læsione: quia *vulnerati*, scil. mente.

Secūdò ex exteriori prostratione: quia *corruerunt* scilicet opere.

Tertiò ex superiori permissione: quia bellum tentationum est *bellum Domini* scilicet permissiuè.

Circa primum notādum, quòd tentator primū conatur inuadere intellectum, immittendo, mediātibus fantasmatibus & formis imaginabilibus, prauas cogitationes: deindè inuadit, & inflāmat affectum ad indebitās delectationes, & tunc damnatur ambobus, quandò consentire facit mentē, aut in propositum complendi actum peccati, aut in delectationē morosam ipsius prauæ cogitationis: & in tali consensu est anima vulnerata vulnere mortalis peccati, & tunc etiam expoliatur ornamentis & indumentis gratiæ & virtutum, & expoliatur gratuitis, licèt naturalia euadāt & non tollantur. Hoc figuratum est Actor. 19. vbi dicitur, quod insiliens homo in eos, in quo erat dæmoniū pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt vulnerati effugerent Dan. 13. Erāt ambo vulnerati, scilicet intellectus & affectus, vel spiritus & caro amore eius, scilicet peccati. Sed inter alia peccata plures vulnerat tentatio carnis. Et ideò de voluptate carnis dicitur Prouer. 7. *Ne abstrahatur in viis illius mens tua: neque decipiaris semitis eius. Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Et nota quod Deus sicut dicit Greg. aliquandò punit occultam mentis superbiam per manifestā carnis ruinam, scilicet permittendo hominem superbum cadere in peccatū carnis, vt humilietur. Vndè in Ps. 88. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Prou. Psal.

Secundò ostenditur tentatorū periculū ex exteriori prostratione: quia corruerunt, scilicet ex prauo consensu in prauam operationem. Nam à dignitate gratiæ tantò aliquis profundius corruit; quantò ad peccati gradum vlteriorem procedit. Prou. 11. *In impietate sua corruet impius.* Et nota, quòd quatuor sunt causę quæ faciūt homines in peccata corruere. Prou.

Prima, est tenebrositas ignorantiæ. Prouerb. 4. *Via impiorum tenebrosa nesciunt vbi corruant.* Prou.

Secunda est lubricitas concupiscentiæ. Hiere. 23. *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris impelluntur enim & corruent in ea.* Hier.

Tertia est pusillanimitas animæ. Prouerb. 29. *Qui timet hominem citò corruet.* Prou.

Quarta est duritia impęnitentiæ Prouer. 28. *Qui mentis est dura corruet in malum.* Prou.

Tertio

Tertio apparet tentationum periculum ex diuina permissione, quia bellum tentationum dicit, quod fuit bellum Domini. Nam à Deo permissum eſt vt homines tententur; licet enim Deus neminem tentet, quia Deus intentator malorum eſt, permittit tamē homines tentari, & ſanctos, ad eorũ humiliationem: quia ſicut dicit Greg. Vitia dum nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant; vel ad eorum eruditionem, ſicut eruditur miles in experientia bellorum Propter quod dimiſit Deus quaſdam gentes in medio filiorum Iſrael, quas non potuerunt delere, vt in eis erudiret eos: ſicut habetur Iudi. 3. vel ad eorum ſollicitationem, ſicut boues ſtimulo puncti ſollicitius arant: vel ad eorum conſeruationē. Vndè Greg. Interitus benè cuſtodimur, cũ per diſpenſationem Dei tolerabiliter tentamur. Dicitur ergò bellum Domini, quia à
Exo. 17. Domino permittitur ad noſtram vtilitatem. Exod. 17. *Bellum Dei erit contra Amalech à generatione in generationem.* Amalech interpretatur gens bruta; & ſignat dæmones tentantes, vel ipſas tentationes. Sed notandum, quòd quandò quis vtiliter bellat cōtra tentationes & vincit eas, dicitur fuiſſe bellũ Dei: quia nō potuiſſet reſiſtere tentationibus, nec eas vincere, niſi à Deo adiutus. Pſ. 88.
Pſal. 88. *Non es auxiliatus ei in bello: deſtruxiſti eum,* id eſt, permiſiſti eũ deſtrui à vitiis tu Deus: *eo* ipſo *quod non es auxiliatus ei* in bello tentationis. Et è contra de his qui habent Dei auxilium dicitur Zach.
Zac. 10. 10. *Erunt quaſi fortes & conculcantes lutũ in medio maris, & in prælio, & bellabunt: quia Dominus cum eis.* Itèm dicitur bellũ Domini: quia Dominus tentari voluit, vt nos erudiret ad bellandum, & vincen-
Pſ. 143. dum. Pſal. 143. *Benedictus Dominus Deus meus qui do. ma. me. ad prælium: & digi. me. ad bellum, &c.*

SECVNDO in themate aſſumpto agitur de ſepulturæ concluſione, ſiue requietione: cum dicitur: dormientes in ſepulchris. Vbi aduertendũ eſt, quod Ariſto. in primo de anima arguens contra eos, qui dicebant quod anima eſſet primũ mouens ſeipſam, deducit ad hoc impoſſibile: quia ſequeretur quod eſſet reſurrectio mortuorum, quia illud quod eſt primũ mouens ſeipſum, mouet ſe ſecundũ motũ localē, & ſic oporteret quod anima moueret ſeipſā motatione locali mutatio autem localis eſt de loco ad locũ, ſiue de corpore ad corpus, & ſic eſſet animæ trāſitus de corpore ad corpus ſicut de loco ad locum: & ſi ipſa mouet ſeipſam exiēs de corpore, poteſt etiam redire quandù vellet ad corpus vndè exiuit & ſic idem corpus reſurget ad vitam, & erit reſurrectio mortuorũ quod eſt ſecundũ eũ abſurdũ & impoſſibile. vndè patet quod quidā Philoſophi habuerunt pro impoſſibili, quod mortui reſurgant, & cũ crederent mũdũ eſſe æternũ, ſequebatur ſecundũ eos, quod mortui nunquā eſſēt de ſepulchris exituri viui. Et ideò ex perſona taliũ dicitur. *Sepulchra eorũ domus illorũ in æternũ.* Pſal. 48.
Vndè tales ignorauerũt ordinationē & virtutē Dei, circa mortuos dormientes ſiue quieſcētes in ſepulchris. Sed ſancti viri per fidē à Deo inſpiratā, nō ignorauerũt ſed cognouerũt, quod nō virtute naturæ ſeu animæ, ſed virtute & ordinatione omnipotentis Dei, fiet reſurrectio omniũ mortuorũ: vt. ſ. à iuſto iudice Deo nō tātũ anima ſed etiā corpus præmietur de labore ſuo. Hoc enim nō ignorauit
Iob qui ait. *Scio quod redem. meus vi. & in no. &c.* Non etiā ignorauit hoc B. Martha, quæ erat loquens de fratre ſuo Lazaro mortuo. Iob 19.

Scio

Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Ioan. 11. Et hinc est quod Apostolus dixit 1. Thess. 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent*, scil. futuræ resurrectionis.

1. Th. 4.

In quibus quidem verbis facit tria.

Quia primò dat documentum: cum dicit: *nolumus vos ignorare de dormientibus*, id est, de mortuis: scilicet quod sint resurrecturi.

Secundò ponit documēti emolumentum: cum subdit: *vt non contristemini.*

Tertiò ponit emolumenti defectum: cum addit: *sicut & cæteri qui spem non habent.*

Circa primū sciendū est, quòd illi dicitur ignorare, cui deest scientia eorum quæ aptus natus est scire. Sed quædā sunt, quæ aliquis natus aptus est scire, sed tamen nō tenetur ea scire, sicut theoremata geometriæ, & contingētia singularia, nisi in casu: & talia ignorare non est peccatum, etiamsi homo possit ea scire. Sed quædam sunt quæ homo aptus natus est scire, & tenetur ea scire, sicut illa sine quorum scientia non potest debitum actum rectè exercere: vndè omnes cōmuniter tenentur scire ea quæ sunt fidei, & vniuersalia iuris præcepta. Singuli autem tenentur scire ea, quæ ad eorum statum vel officium pertinent; vndè si quis negligat ea scire, peccat peccato omissionis, non autē imputatur homini ad negligentias, si nescit ea quæ scire nō potest, quia talis ignorantia inuincibilis est, & nunquam est peccatum, quia nullo studio superari potest. Sed in habentibus vsum rationis, quantum ad ea sine quibus non est salus, nulla ignorātia est inuincibilis, & omninò, quia si non inueniret hominem à quo doceretur, ratio doceret eum, nisi staret per eum: & ideo taliū ignorantia non excusat: vndè nō licet talia ignorare. Et de talibus sunt articuli fidei, quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Et ideò cum carnis resurrectio sit fidei articulus, nullo modo licet ignorare: & simile est de ignorantia mandatorum Dei. Vndè de talibus dicit Apostolus 1. Corint. 14. *Qui ignorat ignorabitur.* Et nota, quod mortui vocantur dormientes, quia sicut facile est homini dormientem excitare, ita est facile Deo hominem mortuum resuscitare. Et ideò Ioan. 11. dixit Dominus de Lazaro mortuo, *Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt à somno excitem eum.* Et subditur ibi. *Dixerat autem Iesus de morte eius: discipuli vero putauerūt quod de dormitione somni diceret.* Itèm mors assimilatur dormitioni, quia sicut ille qui ponit se ad dormiendum, ponit se sub spe euigilandi: sic ille qui moritur, debet mori in spe resurgendi. Ps. 40. *Nunquid qui dormit non obiiciet vt resurgat.*

1. Cor. 14.

Ioan. 11.

Ps. 40.

Secundò, post doctrinam resurrectionis ponitur emolumentum consolationis, cum dicitur in auctoritate adducta, *vt non contristemini*, scilicet de morte charorum, scilicet superfluè & inconsolabiliter. Nam moderatè tristari non prohibetur, siue propter compassionē naturalis pietatis, siue propter affectionem spiritualis charitatis, spiritualiter quādò homo dubitaret de salute animæ defuncti, siue propter damnum propriæ vtilitatis, siue propter separationē delectabilis societatis. Vnde Dauid audita morte Absalonis sicut dicitur 2. Reg. 18. *Contristatus ascēdit cenaculum & fleuit.* Et rex Antiochus audita morte Oniæ: sicut dicitur 2. Mach. 2. *Tristatus animo propter Oniam, flexus ad misericordiam lachrymas fudit: recordatus defuncti*

2. Reg.

2. Mac.

defuncti sobrietatem & modestiam. Debet tamē homo refrænare tristitiam.

Eccl. 37. Primò propter consensum iustitiæ diuinæ. Vndè Eccl. 37. *Fili in mortuum produc lachrymas : & post, secundùm vnam literam,* subinfertur: *& consolare propter iustitiam:* scil. quia Dei iustitia exigit vt homo moriatur: cui cōsentiendum est omnino. Sed alia litera habet, *propter tristitiā,* id est, vt nō absorbearis nimia tristitia.

Secundò debet homo tristitiā refrænare propter damnum personæ propriæ: quia scilicet nimia tristitia non prodest defuncto, & sibi multum potest obesse. Eccl. 38. *Ne dederis in tristitia cor tuum: sed repelle eam à te: & memento nouissimorū, & noli obliuisci, neq; enim est cōuersio, & huic nihil proderis, & teipsum pessimabis.* Et exponitur ne dederis in tristitia cor tuum, id est, non damnetur tibi tristitia de morte alicuius, sed repelle eā à te per sacrarum scripturarum inspectionem, per bonorum virorum conspectionem, per diuinæ misericordiæ cōtemplationē: & memento nouissimorū, id est, memorare quod tu sic morieris, & noli obliuisci, scilicet nouissimorum, id est, mortis & extremi iudicij, neque enim est cōuersio id est, ad vitam præsētem reuersio, & huic, id est mortuo, pro quo tristaris, nihil proderis scilicet tristando, & teipsum pessimabis nimio dolore affectus. Hiero. Moderandus est dolor de morte amici.

2. Re. 12. Secundum hoc documentum fecit Dauid 2. Reg 12. qui audita morte filij sui ait. *Cum adhuc puer viueret ieiunaui & fleui: dicebam enim. Quis scit si forte donet eū mihi Dominus & viuat infans? Nūc autem quia mortuus est quare ieiuno? Nunquid potero eū reuocare amplius? Ego vadam magis ad eum; ille vero non reuertetur ad me, & consolatus est Dauid.*

Tertiò debet homo refrænare tristitiam propter bonum personæ defunctæ: quia si benè mortuus est, transit de vita ista misera & laboriosa ad æternam felicitatem & requiem. *In requie mortui requiescere fac memoriam eius.* Eccl. 38. Quasi diceret: ex quo mortuus transiit ad æternam requiē, fac quod memoria eius sit in corde tuo: non contristatiua & perturbatiua, sed potius quietatiua & consolatiua. Tertio quoque in auctoritate adducta ponit Apostolus emolumenti defectū, cum dicit, *sicut cæteri qui spem non habent.* Vbi nota, quod licet futura resurrectio debeat fieri non ex virtute naturæ, sed diuinæ potentiæ: tamen ad habēdum spem de ipsa, inducit nos etiam exemplū naturæ. Nā dato quòd lignum præcidatur, si tamen remaneat radix viua, adhuc est spes quod reuiuiscat, & crescat. Radix autem vitæ humanæ est anima: & ideò cum anima remanet immortalis, quamquam ab ea præcidatur corpus per mortē, tamē adhuc debet esse spes de futura resurrectione: & hoc exemplum tangitur. *Lignum habet spem. Si præcisum fuerit rursum virescit: & rami eius pullulant: si senuerit in terra radix eius, &c.* Iob 14. Psalm. 15. *Caro mea requiescet in spe.* Psal. 15.

C TERTIO in themate assumpto ponitur erga defūctū fortunæ destitutio. Primò quidē quātū ad eorū obliuionē, cū dicitur: *quorū.* s. tu fortuna, *non es memor amplius.* Itē quoad fauoris fortunæ subtractionem: quia *de manu tua repulsi sunt.* Fortuna ergò dicitur non esse eorū memor amplius, quia postquā mortui sunt, nō sūt in hominum viuentium reputatione, & ideò obliuioni tradūtur secundùm illud. *Obliuioni datus* Psal. 30.

 sum

ſum tamquam mortuus à corde. Item Pſal. 9. Periit memoria eorum cum ſonitu: ſcilicet vocum eos deflentium: vel cum ſonitu campanarum, in morte eorum pulſantium, & clericorum in funere cantantium. Vel hoc quod dicit, quorum nō es memor amplius, poteſt accipi, vt dictum Deo de his ſpecialiter, qui malè moriuntur, ſcilicet de damnatis in inferno, quorum Deus non eſt memor amplius: non quia in eū cadat obliuio, ſed inquantum eis nihil miſericordiæ vel refrigerij impendit in pœnis ſuis, nec impendet in perpetuum, ac ſi eorū ex toto eſſet oblitus, nec etiam Deus per ſacram ſcripturam aliquid miſericordiæ promittit eis, ſed ſolùm æterna ſupplicia: ideò dicit Deus. *Nec memor ero nominū eorum per labia mea.* Os enim quo Deus nobis loquitur, ſacra ſcriptura eſt, cuius quaſi duo labia ſunt duo teſtamenta, & in neutro inuenitur quod Deus de aliquo damnato faciat mentionē, quod debeat recordari eius ad miſerendum ei. Et ideò infernus vocatur terra obliuionis: vbi apparet Dei iuſtitia ſine miſericordiæ ſpe. Pſal. 88. *Iuſtitia tua in terra obliuionis.* Iob. 24. Obliuiſcatur illius miſericordia. Secundò oſtenditur in themate, quomodo ſunt deſtituti mortui à fauore fortunæ: cum additur, & ipſi de manu tua id eſt tui fauoris & auxilij, o fortuna, repulſi ſūt: repulit enim eos vt non amplius aperiat eis manū fauoris ſui, ad dādum eis diuitias, vel honores, vel delitias, ſicut conſueuerunt habere, vnde poſſent dicere fortunæ illud Pſal. 88. *Tu verò repuliſti & deſpexiſti:* & ideò fortuna retrahit manū ſuam quādo homo magis egeret. Ezechiæ decimo ſexto. Manum egeno & pauperi non porrigebat. Vel poteſt etiam hoc referri ad Deum, de cuius manu, id eſt auxilio, repulſi ſunt damnati in inferno exiſtentes. vnde dicunt illud Pſalm. 59. *Deus repulit & deſtruunt nos.* Iob. octauo. *Non porrigit manum malignis,* illam ſcilicet manum de qua dicitur in Pſal. 113. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Et iſta impletio præcipuè erit in gloria æternæ beatitudinis. Ad quam nos perducat Deus &c.

Pſ. 88.
Iob. 24.
Pſ. 88.
Pſ. 59.
Pſ. 113.

In funere vnius in longinquo mortui.

SERMO IIII.

NOn eſt vir in domo ſua. abijt via longiſſima, ſacculum pecuniæ ſecum tulit, in die plenæ lunæ reuertetur in domum ſuam.

Prou. 7.

Prouerbio 7. Quatuor quæſtiones poſſūt fieri de iſto in regione remota defuncto. Prima quidem eſt, vbi ſit, ſecunda quò iuit, tertia quid ſecum portauit, quarta eſt quandò redibit. Ad has ergo quæſtiones Salomō in verbis propoſitis per ordinem reſpondet. Ad primam namque quæſtionem reſpōdet, quod non eſt vir in domo ſua. Ad ſecundam verò, quod abiit via longiſſima. Ad tertiam quod ſacculū pecuniæ ſecū tulit. Ad quartā verò reſpondet, quod in die plenæ lunæ reuertetur.

A

Circa primū attendendum eſt, quod homini in ſtatu mortalitatis aſsignata eſt triplex domus. Prima quidem eſt communis toti humano generi, ſcilicet totus iſte mundus viſibilis, cuius tanquā fundamentum eſt terra, tanquā verò parietes ſunt tria alia elemēta, ſcilicet aqua, aër & ignis, tanquam verò tectum eſt cœlum. Hæc domus licet ſit valdè magna, tamen præcipuè propter hominem videtur eſſe facta, & ideò

ideò post omnia fact⁹ est homo, & omnia seruiunt ei, & omnia sunt ei subiecta, & humano etiā genere cessante, cessabit etiam ordo rerum qui est in domo ista, videlicet post diem iudicij. Licet autem sit positus in domo tam magna, minimam tamen partem occupat de ipsa; quia terra minima est respectu cæli, & de terra modica pars inhabitatur: si ergò istum hominem quęras in domo ista, non inuenies, quia non est vir in domo sua. Secunda domus hominis est specialis, scilicet quam cum familia sua inhabitat. Et homini domus est inuenta ad commoditatem personarum, & ad custodiam rerum: quia homines primę ætatis habitauerunt sub arboribus, sequētes autē sub tentoriis & in tabernaculis, posteriores verò in domibus sub tectis: sed nunc fiunt magna palatia, aliquando plus ad pompam quam ad necessitatem, vndè dicitur in gloriam octauiani imperatoris, quod inuenit Romam laterinā, & dimisit eam marmoream. Sed adhuc si quæsieris istum tali domo, non inuenies: quia dicit *quod non est vir in domo sua*. Tertia domus est animæ propria & singularis scilicet corpus proprium de quo Apost. 2. Cor, 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur: domum nō manufactam habemus in cælis.* Hæc domus habet diuersas partes, in quibus quidam dixerunt animā habitare. Nam aliqui dixerunt quod anima principalis residet in capite. vndè & Gene. 2. dicitur *quod Deus inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ* id est spiritū dantem vitam, qui est anima: facies autem in capite est, vndè ista inspiratio fuit animæ infusio. Alij autem dixerūt ipsam potius esse in corde. vnde Salomon Prouer. 4. *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso procedit vita*, vita autem anima est, ergò anima est in corde. Dominus etiam dixit Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes*: cū ergò cogitationes sint ab anima, videtur etiam per hoc quòd anima sit in corde. Alij verò dixerunt quòd anima est in sanguine: propter illud Leui 17. *Anima omnis carnis in sanguine est.* Alii autem sicut Aristo. dixerunt eam esse in toto corpore totam, & in qualibet parte totam. Et istud tenetur pro vero quantum ad substantiam animę: licet diuersæ partes siue potentiæ animæ, sint diuersis organis, siue partibus corporis affixæ, pręter intellectum, qui nullius partis corporis siue organi virtus est, aut ei affixus. Vndè si quæratur, vnde exit anima quandò recedit à corpore? Responderi potest quod exit à toto corpore & à qualibet parte eius: quia antequam separetur secundum substantiam, est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte eius, quia substantia animæ indiuisibilis est. Potentiæ autem animæ quæ sunt affixæ organis, destructis organis destruuntur quantū ad actum, licet remaneant in anima separata, sicut in radice sua, ex qua radice repullulabunt, & reuiuiscent in resurrectione eorumdem corporum, quæ fiet virtute dei. Nūc autem moriente homine, anima totaliter recedit de domo sua idest de corpore, licet non appareat vndè exeat, sicut si etiam moriatur homo in segete clausa, non apparet vndè anima exisset, & tamen exiuit. Vndè de illa domo, scilicet corporis, aliter exit anima viri iusti, & aliter anima impii. Nam anima viri iusti, dissoluta domo corporis per mortem, transit ad domum cælestem, in qua habet habitatio-

2. Cor. 5. Gen. 2. Prou. 4. Mat. 15. Leuit. 17

bitationem iucundam & perpe-
2.Cor.5. tuã secundũ illud Apost. *Scimus* inquit *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, domum non manufactam habemus in cælis: & hæc domus est plena*
Ps.111. *diuitiis & gaudiis.* Vndè in Psalm. 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Sed anima impij, etiam inuita cogitur relinquere domum corporis, & omnia bona sua dimittere aliis, & traditur in manus inimicorũ suorum, vt deducant eam ad domum inferni, vbi sunt tormẽta crudelia & æterna. Vndè ex persona talis defuncti de-
Hier.12. flet. *Reliqui domum meam,* scilicet corporis, *dimisi hæreditatem meã,* scilicet aliis qui plus curant de hæreditate, quam de me: *dedi,* scilicet ex culpa mea, *dilectam animam meam,* id est, quam maximè debebam diligere, *in manum inimicorum eius*, scilicet dæmonum in inferno torquentium.

B SECVNDO in assumpto themate respondetur ad secundam quæstionem, qua quæritur de isto quo iuit? Et respondetur ad hoc, quod *abiit via longissima.* Nam si anima defuncti vadit ad infernum, vel ad commune purgatoriũ, quod dicitur esse locus iuxta infernum, longa valdè via siue distãtia est: quia si infernus est in centro terræ, sicut videtur ex auctoritate Gregorij in lib. dialo. vbi ait, quod infernus se habet ad terram, id est, ad superficiem terræ in qua stamus, sicut terra ad cœlum. Et ideò sequi videtur, quod sicut terra est in cẽtro cœli, ita infernus in centro terræ: tunc est grandis distantia siue longa via, quia secundũ cõputationem Alphagrani, vsque ad centrum terræ sunt miliaria tria milia 200. fere. Vndè potest animæ illuc eunti dici illud.
3.Re.19. *Grandis tibi restat via.* Sed mirabile valdè est, cum sit tam grandis distantia vsque ad profundũ inferni, quod tantum est pondus peccati, quod animę miserorum peccatorum, sicut dicitur. *In*
Iob 21. *puncto ad inferna descendunt.* Et quamuis S. Thomas de Aquino dicat in quadam sua quæstione, non esse rationabile dicere quod infernus sit in cẽtro terræ, quod est locus naturalis grauium. Vndè non est credibile quod ibi sit concauitas, & quod ibi non sint partes corporis grauis, quibus natura talem locum instituit, & ideò dicit quod est infernus sub terra, in aliqua parte nobis ignota. Tamen, hoc non obstante, videtur rationabile credere quod sit, & non in centro, tamen quod sit in loco valdè profundo, sicut paradisus etiam terrestris in loco valdè alto, & sic etiam competit grauitati peccati. Sed si anima vadit ad cælum, id est paradisum, tunc est longior distantia & longissima via. Nam sicut dicit Rabbi Moyses, tanta distantia est à terra ad cęlum, quantum homo posset ire de via plana in septem millibus septingẽtis annis, eundo qualibet die per 40. miliaria. Sed Alphagranus tradit ꝙ à terra vsque ad cælum stellatũ sunt miliaria centum nonginta-nouem & triginta septem miliaria, & ab indè vsque ad cælũ empyreum credenda est esse distantia quam maxima, quæ non est nobis nota. Ad hanc viam lõgissimam potest referri illud Lucæ
Luc.19. 19. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquã accipere sibi regnum.* Iste homo nobilis est anima iusti defuncti, quæ tanquam pars hominis principalior, per synecdochen homo vocatur: & est nobilis, quia est intellectualis naturæ & ad imaginem Dei creata. Regio autem longinqua, ad quã abiit, est vita æterna, vt ibi accipiat regnum cælorum.

TER-

C TERTIO respondetur ad tertiam quæstionem qua quæri potest, quid portauit; & respondetur ad hoc quod *sacculum pecuniæ secũ tulit.* nõ quidem pecunię materialis, quia sicut dicitur. [Iob 27.] *Diues cum dormierit nihil secum afferet, aperiet oculos suos & nihil inueniet*: sed iste sacculus pecuniæ est meritum eleemosynarum factarum, secundùm illud. [Eccl.17.] *Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso,* vel sacculus iste pecuniæ, est cumulus meritorum, per quęcunque opera facta acquisitorum. Sed cauendum est ne sit moneta falsa, scilicet apparens & non existens, sicut sunt opera hypocritarum ficta & duplicia. [Deut.25.] *Non habebis in sacculo tuo diuersa pondera*: aliud scil. in intentione: & aliud in actione. Item ne sit moneta diminuta, scil. per defectum pœnitentiæ. [Apoc.3.] Apoc.3. *Non inuenio opera tua plena* [Dan.5.] Dan.5. *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* Vndè dicitur tali illud. [Act.8.] *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Debet ergò esse de moneta praciosa, sicut moneta aurea per charitatem, vel argentea per puritatem, vera per simplicitatem, integra per totalitatem & continuitatem, & talis pecunia benè recipietur. [Esai.46.] *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis.*

D QVARTO ad quæstionem qua quæri posset quãdò redibit? respondetur quod *in die plenæ lunæ reuertetur in domum suam.* Dies plenæ lunæ erit dies iudicij postquam innouabitur mũdus. Et ad literam luna semper erit plena, stans ex opposito solis. Ps.88. Luna perfecta in æternum. Vel tũc luna, id est ecclesia erit plena, cõpleto numero omniũ electorũ. Et tunc anima huius defuncti, & cuiuslibet alterius, per resurrectionẽ generalẽ omnium, reuertetur in domum suam. i. in corpus proprium: & tunc dicet quælibet anima illud Matth.12. *Reuertar in domum meam, vndè exiui.* [Matt.12] Et tunc etiam sicut dicitur. *Erit lux lunæ sicut lux solis,* id est claritas ecclesiæ iustorum & sanctorum consimilis erit claritati [Esa.30.] Christi. Vndè Apostolus Phil.4. [Phil. 4.] *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ cõfiguratũ corpori claritatis suæ, &c.* & hoc erit in gloriosa resurrectione. Ad quam nos perducat, &c.

In funere vnius submersi in nauigando.

SERMO V.

QVI *nauigant mare enarrant pericula eius.* Eccl.43 [Eccl.43.]

Sicut periculosa & terribilis est nauigatio turbati & procellosi maris: sic etiam, imò valdè amplius, periculosa est instantia & experientia mortis. Nam in illa timor est de periclitatione, in ista autem est non solum horror naturæ, de sua solutione, sed etiam timor animę de districtione diuini iudicij, & de æterna damnatione: vndè etiam pericula maris timentur propter mortem, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Et propterea dicit Philosophus in lib. Ethic. quod terribilissimum quid est mors: quia finis est totiꝰ. Et sicut maris pericula diuersimoda sũt, ita & pericula mortis, secundùm diuersas causas & modos moriẽdi. Nam alios videmus ferro occidi, alios suspẽdio terminari, alios in mari submergi, alios fame cõsumi, alios in carceribus finiri & alios in lectis deficere morte naturali Sicut ergò nesciret narrare ad plenũ maris pericula, nisi qui ea nauigãdo mare probasset: sic nec pericula mortis, nisi qui ea per experientiam gustasset. Et

sub ista similitudine dicitur in verbis propositis, *qui nauigant mare*, &c. id est, qui mortem experiuntur, illi ostendunt nobis quàm sit periculosa.

A In qua quidem metaphora mortis, tria de ea principaliter innuuntur.

Primum est eius experientia: quæ signatur in eis *qui nauigant mare.*

Secundum est eius euidentia in enarratione: quia *enarrant* non verbo sed euidenti exemplo.

Tertium est eius truculentia: quæ ostenditur per *pericula eius.*

CIRCA primum notandum est, quod per nauigationem maris intelligitur experientia mortis. Et sicut in nauigatione, ille euadit periculum maris, qui transit cum naui integra: ita quoque ille euadit periculum mortis, qui transit cum pœnitentia perfecta. Vndè Sapien 14, *Transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Sap. 14.

In quibus quidem verbis agitur de duobus.

Primò de mortis exitu: cum dicitur, *transeuntes mare.*

Secundò de pœnitentiæ fructu: quia *per ratem.*

Circa primum attendendum est, quòd exitus mortis est sicut transitus maris. Nam mare mortem repræsentat in triplici proprietate.

Primò quidem, quia mare est amarum siue salsum. Et causa est secundùm philosophum in libro Metheorum, quia aqua eleuatur in vapores: sed vapor frigidus & humidus, tamquam subtilior eleuatur ad superficiem aquæ & in aërem. Alius vero vapor frigidus & siccus, eleuatur de profundo maris per motum solis & stellarum. Et iste vapor vtpote terrestris comburitur, & ita fit salsus, eo quod sal est ex speciebus terræ combustæ: sicut habetur in quarto lib. Metheorum: & si nimis comburitur, fit amarus. Sic etiam in corpore humano, subtile cibi eleuatur ad nutrienda membra, grossum autem remanet indigestum, quod vel est salsum vt vrina, vel est amarum cholera, quæ deriuatur à felle, & est quædam superfluitas cibi licet sit inutilis: sicut etiam aqua colata per cineres fit amara: eo quod aliquid admiscetur ei. Amaritudo ergò maris repræsentat amaritudinem mortis: de qua. *O mors quam amara est memoriatua, homini pacem habenti in substantiis suis.* Et si amara est memoria, multò magis experientia quæ priuat hominem iniustum omnibus bonis, & gaudiis præsentibus & futuris. Vnde Agag dixit 1. Regum 14. *Sicine separat amara mors.* Secundò mare repræsentat mortem, quia imperscrutabile est & profundum: ita quod in plerisque locis non potest sciri profunditas eius. Et signat profunditatem mortis, de qua non potest præsciri nec tempus nec modus, nec locus: vndè mors in omni tempore, & in omni loco, & ferè in omni re homini potest esse suspecta. Item tertiò mare repræsẽtat mortem: quia vtile & proficuum, quia per mare pertrãsitur ad portum, & ad ciuitates remotas. Et sic mors sãctis & iustis viris vtilis & proficua est, quia per eam ad portum gloriæ transeunt. Peccatores autem sine naui pœnitentiæ hoc mare transeuntes, submergũtur in inferno. Hoc figuratum est Exo. 15. quia filij Israel iusti trãsierunt per mare ad terrã promissionis, Ægyptij autem peccatores in mari submersi sunt. Et ideò dicitur ibi. *Ingressus est eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & adduxit*

Eccl. 41. 1. Re. 14. Exod. 15.

super eos Dominus aquas maris: filii autem Israel ambulauerunt per siccum, &c. Vndè de viro iusto dicitur Iob 5. [Iob 5.] *In iudicium non veniet, sed transiet à morte in vitã.* Secũdo in auctoritate adducta agitur de pænitentiæ fructu: cũ dicitur. *Per ratẽ liberati sunt*, scilicet trãseuntes mare mortis, à diabolo & à pænis æternis. Fundamentũ autem penitentiæ est in contritione cordis: quę tamẽ contritio includit propositum confessionis, & satisfactionis, cum possibilitas affuerit. Vndè figuraliter dicitur Esa. 51. Posuisti profundũ maris viam, vt trãsirent liberati. Pofundum enim maris est intima contritio cordis: de qua dicitur Thren. 2 [Threni 2] *Magna est velut mare contritio tua.* Et sicut mare eiicit sordes, & dat aliquãdo nauseam, & facit vomere: ita cõtritio cordis facit vomere peccata per cõfessionem, & purgare sordes peccatorum per satisfactionem. Et sic transeunt morientes, liberati à pœnis æternis. Vndè talium contritiones & pœnitentiæ sunt velut rates quædam, in quibus ligna, id est, peccata quæ sũt materia ignis æterni, transferuntur in morientibus ad locum & pœnam purgatorij: si morientes non deccdant completa pœnitentia, secũdùm iudicium Dei. Sed si esset perfecta pœnitentia, transirent ad locũ paradisi. Sed an sit completa an non, signatur & ostenqur animæ in iudicio Dei: cui assistit post mortis exitũ. Et in huius figura dicitur 3. Regum 5. [3. Reg. 5.] *Comnam ea*, scilicet ligna, hoc est peqra *ratibus*, scilicet cõtritionis cõfessionis & satis factionis, quæ sunt rates magis, id est, mortis quia præcipuè in morte debent haberi: *vsque ad locum quem tu* eus iudicans me, scilicet mor um: *significaueris mihi:* & applicabo ibi: scilicet vel ad locum purgatorij, si non sint secundùm tuum iudicium per pœnitentiã perfectè purgata, vel ad locum paradisi, si sint totaliter expiata.

B

SECVNDO in themate assumpto notatur manifestatio, & euidentia periculorum mortis per enarrationem, id est, per manifestationem, etsi non verbi, tamen euidentis exempli eorum, qui ea experiuntur, & ideò dicit *enarrant*, &c. Aduertendum est autem, quod mors non est periculosa bonis & iustis, qui bonam vitam duxerunt: quia sicut dicit August. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit. Sed est formidabilis & periculosa peccatoribus & iniquis: vndè tales quandò veniunt ad experientiam mortis, ipsi possent enarrare pericula ipsius. Et hoc est quod figuratè dicitur Iob 12. [Iob 12.] *Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terræ & respondebit tibi, & enarrabunt pisces maris.* Siquidem per iumenta intelliguntur luxuriosi, de quibus Iohel. 1. [Iohel 1.] *Computruerunt iumenta in stercore suo.* vbi Grego. Iumenta in stercore suo computrescere, est carnales homines in peccato luxuriæ vitam finire. Per volatilia autem cœli intelliguntur superbi, qui imitantur illum superbum Luciferum qui dixit Esa. 14. [Esa. 14.] *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum.* Per terrã verò intelliguntur auari terrena tantum amantes & quærentes: qui *oculos suos statuerunt declinare in terram.* Sed per pisces maris intelliguntur voluptuosi, in aquis delitiarum viuentes. Omnes ergò isti si interrogari fuerint de periculis maris, respondere poterunt & indicare, & enarrare illud quod scribitur,

Sap.5. Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen nō illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viā autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis. Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquā nauis quæ pertransiit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus, aut auis quæ transuolat in aëre, cuius nunquam inuenitur argumentum itineris illius, & post virtutis quidem nullum signum voluimus ostendere, in malignitate nostra consumpti sumus. Sed è contrario cæli, idest viri cælestes & iusti, enarrant gloriam dei.

C TERTIO in themate assumpto ostenditur mortis truculentia, scilicet per pericula eius. Vbi aduertendū, quæ pericula mortis assimilantur periculis maris. Quia pericula maris sunt ex vētis, & ex vndis, & ex scoliis, & ex belluis marinis. Sic in morte adsunt venti i. spiritus mali. Vndè

Iob 27. dicitur. Tollet eos ventus vrens. i. diabolus, qui ad vstionem gehennæ quo ipse vritur animam peccatoris ducit. Item insurgūt vnde siue fluctus, vel augustiarū mortis, vel tentationum, & specialiter fluctuatio & dubitatio eorum quæ pertinent ad fidem, & obuiant scolia saxorum. i. duritiæ & obstinationes cordium. Item adsunt belluæ marinæ ad deuorandum. i. homines mundi, præcipuè consanguinei qui non expectant, nisi quomodo possint rapere & habere de bonis suis temporalibus. Vndè. 2.

2.Cor.11 Cor.11. *Periculis in mari*: per quod figuraliter intelligitur perturbatio & amaritudo mortis. Sed post ista pericula anima impij inferno inuenit longè maiora: & tunc dicit illud Psal. cxiiij. *Pericula inferni inuenerunt me.* Ps.11.

Sed animæ iustorum à periculis mortis liberatæ, dicunt illud 2. Macha.1. De magnis periculis à 2.Mc.1. Deo liberati, magnificè gratias agimus ipsi, scilicet in gloria cęlesti. Ad quam &c.

In funere vnius mortui subitò.

SERMO VI.

ISte moritur robustus & sanus. Iob.21. Iob. 21.

Notandum, quod causa mortis corporalis aliquandò est euidēs, & manifesta, siue sit mors violēta vt putā quandò videmus hominem lætaliter vulneratum: siue sit mors naturalis & cōsueta, vt puta si primò decumbit mortali infirmitate grauatus. Sed aliquandò causa mortis est intrinseca & occulta, & hoc præcipuè accidit plerumque in morte subitanea, quandò homo qui videbatur exterius sanus & robustus, subitò cadit mortuus, sine aliquo apparenti infirmitate vel causa: sicut accidit de pomo pulchro pendente in arbore, quod aliquando propter aliquam interiorem corruptionem, quia nō apparebat exterius, subitò cadit ab arbore. De tali ergò homine sic moriente, dicitur in propositis verbis. Iste moritur robustus & sanus.

In quibus quidem verbis de casu mortis talis defuncti describuntur tria.

Nam primò ostenditur talis casus fuisse irremediabilis: quia moritur: quia mors non habet remedium.

Secundò insuperabilis, quia *robustus*: non enim robustius potuit mortem superare.

Tertiò incognoscibilis: quia nus,

ſanus,ſcilicet apparebat.

CIRCA primum aduertendum eſt quod mors ex parte habet certitudinem,& ex parte incertitudinem habet.Certiſſimus eſt enim mortis euentus, quia neceſſarium eſt hominem mori, ſed incertum eſt mortis determinatum tempus: vndè nil certius morte, nil incertius hora mortis. Et rationem huius reddit Gregor.dicens, quod idcircò omnipotens Deus horam mortis voluit eſſe incertam, vt ſemper debeat haberi ſuſpecta: & ideò ſic debet homo ſe diſponere,vt ſemper ſit paratus.& proptereà conſulitur Eſa.38. *Diſpone domui tuæ quia morieris tu, & non viues.* In quibus quidem verbis tria facit Eſaias.

Quia primò tribuit ſalubre conſilium,cum dicit, *diſpone domui tuæ.*

Secundò prædicit ineuitabile iudicium, cum ſubdit: *quia morieris tu.*

Tertiò oſtendit impoſſibile remedium: quia *non viues* ſcilicet, vt vlterius poſſis procurare remedium ſalutis tuæ.

Circa primũ notandum, quod homo habet duplicem domum, cuius diſpoſitioni debet intẽdere antequã moriatur. Vna eſt exterior ſcilicet domus familię:cuius diſpoſitio fit per teſtamentũ, quandò ſcilicet homo benè & ſapienter facit teſtamentum ſuum: & quantum ad ſepulturæ officia,& quantum ad reſtitutiones & debita, & quantum ad eleemoſynas & legata, & quantum ad hereditaria iura, & quãtum ad fidei commiſſa,& quantum ad tabellionem & teſtimonia. Et ſi homo prudens eſſet, ſemper deberet habere apud ſe, propter mortis incertitudinem, conditum teſtamentum; & de hac diſpoſitione dicitur in Pſal. *Diſpoſui teſtamentum.* Alia eſt domus interior ſcilicet animæ ſiue conſcientiæ proprię,in qua ſcilicet Deus debet per gratiã habitare: & ideò debet eſſe purgata & ſanctificata ſecundùm illud. *Domum tuam decet ſanctitudo.* iſta Pſal. 78. domus diſponenda eſt ad modũ domus materialis. Ad cuius præparationem & diſpoſitionẽ, cõſueuerunt fieri tria, quandò aliquando recipiendus eſt in eam. Quia primò conſueuit ſcopari. Secũdò collecta immundicia foras proiici. Tertiò ſi quid eſt deſtructum in ea reparari. Primum pertinet ad cõtritionem cordis, quia ſicut domus purgatur cum ſcopa aſpera, ita domus animæ cum contritione doloroſa:& huius ratio eſt:quia ſicut dicitChr. & habetur extra de regulis iuris Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur,ſcilicet contrario modo. Et hoc patet multis exemplis,quia ſicut diſcordia naſcitur per voluntatis diſplicentiã, ita cõcordia per voluntatis cõplacentiam. Et ſicut infirmitas prouenit ex humorum diſtemperantia: ita ſanitas ex eorum contemperãtia. Et ita aqua congelatur per caloris abſentiam, & reſoluitur per eius præſentiam. Et ſecundùm hunc modũ eſt proceſſus in peccato, quia peccatũ cauſatur in anima ex complacentia volũtatis,vndè peccatum adeo eſt voluntarium, quòd ſi non eſt voluntarium,nõ eſt peccatũ, vt dicit Aug.& ideò cõtrario, oportet quòd remoueatur ab anima per diſplicentiã voluntatis:quæ quidem diſplicẽtia nihil eſt aliud,quam ipſa cõtritio eſſentialiter, ſed tantò eſt contritio perfectior,quãto eſt cũ maiori dolore: nullꝰ enim dolor debet eſſe maior quam dolor de peccato.Et huius ratio eſt, quia cùm homo contriſtetur vel de

aliquo malo quod incurrit, vel de aliquo bono quod perdit: tantò dolor debet esse maior, quanto maius est bonũ quod perdit, vel malum quod incurrit. Sed si nos volumus videre de aliqua re quę magna sit, debemus respicere ad eius contrarium: sicut patet in istis exẽplis. Si quæratur quod sit maius malum, an surditas, an cæcitas, debem⁹ respicere ad cõtrarium istarũ priuationũ, quod scilicet sit maius bonum, scilicet an visus an auditus. Et manifestum est, quia visus est maius bonũ, quia scilicet magis diligitur sicut Philosophus dicit in primo Metaphisic: & ideò cæcitas quæ est eius priuatio, est maius malũ. quã surditas, quę est priuatio auditus. Sic si quæratur quod sit maius malũ, an perdere famam, an pecuniam: respiciamus quod est maius bonum, scilicet an fama, an pecunia, & manifestum est quod fama. Et propterea dicit Seneca, quod stultus est qui diligit lucrum cum mala fama: vnde cum per peccatum perdatur maximum & summum bonum, scilicet Deus, vel beatitudo æterna, sequitur quod de peccato debeat esse maximus dolor, & ideò cõtritio de peccato debet esse maximè dolorosa. Sed aduertendũ quòd ista dispositio contritionis habere debet quosdã gradus. Et primus est in peccati recordatione. Nam sicut dicit Chrys. super Epist. ad Heb. Nullum inuenitur tale remedium, sicut cõtinuata memoria peccatorũ: pertinet ad virtutem talis exhortatio, qualis peccatorum recordatio, recordare ergo peccati tui, & erubesce in cõspectu dei tui. Secundus gradus est in peccati detestatione, cuius detestationis signum est verecundia pænitentis, de qua verecũdia dicit Origenes Hom.10 super Ezechiel. homel. 10. Primũ inquit bonum est, nullum opus confusionis facere, sed omnia talia quæ possunt Deũ libera fronte respicere: quia verò vt homines sępè peccamus, sciendum secundum (vt ita dicam) esse erubescere, ac pro sceleribus suis verecundos oculos deiicere, non ea procaci vultu defendere. Tertius gradus est in detestationis aggrauatione, scilicet distinctè considerando circunstãtias peccatũ aggrauantes, sicut ex parte peccantis, sicut est peccãtis ætas vel status, siue ex parte peccati, vt locus vel tempus, vel modus, siue ex causa peccandi, puta si spõte, & non impulsus peccauit. Quartus gradus est in peccati deploratione. Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectũ meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.* De istis gradibus de quibus ascenditur ad purgationem, & purificationem animæ dicitur in Psalm. 83. *Ascensiones in corde suo dis. in val. la.* id est compunctione humilitatis. Nam sicut dicit Isidorus in libro solilo quiorum. Compunctio cordis est humilitas mẽtis, cum lachrymis perueniens ex recordatione peccati. Secundò, ad præparationem & dispositionem domus materialis, requiritur quod immũdicia per scopationem collecta foras proiiciatur, ne remanendo ibi putrefiat & fœteat: & hoc fit in domo cõscientiæ per peccatorum confessionẽ, sine qua actu vel voto habita, domus conscientiæ purgari non potest. Cuius triplex est ratio. Et prima propter curationẽ quia sicut morbus corporalis nõ potest curari, nisi medico manifestetur: propter quod Boët. dicit. Si opem medicãtis expectas, oportet vt vulnus detegas: ita etiam culpa, quę est morbus spiritualis, curari non potest, nisi manifesteretur sacerdoti per cõfessionem

fessionem. Vnde Iac.5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Secũdò propter irrigationẽ. Ecclesia enim est vt quidam hortus diuersis arboribus consitus, quem aqua celestis gratiæ irrigare non potest, nec ad arbores eius peruenire, nisi per quosdã canales, siue aquæ ductus, quæ sũt ecclesiæ Sacramenta: Vnde si homo vult irrigari & lauari, oportet quod se subiiciat sacramentis, & specialiter sacramẽto pænitẽtiæ siue confessionis. Vnde Prou.28. *Qui abscõdit scelera sua nõ dirigetur qui aute cõfessus fuerit & reliquerit ea, misericordiã consequetur.* Tertiò propter reductionẽ, quia peccator à deo elõgatus per culpã nõ reducitur ad Deũ nisi per mediatorem. Iste autem mediator est sacerdos. Oportet autẽ quod mediator sciat culpam, & offensam eius quẽ habet reducere. Oportet ergo primum confiteri, & pãdere sacerdoti. Vndè dominus mandauit leprosis, qui figurabãt peccatores, *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Luc 17. Et debet peccator sacerdoti integraliter confiteri, quantũ ad omnia peccata, & causas & personas, & numerũ peccatorũ, & tẽpus, & locum & desiderium, & intentionem, & tali modo benè se ostendit. Et de ista dispositione conscientię quæ fit per verba confitentis in iudicio pænitentię dicitur in Psalm.111. *Disponat sermones suos in iudicio.* Tertiò ad præparationem & dispositionem domus materialis requiritur, quod si est alicubi destructa reparetur. Et hoc fit in domo cõscientiæ per satisfactionem integram omnium peccatorum. Non enim potest pænitens satisfacere de vno peccato sine alio: & hoc patet tripliciter. Primò, ex parte amicitię, quia non potest homo satisfacere Deo, nisi primo ad eum amicitia reformetur: sed amicitia nõ potest reintegrari, quamdiu manet offensa. Cũ ergò peccato quolibet Deus offendatur, nòn potest homo, tenendo aliquod peccatũ, de aliis satisfacere Deo. Item patet ex parte gratiæ: quia quodlibet peccatum, gratię contrariatur, vnde sicut nõ possunt esse simul & in eodem, lux & tenebræ, frigus & calor: ita nec aliquid peccatũ cũ gratia, & ideò ad gratiam habendã & conseruandam, necesse est quodlibet peccatum per satisfactionẽ expiari. Itẽ patet ex parte animæ, quia anima non potest simul cõuertere se ad plura, propter quod dicit Phil. quod vna potẽtia existente in actu, altera retrahitur ab actu: vndè non potest simul respicere Deũ & peccatũ. Et ideo ita est de homine respectu Dei, sicut de hominibus rixantibus adinuicẽ, quorũ quilibet auertit faciẽ ab altero: vndè peccatoribus dicit Deus. Verterunt ad me tergũ & nõ faciem. Et sẽper est auersa facies animæ quãdiu manet in offensa alicuius peccati: & ideo nõ potest cõuerti ad Deũ, nisi satisfaciat ei de quolibet peccato. Et de tali dispositione dicitur. 2. Par 7. *Cõpleuit õnia quæ disposuerat in corde suo.* sc. cõpletè satisfaciendo de õnibus de quibus in corde suo fuerat contritus. Secũdò in auctoritate adducta agitur de iudicio ineuitabili, s. de iudicio mortis, cũ dicitur: *quia morieris tu.* Vbi aduertẽdũ, quod omnes homines ineuitabiliter moriuntur morte naturę: quia sicut dicitur. *Statutum est hominibus semel mori.* Sed illi qui nõ disponunt benè domum conscientiæ suæ, moriuntur etiã morte gehennæ. Quæ mors in tribus differt à morte naturali. Primò in duratione, quia pœna mortis corporalis prout cõsistit in separatione animæ à corpore

Prou. 28.

Luc. 17.

Psal. 111.

Hiere. 2.

2. Par 7.

Hebr. 9.

est

est instantanea: sed pœna mortis gehennæ est æterna. Matthæi 25. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Hic cadit exemplum, quo Falco Marsiliensis qui fuit excellens ioculator, cogitando de æternitate inferni conuersus est. Sed posset alicui iniustum videri, quod pro vno peccato finito, infinita pœna infligatur, quia secundùm mensurã delicti, debet esse plagarũ modus. Sed dicendũ, quod offensa & pœna offensæ, mensuratur secundum conditionem, & dignitatẽ illius in quẽ peccatur: sicut maior reatus est offendere militem, quã rusticũ, & maior offendere regẽ quã militẽ. Et ideò qui offendit Deum, qui est infinitũ bonũ: sicut facit peccator, meritò infinitã pœnam incurrit: sed non potest esse infinita intensiuè, scil. secundũ acerbitatẽ, quia creatura nõ est capax talis infinitatis, sed est infinita duratione. Vndè quantũ ad acerbitatem est finita, & in hoc respondet finitati culpæ: sed duratione est infinita, & sic respõdet infinitati personæ offensæ, scilicet Dei. Secundò differt mors corporalis ab ista morte in corruptione, quia ista mors corporalis corrũpit, & dissoluit subiectum, scilicet corpus, ita quod postea non subsistit in esse humano. Sed ista mors cùm semper summè affligat, nunquã tamen ipsum subiectũ corrumpit vel dissoluit, scilicet naturã animæ, vel vitam eius naturalẽ: vndè semper laborant quasi in extremis, & tamẽ semper viuũt, secũdùm illud Psal. 44. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finẽ.* Ps. *Mors depascet eos*: sicut herba pasta, adhuc viuẽdo pullulat vt amplius pascatur. Vndè etiã dãnatorũ corpora post resurrectionem, etiam in illo igne inferni erunt indissolubilia. Cuius ratio est, quia sicut omnia mẽbra humani corporis depẽdent ab anima, & omnis motus qui est in eis, ab anima procedit, & deficiente anima remanẽt membra per se immobilia: ita omnia corpora vniuersi dependent à motu cæli, quia mot⁹ cæli est quasi anima mũdi, & ideò cessante motu cæli, quod erit post resurrectionẽ cessabit omnis alius motus in õnibus aliis corporibus, & ideò nõ erit generatio, nec corruptio, neque per cõsequens mors, quæ est corruptio quædam. Contingit enim mors naturalis ex distemperantia humorum, quæ distemperantia prouenit ex motu elemẽtorum, & motus elementorum à motu stellarũ & planetarum, & motus stellarũ à motu cœli, sed cessante motu primo, oportet quod cesset motus omniũ secũdariorũ: ex eo quod omnia secũdaria mouentia sunt in substãtia primi mouentis, & primi motus. Et nos videmus, quod cessãte actione principalis agentis, cessãt actio omniũ instrumẽtorũ: sicut cessãte actione artificis, cessãt actio dolabræ: & quiescẽte manu militis, cessat actio ensis, ergò cessante: primo motu, cessabunt omnes alij, ergò & mors quæ ab ipso causatur. *Mors vltra non erit.* Tertiò differt mors corporalis ab illa acerbitate, quia pœna mortis gehẽnæ, sine cõparatione acerbior erit quacunque morte corporali. Quod patet, quia acerbior est pæna inferni quam pęna purgatorij, licet sit idem ignis: & tamẽ pęna purgatorij transcẽdit in acerbitate omnes pænas huius vitæ, etiam mortis. Vnde Aug. in lib. de pœnitentia dicit. Primus purgandus est igne purgationis, qui in aliud sęculum distulit frũctum conuersionis. Hic autẽ ignis, licèt æternus non sit, miro tamen modo est grauis; excellit enim

Matt. 25
Psal. 48.
Apoc.

enim omnem pœnam quam vn-
quam quis passus est in hac vita,
non in carne tanta inuēta est pę-
na, licet mirabilia passi sint mar-
tyres tormenta, & multa, nequa-
quam tamen tanta sustinuerunt
tormenta. Studeat ergò quisque
sic delicta corrigere, vt post mor-
tē nō oporteat pęnā tolerare, hęc
Aug. Ex quo sequitur, quod sine
cōparatione mors gehēnæ acer-
bior sit quā sit mors corporalis,
vel quęcumque alia pęna huius
vitæ. Et ideò damnati appetunt
mortē naturæ, vt carere possent
morte gehennæ: sed tamē non est
poc.9. eis possibile. Vndè. *Desiderabunt*
mori, & fugiet mors ab eis. Tertiò
in auctoritate adducta ostendi-
tur impossibile remediū. s. salu-
tis post mortē, in eo quod dici-
tur: *non viues.* scil. tali vita, in qua
possis habere remedium salutis:
quia si hoc neglexisti vel contēp
sisti, vel si fueris in morte gehen-
næ, non viues vita gloriæ, quæ est
vita beata, & hoc erit magis pœ-
nale, quā primum Vndè super il-
att. 25 lo verbo Domini. *Discedite à me*
maledicti in ignem æternum. Dicit
Chry. quod durius erit peccato-
ribus audire, *discedite à me*: quam
audire, *ite in ignem æternū*: quia
maior erit pæna dāni quā pæna
sensus. Vndè peccatores miseri,
eo ipso quod peccādo vitā illam
contemnūt beatam, iudicant se
esse tali pæna dignos. Et ideò di-
.13. cetur eis illud. *Indignos vos iudi-*
casti æternæ vitæ, & ideò de tali
vita sunt omnino desperati, secū-
7. dum illud. *Desperaui: nequaquam*
iam vltra viuam.

B SECVNDO in themate as-
sumpto ostenditur casus mortis
talis defuncti esse insuperabilis,
quia robustus, quia. s. nec robur
ipsius potuit mortē vincere, vel
superare. Vbi aduertēdū est, quod
duplex est robur hominis, à quo
robustus vocari potest. s. corporis
& animæ. Frequenter autem cō-
tingit, quod qui sunt fortes & ro-
busti corpore, sūt debiles mēte,
& faciliter à vitiis & tētationib.
vincuntur, sicut patet de Sāsone:
qui licet, vinceret corporaliter
viros omnes, tamē luxuriæ vitio,
& à vilibus mulieribus spiritua-
liter vincebatur. Et ideò de tali Amos 2
robusto dicitur. *Peribit fuga à ve-*
loce; & fortis non obtinebit virtutē
suā, & robustus non saluabit animā
suam. Quasi dicat, velocitas cor-
poralis non facit vitia fugere, &
corporis fortitudo non tribuit
menti virtutē, & robur etiā cor-
poris non facit animæ salutē. Vel
potest exponi, peribit fuga à ve-
loce. i. propter velocitatē suā nō
potest homo fugere mortē. Quod
patet in Azahele, qui fuit cursor
velocissimus, quasi vnus ex ca-
preis, & tamē occisus est ab Ab- 2. Reg. 2.
ner. Et fortis non obti. vir. suam.
s. cōtra mortē, quasi dicat, virtute
fortitudinis suę nō poterit cōtra
mortem obtinere. Hoc patet in
Samsone, qui fuit pugil fortissi-
mus, & tamen ruente domo, si-
mul cum inimicis extinctus est.
Vidi neque velocium esse cursum: Eccl. 9.
neque fortium bellum. Sequitur. *Et*
robustus non saluabit animam suā.
scilicet vitam suā, scilicet à mor-
te. Hoc patet in Nēroth, qui fuit
robustus venator corā Deo, sci-
licet non bestiarum tātū, sed e-
tiam hominū: vnde incepit esse
primus potens in terra, vt dici-
tur. & tamen mortuus est, & Iu-
dic. 20. *Interfecti sunt decem & octo* Gen. 10
millia virorum omnes robustissimi
pugnatores. Sed est aliud robur,
scil. animæ, proueniens ex virtu-
tibus: & qui tali robore sunt ro-
busti, abundant in bonis cogita-
tionibus. Prouerb. 21. *Cogitatio-* Prou. 21
nes robusti semper in abundantia. I-
tèm sunt diuites in bonis operi-
bus Prouerb. 11. *Robusti habebunt* Prou. 11
diuitias. Itē sunt perfecti in om-
nibus

2.Re.22. nibus virtutibus.2.Regum 22.*Eris cum robusto perfectus.*

Eccl.22. TERTIO ostenditur istius defuncti casus fuisse incognoscibilis, quia sanus, scil videbatur. Eccl.21. *Plagæ illius*,s.mortis *non est sanitas*;vndè non debet homo cò fidere de sua sanitate,sed quãdo sanus & viuus est,tunc magis debet se per pœnitentiã ad mor-

Eccl.17. tem præparare. Eccl 17.*Confitebe-ris viuẽs,viuus & sanus cõfiteberis.*

In quibus quidem verbis ostẽditur,quod pœnitentia debet habere tria.

Quia primò debet esse accusatoria,quod fit in confessione,vbi homo accusat se sacerdoti, tanquam iudici de factis suis: ideò dicit *confiteberis* : & hoc valet ad

Rom.5. salutem Rom 10. *Ore autem confessio fit ad salutem.*

Secundò debet esse proficua & ideò dicit *viuens* : post mortem enim non valet confessio. *Viuens viuens: ipse confitebitur tibi.*

Esa.38. Tertiò debet esse libera siue voluntaria,vt non fiat tãtum necessitate, vel metu mortis. Et ideò dicit, *viuus & sanus*, id est, non ægrotans ad mortem confiteberis, & tunc eris totus sanus, non solùm in corpore.sed etiam in anima:& postquam anima sanata est,& munda à mortalibus, adhuc est frequenter purificanda saltẽ à venialibus. Vndè Leu 14. Postquam lota est,scilicet anima per confessionem, & reddita sanitati,scilicet gratiæ, denuò purificabis eam, scilicet si recidat, vel saltem à venialibus:vt sic purificata maneat sana per gratiam, & fiat tandem salua per gloriam. Ad quam nos,&c.

In funere vnius in carcere defuncti.

SERMO VII.

EDuc de carcere Deus animam meam,Ps.141.

Ps.141. Quanto aliquod animal est liberioris naturæ, tantò est magis sibi pœnale detineri & includi. Vndè quia aues naturaliter sunt liberiores, & agiliores ad motũ localem quàm bestiæ terræ, quæ sunt grauiores,est eis magis pœnale includi vel detineri, quam bestiis. Et ideo videmus auiculas in cagiis,seu caueis inclusas,semper quærendo circumire latera cagiæ, vt inuenire possint vndè exeant, quantumcunq; habeant cibum vel potum paratũ. Et inter bestias, quia siluestres sũt liberiores domesticis:ideò difficilius includuntur & detinentur. Homo autem ex parte animæ õnibus est liberior, quia scilicet solus habet arbitrij libertatem: vndè quamuis secũdùm corpus subiici valeat seruituti,tamen secundùm animam à qua liberum est arbitrium,semper in libertate manet,prout Seneca dicit: & ideò si est sibi pœnale detineri in carcere secundùm corpus, multò magis secundùm animã. Et indè est quod Ps. eximi à tali pœna cupiens,in verbis propositis à Deo petebat dicens. *Educ de carcere Deus*,&c.

In quibus quidem verbis facit tria. A

Quia scilicet primò tangit inclusionis angustiam , cum dicit: *de carcere.*

Secũdò petit liberationis gratiam:cum dicit : *educ de carcere Deus.*

Tertiò ostendit propriam indigentiam:cũ addit:*animam meam.*

CIRCA primum attendendum est, quòd vna litera habet, *educ de custodia*:sed alia *de carcere*, & idem est, & hac litera de carcere vtitur Greg.8.lib.mora. Sed nota differentiam inter hominẽ prudentem,& imprudentem. Nã homo prudens & prouidus, plus respicit ad futurum quã ad præsens: & ideo videndo hominem iustũ affligi, vel se affligere corporaliter, cogitat quod quandò exierit de carcere corporis, per-

ueniet ad magnam gloriam. Sed imprudens & improuidus homo, qui respicit magis ad præsens quam ad futurum, quandò videt iustum affligi corporaliter, reputat eum malè stare: nec cogitat ad quantam dignitatem gloriæ sit peruenturus, postquã exierit de carcere corporis. Vndè tali imprudente dicitur Eccl. 4. Nescit prouidere in posterũ: quod & de carcere, catenisque, interdũ quis egrediatur ad regnũ.

In quibus quidem verbis facit Eccl. tria.

Quia primò ponit peccatoris imprudentiam: quia *nescit prouidere in posterum.*

Secundò ponit viuentis angustiam: quia *de carcere & catenis.*

Tertiò morientis gloriam: quia *interdum egreditur ad regnum.*

Circa primũ nota, quòd ille qui debet ire de nocte, si nesciat sibi prouidere de lumine, vadit in tenebris. Sed quasi iter noctis est transitus mortis, sed quasi lumẽ est pænitẽtia finalis, vel bona vita præcedens: vndè qui in fine est impœnitens, & qui malè vixit nesciens sibi prouidere de lumine, cum moritur ambulat in tenebris. Figura huius habetur Matth 25. in virginibus fatuis, quia nescientes sibi prouidere de oleo pro lumine, media nocte veniente sponso, exclusæ sunt à nuptiis, & in tenebris remanserunt. Ps. 81. *Nescierunt neque intellexerunt in tene. amb.* Debet ergò sibi homo ante prouidere de eo, quod erit in posterũ necessarium, s. in vita, de eo, quod erit necessarium in morte Eccl. 18. *Ante iudiciũ* sci. mortis *para iustitiã.* s. vitę iustæ vel pęnitentiæ.

Secundò in auctoritate adducta ostenditur angustia viuẽtis, quia est in carcere & catenis. Est enim anima in corpore, velut inclusa in carcere. *Circumdedisti me carcere.* s. corporis. Catenę autem quæ tenent animam ligatam in carcere corporis, sunt vnio naturæ & amor vitæ. Vnitur enim animá naturaliter corpori, sicut forma materiæ: & amat anima naturaliter carnis vitã. Sen. Vna catena est, quę nos ligatos tenet, amor vitę. Vel nota, quod est triplex carcer in quo homo poni potest, s. carcer mũdi, carcer peccati, & carcer inferni. Carcer mũdi est locus cõfusionis, in quo manet homo quãdiu viuit, in angustiis & miseriis multis. Vndè figuratur per carcerem Babylonis in quo positus est Sedechias. *Adduxit eum rex Babylonis in Babylonem: & posuit eũ in domo carceris vsque in diem mortis suæ.* Ab isto carcere cupiebat eripi Ioseph, qui signat virum iustum. *Suggeras Pharaoni vt educat me de isto carcere.* Alius est carcer peccati, in quo clauditur homo malitia sua cęcatus: vndè figuratur per carcerẽ Samsonis de quo dicitur. *Quem cum apprehendissent Philistijm.* i. dæmones tentantes per consensum, *statim oculos eius eruerunt,* s. bonũ cogitatum intellectus, & bonũ affectũ volũtatis, & *duxerunt Gazam.* i in fluxum peccati: quia Gaza secundũ Origenem interpretatur quomodo fluit. s. à cogitatione in delectationẽ, à delectatione in cõsensũ, & à consensu in operationem, & ab opere in consuetudinem peccati, *vinctũ catenis* s. peccatorum multorũ. *& clausum in carcere* per obstinationẽ peccati, *molere fecerunt.* s. circumeundo molam peccati, de vitio in vitium, quasi circulũ faciendo. De hoc carcere dicit Chrys. super Matt. hom. 14. Quemadmodum, inquit, hi qui sunt in carceribus, cũ catenis adducũtur ad iudicium: ita animæ diuersis catenis peccatorum circumdatæ, ad tribunal terribile ducuntur. Et sequitur ibi. In his vinculis custos perniciosius est desidę-

Marginalia: Ps. 81. — Eccl. 18. — Iob 8. — Hier. 51. — Gen. 40 — Iud. 16.

desiderium pecuniarũ, quod nõ dimittit excedere carcerẽ,sed cõpedes stauit, & nõ solùm animã illius in debitis ligatã tenet, sed etiam aridam,& sordidam,& pediculorum plenam. i. affectionũ rodentium. Ab hoc carcere educitur homo per pœnitentiã.scil. per contritionem,confessionem, & satisfactionem : quæ resecat superfluitatem capillorum,id est passionũ vel meritorum, & mutat vestem sordidam vitiorum, in vestem pulchram virtutum. Quod figuratum est Gen.xli.vbi dicitur,quod eductum de carcere totonderunt Ioseph, & mutata veste obtulerunt ei,scilicet regi, hoc est Deo. Tertius carcer scilicet inferni,est carcer perennis, de quo nunquã potest aliquis liberari secundùm communẽ legem, postquã ibi fuerit finaliter deputatus. Vndè de isto carcere

Mat.5. dicitur. *Esto consentiens aduersario tuo,id est*, verbo diuino quod aduersatur carnali vitę,& post, ne in carcerem mittaris,scilicet inferni. *Amen dico tibi non exies indè*, nam in inferno nulla est redemptio. Tertiò in auctoritate adducta ponitur iusti morientis gloria,quia egreditur, scilicet à carcere corporis.vel mundi, per mortem, ad regnum scilicet cælorum assumptus. Figura huius habetur in Ioseph, de quo dicitur in Psal.quod misit rex & soluit eum, scilicet à vinculis carceris,& cõstituit eum dominum

4.Re.25 domus suæ, &c. Iterum in Ioachim, de quo dicitur ibi, quod rex Babylonjs subleuauit caput Ioach.de carcere,& posuit thronum eius super thronum regum qui erant cum eo.Et cum fuerit assumptus iustus ad regnũ dei, de quo dicitur in Psalm. 144.

Ps. 144. *Regnum tuum regnum omnium sæculorũ*, tunc egredietur, & ingredietur,& pascua inueniet ingredietur scilicet ad vidẽdum diuinitatem, & egredietur ad contẽplandam humanitatem Domini nostri Iesu Christi, & vtrobique pascua inueniet æternæ refectionis.

B

SECVNDO in themate assũpto ponitur liberationis gratia,cum dicitur: *educ Deus*. Nota quandò aliquis inuenit aliquem in loco inquieto & periculoso,& educit eum indè, & ponit eum in via recta, ad eundum ad locũ quietum & securũ, facit ei magnum beneficium. Sic facit deus morientibus,præcipuè iustis,quia educit eos de mundo inquieto & periculoso,& ponit eos in via, ad eundum citò ad locũ habitationis quietæ & securæ, scilicet ad paradisũ : & hinc est quod de morientibus, statim vt defuncti sunt,potest exponi illud. *Eduxit* Psal. *eos in viam rectam,vt irent in ciuitatem habitationis*. In quibus quidem verbis dantur intelligi tria, quæ considerari debent in transitu iustorum, scilicet terminus à quo,terminus ad quem,& motus eius.

Terminus à quo est præsens vita, à qua scilicet eduxit eos.

Medium est pœna purgatorij, vel diuina sententia,quæ intelligitur per *viam rectam*.

Sed terminus ad quem est cælestis gloria,quæ intelligitur per *ciuitatem habitationis*.

Circa primum attendendum est,quæ quandò Deus educit hominem de mundo,educit eũ de loco periculo,sicut quandò auis euadit illæsa de laqueo. Est enim mundus plenus laqueis diaboli, quia sunt cupiditates auarorũ, secundùm illud primæ Tim.6. 1.Ti. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*.vndè Psal.30. *Educes me de la-* Psal. *queo quem absconderunt mihi*. Itèm eduxit eum de loco fœtido & fæculento, sicut si aliquis extrahatur de latrina vel de luto fœtenti:

tenti. quia mundus plenus eſt fætore,& fæce luxuriæ. Pſ.39. *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Itē educit eum de loco tenebroſo; quia mundus locus eſt in quo deficit ſerenitas, & claritas amoris 1.Ioã.2. & dilectionis. 1. Ioan. 2. *Qui diligit fratrem ſuum manet in lumine.* Sed iſtud lumen deficit in mũdo, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabitur: & omnis amicus fraudulenter incedit. Pſ.106. *Eduxit eos de tenebris.* 1. Io. 2. *Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt.* Itē de loco doloroſo, quia in mundo ſunt dolores & triſtitiæ hominum inuidorũ qui dolent & torquentur de felicitate aliorum: vndè mundus aſſimilatur inferno, quia damnati inuident felicitati ſanctorũ. Pſ.29. *Eduxiſti ab inferno animã meã.* i.à mundo pleno inuidijs. Itē de loco penurioſo propter accidiam & pi- Pſ.106. gritiam, quia ægeſtatē operata eſt manus remiſſa. Pſ.106. *Eduxit eos vinctos in mendicitate & ferro.* Nam accidioſi & pigri ſunt tanquam vincti, propter difficultatem benè operandi, & mendici propter defectũ merendi, & ferrei. i. duri, & frigidi propter defectum diligēdi & compatiendi. Secundò tangitur mediũ, per quod tranſeunt multi iuſti ad ciuitatem cæleſtis Hieruſalem: & hoc eſt purgatorium: & ideo ſubditur *in viam rectã.* Purgatorium dicitur via, inquantum per ipſum tranſitur ad paradiſum, quia non poſſent illuc intrare, niſi eſſent plene purgati: ſed dicitur recta propter iuſtitiã, quia pro ſatiſfactione pœnitentiæ ſupplēda, infligitur purgatorij pœna, vel pro leuioribus culpis Sap. 10. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas.* Vna enim via recta per quam trãſeunt iuſti morientes, eſt ſententia diuini iudicij: alia eſt quandoque pœna purgatorij. Tertiò tangitur terminus ad quem, cum dicitur in auctoritate adducta, *in ciuitatem habitationis.* Hæc ciuitas eſt non in mundo, ſed in cælo vbi eſt habitatatio perpetua. Apoſtolus Hebr. 13. *Non habemus hic manentē ciuitatem,* &c. Item habitatio læta. Pſ. 86. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Item habitatio quieta Eccl. 24. *In ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui.*

TERTIO in themate aſſumpto tangit Propheta propriã indigentiam, cum dicit, *animam meam,* quaſi dicat, anima indiget educi, vt perueniat ad optatam requiem paradiſi: & quia hæc requies in Deo erit, dicebat Pſ.41. *Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum, &c.* Notandum, quod cibus ſalitus generat ſitim, ſed quaſi cibus ſalitus eſt contemplatio diuinę ſapiētiæ, quæ generat in anima fideli ſitim i. appetitũ ſummi & veri boni, quod eſt Deus. Vndè Pſ. 62. tali ſapientia plenus dicebat Deo loquēs *Sitiuit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea.* Vbi tãgitur ſub nomine ſitis duplex hominis appetitus.

Vnus de animæ quietatione: cũ dicit: *Sitiuit in te anima mea.*

Alius de corporis reformatione: cum ſubditur, *quam multipliciter tibi caro mea.*

Circa primum notandum, quòd tũc inclinatio rei ad motum quieſcit, quandò peruenit ad terminum & finem motus. Cum ergo Deus ſit vltimus finis hominis, tunc deſiderium hominis, quo inclinatur & mouetur ad rem deſideratam, totaliter quietabitur, quando perueniet ad ipſum Deum vt ei perfectè vniatur. Vnde Aug. libro confeſ. *Feciſti nos Domine ad te: & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Et ideo dicebat Chriſtus Deus Io. 7. *Si quis ſitit veniat ad me & bibat.* Et de hac ſiti & ſatietate dicit Gregor. in moral. Cum peruenerimus ad te fontem vitæ, & dulciſſimam ſpem, erit nobis ex viſione tua impreſſa

sitis, simulque satietas: sed longè aberit à siti necessitas, & à satietate fastidium, quia sitiẽtes satiabimur, & satiati sitiemus. Secundò ponitur appetitus animæ de cordis reformatione, cum dicitur, *quam multipliciter tibi caro mea.* Caro enim per mortẽ multipliciter dissipatur. s. in omnibus suis partibus, & in omnibus sensibus, & in omnibus delectabilibus, & ideò multipliciter oportebit reparari: & hoc erit in resurrectione, quãdò totaliter reformabitur, & etiã in iustis glorificabitur. Et ista est spes, quã habemus de carne quiscẽte mortua. Vndè Ps. 15. *Caro mea requiescit in spe.* Apostolus Philip. 3. *Saluatorem expectamus Dominũ nostrũ Iesum Christũ, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, &c.* Et hoc erit in gloriosa resurrectione sanctorũ. Ad quam nos perducat, &c.

SERMO VII.

In funere vnius damnati & occisi

Prou. 24 *Erue eos qui ducuntur ad mortẽ,* Prou. 24. Dupliciter potest homo ad mortem condemnari, & trahi. s. iustè, & iniustè. Si iniustè, tunc licitũ & meritoriũ est eruere eum, si quis potest à morte: sicut Daniel eruit Susannã: & S. Nicolaus tres iuuenes innocentes cõdemnatos. Et de hoc ad literã loquitur verbum propositũ. Et ideò post prædicta verba subditur, *& eos, qui trahuntur ad interitum.* s. iniustè, *liberare ne cesses*: alio modo potest esse aliquis condemnatus iustè, & talẽ nõ licet eruere à morte corporali, quia esset in præiudiciũ reipublicæ & iustitiæ: & per consequens cõtra eũ qui ait Exo. 22. *Maleficos non patieris viuere.* Et tamen valdè meritoriũ est, eruere eũ à morte spirituali. i. iuuare vt eruatur. Mors autẽ spiritualis duplex est, culpæ & pœnæ. s. purgatoriæ quæ morte corporali acerbior est, vel æternæ, quæ dicitur mors gehennæ. A prima morte. s. culpę, potest quilibet erui volũtaria pœnitentia. A secunda. s. à pęna purgatorij, potest liberari & erui per exhibita suffragia. A tertia vero. s. à gehenna, postquam illuc perductus est, nulla potest erui via; quia in inferno nulla est redemptio. Ergo de morte culpæ vel pęnæ purgatoriæ potest exponi verbum propositũ: vt dicamus *erue* .i. iuua vt eruantur qui ducuntur vel voluntariè ad mortem culpæ, vel inuitè ad passionẽ pęnæ purgatoriæ quæ acerbior est omni morte: sed prosequimur nunc tantum de mortæ purgatoriæ pęnæ. Et secundùm hæc facit Salo. in verbis propositis.

Exod. 22

Nã primò inducit ad exhibitionẽ misericordiæ: cũ dicit: *erue eos.*

Secundò ostẽdit coactionẽ iustitiæ, quia *ducuntur etiãm inuiti.*

Tertiò afflictionem pœnæ purgatoriæ: quia *ad mortem.*

CIRCA primum attẽdendum est, quod animæ eorũ qui sunt in morte, siue pœna purgatorij, licèt multipliciter possint iuuari, vel per eleemosynas, & oblationes, & etiã per ieiunia, & labores pro eis assumpta, ab his qui sunt in charitate: tamẽ præcipuè per orationes iustorũ & missas eorũ possũt adiuuari. Cuius ratio est, quia taxatio illius pœnæ est ex diuina iustitia, secundũ exigentiã culpæ venialis, vel pęnitẽtię nõ adimpletæ in vita ista: sed quòd pęna sic taxata minuatur, & breuiter hoc procedit ex diuina misericordia: quæ pręcipuè impetratur per pręces amicorũ Dei. i. per orationes iustorũ, qui. s. timẽt Deũ, & habent spẽ in misericordia eius. Et ideò dicitur in Psal. 32. *Oculi Domini super me, eũ, & in eis qui spe. super mi. eius*

vt

vt eruat à morte animas eorũ. ſ.qui ſunt in purgatorio, ſcil.per preces eorum. In quibus quidem verbis includitur triplex laus iuſtorum.

Prima eſt ex protectione diuinæ cuſtodiæ quia *oculi Dom.ſuper eos.*

Secũda eſt ex moderatione prudentiæ: quia ſciũt tẽperare & moderari metũ iuſtitiæ,cũ ſpe miſericordiæ Dei. Vndè sũt metuẽtes eũ & ſperant de miſericordia eius.

Tertiò in relaxatione pænę purgatoriæ:vt *eruat animas eorum.&c.*

Circa primum aduertẽdum eſt, quod ſicut dicitur Prou. 15. *Oculi Domini cõtemplãtur bonos & malos.* Sed ſicut nos videmus quod ſol, qui dicitur oculus mundi, reſpiciẽdo & illuminando iſta inferiora, in diuerſis rebus inducit aliquãdo contrarios effectus,quia lutum indurat,& glaciém vel ceram liquefacit,& mollificat. Sic & oculi Domini aliter reſpiciunt iuſtos, & aliter peccatores, qui in peccatis impænitentes perſeuerant. Nã iuſtos reſpiciunt, ad cuſtodiendũ eos in ſeipſiis,& etiã ad exaudiendũ eos pro alijs: ſed malos perſeuerantes in malis operibus, reſpiciunt ad perdendum & delẽdum, non ſolùm de cælo, ſed etiam de terra. Sic oculi aquilæ aliter reſpiciunt pullos ſuos.ſ.ad cuſtdodiendum & nutriendum: & aliter lepores,ſ. ad rapiendũ & commedẽdũ.Et ideo dicitur in Pſ.33. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum; vultus autem Domini ſuper fa.mala,*&c. Sunt ergo aures Dei paratæ exaudire orationes iuſtorum,non tantum pro viuis,ſed etiã pro defunctis, ſ.in purgatorio exiſtentibus:propter quod dicitur 2. Mach.12. quod *ſancta & ſalubris eſt cogitatio,&c.*Prou.15. Longè eſt Dominus ab impijs, & orationes iuſtorum exaudiet. Secundò commendantur iuſti ex moderatione prudẽtiæ:quia prudẽter ſciunt tẽperare metum iuſtitiæ cũ ſpe miſericordiæ:vt metus iuſtitię retrahat à malis, & ſpes miſericordiæ impellat ad bona. Et qui iſta duo habent,ſcil.timorẽ Domini,& ſpẽ, merẽtur habere Deũ adiutorẽ ſecũdũ illud Pſ. 113. *Qui timẽt Dominũ ſpe.in do.ad.iu.&c.* Et notãdũ ꝙ metus diuinæ iuſtitiæ, inducit iuſtos viuos ad cõpatiẽdũ defunctis qui ſunt in puagatorio, & ad cõpatiẽdũ eorũ pęnis: quia cõpatiũtur alijs de his, quæ timent de ſe. Sed ſpes diuinæ miſericordiæ inducit ad rogãdũ pro illis: vndè tã pro ſe,quã pro alijs, ille qui metuit Deũ poteſt expectare, & ſperare miſericordiã eius: propter ꝙ dicitur Eccl.2. *Metuentes Dominum ſuſtinete,& expect.miſe.eius.* Tertiò oſtẽditur gratia, quæ naſcitur defunctis ex precibꝰ iuſtorũ, quę eſt relaxatio pęnæ, vt,ſ.eruat à morte.i.ab illa pæna,quę acerba eſt vt mors,imò etiam acerbior, animas eorũ. Pſ.17. *Præoccupauerunt me laquei mortis:* iſti laquei ſunt pœnæ purgatorij, quibus anima tenetur ne euolet ad cœleſtia vt vellet.

Sed notãdũ,quod licet in morte naturali nõ ſit meritũ vel demeritum,nec valeat ad purgationem peccati, quia eſt ex peccato originali,quod eſt quaſi in naturã conuerſum: tamen in morte violẽta, etiã pro peccatis inflicta, ſi humiliter & patiẽter feratur, & cũ contritione peccatorum, poteſt eſſe tãtum meritum,& tanta virtus patientiæ & humilitatis, quod abſq; aliqua pęna purgatorij euolet anima ad cęlum. Et ideo latroni confitenti qui dixerat. *Nos quidẽ iuſtè nam digna factis recipimus:* & orauerat Chriſtum dicens. *Memento mei Domine.&c.*Luc.23. Dominus promiſit dicens. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Vndè poteſt dicere talis Deo, poſtquam occiſus eſt. *Eruiſti animam meam vt non periret: proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.*

SECVNDO in themate aſſumpto oſtenditur coactio iuſtitiæ cũ dicitur, *ducuntur*, ſ. ad purgatoriũ illi, ſ. qui hic exeunt non plenè purgati, ducũtur. ſ. exigẽte Dei iuſtitia, etiã inuiti, non enim eſt iſta pœna voluntariè aſſũpta, ſicut fuit pœnitentia voluntariè facta in vita iſta: & ideò erit vehemẽtior pœna, quia modica pęna volũtariè aſſũpta, plus purgat quã maior, quæ eſt inuoluntaria. Vndè poſſet dici tali moriẽti illud Ioã. 21. *Alius cinget te & ducet quo tu non vis.* In quibus quidem verbis tanguntur tria.

Primum eſt coactio iudicij, cum dicitur: *alius cinget te.*

Secundum eſt executio miniſterij: quia *ducet.*

Tertium eſt punitio purgatorij: quia *quo tu non vis.*

Dicit ergo quantum ad primũ, *alius*. ſ. Deus te iudicans, *cinget te*, i. coarctabit te cingulo. i. ſentẽtia iuſtitiæ ſuæ. Eſa. 11. *Erit iuſtitia cingulum lumborum eius.* Antiquitus ille qui debebat flagellari, ne poſſet flagella effugere, cingebatur. i. ligabatur ad columnam. Sic flagellandus flagellis pœnarum purgatorij, cingetur. i. ligabitur per diuinã ſententiã ad ignẽ, vel locum purgationis, vt poſſit dicere illud Iob 19. *Flagellis ſuis me cinxit.* Secundò ponitur executio miniſterij, quia ducet. i. duci faciet per miniſteriũ boni angeli, quia mali angeli. i. dæmones nõ habẽt poſt mortẽ aliquã poteſtatẽ ſuper animas iuſtorum: vndè non per malos, ſed per bonos angelos ducuntur ad purgatoriũ animæ bonorum, qui licet videãtur inimici, in quantũ ducũt eos ad ſuppliciũ, tamen amici ſunt: ꝙ apparet, quando exeuntes de purgatorio, honorabiliter portant ad cœlũ. Hoc figuratũ eſt Baruch 5. vbi dicitur. *Exierunt abs te*. ſ. mundo, *pedibus nacti*, non quidem pedibus corporalibus, quia animæ nõ habent pedes, niſi affectionis; ſed pedes dicũtur ipſi reatus peccatorum, quibus ducuntur ad pęnam iſtam: vel quia minus honorabiliter ducũtur, cum ad pœnam vadunt, ſicut ille qui ducitur peditando, minus honorabiliter vadit, quam qui portatur equitãdo. Sed quãdo exeunt de purgatorio, & vadunt ad paradiſum, tunc honorabiliter portari dicũtur ab angelis: vndè ſequitur ibi in Baruch. *Adducet illos Dominus*, id eſt, adduci faciet, *portatos in honore ſicut filios regni*. Tertio ponitur punitio purgatoria, cum dicitur, *quo tu non vis*, ſcil. ad purgatorium. Eſt enim aliqua pœna voluntariè aſſumpta, ſicut pœnitentia: & iſta eſt voluntaria, ſed tamen ſatisfactoria. Alia verò pęna eſt perpetuò duratura, ſicut pœna infernalis, & iſta nec voluntaria eſt, nec ſatisfactoria. In purgatorio ergò verificatur quod dicitur Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*. Vellet enim anima iuſti exuta corpore, velociter currere, id eſt, ad cœleſtem gloriam citò euolare: ſed non eſt volentis, quia ſcilicet detinetur inuita in ipſa purgatorij pœna, quouſque à diuina miſericordia liberetur, impetrata per viuorum ſuffragia: vel vbi fuerit completa purgatio per pœnam taxatam ex diuina iuſtitia.

TERTIO etiam in themate aſſumpto, agitur de afflictione pœnæ purgatoriæ ſub nomine mortis: cum dicitur, *ad mortem* &c. Aſſimilatur autem pœna purgatorij morti, quia ſicut mors media eſt inter iſtam vitam temporalem, & vitam aliam æternalem, propter quod in morte ſeparatur perpetuum à corruptibili, ſcilicet anima à corpore. Sic etiam purgatorij

pœna,

pœna media est inter pænam huius mundi temporalem & finitã, & pænam inferni æternam & interminatam: & ideo conuenit cũ pęna huius mundi inquantum est temporalis & infinita: sed cum pæna inferni, inquantum est vehementius cruciatiua & afflictiua. Vndè idem ignis est in purgatorio & in inferno, non tamen æternus, vel tantum afflictiuus: quia ex diuina iustitia moderatur eius cruciatus, secundùm gradus culparũ. Mors ergò quæ est in inferno, est sine respectu misericordiæ: quia interminabilis est. & sine omni remedio, & refrigerio. Vndè dicitur in Psal. 71. *Non est respectus*, s. misericordiæ Dei, *morti eorum*. Sed mors purgatorii habet terminum & remediũ, quia pœna illa finita est, & adiuuari possũt per suffragia viuorũ, vt citius eruantur. Vndè Iob 5. *In fame eruet te de morte.* Nam qui sunt in purgatorio sunt in fame, inquantum vehemẽter desiderãt cælestis gloriæ satietatem: de qua dicitur in Psal. 16. *Satiabor cum appa. glo. tur.* & in hoc vehementissimè affliguntur, quod eis retardãtur. Sunt etiam in morte, in quantum sunt in acerbissima pæna ignis, sed tamen à tali morte anima eruitur, quia indè cõpleta purgatione exiet, & ad celestẽ gloriã cum lætitia perducentur: & tũc dicere possunt sic deducti illud. 1. Io. 3. *Trãslati sumus de morte ad vitã.* Ad quã nos.

In funere vnius insidiosè occisi.

SERMO IX.

INsidiatur quasi leo in spelunca sua. psal. 9.

Sicut nos videmus naturaliter, quod quando res deserit suam proprietatem naturalẽ: perdit etiam naturam suam, & transit in aliam naturam; sicut ignis perdita caliditate, non est amplius ignis, sed transit ad aliã naturã, puta aëris vel aquæ. Sic etiã moraliter dicit Boëtius, quod accidit de homine: qui deserta probitate propria, cũ ad diuinã naturã transire nõ possit, restat vt in belluã redigatur. Vndè quia naturalis proprietas hominis est, quod est animal mansuetum naturâ, quod deserta mansuetudine efficitur crudelis, & inhumanus, ita vt insidiosè & proditoriè occidat proximũ suũ: meritò dici potest nõ homo, sed fera crudelis. Et ideò talis in verbis propositis assimilatur leoni, qui insidiosè & latẽter mansueta, & innocentia animalia aggreditur & occidit. Insidiatur, inquit, quasi leo in spelunca sua. Sed quia tales imitantur diabolum, qui homicida fuit ab initio, & in veritate nõ stetit; cuius etiam insidiæ in sacra scriptura assimilantur insidijs leonis, secundũ illud. 1. Petr. 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo &c.* ideo possunt prædicta verba ad nostram doctrinam exponi etiã de insidijs, quas diabolus ponit hominibus, pręcipuè in morte: vt animas rapere possit, & ad æternum interitum ducere, vt scil. dicatur de diabolo quod insidiatur quasi leo &c.

In quibus quidẽ verbis de ipso aduersario nostro tria ostẽduntur.

Et primum est eius calliditas: quia *insidiatur*.

Secundum est eius crudelitas: propter quam est *quasi leo*.

Tertium est eius malignitas: quia *in spelunca sua* latet.

Circa primum attendendum est, quod sicut homo dolosus, qui vult aliquem capere & decipere, non tamen vno modo, vel in vna re insidiatur ei: sed diuersis modis, & in diuersis rebus. Sic facit diabolus homini, qui diuersis astutijs, & ingeniis eum decipere conatur. Et ideò dicitur Eccli. 11.

Multæ sunt insidiæ dolosi.

In quibus quidem verbis ostenditur, quod deceptiones diaboli metuendæ sunt duplici ratione.

Primò, quia sunt diuersæ, quia non vno modo, vel in vno tantũ insidiantur: sed multis, & in multis, & diuersis; & ideò dicit *multæ sunt insidiæ.*

Secundò fraudulenter: & ideò dicuntur esse *dolosi.*

Circa primum aduertẽdum est, quod sicut ille qui vult capere ciuitatem, ponit insidias circa eam, non in vna parte tantum, sed in pluribus partibus. Sic diabolus volens capere animam, ponit ei plures insidias. Figura huius habetur Iud. 9. in Abimelech, qui signat diabolum, de quo dicitur ibi, quod posuit insidias iuxta Sychimam in quatuor locis. Sic diabolus circa hominem quadrupliciter insidias ponit.

Primò in principio boni operis, vt impediat ne fiat: sicut Pharao conatus est impedire filios Israel, ne crescerent, occidendo paruulos, per quos intelliguntur bonorum operum initia: contra quod oportet habere virtutes, quæ muniunt homines contra ista, quæ faciunt benè incepta relinquere. Cuius figura habetur Numer. 32. vbi dicitur. Paruuli nostri erunt in vrbibus muratis, propter habitatorũ insidias. Vrbes muratæ sunt virtutes, quæ faciunt hominem firmum, scilicet constantia, quæ non permittit bona incepta relinquere, vel deserere propter difficultatẽ. Item patientia, quæ non deserit ea propter cõtrarietatem. Itèm fiducia, quæ non deserit propter pusillanimitatẽ. Itẽ perseuerantia, quæ nõ retrocedit propter prolixitatem. Secundò diabolus insidiatur homini in ipso opere, scilicet vt ipsum corrumpat, saltem per inanem gloriam. Eccl.

Eccl. 11. 11. *Bona in malum conuertens insidiatur, & in electis ponit maculam:* scilicet inanis gloriæ. Tertiò insidiatur diabolus homini præcipuè in fine, id est in morte. Cuius figura habetur Gen. 3. vbi dictum Gen. 3.
est serpenti: qui typum gerebat diaboli. *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Nam calcaneum, cum sit extrema pars corporis, signat extrema vitæ corporalis hominis, in quo diabolus maximè insidiatur ei, vt ipsum habeat. Quartò insidiatur homini post mortem, in Dei iudicio, vt ibi eum accuset. Vndè in iudicio Dei faciunt dæmones homini, sicut faciebant Pharisæi Christo: de quibus dicitur Luc. 11. quod cœperunt grauiter insistere, de multis insidiantes ei: & quærentes capere aliquid, vt accusarẽt illum. Secunda ratio, quare metuendæ sunt tentationes diaboli, est eius fraudulentia: quia scilicet insidiæ eius, sunt insidiæ dolosi. Notãdum quod diabolus dicitur dolosus, quia habet dolosam linguam, dolosam stateram, & dolosum arcum. Dolosam linguam habet, quia de malo pollicetur bonum, id est, de malo opere præmium: vndè ait primæ mulieri de pomo prohibito Gen. 3. *Quacunque die comederitis ex ea, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Sic etiam Gen. 3.
facit quandò tentat de vindicta & homicidio, quia pollicetur indè magnum honorem, & quandò de futuro pollicetur lucrum, & vtile: & quandò de fornicatione pollicetur magnã delectationem. Sed de malis & pœnis, vel opprobrijs, quæ ex talibus sequuntur, plerũq; nihil ostendit. imò celat, & ideò dolosus est Ps. 108. *Locuti* Ps. 108.
sunt aduersum me lingua dolosa. Sed contra talem dolosum sunt mittendæ sagittæ, i. verba Dei, quæ ꝓhibẽt ista mala quę ipse persuadet: puta si persuadet homicidiũ, & tu arripe, id est, emitte contra

eum

eũ ex arcu sacræ scripturæ sagittã, id est verbum. 1 Io. 3. *Quia omnis* 1.Ioã 3. *homicida non habet vitam æternam in se manẽtem.* Si persuadet furari, mitte sagittam aliam, scilicet ver- Eph. 4. bum Pauli dicẽtis. Eph. 4. *Qui furabatur iam non furetur.* Si persuadet fornicationem, emittas aliam Eph. 5. quæ dicit Ephes. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habebit hæreditatem in regno Christi & Dei.* Et isto modo defendit se Christus ab eo, in deserto tentatus, scilicet per verba sacræ scripturæ. Et sic contra sagittas linguæ suæ dolosæ, valebunt sagittæ linguæ veræ: Psal.119. & ideò dicitur in Ps. 119. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* & respondet. *Sagittæ potentis acutæ.* Itèm diabolus dicitur dolosus, quia habet, & tẽnet in manu dolosam stateram. Oseæ 12. Oseæ 12. *In manu eius statera dolosa.* Statera dolosa est, quæ illud quod est magni ponderis, facit minoris quam sit: & illud quod est leuioris, facit videri grauioris. Hoc facit diabolus, quandò peccatum graue persuadet tibi vt leue, & facile remissibile: & quando bonum opus facit videri magis laboriosum, & ad faciendum magis difficile, vt retrahat ab eo. Prou.20. Prou. 20. *Statera dolosa non est bona.* Itèm diabolus habet arcum dolosum, quia dum videtur trahere ad vnam partem, trahit ad aliam; & hoc est quandò persuadet malum sub specie boni, & errorem sub specie veri: vel quandò persuadet malum, vt sequatur indè magnum bonum, contra illud Rom. 4. Apostoli Rom. 4. *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona:* & ideò dæmonibus competit quod dicitur Oseæ 7. Facti sunt quasi arcus dolosus.

SECVNDO in themate assumpto ostenditur diaboli crudelitas, & ferocitas. s. contra hominem, cum dicitur *quasi leo.* Notandum quod leo habet vngues quibus rapit, & dentes quibus interficit. Sic vngues quibus diabolus capit, & tenet animas, sunt eius tentationes: sed dẽtes quibus interficit, sunt eius persecutiones, vel vngues sunt suggestiones, quibus seducit, dentes autem sunt vitia, ad quæ inducit, quibus anima spiritualiter occiditur. Vndè Eccles. 21. *Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum.* Eccl. 21.

In quibus etiam verbis ostenditur, quales sint tentationes vitiorum, quas diabolus immittit: & ostenditur quod habent tres conditiones.

Prima est, quia sunt fortes: vndè vocantur *dentes.*

Secunda quia crudeles: in eo quod dicuntur *leonis.*

Tertia quia sunt mortales: quia *interficiunt animas hominum.*

Dat ergò diabolus tentationes fortes, sicut & homo, qui citò vult capere terram quam obsidet vndique, & in diuersis partibus dat bellum forte.

Sic diabolus circũdat animam, diuersis, & fortibus tentationibus expugnans eam: scilicet per omnes sensus, qui sunt in toto corpore. Iob 41. *Per gyrum dentium eius fortitudo:* alias formido. Iob 41. Sed maximè tentat diabolus de tribus vitiis, ad quæ scilicet videmus cõmuniter homines proniores: scilicet de concupiscentia carnis, de concupiscentia oculorum, & de superbia vitæ.

Prima concupiscentia pertinet ad gulam, & luxuriam, secunda ad auaritiam, tertia ad elationem, & ideò dicitur Danielis 7. *Tres ordines erant in ore eius: & dentibus eius principes tres*, id est, tres concupiscentiæ prædictæ, quæ pertinent ad principalia vitia. Dan. 7.

Secundò tentationes diaboli

ostēduntur esse crudeles, quia sūt vt *dentes leonis*; dentes enim leonis laniant & fætent. Tanquam ergo dentes leonis laniantes, sunt persecutiones dæmonis crudeles, sicut illæ quas Sathan intulit Iob. Sed quasi dentes eius fætentes, sunt tētationes ad vitia inducētes quæ Deo fætent. Iohelis 1. *Dentes eius vt dentes leonis.* Notandū etiā, quod diabolus assimilatur leoni, quia leo licèt sit audax & fortis, tamē naturaliter timet cantū galli, & ignem, & sonitum rotæ. Sic diabolus timet prædicatorē, quia membra eius separat ab eo: & timet ignem, scilicet charitatem. Vndè Gregor. Si vigilemus, hoc non timet diabolus, quia ipse nūquam dormit, si ieiunemus, hoc non metuit, quia ipse nunquam cibum capit; si charitatem seruamus, hoc formidat, quia charitatē seruamus in terra, quam ipse seruare noluit in cœlo. Item timet rotam i. pœnitentem, qui vertitur in contritione, dat sonum in cōfessione, sed portat onus in satisfactione. Et ideo oportet quòd homo sit fortis, & tunc pro nihilo habebit dentes leonis. Hoc figuratum est 1. Regum 17. in Dauid, qui interpretatur manu fortis,
1.Re.17. qui ait. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum. Et illi insurgebant aduersum me: & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam interficiebamq; eos.* Tertiò tentationes dæmonum sunt mortiferæ, quia *interficientes animas hominum.* Dentes enim leonis interficiunt corpora sed tentationes dęmonū impellunt ad alia peccata, quæ interficiuut animas, non bestiarū. sed hominum. Nam licèt animæ hominum sunt immortales, quātum ad mortē naturæ, tamē possūt interfici morte culpę, vel gehennæ. Vndè. *Vt interficerent animas quæ non moriuntur.* Ezec.13. Interficiuntur sic à diabolo, & eius tentationibus, præcipuè qui sunt incāuti, & non cauent sibi ab eis. *Insidiatur in vna quasi latro, & quos incautos viderit interficiet.* Prou.23.

TERTIO in themate assumpto ostenditur diaboli malignitas, cum dicitur, *in spelunca sua.* Spelunca enim diaboli est eius malitia occulta, quando se in lucis angelum transfigurat. Nā spelūca est fouea subterranea, à speculādo dicta, habet enim ex parte lucis introitum latū, sed terminū habet arctum: vndè locus est lucidus in ingressu, obscurus in progressu, sed arctus & insidiosus in egressu, si tamen inueniatur egressus, vt dicit Damascenus. Sic etiam quandoque diabolus apparens in forma boni angeli vt dicit Beda: in principio dat splendorē & stuporē, in progressu dat timorē, sed in exitu dimittit terrorem. Et in talibus cauernis, hoc est malitiis, latitantes dæmones, speculantur subtiliter qualiter possint animas rapere. *Absconderunt se in speluncis.* Apoc.6. Sed Dominus electis suis notas facit istius astutias: sicut dicebat Paulus. *Nō. inquit, ignoramus cogitationes eius.* 2.Cor.2. Et habent hoc sancti qui sunt illuminati per gratiam, vt non decipiātur, nec impediantur venire ad cælestem gloriam. Ad quā Deus nos perducat, &c.

Explicita est distinctio sexta, quæ dè diuersis casibus defunctorum tractauit copiose.

DISTINCTIO VII,

IN QVA AGITVR DE CONsolatione viuorum, in fletu mortuorum, cuius sunt sermones septem.

De tristitia repellenda, & de luctu, qui fit propter mortuum, cito finiendo.

SERMO I.

Consolare propter tristitiam, & fac luctum secundum meritum eius, uno die vel duobus. Ecclesiæ. 38.

Nos videmus naturaliter, quòd omnibus excellenter actiuis, ne nocumentum omnimodæ destructionis inferant passiuis, natura frænū & tēperamentum apposuit: de quo exempla patent, & in planetis cœli, & in elementis mūdi & etiam in partibus corporis humani. Cū enim quidā planetæ dicātur esse maleuoli, eo quod propter recessum suæ virtutis actiuę, inferioribus plerumque corporibus inferuntur nocumenta, sicut Mars nimis calefaciendo, & Saturnus nimis infrigidando: ideò his Deus, qui est auctor & conseruator naturæ, supposuit quosdam planetas alios, qui idcircò vocantur beneuoli, quia illorum prohibent & temperant nocumenta, & etiam sua temperata virtute, non inferunt inferioribus detrimenta. Vndè Saturno, qui dicitur esse Propheta maliuolus & infortunatus, eò quod habet virtutem infrigiditiuā & desiccatiuam excessiuè, supposuit Iouē beneuolū, qui est virtutis contrariæ. s. calefactiuæ & humefactiuæ tēperatæ. Marti quoque, qui etiā maliuolus dicitur eo quod est virtutis nimis inflammatiuæ & etiam siccatiuæ, supposuit Venerem planetā beneuolū, eo quod habet virtutē contrariā. s. infrigiditiuā, & humectatiuā sed tēperatā. Apparet ergò etiā inde exēplū in elemētis mūdi. Nam ne ignis propter excessum suæ caliditatis & siccitatis, suppopositi aëris humiditatem destrueret, est ipsi aëri supposita aqua, quæ sua humiditate & frigiditate, igneā caliditatē atque siccitatem contemperat. Et nimia etiam humiditas aquæ, terræ suppositæ tēperat siccitatem. Hoc idem exemplum patet in partibus extrinsecis corporis humani, quia ad nimium calorem cordis contemperandū, est in capite superpositum cerebrū: sua magna frigiditate & humiditate, prædictū cordis calorem contemperans, & refrænans. Sic ergo, cū in anima hominis ex parte sensitiui appetitus, frequēter passiones insurgunt, vt concupiscentiæ, vel iræ, & tristitiæ, & similiū, quarum excessus mentē hominis deordinat & perturbat: ad talem refrænandum excessum, est in homine superposita ratio, quę refrænans passionum excessus, quoddā in eis constituit temperamentum & in huius medietatis tempetie consistit ratio virtutis moralis. Vndè Philosophus in Ethic. dicit, quod virtus est habitus electiuus, in medietate consistens, determinata ratione, prout vtique sapiens determinabit. Quia ergo

inter passiones huiusmodi, excessiua tristitia tam animæ, quã corpori est plurimum nociua, quia spiritus tristis exsiccat ossa, s. corporis, vel robur virtutum, & talis tristitia maximè prouenit ex morte cõiunctorũ & charorũ, tam ex interiori dolore, quam ex fletu & luctu exteriori: idcircò in tali casu præcipuè est necessaria consolatio rationis propriæ, vel hominis sapientis, ne. s. ex nimia tristitia absorbeatur animus, & ne exterius ex luctũ superfluo virtus corporis resoluatur. Et idcircò taliter dolens, in verbis propositis diuinæ scripturæ, ad interiorẽ dolorẽ cõsolandũ, inducitur ad exteriorem luctũ citius terminandũ, dicendo, *consolare propter tristitiam, &c.*

A In quibus quidem verbis facit Ecclesiasticus tria.

Quia primò inducit ad dolorem mitigandum: cum dicit: *consolare.*

Secundò ad ipsum vitandũ: cum subdit: *propter tristitiam.*

Tertiò ad ipsum breuiãdum: cũ addit: *& fac luctum, &c.*

CIRCA primum attẽdendum est, quòd non prohibetur homini dolere & lugere de dãno mortis charorũ suorũ: quia nõ potest fieri ꝙ non doleat homo de amissione rei amatæ. Vndè Dauid audita morte Ionathæ amici sui ait 2.
2. Reg. 1. Reg. 1. *Doleo super te frater mi Ionatha:* & postea subdit causam, *quia sicut mater vnicum amat filium suum, ita te diligebam.* Et Dominus noster super Lazarũ amicũ suum mortuũ lachrymatus est. Ioan. 11 Exhortatur autem sacra scriptura vt post dolorẽ & luctũ: debeat homo aliquã consolationẽ accipere, & dolorem & luctum deponere. Huius figura habetur in Iuda de quo post mortem vxoris dicitur Gen. 38. quod post luctum, consolatione accepta, ascendebat.

In quibus quidem verbis innuuntur breuiter, tria.

Et primum est tristitiæ signum, scilicet *luctus.*

Secundũ est patientiæ remediũ: s. *in consolatione accepta.*

Tertiũ est gratiæ profectus: quia *ascendebat.*

Circa primum attendendũ est, quòd luctus fit in morte charorum, ad ostendendum tristitiam, siue de separatione dilecti, siue ex cõsideratione dãni proprij, quod si plerumq; sequitur ex morte alterius, siue ex compassione aliorũ dolentiũ, & attinentium illi. Et ideò de Iacob dicitur Genes. 37. quod indutus est cilicio, lugens filium suum Ioseph multo tempore. Similiter 2. Reg. 13. dicitur de Dauid, quod luxit filium suum Ammon multis diebus. Itèm eodem 19. nunciatum est Ioab, quod rex lugeret filium suum Absalon. Et 2. Paralip. 35. dicitur de Iosia mortuo: quod vniuersus Iuda & Ierusalem luxit eum. Itèm Ezech.
24. dicit ipse Propheta. *Mortuorum luctum faciam.* Habet litera Hiero. Ezec. 24
Mortuorum luctum non facies. Imò etiam inducit sacra scriptura ad associandum tales lugentes pro ipsorum consolatione illud Eccl.
7. *Ne desis plorantibus in cõsolatione,* Eccl. 7.
& cũ lugẽtibus ambula. Et Salomon cõmendat visitare domos lugentium, dicẽs Eccl. 7. *Melius est ire ad domũ luctus quã ad domũ conuiuij:* & subdit rationẽ dicẽs: *In illa enim finis cunctorũ admonetur hominũ: & viuens cogitat quid futurum sit.* Secundò in auctoritate adducta ponitur patiẽtiæ remediũ. s. de consolatione accepta. Vbi aduertendũ est, quod ex duobus præcipuè accipienda est consolatio de morte alicuius. Primò, ex consideratione qualitatis morientis, quia lachrymis aut dolore reuocari non potest: quia si tot lachrymæ funderentur; quot guttæ aquæ sunt in mari, nõ propterea reuocaretur ad vitã, & ex hac cõsideratione accepit

pit

pit consolationẽ Dauid de puero suo mortuo, & cõsolatus est etiam matrẽ eius. Vndè dicit seruis suis
2.Re.12. 2.Reg.12. *Propter infantẽ cum adhuc viueret ieiunaui & fleui. Dicebam enim quis scit si fortè donet eũ mihi Dominus & viuat infans? Nũc autẽ quia mortuus est quare ieiuno? Nũquid potero reuocare eũ amplius? Ego vadã magis ad eũ: ille verò non reuertetur ad me. Et consolatus est Dauid Bersabee vxorẽ suã.* Secundò ex cõsideratione vtilitatis viuẽtis, quia ex immoderata tristitia & luctu, nullũ fructũ & magnum damnum incurrit, non tantum animæ, sed etiam corporis. *A tristitia enim festinat mors*, vt dicitur Eccl.38. Multi enim iã, ex multa tristitia, infirmati & mortui sunt: & ideò misericordiæ opus est, tales cõtristatos & lugentes consolari. Vndè 1.
1.Par.9. Par.9. dixit Dauid. *Faciã misericordiam cum Amon filio Naas. Præstitit enim mihi pater eius misericordiã: & misit Dauid nuncios ad cõsolandũ eũ super morte patris sui.* Tertiò in auctoritate superius adducta, ostenditur notitiæ profectus: quia dixit quod *ascendebat*. i. proficiebat in notitia & cõsideratione sapiẽtiæ: quia ex cõsideratione mortis alterius, potest homo ascẽdere triplicem gradũ cõsiderationis. Primus est, quia ex hoc cognoscere, & perpendere, potest humanæ vitæ calamitatẽ: quæ tali fine terminatur s. mortis & putredinis. Secundus est malè morientis infelicitas quia vadit ad pœnas æternas. Tertius est cõsiderãdo benè viuentis felicitatẽ & iucũditatẽ: quia vadit ad ineffabilia gaudia. Et istæ sunt ascẽsiones, de quibus dicitur in Ps.
Psal.83. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarũ:* id est in humilitate mortis, & luctus alicuius.

B SECVNDO sapiens in proposito themate, inducit ad dolorem vitandum: cum dicit: *propter tristitiam*. s. effugiendam. Et notandum, quòd tristitia repellenda est duplici ratione. Primò, propter detrimẽtũ spirituale, quod est triplex. Primũ est, quia impedit sciẽtiã ex eo. s. quod tristitia impedit à cõsiderãdo & addiscendo. Et ratio est, quia cum omnes potentiæ animæ in vna essentia animæ radicentur, necesse est, quòd quãdò intẽtio animę vehemẽter trahitur ad operationẽ vnius potẽtiæ, quòd retrahatur ab operatione alterius: vnius enim animæ nõ potest esse nisi vna intẽtio. Et propter hoc, si aliquid ad se trahat totã intẽtionẽ animæ, vel magnã partẽ eius: non cõpatitur secũ aliquid aliud, quod magnã intẽtionẽ requirat. Manifestũ est autẽ, quòd ad discendum aliquid de nouo, requiritur studiũ & conatus cũ magna intentione,
secundũ illud Prou.2. *Si quæsieris* Prou.2.
sapientiã quasi pecuniã, & sicut thesauros effoderis illã: tũc intelliges disciplinã. Sed aliquãdò tristitia animi in tãtũ intẽditur, ꝙ trahit ferè totã intentionẽ, & tunc nõ potest homo apponere cor, vt aliquid addiscat de nouo, licèt fortè voluat aliquid in animo, quod iã didicit. Vndè Greg. propter tristitiã intermisit Ezech. expositionẽ. Et ideò
dicitur Eccl.14. *Felix qui nõ habuit* Eccl.14.
animi sui tristitiã. Secundũ detrimentũ tristitiæ est, quia aggrauat & angustiat animam. Aggrauat quidẽ, quia homo dicitur aggrauari corporaliter ex eo, ꝙ aliquo põdere impeditur à proprio motu: & sic tristitia aggrauat spiritualiter. Tristitia enim cõtingit ex aliquo malo præsenti, ꝙ quidẽ eo ipso, ꝙ repugnat motui volũtatis aggrauat animũ, inquãtũ impedit ipsum ne fruatur eo, quod vult: & si vis mali contristantis intantum excrescat, vt nõ sit spes euadendi, tunc motus animi interior angustiatur, vt nec huc, nec illuc diuertere valeat. Et ita tristitia animi angustiam & anxietatem generat.

vndè dicitur de Antiocho Rege.1. Mac.6. quod *renouata est in eo tristitia magna, & arbitratus est se mori. Et vocauit omnes amicos suos, & dixit illis. Recessit somnus ab oculis meis: & concidi & corrui corde præ sollicitudine. Et dixi in corde meo. In quantam tribulationem deueni; & in quos fluctus tristitiæ in qua nunc sũ:* Tertium detrimentũ tristitiæ est, quia impedit actionem meritoriã. Acquiritur enim meritum ab actibus virtuosis, quos plurimũ tristitia impedit. Vndè in magnis moralibus Philosophus dicit. Si tristatur aliquis bona operari, coactus operatur: qui autẽ ex coactione operatur, iã non est virtuosus. Imò interdũ tristitia impedit omnem operationem, ex eo interdũ quod tristitia ita aggrauat, vel absorbet animam, vt omnem motum etiam interiorem, & exteriorem excludat. Et ideò Philosophus dicit in decimo Ethic. quod sicut delectatio perficit operationem, ita tristitia impedit. Et ideò dicebat Apostolus.2.Corin 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Secundò repellenda est tristitia, propter nocumentum corporale: quia maximè nocet corpori, quod maximè repugnat humanæ vitæ. Consistit enim humana vita in quadam motione quæ à corde in cætera mẽbra diffunditur: cui scilicet motioni, talis tristitia repugnat. Et ideo dicitur Prouerb.25. quod *sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.* Et Ecclesia.38. A tristitia festinat mors.

TERTIO in themate assumpto, inducit sapiens ad dolorem & luctum cito terminandum, cũ ait. *Fac luctum secundum meritum. &c.* Meritum istud plangẽdi mortuum, attenditur secundum dignitatem defuncti. Vnde in veteri testamento, qui maiores erant in dignitate vel probitate, magis plãgebantur: sicut patet de Iacob. Gene. 50. & de Aaron Nume. 20. & de Moyse Deute. 34. & de Samuele.Reg.25. Sed sequitur in themate: *vno die vel duobus*.i.modico tempore Eccli.22 *Modicum plora super mortuũ quoniã requieuit* Narrat Valerius Maximus quod Licij, quando incidebant luctus mortui, induebantur homines veste muliebri, vt deformitate cultus permoti, stultum mœrorẽ citius deponere cuperent. Vndè Eccli.38. *Fer luctum illius vno die.* Hoc fiebat antiquitus de quolibet vili mortuo: sed de nobilioribus fiebat luctus saltem septem diebus, secundùm illud Ecclesi.22. *Luctus mortui septem diebus.* Vel per istos septem dies intelligũtur moraliter septem partes prosperitatis mundanæ, pro quibus lugẽdus est homo, qui propter talia iacet mortuus in peccatis, scilicet pompa sæcularis, fama popularis; sanitas corporalis; voluptas carnalis; abundantia temporalis, securitas insidialis, & gloria singularis de quibus Iob.21. *Ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad inferna descendunt.* Sed illi qui lugent bene peccata sua vel aliena, consolabũtur, secundum illud Matth.quĩnto. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*: scilicet in præsenti de venia, & in futuro de gloria. Ad quam nos Deus perducat qui viuit &c.

SERMO II.

De commendatione visitantis lugentes.

MElius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonet hominem.

Ecclesi.7. Plerumque contingit quod præsens voluptas conuertitur

tur in aduersitatem perpetuam: quia, vt dicitur Prouer. 14. *Extrema gaudij luctus occupat.* Luc. 7. *Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.* Et è contrario contingit quod præsens aduersitas, conuertitur in perpetuam voluptatem, Iob. 16 *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quæ duo manifestè apparent Luc. 16. in diuite epulone, & Lasaro paupere. Si ergo cuius finis bonus est & ipsum quoque bonum est, & finis luctus est bonus, & finis gaudij malus: sequitur, quod vt dicitur in verbis propositis; melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.

Luc. 16.

A In quibus quidem verbis agitur de quatuor.

Et primò de præsenti afflictione: quæ intelligitur per *domum luctus.*

Secundò de mundi consolatione, quæ intelligitur per *domum conuiuij.*

Tertiò de vtriusque comparatione: quia *melius.*

Quartò de euidēti ratione: quia *in illa finis cunctorum &c.*

CIRCA primum attendendum est, quod mundus iste est vt domus luctus, his qui sunt in aduersitate. Mundus enim est domus incensa, & combusta igne auaritiæ. 4. Reg. 25. *Omnem domum combussit ignis*: scilicet auaritiæ. Vndè Iud. 12. dicitur quasi ex persona dæmonum. *Incendemus domū tuam.* Item mūdus est domus immunda, & infecta lepra luxuriæ. Leui. 12. *Lepra est perseuerans: & immunda domus*, scilicet immunditia luxuriæ: & dicitur lepra perseuerans, quia corrumpit & non corrigit vitium luxuriæ. Itē mundus est velut domus tota plena fumo superbiæ 4. Regum. 10. *Repleta est domus à summo vsque ad summū.* Et quia huiusmodi vitijs plurima mala & aduersa proueniunt in mūdo, pro quibus homines lugere oportet: & idcircò rectè mūdus vocatur domus luctus. Sed de isto luctu dicitur Hiere. 31. *Conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo.* In quibus quidem verbis continetur triplex promissum quod correspondet merito triplicis virtutis.

Et primū quidē respondet merito pænitentię, cū dicitur: cōuertam luctum eorum, scilicet pænitentium in gaudium: & istud gaudium est de remissione culpæ.

Secundum respondet merito misericordiæ scilicet eorū qui cōpatiuntur miserijs aliorum, & istis promittit consolationem gratiæ: cum dicitur *consolabor eos.*

Tertium verò respondet merito patientiæ cum dicitur: *& lætificabo eos à dolore suo*, & illud erit in ademptione gloriæ.

Circa primum attendendum est quod sicut pænitens dolet de perpetratione culpæ, ita gaudet de eius remissione. Sicut ergo in vite virtute solis conuertitur humor aquæ in vinum: ita etiam virtute charitatis in pœnitente, conuertitur luctus in gaudium. Et ratio est, quia virtute charitatis remittuntur peccata, lugentibus ea, sicut patet in Magdalena, post cuius lachrymas & luctum dixit Christus Luc. 7. *Dimittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* Luc. 7.
Notandum est autem, quod verè pœnitentibus Deus & remittit culpam, & restituit gratiam. Remittit enim primò culpam, quātum ad omnia peccata, quia vnum peccatū sine alio remitti non potest, quia esset hoc contra perfectionē diuinæ misericordiæ: cuius perfecta sūt opera, vt dicitur Deut. 32. vndè cuius miseretur totaliter miseretur. Et ideo Augustinus dicit in libro de pænitētia, quod quę dā impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & in iustitia est, dimidiam

midiam sperare veniam. Et licèt remissa culpa per pœnitentiā tollat reatus pænæ æternæ, quæ sequebatur ex auersione à bono incommutabili & æterno;quę auersio per conuersionem pænitentiæ remouetur: potest tamen homo post talem remissionē, adhuc remanere ligatus ad pænam temporalē: sed cum auxilio diuinæ gratiæ patienter pænas tolerando, absoluitur etiam à tali reatu pænæ temporalis. Itèm verè pænitenti restituitur gratia, & omnes virtutes: sicut videmus quod redeunte tempore veris, arboribus redduntur frondes, quas abstulerat asperitas hyemis. Et ex hoc patet, quod verè pænitentibus remittitur vt dictum est culpa, & remissio culpæ nō potest esse nisi per infusionem gratiæ: & ideò oportet quod pænitenti gratia infundatur, & gratiam consequuntur omnes virtutes gratuitæ, sicut ex essentia animæ fluunt omnes potētiæ. Et huius figura habetur Luc. 15. vbi pater mandauit quod filius pænitens indueretur stola prima: quæ secundùm Ambro. est amictus sapientiæ, quam sequuntur omnes virtutes, secundùm il-
Sap. 8. lud Sap. 8. *Sobrietatem enim, & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem: quibus vtilius nihil est in vita hominibus.* Sic ergò, quia per pænitentiā remittitur culpa, & restituitur gratia cū virtutib⁹, cōuertitur luctus pænitētis in duplicē lę-
Hest. 9. titiā. Et ideò dicitur Hester. 9. *Luctus atque tristitia in hilaritatē gaudiumq; cōuersi sūt.* Et potest exponi, quod luctus pænitētiæ exterioris, cōuertuntur in hilaritatē, propter remissionē culpæ & pænæ æternæ: & in gaudium propter restitutionem gratiæ & virtutum.

Secūda autē promissio, quæ ponitur in auctoritate adducta, corrēspōdet merito misericordię: quia pij homines cōpatiūtur proximis, & lugēt de aliorū miseriis, & quātum ad hoc subdit, *& consolabor eos.* Vbi aduertendū est, quod sancti & pij viri in mundo isto, & dolēt de afflictione bonorū, & lugēt de perditione malorum, sicut Samuel lugebat Saul à Deo reprobatū. Et ideò in alia vita cōsolabūtur à Deo, quia habebunt gaudiū de beatitudine bonorū, & lætitiā de punitione malorum: quia *lætabitur iustus cum viderit vindictā* & ideò dicitur Esai. 51. *Gaudiū & lætitiā tenebūt, fugiet dolor & gemitus, ecce ego ipse consolabor vos.* Quasi dicat, illo modo consolabor misericordes & cōpassiuos, quia tenebūt gaudiū de beatitudine bonorum, quia vnusquisque cōgaudebit beatitudini alterius, & lætitiā de vindicta malorum, & sic fugiet luctus quē habebant in mundo de afflictione iustorum, & etiā gemitus quem facere solebāt de perditione malorum. Tertia promissio corrēspōdet merito patiētiæ, cum dicitur: *& lætificabo eos à dolore suo.* Dicitur de Nilo qui est Ægyptij, flumē, quòd quādò inundat multū eius aqua, multum lætificantur Ægyptij: quia est signum & causa futuræ fertilitatis. Sic inundatio & fluctus tribulationū in mundo isto, est causa & signū abundantiæ bonorū in futura gloria: propter quod dicitur Iac. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Et ideò etiam in Psal. 45. dicitur, quod *fluminis impetus lætificat ciuitatē Dei,* quia s. impetus aduersitatis præsentis, erit causa lætitiæ & gloriæ, quam habebunt sancti qui passi sunt in superna ciuitate cælestis Hierusalem: & tunc lętificabūtur, ab omni labore liberati, & dolore, sicut mulier postquā dolorem partus euasit, & filium peperit, à dolore suo lætificatur: & sicut sanatus lętificatur à dolore incisionis, quia lętatur propter sanitatē

Esai. 51.
Iacob. 1.
Psal. 45.

adeptã, etiã de dolore quem sustinuit. Psal. 43. [Psal.43.] *Secundũ multitudinẽ dolorũ meorũ in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animã meam.*

B SECVNDO in themate assumpto agitur de mundi consolatione siue voluptate, quæ intelligitur per domum conuiuij. Notandum, quòd mundus dicitur domus conuiuij, propter affluentiam voluptatis: & dicitur etiã domus luctus, propter tristitiam aduersitatis. Videmus autẽ quòd terræ nascentia læduntur vel à nimio calore, vel etiam à nimio frigore. Et sic homines, vel à nimio fauore prosperitatis, vel ardore voluptatis, vel etiã à nimio frigore aduersitatis læduntur. Quia prosperitas per voluptates corrumpit, faciens homines luxuriosos & gulosus. Et aduersitas per impatiẽtiã deiicit, faciens homines vel crudeles, & immites, vel pusillanimes & desperantes:& ideò ab vtraque oportet cauere. [Hier.15.] Vndè Hiere.15. *Ne ingrediaris domũ conuiuij.* s. vt voluptatibus mundi resoluaris : sicut [Luc.16.] faciebat diues epulo Lu.16. *Neque vadas ad plangendũ.* s. propter impatientiã aduersitatis, quasi diceret. Si vis non perire, neque voluptatibus mundi resoluaris, neque aduersitatibus eius & luctibus prosternaris, aut deiiciaris. Ad literã etiã vitanda sunt conuiuia inhonesta, & intẽperata, secundùm illud [Prou.23.] Pro.23. *Noli esse in conuiuijs potatorum.* in talibus cõuiuiis secundũ Gre. abundant edacitas, loquacitas, & ludorum vanitas. Vndè [Iob.1.] Iob 1. dicitur, quod *filij Iob faciebant conuiuia per domos, vnusquisque in die suo: cumque trãsissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat eos:* vbi Greg. dicit primò moraliter, quòd vir sanctus nouerat quia cõuiuia vix sine culpa poterãt celebrari, & quia magna purgatione sacrificiorũ diluẽdæ erant epulæ conuiuiorum. Et Amb. in lib.1. de officiis dicit, ꝙ cõuiuia, occupationes extraneorũ habẽt, subrepunt fabulę & voluptatum pocula. Et notandum quòd circa conuiuia peccatorũ quatuor vitia cõcurrunt. Nã procedit cupiditas inanis gloriæ quia multi talia conuiuia faciunt, vt magnifici reputẽtur, & vt inde homines gloriã & laudẽ assequãtur: & ideò cũ magna põpa faciũt cõuiuia ad laudẽ hominũ, & nõ ad meritũ apud Deum; & ideò nõ vocãtur pauperes sed diuites. vñ cõtra illud Luc. 14. dicitur: *Cũ facis conuiuiũ, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, &* [Luc.14.] *beatus eris: quia non habent vndè retribuere tibi: retribuetur enim tibi in retributione :* alias resurrectione *iustorũ.* Itèm procedit prodigalitas expensæ: quia multi prodigi expẽdunt in talibus cõuiuiis, ꝙ nolũt dare etiã parua in eleemosynis, vel in restitutionibus faciendis: sicut patet in diuite epulone, qui quotidiè habebat splẽdidas epulas, & pauperi Lazaro negabat micas. Itẽ comitatur talia cõuiuia voluptas, & edacitas gulæ : & sequitur postea immũditia luxuriæ. Et de his dicitur. 2. Pet. 2. *Voluptatẽ existimãtes* [2.Petr.2.] *Dei, delitias coinquinationis & maculæ, delicijs affluẽtes in conuiuijs suis luxuriãtes vobiscum, oculos habentes plenos adulterijs, &* Oseę 4. *Separatũ* [Oseæ 4.] *est conuiuium eorum fornicati sunt.*

C TERTIO in themate assumpto agitur de vtriusque comparatione. s. aduersitatis & voluptatis : quia melius est ire ad domũ luctus, &c. i. melius est pati aduersitatem, q̃ sequi voluptatẽ. Et ratio est quia in aduersitate anima iusti Deũ benedicẽs, & patiẽter ferẽs, cõseruatur in vita gratię: sed voluptatẽ sequẽs, ruit in mortẽ culpæ. Vñ Dauid q̃diu fuit in persecutione Saulis, bonus perseuerauit: sed qñ erat in prosperitate regni carnis voluptatẽ sequẽs, in vitiũ luxuriæ homicidij cecidit. Et ideò dicitur Iud. 7. [Iud. 7.]

Melius

Melius est vt captiui benedicamus Dominum viuentes. s.vita gratiæ *quam moriamur.* s.morte culpæ. Itē quia ex aduersitate anima humiliatur, sed ex voluptate & prosperitate in superbiam eleuatur: sed sicut dicitur Prouer.16. *Melius est humiliari cum mitibus, quam diuidere spolia cum superbis.* Itē in paupertate & aduersitate homo magis timet Deum, sed in voluptate & prosperitate, præcipuè si sit diues, contemnit eū: & ideo dicitur Prou.15. quod *melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles.* Item quia per aduersitatem incidit homo plerumque absque culpa in manus hominum: sed per voluptatē incidit cū culpa in manus Dei. Sed sicut dixit Susanna Dan. 13. *Melius est absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini: quia horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Prou.16

D QVARTO in themate assumpto ponitur euidens ratio, quare sit melius ire ad domum luctus, quā ad domum conuiuij, s. *quia in illa,* s.in domo luctus, *finis cunctorum admonetur.* i.ad memoriā reducitur finis omnium hominum, s. mors. Et ista admonitio siue rememoratio finis valet ad hoc vt homo viuens cautius & prudentius se habeat Nam si aliquis finis est periculosus, si homo habet amicum, solet eum præmonere vt cautius se habeat. Sed finis iste hominum, scilicet mors, periculosus finis est quia multi ibi pereunt: & ideo insinuatio eius, & rememoratio valet nobis ad meliorē nostri custodiam. Vndè 1.Petr.4. dicitur. *Finis omnium appropinquabit. Estote ergo prudentes: & vigilate in orationibus.*

In quibus quidem verbis beatus Petrus tria facit.

Quia primò nobis proponit mortis instantiam, cum dicit: *finis omnium appropinquabit.*

Secundò nos inducit ad futuri prouidentiam: cum subdit: *estote ergo prudentes.*

Tertiò ad nostri custodiam: cum addit: *vigilate in orationibus.*

Circa primum notādum, quod finis omnium, id est mors, dicitur appropinquasse: quia breues dies hominis sunt; & quantò homo plus viuit, tantò plus appropinquat eius finis. Sed aduertēdum, quod quando est aliquod periculum, vbi multi periclitantur, & multi euadunt, non est mirum si aliqui homines multum audaces, & fortes non timent, nec prouident sibi: sed quando est talis passus per quem nullus transit, quin dimittat robam & pellem, tunc est stultitia si non prouideat sibi quod transeat tutus. Ita certè si finis noster esset talis, quod aliquis aut per vim, aut per pacem posset euadere, non esset mirum si homo non curaret de ipso: sed est talis passus, quod nullus potest euadere, & ideo dicitur finis omniū. Sicut enim iste finis habet potentiam in Tuscia vel Lombardia, sic in Anglia, & in Francia, & in toto mundo: & sicut in senibus, sic in iuuenibus, sicut in pauperibus, sic in diuitibus, & frequētius occiditur porcus pinguis quam macer, & sicut moritur bos ita & vitulus, & frequenter portat asinus corium aselli ad forum, & iuuenes à parentibus ad sepulchrū, licet non per naturam, tamen per Dei voluntatem Gen.6. *Finis vniuersæ carnis venit coram me.* Et Ezechie.7. *Finis venit: venit Finis super quatuor plagas terræ.* Gen.

Secundò inducit nos ad futuri prouidentiam, cum subdit: *estote ergo prudentes.* Vbi notādum, quod homo non esset prudens si vellet remanere in terra ista: vndè omninò oporteret eum exire vellet nollet: & si esset sollicitus facere

ibi thesaurũ suum: sed esset prudẽs, si vbi manere deberet, ibi faceret congregationem suã sicut vulpes, & mus, quandò de suis foueis exire compelluntur, tam citò aliam faciunt cum labore. Hanc prudentiam benè habent mundani, quandò festum S. Michaelis appropinquat, vel festum S. Ioannis, & debent exire de domo quam tenuerunt: quia solent ante exitum de alia domo sibi prouidere. Sic certè noster exitus est propinquus: & nescimus horam, quando expellemur de hoc mundo. Et ideò debemus facere congregationem ibi, vbi nostra mãsio erit. Et sic habita- Eccl. 10. bimus in pace. Ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentiũ. Sed heu quia dicitur Lu. 16 quod filij huius sęculi, prudẽtiores filijs lucis in generatione sua sũt. quia illi faciunt, isti non.

Tertiò inducit nos ad nostri custodiam & tutelam, cum additur *vigilate in orationibus*. Et primò vult quod simus solliciti ad custodiã: & ideò dicit: *vigilate*.

Secundò quod simus ornati ad pugnam: & ideò subdit *in orationibus*. Quantum ergo ad primum notandum, quod quando homo habet aduersarium nequissimũ, qui cõtinue insidiatur ei, sollicitus est multum & vigilat, vt non inueniat ipsum dormientem. Sic certè homo habet aduersarium crudelissimum, qui insideatur ei, scilicet diabolum, & ideo nõ debet homo dormire in peccatis, sed esse in vigilia gratiæ: ne diabolus inueniat eum dormiẽtem, & occidat ipsum. Ita dicitur 1. Pe- 1. Pet. 5. tri 5. *Sobrij estote & vigilate, &c.* Nota figuram huius 2. Regum 4. de Isboseth, qui interpretatur vir confusionis, qui dormiebat super stratum suum in meridie, ostiaria domus, id est ratio purgans triticum separans granum à paleis, id est, bonum à malo obdormiuit, & ingressi sunt duo latrunculi, scilicet Rechab, qui interpretatur mollis pater, & Banaia, qui venit gratificus, & interfecerunt eum. Et ideo sicut vigilat homo ne auferantur ei bona temporalia: sic multo magis debet vigilare, ne auferantur ei bona spiritualia. Vndè Apoc. 16. Apoc. 16 Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Secundo monet quod simus armati ad pugnam spiritualem. s. per arma orationum: vnde dicit, in orationibus. Nam oratio est summum remedium contra bellum carnis; nec mirum, quia oratio impetrat auxilium plurimũ: caro est vna pessima ribalda, quæ semper est contraria spiritui, sed anima est vna nobilis creatura, ideo tenent se sancti libenter de parte sua. Matth. 26. Orate ne intretis in tentationem: non vt non tentemini: sed ne intretis per cõsensum. Aliquando enim homo velit nolit turpia cogitat, sed tũc est ad ostiũ tẽtationis, intrat autẽ quoniam cõsentit, & ideo oratio est auxiliũ: & ideo dicit Dominus *Hoc genus dæmoniorum nõ eiicitur,* Matt. 17 *nisi in oratione & ieiunio*. Vnde ieiunio sanãtur pestes corporis, sed oratione pestes mẽtis: & per eã etiã cõceditur gratia, qua peruenitur ad gloriã. Ad quã Deus, &c.

De ploratu temperato habendo.

SERMO III.

M*Odicum plora supra mortuum.* Ecclesi. 22. Eccl. 22. Dixerunt Philos. Stoici quod tristitia nõ debebat esse in homine sapiente. Et ratio est secundũ Tulliũ, in li. de Tusculanis quæst. quia tristitia & ira, & generaliter omnis passio animæ, est quidam animæ morbus, quicũq; autẽ morbosus est sanus nõ est, & qui in anima sanus non est, insipiens est; vnde insipientes insanos dicimus. ergo tristitia nõ

est in homine sapiente. Sed Peripatetici Philosophi dixerũt, quod in homine sapiẽte potest esse tristitia, & quæcũque alia passio sẽsitiui appetitus, dummodo sit ratione moderata: quia tristitia, & quęcumque alia passio nõ dicitur morbus, vel perturbatio animæ, nisi quandò caret moderamine rationis. Et huic opinioni sacra scriptura cõcordans, immoderatã tristitiam prohibet, & moderatã concedit. Vndè de immoderata tristitia, quæ perturbat animã, & rationem absorbet, dicitur quod
Prou. 12 non cõtristabit iustum quicquid ei acciderit. Et Eccl. 30. *Tristitia*
Eccl. 30 *longè expelle à te.* Moderatã autem tristitiam cõcedit sacra scriptura, specialiter de morte charorum: & ideò etiam ad plorandum super mortuũ inducit, non tamen multum, sed modicum. i. cum temperamento debito, & moderamine rationis. Et hoc est quod Eccl. sapiens dicit in verbis propositis. *Modicum plora supra mortuum.*

A In quibus quidẽ verbis tria facit. Quia primo inducit ad tristitiã ostẽdendã, in eo quod dicit: *plora.* Secundo ad tristitiam moderãdam: in eò quod dicit: *modicum.* Tertiò specificat tristitiæ materiam: cum subdit *supra mortuum.*

CIRCA primũ notandũ, quod plorare mortuos sacra scriptura concedit: quia non est illicitum, & ratio est, quod cui non est illicita causa, nec effectus, qui naturaliter sequitur ex ipsa causa. Vndè sicut non est illicitum viro vti vxore, ita nec est ei illicitũ ex ipsa filios generare: quia iste effectus naturaliter est conueniens ex vsu matrimonij. Et ideò, cum plorare siue flere sit effectus quasi naturaliter consequens tristitiã & dolorem, & dolere & contristari de morte proximi & chari sui, non sit illicitum: sequitur quod nõ sit illicitum etiam de mortuo plorare, & ideò dicitur. Supra mortuũ plora, defecit enim lux eius. In quibus quidem verbis duo facit. Eccl. 22.

Quia scilicet primò inducit ad compassionis ostensionem: cum dicit: *supra mortuum plora.*

Secundò ostẽdit cõpassionis rationẽ: cũ subdit: *defecit. n. lux eius.*

Circa primum notandum, quod inducit ad plorãdum super mortuum triplici ratione. Primò, quia hoc requirit naturalis dilectio: nõ enim cor hominis potest tangi & pũgi, quin sentiat & doleat. Greg. Non est pondus virtutis, insensibilitas cordis. Sed de morte personæ dilectæ cor pungitur & tangitur: quia tollitur & separatur ab eò illud, quod erat sibi forti vinculo amoris vnitum, & coniunctũ, & ideò oportet quod doleat & sentiat, & quod dolẽdo ploret & defleat. Vndè B. Augu. mirabatur, quod cum amico mortuo ipse non fuerat mortuus: quia non videbat quod esset possibilis diuisio vbi fuerat tanta vnio. Vndè dicitur. In mortuũ produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare. Eccl. 38. Hęc est ergo naturalis affectio, quæ fecit B. Iob dolere, & plorare de morte filiorũ, quia ea audita surrexit, & scidit vestimẽta sua, & tonso capite in terram corruit. Iob 1. Itèm quæ fecit plorare & lachrymari Christum de morte Lazari. Vndè dicitur Io. 11. quod Io. 11. *vt vidit Mariã plorantem, & Iudæos qui venerãt cũ ea plorãtes, infremuit spiritu & turbauit seipsũ, & lachrymatus est.* Ista etiam affectione tactus, plorabat Hiere. interfectos populi sui. Plorabo die ac nocte Hier. 9. interfectos filiæ populi mei. Secunda ratio plorandi mortuũ est, quia hoc requirit dilectionis probatio. Nam exteriores lachrymæ signa sũt interioris dilectionis. Et ideò Iudæi videntes Christũ lachrymari in resuscitatione Lazari Io. 11. dixerũt. *Ecce quomodo amabat* Io. 11.

bat eũ. Vndè quia homo debet ostendere, & probare se personam defunctã dilexisse, ideo debet de ipso plorare, & lugere, dicẽs illud Thre. 1 *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me.* Tertia verò ratio est, quia hoc requirit lugentium cõsolatio. Nã sicut dicit Greg. Ordo consolationis est, vt si volumus merentẽ à mœrore suspẽdere, studeamus etiã nos eius luctui merendo cõcordare. Nã cõsolare non possumus cui non merendo concordamus. Et Philoso. dicit in 10. Ethic. quod *in tristitijs amicus cõdolens consolatur.* Et ideò dicitur Eccl. 7. *Ne desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.*

Thren. 1 — Eccl. 7.

B Secundò in auctoritate inducta redditur ratio cõpassionis, & ploraturæ super mortuũ: & hoc quia defecit lux eius. Vita enim humana dicitur lux triplici ratione. Primò quia sicut lux nõ durat in aere, nisi quamdiu habet præsentiã solis, ita & vita non durat in corpore, nisi quamdiu habet præsentiã animæ. Vndè. Vita erat lux hominũ. Secundò, quia sicut lux claritate suorum radiorum habet oculos lętificare: ita & vita hominis debet esse talis, vt possit claritate bonorũ operũ alios ædificare Vndè Dominus dixit. *Sic luceat lux vestra.* i. vita vestra, *corã hominibus: vt videant opera vestra bona, &c.* Sed nõ est talis vita eorũ, qui viuunt in tenebris peccatorum. *Dilexerunt homines magis tenebras quã lucem: erant enim eorũ mala opera.*

Ioa. 1. — Mat. 5. — Ioa. 3.

C SECVNDO in themate assumpto inducitur homo ad tristitiam temperandam: cũ dicitur *modicũ.* Vbi aduertendũ est, quòd de omni re quę ex sui excessu potest esse læsiua, etiamsi sit necessaria, tamen potius assumendum est de illa modicum quã multũ: vndè de medicina forti, & multũ euacuatiua dicit medicus, quod melius est infra subsistere, quam exquisitè euacuare. i. melius de ea dare minus, quã plus. Igitur qu ia tristitia ex suo excessu est læsiua, & animæ & corporis, sci. si sit nimia, ideò etiamsi sit necessarium contristari & plorare, sicut est de morte, tamẽ potius cõtristandum & plorãdum est modicum quam multum. Et ideò dicitur 1. Pet. 1. *Modicum nunc si oportet cõtristari.* In quibus quidẽ verbis duo facit. 1. Pet. 1.

Quia scilicet primò ostendit quod tristitia est necessaria: cum dicit, *oportet contristari.*

Secundò quod debet esse tẽperata: cũ subditur: *modicum nunc.*

Circa primum attẽdendum est, quod in vita ista oportet hominẽ contristari propter duo.

Primò propter necessitatẽ ex se quia impossibile est quod in vita ista non eueniant homini tristabilia, id est quæ animo suo inferũt tristitiam. Nã sicut dicit Valerius Maximus. Nemo est tantæ fælicitatis, quod dentes malignitatis. s. fortunæ euadere possit. Et Boetius dicit, quod nemo est tam compositæ fęlicitatis, qui non ex parte aliqua, cum status sui conditione rixetur: quia semper inuenit aliquid quod animo suo, siue appetitui repugnat, & hoc tristitiã infert. Permittit enim Deus multa tristia euenire, & malis hominibus & bonis. Malis quidem, ad eorum correctionem, vndè si nõ eueniret aliquid triste in vita sua homini peccanti, esset signũ tristitiæ & damnationis æternæ, & ideò dicitur. Ne dixeris peccaui: & quid accidit mihi triste: altissimus enim est patiẽs redditor Bonis verò hominibus permittit Deus tristia euenire, etiã quæ nõ meruerunt, ad eorum probationem: & ideò dicitur 1. Pet. 2. Hæc est gratia, si propter Dei cõscientiã, sustinet quis, tristitias patiens iniustè. Vndè qui sic patitur, non

Eccl. 5.

debet propterea se reputare à Deo derelictũ, sed sperare potius ex hoc certitudinem finalis salutis. Vndè Ps. postquã dixerat. Quare oblitus es mei?& quare cõtristatus incedo, &c. finaliter cõclusit seipsum cõfortãdo. *Quare tristes es animamea, & quare coturbas me? spera in Deo, quoniã adhuc cõfitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Secundò oportet cõtristari hominẽ propter tristitiæ efficaciã: omnis enim tristitia de aliquo malo fugiẽdo, est efficax & vtilis ad aliquod bonũ. Est autẽ aliquod malum, quod est fugiendum propter seipsum, propter cõtrarietatẽ quã habet ad bonum, sicut peccatũ: & ideò tristitia de peccato, vtilis est ad hoc, quòd homo fugiat peccatũ. Fugiendum est ergò peccatum, & ratione suę malitię quia de se malũ est: & etiã quia cõtristatiuũ est. Vndè in quantũ tristitia talis inducit ad fugam peccati patet quod vtilis est, Vndè Apostol. 2.
2. Cor. 7 Cor. 7. *Gaudeo, non quia contristati estis sed quia contristati estis ad pœnitentiã.* Aliquid vero est fugiendũ, nõ quia sit secundùm se malũ, sed quia occasio mali, vel quia ei homo nimis inhæret per amorẽ, vel quia ex hoc præcipitatur in aliquod malum: sicut patet in bonis tẽporalibus. Vndè tristitia de bonis temporalibus potest esse vtilis: sicut dicitur Eccl. 7. *Melius est ire ad domum luctus quã ad domum conuiuij.* Secundò ostẽditur primò
Eccl. 7. in auctoritate inducta, quòd tristitia debet esse temperata: cũ dicit: *modicum.* s. modica sit tristitia.

Secundò quoad temporis breuitatẽ, vt nõ multo tempore perseuerimus in ea, & ideò dicitur *nunc*, quod sonat breuitatem præsentis tẽporis: & hoc vt possimus sine læsione tolerare. Quia sicut dicit Tullius. Omnia breuia tolerabilia esse debent, etiamsi magna sint. Et hinc est, quod etiam Deus dat nobis ad patiendum in vita ista, passionem breuẽ & modicam, pro qua postea in futura vita reddet nobis gloriam æternã & magnam 1. Pet. 5. *Vocauit nos in æternã gloriã suã, in Christo Iesu modicum passos.* Vult enim vt hic in 1. Pet. 5.
sustinendo tristitiam, laboremus modicum, vt postea requiescamus multum, secundùm illud Eccl. 51. Eccl. 51.
Modicum laboraui & inueni mihi multam requiem. Et ideò modicũ est tempus tristitiæ, quam oportet sustinere. Apoc. 6. *Dictum est illis vt sustinerent tempus adhuc modicũ.* Vndè pro tristitia breui, quã nunc sustinemus, ineffabilem lætitiam reddet nobis Dominus: secũdùm illud Io. 16. *Vos quidem nunc tristi-* Io. 16.
tiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.

TERTIO in themate assumpto specificatur tristitiæ materia: D
quia *super mortuum.* Notandum, quod mortuus potest esse homo dupliciter. Nam aliquis moritur corporaliter: & super talem mortuum plorandum est modicum: tamẽ quia ploratus talis nihil valet, nec prodest illi tunc: quia si multus esset, noceret ipsi plorãti. Et ideò dicitur Eccl. 38. *Ne dederis* Eccl. 38.
in tristitia cor tuum: sed repelle eam à te. Et post subditur. *Et huic nihil proderis* s. defuncto: *& teipsum pessimabis* s. ex nimia tristitia & ploratu. Alij verò moriũtur spiritualiter s. morte peccati. Istis est maximè compatiendum, quia dira peccatorũ vulnera patiuntur, quibus nos cõpati debemus: & ideò de vtroque modo dicitur Eccl. 38. *Fili in mortuum,* s. corpore, *perduc lachrymas,* s. temperatas: *& de mortuo,* supple in peccato, *quasi dira passus incipe plorare.* Talis enim ploratus est compassionis, & est meritorius ploranti propter charitatem, & est vtilis tali mortuo, quia aliquãdo propter tales lachrymas resuscitatur à peccato. Vndè dictũ

fuit

fuit matri B. August. quæ plorabat perditionem filij sui August. sicut matres cõsueuerunt flere corporea funera filiorum. Impossibile est, vt filius istarum lachrymarum pereat. Vndè in figurã huius Dominus lachrymãdo, Lazarũ mortuũ suscitauit. Et ideò lachrymis, & proprijs, & alienis, resuscitatur homo à morte peccati ad vitam gratiæ, per quam peruenitur ad vitam gloriæ æternæ. Ad quam nos perducat Deus, &c.

De fletu propter cõsiderationẽ nostri.

SERMO IV.

Eccl. 38. IN *mortuum produc lachymas, & quasi dira passus incipe plorare.* Eccl. 38. Triplici de causa licet homini plorare, & dolere de aliquo defuncto. Primo ex copassione ipsius defuncti, puta si sit malè mortuus, & specialiter quoad animã: vt cum certitudinaliter apparet, vel saltẽ visibiliter, quòd sit mortuus in peccato vel infidelitatis, vel vsuræ, vel impœnitentiæ, vel desperationis. Et ista fortè de causa David planctũ fecit super mortẽ Saul. Secunda causa potest esse ex cõpassione proximi. s. cõpatiendo viuis, qui ex morte alicuius damna consequntur. Sicut legitur de B. Amb. episcopo, quod flebat amarissimè quando audiebat de morte alicuius facti sacerdotis, vel quia se præcesserat, & in hoc compatiebatur sibiipsi: vel quia difficile erat huiusmodi inuenire, & in hoc respiciebat damnum proximorum. Tertia causa potest esse ex compassione sui. s. propter damnum quod ipse consequitur ex alicuius morte, & de hoc specialiter exponi possunt verba proposita, quæ dicuntur. *In mortuum produc lachrymas,* &c.

In quibus quidem verbis tangitur duplex ratio plorandi de aliquo mortuo.

Et prima quidẽ sumitur ex bonis quæ homo indè perdit: & hac ratione dicit, *in mortuum produc lachrymas.*

Secunda verò sumitur ex malis quæ indè incurrit: & hac ratione dicit: *& quasi dira passus incepo plorare.*

CIRCA primum attendendũ est, quod licet vnicuique homini dolere & plorare de damno suo, sicut & de damno alterius, quia percipitur quod homo diligat proximum sicut seipsum: & ideò dolere potest homo de dãno suo, nõ solum ex amore naturali, puta si sit damnum corporale, & cõtra bonũ naturæ, & qñ ille mortuus est à quo corporaliter sustẽtabatur & iuuabatur, in necessitatibus suis, sicut habetur Act. 9. de Tabita, quod erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat. Et factum est vt infirmata moreretur. Et cum aduenisset Petrus, circumsteterunt eum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Et Petrus donens genua sua orauit, & cõuersus ad corpus dixit. Tabita surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro recedit, & cum vocasset Petrus sanctos, & viduas, assiguauit eam viuam. Sed multò magis potest etiam homo dolere de morte alicuius, amore spirituali: vt si mortuus sit ille, cuius doctrina vel consilio fouebatur in seruitio Dei. Vndè Thre. 1. *Idcircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator, conuertens animam meam.* Eccl. 22. *Super mortuũ plora: defecit enim lux eius.* i. doctrina vel consilium, quo te illuminabat & dirigebat: & ideò talia damna patientibus dicitur: *Deducãnt oculi nostri lachrymas, & palpebræ nostræ pefluant aquis, quia vox lamentationis audita est.* Thren. 1 Eccl. 22. Hierc. 9

In quibus quidem verbis tangitur triplex tristitiæ effectus.

Primus est ex dolore incipiente, s. quando incipiunt lachrymæ apparere: & quantum ad hoc dicit: *deducant oculi nostri lachrymas.*

Secũdus sequitur ex dolore crescente: vt quãdo incipiunt lachrymæ abundanter ab oculis fluere: & quantum ad hoc subditur: *& palpebræ nostræ defluant aquis.*

Tertius est ex dolore vehemẽter affligente: vt quandò voce lamẽtationis clamatur, & quantum ad hoc addit, quod *vox lamentationis audita est.*

Circa primũ attendẽdũ est, quòd lachrymarũ deductio aliquandò videtur prodesse, etiã ad mitigandũ dolorẽ Cuius ratio duplex est.

Prima quidem est, quòd omne necessariũ interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animæ circa ipsum: sed quandò ad exteriora diffunditur, tunc intentio animæ ad exteriora quodammodo disgregatur, & sic interior dolor minuitur: & propter hoc quandò homines qui sunt in tristitiis, exterius suam tristitiam manifestant, fletu, aut gemitu, vel etiam verbo, mitigatur tristitia. Secunda, quia semper operatio conueniens homini, secundùm dispositionẽ in qua est, est sibi delectabilis. Fletus autem & gemitus sunt quædam operationes conuenientes tristato, vel dolenti: & ideò efficiũtur ei delectabiles. Cum igitur delectatio aliqualiter mitiget tristitiam vel dolorem, sequitur quod per fletũ & gemitum tristitia mitigetur Et ideo beatus Aug. dicit in lib. 4. confes. quod quandò dolebat de morte amici, in solo gemitu & lachrymis erat ei aliquantula requies vndè Ps. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes.* Secundus effectus est, qui sequitur ex dolore crescente. s. cum effluit abundanter ab oculis aqua lachrymarum: & ideò dicitur in auctoritate adducta: *palpebræ nostræ, &c.* Sed mirandum est, quod aliqui sunt qui abundant lachrymis, pro damnis temporalibus dolentes, vel pro morte alicuius amici, quæ tamen pro damno & morte animæ suæ, scilicet pro peccatis suis, lachrymas habere non possunt: & talẽ dicit beatus Augustinus culpabiliter esse damnandum. Sed hoc intelligendum est, quando defectus lachrymarum exterior, prouenit ex defectu interioris doloris. s. quia plus dolet de morte amici, quam de peccato suo. Sed interdum defectus lachrymarum exteriorum prouenit ex nimio dolore, qui propter calorem excitatum desiccat. Interdum verò prouenit ex eo, quod homo se cõtinet, vt postea coram Deo amplius doleat & lugeat. Interdum ergò prouenit ex duritia complexiones, quia dolor de morte amici, est dolor magis sẽsibilis, & ideò magis propinquus ad resolutionẽ corporis. Sed quandò est dolor interior magnus de peccato, & exterius fluere facit abundantiam lachrymarum, sicut fuit in Magdalena, tunc valet ad ablutionem peccatorum: & sicut etiam Psal. se habuisse dicit in Ps. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* & sequitur: *pax multa diligentibus legẽ tuam, &c.* Tertius effectus est qui procedit ex dolore vehementer affligente, vt quandò prorumpit in vocem lamentationis, & ideò dicitur in auctoritate adducta: *vox lamentationis audita est.* Nam vbi magni dolores, ibi magni clamores, & ideò præ dolore fit lamentum aliquandò magnis vocibus clamãtium, secundũ illud Hiere. 31. *Vox in excelsis audita est lamentationis, luctus, & fletus.* Sed si facit homo tale lamentum de corporali

Psal. 41. Ps. 118. Hiere. 31.

tali morte amici, multò magis deberet facere lamētū pœnitētiæ de morte animę suę spirituali. Et deberet homo lamentari propter amissionē gratię, cū qua etiā perdit omnes virtutes, & omnia meritia præcedentia: & deberet flere pro pter reatum ghennæ, & deberet plāgere proper priuatione cęlestis glorię: quam s. meruit ex peccato.

B SECVNDO in themate assumpto ponitur ratio flendi de morte alicuius, propter mala quę indè homo incurrit; quia quandoque ex morte alicuius homo patitur dira mala: & ideò subditur, *& quasi dira*, scilicet mala seu danna *passus incipe plorare*. Et sic prima ratio tristitiæ fuit propter bonum amissum, sed ista secunda est pptpter malum commissum. Sed quæritur à sapientibus, quid magis sit causa tristitiæ, an bonū amissum, an malum commissum? Et respondetur, quod sicut obiectum delectationis est bonum, ita obiectum tristitiæ est malum: & in motibus appetitiuis, delectatio se habet per modum persecutionis, & accessus, sed tristitia per modum fugæ & recessus. Sicut ergò delectatio per prius respicit bonum adeptum, quasi proprium obiectum: ita tristitia respicit malum commissum. Vndè eo modo, quo obiectum est causa passionis, magis propriè est causa tristitię vel doloris malum commissum, quam bonum amissum: licèt vtrumque sit causa tristitiæ. Et si contingat quod bonum amissum sit maius, quam malum commissū, erit maior tristitia de bono amissò quam de malo cōmisso Sicut secundùm Chry. tristabilius erit reprobis audire in die iudicij, *Discedite à me maledicti*, quod pertinet ad amissionem boni, s. ad priuationē æternæ beatitudinis: quam audire, *ite in ignē æternū*, quod pertinet ad cōmissionē, mali, in vtroque tamen quasi dira mali passi incipient plorare. s. ploratu æterno, quia nō habebūt spē euadēdi, nec fiet eis ista dulcis allocutio, quæ fiet electis. s. *Venite benedicti*, &c. quia tunc erit manifesta cognitio, siue discretio bonorū à malis, & habebunt diram cōsummationē. i. crudelē finē sententiæ. s. pœnā æternā, & hoc est quod dicitur Sap. 3. *Nō habebūt spē, nec in die agnitionis allocutionē* Nationes enim iniquæ diræ sunt cōsummationes. Vndè tunc incipiēt plorare ploratu maximo, propter miserias ad quas ibunt damnationis æternæ. De quo ploratu dicitur Iaco. 5. *Plorate, vlulantes in miseriis vestris quæ superuenient vobis.* Sap. 3. Iaco. 5.

In quibus quidem verbis innuit triplicē conditionem pœnę damnandorum in die iudicij. Prima quidem est, quia erit luctuosa, & ideò dicit *plorate*. s. corde, propter pęnam animæ interiorem: *& vlulate*; scilicet voce, propter pænam corporis exteriorem Matt. 2. *Vox in rama*. i. in excelso, *audita est, ploratus & vlulatus multus*. Secunda, quia erit calomitosa, quia in miserijs, scilicet propter priuationem omnis boni, & propter afflictionē omnis: mali erunt enim in generē priuati omni bono, s. superno. i. superna & æterna beatitudine, de qua nunquam spem habebūt. Itē bono interno scilicet gratiis Dei, pro quibus habebūt vermes vitiorū corrodētes. Itē bono externo. i. exteriorib. bonis temporalib. de quib. nullū refrigeriū, aut auxiliū poterit habere. Itē habebūt miseri afflictione omnis mali Quia est triplex malū homines affligēs. s. corporale, imaginabile, & intellectuale: & ipsi affligētur corporaliter, imaginabiliter, & intellectualiter. corporaliter quidē quia post resurrectionem habebūt corpora, quibus affligētur secundū quinque corporis sensus horribiliter,

Primò in visu, quia in tenebris erunt, & lumē solis aut lunæ, vel stellarum nunquam videbunt: & dato quod aliquid viderent: nō viderent nisi horrenda, scil: pœnas suas, & corpora deformia, & fantasias dæmonum. Item in auditu, nihil audiendo, nisi aut fletū propter ignem feculentum & fumosū, vel si nō sit ibi fletus, quātum ad lachrymarum effusionē & resolutionem, erit tamen quantū ad capitis perturbationē, aut stridorē dentium propter frigus, aut blasphemias Dei & sanctorū præ furore: quia videbūtur quasi velle corrodere linguas suas, Deum & sanctos blasphemantes. Itèm in odoratu, tum quia de cadaueribus eorum ascendet fætor, tum quia quandam nauseam habebunt de seipsis & de aliis. Itē in gustu, quia erūt in cōtinua fame & siti, sicut patet de diuite epulone Lucę 16. Qui guttam aquæ super linguam petiuit, recordabuntur fortè delectationum quas habuerunt in cibis & potibus, & multum eas ad refrigerium pœnæ habere desiderabunt, sed non poterunt. Itèm in tactu, contrarietatem frigoris & caloris, quia transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium. Secundò affligentur imaginabiliter. Malū enim imaginabile est, quod apprehenditur auribus sensitiuis interioribus, s. memoria, imaginatiua, & ęstimatiua. Ipsi enim affligētur ex memoria, s. præteritorū, vel delectationum & gaudiorū, quæ habuerunt: & tunc videbunt se priuatos, & esse sibi in pœnā. Itē quoad imaginationem, & sensum malorum præsentium, quæ habebunt actualiter. Itèm quantum ad æstimationē malorū futurorum, quia sunt in eis semper mansuri, & nunquā exituri: nec imaginātur, vel vident aliquid, vndè æstimare possint aliquod remedium. Tertiò affligētur mentaliter, siue intellectualiter triplici ratione. Primo, ratione vermis, quia in mente eorū sunt multi vermes. tot enim sunt vermes, quot habuere peccata mortalia, quorum remorsus durissime corrodunt eos. Vnde Esa. 66.
Vermis eorum non morietur. Secundò, ratione criminis, quia sunt in eis tria, quæ sunt peccata, & sunt pœnæ. s. odiū, inuidia, & ira, quia ista peccata habent pœnā in seipsis. Habent autē dānati summum odium inter se. & ad Deū, & ad sanctos: imò etiam patres ad filios, & èconuerso. Cruciantur etiam inuidia quam habēt ad beatos, videntes eos esse in gloria inæstimabili. Cruciantur etiam de ira, quam habent contra Deū & sanctos. & etiam ad seipsos. Tertio, ratione cognitionis, s. intelectus, quia cognoscunt quāta bona amiserunt, & mala quæ patiūtur. Et pœnæ tāto sunt maiores, quātò magis à patiētibus eas cognoscuntur, eo quod ignorantia multum minuit de pœnas: & licèt sint obscurati corporaliter, tamen ad maiorē pœnā suā, habent lumen intellectus, quo plenè pœnas suas & damna cognoscunt, & maximè affliguntur, videndo & considerando se detineri, & pati à vilioribus creaturis, s. animabus sine corpore, & tunc accidet cuilibet damnato quod dicitur Iob. 10. Nō Iob 10.
leuabo caput saturatus afflictione & miseria. Tertia cōditio pœna illorum erit quia erit improuisi. Vndè dicitur in auctoritate adducta:
quæ superuenient vobis i. ex improuiso. Esa 47. *Veniet super te repente* Esa. 47.
miseria quam nescis. Sap. 19. *Impiis* Sap. 19.
vsque in nouissimum sine misericordia ira superuenit. I. Thessal. 5. *Cum* 1. Thes. 5.
dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Sed iustis, qui Deum tanquam patrem suum honorauerunt, superueniet illud quod promittitur. Honora, Ecl. 3.
inquit, patrem tuum, vt superueniat

ueniat tibi benedictio à Deo: scil. illa, qua iusti nominabuntur benedicti, quandò dicetur eis illud Matt.25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Ad quod nos perducat, &c. Matt.25.

De patientia habenda in hoc mundo.

SERMO V.

Hebr.10 *Patientia vobis necessaria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem.* Hebr.10.

Quantumcunque medicus promitteret salutem infirmo, non tamen daret ei, nec sanaret, nisi reciperet & patienter portaret medicinam etiam asperã, & pœnosã quã illi facere vellet. Sic Deus, licet promittat salutem æternã hominibus, quia vult omnes homines saluos fieri: non tamen saluat eos, qui mala præsentia, quæ ad purgationem & correptionem peccatorũ nostrorum, vel ad meliorationem nostram vult nos in vita ista pati, nõ patienter ferunt: siue sint mala ægritudinum, quas patimur in corporibus nostris, siue sint mortes hominum, quas patimur in nostris cõiunctis, siue sint damna rerum, quæ patimur in diuersis infortuniis. Et ideò si assequi volumus repromissionem salutis, s. vitæ æternæ, de qua dicitur 1. Ioan. 2 *Hæc est repromissio quam ipse policitus est nobis, vitam æternam,* oportet nos in aduersis huius mundi habere patientiam. & hoc est quod dicitur in verbis propositis. *Patientia vobis necessaria est,* &c. 1.Ioan.2

A In quibus quidem verbis tria facit.

Quia primò inducit ad virtutis habitum cum dicit: *patientia vobis necessaria est.*

Secundò ad eius meritum: cum subdit: *vt voluntatem Dei facientes:* scilicet per patientiam.

Tertiò ad ipsius præmium: cum addit: *reportetis repromissionem.*

CIRCA primum notãdum est, quòd sicut nauis indiget gubernaculo, & sicut vita corporalis indiget cibo, & qui bellat indiget armaturæ monimento: ita homo per mare huius sæculi nauigans, in decursu præsentis vitæ positus, & vndique aduersis impugnatus, indiget patientiæ habitu virtuoso. Nam primo patiẽtia hominis est sicut gubernaculum nauis, vndè sicut nauis sine gubernaculo, ventis & turbinibus agitatur, & tandem tempestate compulsa frangitur ad rupes, vel ad scopulos: sic cor impatientis, tribulationum ventis & persecutionum turbinibus, à stabilitate sua euellitur, & ad iracundiã, & odiũ, vel desperationẽ deductum perditur. Sed ècontrario sicut dicitur Prou. 14. Qui patiens est, multa gubernatur patientia Itẽ in huius vitę decursu, ad modum asini carduis pungitiuis pascitur: & in aquis amaris tribulationum viuit vt piscis, & ad modum ciconiæ deuorat serpentes venenosos, & ei non nocent: quia s. patientes viri, venenosis verbis, & cõtumelijs, & detractionibus non moriuntur, sed pascuntur, & sunt vt vrsi, qui verberibus impinguãtur, & lapideæ increpationes in panẽ eis conuertuntur, & vt Salamandra viuunt in igne tribulationis. Itèm homo patiens viuit, & triumphat de hostibus sine ictu & repercussione, quia nõ leuaret vnam festucam ad eos feriendos, & ideò benè dicit prouerbium, quod vincit qui patitur, & si vis vincere disce pati: quia verè patiens à toto mundo vinci non potest. Seneca. Facilius est gentẽ vnam, quã hominem vnum vincere. Sed ista patientia roboratur in nobis ex spe æterni, & inuisibilis pręmij quod expectamus, & ex Prou.14.

gratia ſpiritus ſancti à quo iuuamur, & hoc dicit apoſtolus Rom. 10. *Quod non videmus ſperamus, & per patientiã expectamus, ſed & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram* (Rom. 8.)

In quibus quidem verbis deſcribũtur tria, quæ faciunt nos in vita iſta patienter ferre aduerſa.

Et primum eſt meritum fidei: quia *credimus quod non videmus.*

Secundum eſt deſiderium præmij: quod ſcilicet ſperamus & per patientiam expectamus habere.

Tertium eſt auxilium: quia *ſpiritus*, ſcilicet ſanctus, *adiuuat infirmitatem noſtram.*

Circa primũ attendendũ, quòd fides eſt per quam homo aſſentit credere ea, quæ ſunt ſupra rationẽ, & propter hoc fides eſt meritoria: quia fides nõ habet meritũ vbi humana ratio præbet experimentũ. Vndè dicit Iſidorus quod fides eſt qua veraciter credimus, quæ nunquã videre valemus: & ideò fides eſt fundamentũ Chriſtianæ religionis. Vndè opera Iudæorum & Paganorum non ſunt beatitudinis meritoria, neque alicuius boni diuini: quia vt dicitur Heb. 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere deo.* Ideò dicit Aug. ſuper Ioã. quod ſicut in radice arboris, nulla apparet prorſus ſpecies pulchritudinis & decoris, & tamẽ quicquid eſt in arbore pulchritudinis & decoris, ex illa procedit. Sic ex fidei humilitate, quidquid eſt meriti, quidquid eſt veræ beatitudinis anima ſuſceptura procedit, dũmodo ſit fides viua. ſ. cũ gratia & operibus. Vnde Ioã. 20. *Beati qui nõ viderunt & crediderunt.* (Ioan. 20) Et dicuntur beati. ſ. futuri, quia per talem fidẽ merentur æternã beatitudinẽ. Tali ergò fidei merito, & virtute roborati, vincunt per patientiã omnia mundi aduerſa: inquantũ ex fide cognoſcunt, quod nõ ſunt cõdignæ paſſiones huius tẽporis ad futuram gloriã: vt dicitur Rom. 8. Vndè 2. Cor. 4. *Id quod in præſenti momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modũ in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplatibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æternæ.* (2 Cor. 4)

Secundò roborat nos ad patiẽter tolerãdũ aduerſa, propter præmium quòd ſperamus, & expectamus per patientiã habere. Vndè ſi volumus ad iſtud præmiũ per patiẽtiã venire, opus eſt quod ſperemus, i. ſpẽ noſtrã ponamus, nõ in mũdo, ſed in deo. Solet enim dici de aliquo, qui multũ confidit de eo, qui nũquã fuit amicus fidelis: iſte eſt ſtultus qui confidit in iſto. Ita certè multi ſperãt, & habẽt ſpẽ in bonis mũdi, quæ nunquã fecerũt fidelitatẽ: ſed ſemper deficiũt in neceſſitate, ſicut arcus de ſãbuco. Ecce homo qui nõ poſuit Deũ adiutorem, &c. & iſte talis ſtultus eſt. (Pſal. 51.) Vndè. Diuitibus huius ſæculi precipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarũ: ſed in Deo viuo qui præſtat nobis abundè ad fruendũ. (1. Timo.) Sed illi qui ſperãt in illis, quæ nõ vidẽt, ſ. bonis ſupernis, non ſunt decepti: quia iuuant in neceſſitate, & ſunt æterna. *Nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt* (Eccl. 2.) Pſal. 36. *Spera in Domino & fac. bo. & inha. ter. & pa. in di. eius.* (Pſal. 36.) Et ſequitur in auctoritate Apoſt. adducta, *per patientiam expectamus.* Aliquãdò cõtigit quod aliquis habet bladum ſeminatum in terra, vel vineam benè cultam, & contingit quod venit ad aliquam neceſſitatẽ, & non vult ſuſtinere: & ideo vendit bladum in herba, vel vinum in aggreſta, id eſt vuis immaturis, & acetoſis ſeu viridibus, & tũc nihil capit in fine. Sed alij aliquandò ſuſtinent paupertatem & expectant maturitatem ſegetis: & tunc habent fructum. Ita eſt ſpiritualiter, quia aliqui habẽt

bladum

bladum ſeminatum, vel vineam in paradiſo per ſpem & bona opera: & gaudium paradiſi talibus eſt in herba. Sed quandò venit vna tribulatio, vel vna tentatio, ſtatim propter ſuam leccacitatẽ complendã vendunt bladum pro vno modico peccato, vel aſſenſu, vel delectatione. Sed alii quia fortiter reſiſtunt, & ſuſtinent in patientia, in maturitate colligent
Iac.5. fructum ſ. æternum. Iac.5. *Patientes eſtote fratres vſque ad aduentum domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temperaneum & ſerotinum.* Tertium quod facit patiẽter ferre aduerſa, eſt auxiliũ ſpiritus ſãcti: & ideò ſubditur in auctoritate inducta: *ſ. ſpiritus adiu. infir. no.* Ita enim eſt de anima, ſicut de gallo ſuper campanile qui mouetur ad omnẽ ventum: quia non eſt firmiter ſi u⁊ tus. Ita certè anima, quæ eſt ſine gratia ſpiritus ſãcti, eſt inſtabilis, & obedit cuilibet tentationi: vndè eſt ſicut homo, qui eſt in ianuis mortis, qui non poteſt reſiſtere morbo, quia natura nimis debilitata eſt in ipſo, & oportet eũ voluere de lecto in lectum. Ita certè eſt anima ſine ſpiritus ſancti gratia, quia nõ poteſt reſiſtere morbo peccati, ſed per peccatũ debilitatur & voluitur de lecto in lectum: vt de peccato cogitationis in delectationem, & de delectatione in cõſenſum, & indè in operationem, & indè in conſuetudinẽ: ſed ſpiritus ſanctus per gratiã ſuã dat animæ vigorem reſiſtẽdi peccatis, nec poteſt ibi diabolus aliquid accipere, quia bannitus eſt. ſ. nec oculũ ad malè videndũ, nec os ad malè loquendum, nec manum ad malè operandũ, nec cor ad malè
Eph.3. appetendum. Vndè *Dei vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtutẽ corroborari in interiori homine per ſpiritũ eius.* Nota quod benè indigemus adiuuari quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ & ſpiritus aduerſus carnem, vñ ſi faciamus mala, ſpiritus nõ vult, ſi bona, caro repugnat. Sed vndè iſta cõtrarietas in vno homine reperitur? Reſpõſio, caro eſt natione terreſtris, & delectando generatur, ſpiritus autẽ cęleſtis, quia à Deo corpori infunditur, & quilibet trahit ad ſuam naturam: vndè caro trahit ad delectationes inferiores. ſ. ad auaritiam, ſuperbiam, gulam, & ad carnis illecebras mult ũ facit bonum tractum & groſſum: ſed ſpiritus trahit ad ſuperiores vndè. *Qui enim ſecundùm carnem* Rom. 8
ſunt, ea quæ carnis ſunt ſapiunt: qui vero ſecundum ſpiritum, ea quæ ſunt ſpiritus ſentiunt: & ideò quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii dei.

SECVNDO in themate aſſum- B
pto inducimur ad patiẽtię meritũ cũ ſubditur, *vt volũtatẽ dei faciẽtes.* In hoc enim volũtatẽ dei facimus quod patiẽter toleramus aduerſa, non quia Deus delectetur in aff⁊ictionibus noſtris, ſed in merito & fructu patientię noſtræ: ſicut proponit filium in manu chirurgi, ad incidendũ vel incẽdendũ, vt ſanet eum. Vel ſicut potẽs nobilis mittit filium ad torneamentum, ad ictus, vt diſcat, vincere & honoretur. Tunc ergò ſecundùm voluntatem Dei patimur, quandò in his quæ patimur, patientiam habemus, vt ex ipſa patientia profectũ cõſequamur. Et ideò dicitur.
Hi qui patiuntur ſecundũ volunta- 1.Pet.4.
tẽ Dei, fideli creatori cõmendant animas ſuas in benefactis: in quib. quidem verbis traditur forma patiẽtiæ meritoriæ & perfectæ in trib. Primũ eſt, vt patiatur innoce̅ter. i. vt nõ cõmittat peccatũ vndè pati mereatur. Nã ſicut dicit B. Dionyſius puniri nõ eſt malũ: ſed fieri pęna dignũ. Vnde *Nemo, veſtrum* 1.Pet.4.
patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicit, aut alienorum appetitor.

Et

Et istud est pati secundùm volū-tatē Dei, i. vt homo sine culpa sua patiatur: & si tu dicas, volūtas Dei iusta est & pia: velle autem pati aliquid sine culpa, neque iustum videtur neq; pium: vndè si Deus nō vult mortē peccatoris, multò minus mortem innocentis. Resp. Dicendum, quod neque est cōtra iustitiā Dei, neq; cōtra pietatem eius; quia ipse velit quod innocēs patienter ferat pœnā illatam sibi sine culpa, vt ex ipsa patientia coronetur & glorificetur. Nā temporalia & corporalia bona sunt quidem aliqua bona hominis, sed tamē parua: bona autē spiritualia sunt magis bona. Nō est ergò crudele, vel cōtra pietatē, aut iustitiā quod Deus velit innocētes & virtuosos viros pati detrimentū in bonis corporalib. vel temporalib. vt dētur eis bona spiritualia, quæ sunt maiora: imò pertinet ad diuinā iustitiā, vt virtuosis det spiritualia bona & de tēporalib. bonis vel malis, tantū det eis quantum sufficit ad virtutē, & ideò B. Dionysius dicit 8. c. de diuino quod diuinæ iustitiæ ēst, nō emoliri optimorū fortitudinē materialium donationibus. Et quod dicitur, *nō vult mortem peccatoris*, intelligitur de morte spirituali peccati, quam Deus nō vult. Patet ergò quod pati secundū voluntatē Dei, est patienter ferre pœnam siue culpam

1. Pet. 3. illatā. Et ideò dicitur: *Melius est enim benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quā malefacientes.* Et exponitur, quod melius est: quia maioris perfectionis & cōmodi. Augu. Perfectio christianitatis est bona facere, & mala pati. Et sequitur, *si velit volūtas Dei*, s. sine culpa nos pati: in quo innuit, quod ex volūtate beneplaciti Dei est sic pati. Secundò in anctoritate inducta traditur forma meritoriæ & perfectæ patientię, quantū ad hoc quod homo patiatur salubriter: & hoc est, quādo hi qui patiuntur fideli creatori commendāt animas suas. Vbi notandum, quòd ille qui vult recommēdare, vel depositare apud aliquē vnā rem multū sibi charā, multū consueuit respicere ad qualitatē personæ cui recommēdat, puta quod sit persona fidelis, & quod sit amicus, & quod restituat sibi quandò voluerit. Sed nulla res est quā homo debeat habere ita charā, sicut animā suam: quia plus debet habere eā charam quā totum mundū. Quid. n. proficit homini si lucretur vniuersum mundū, se autē ipsū perdat, & detrimentū sui faciat? Luc. 9. Vndè multū debent homines respicere, quod nō cōmendent animas suas personę infideli, & qui nō sit amicus sicut diabolus est: cui stulti quidā peccatores recōmendāt se, sed debēt eas recōmendare Deo, qui est fidelis, s. in promissis. Isti mercatores qui recipiunt pecuniā sibi cōmendatā, vel locatā ad cōmune cōmodū, vel incommodū, siue ad lucrum & dānum, & promittunt respōdere de parte lucri contingente: si sint personæ fideles, optimè seruant promissum, & benè respondent. Et sic Christus filius Dei, his qui cōmendant ei animas suas, & volūt tenere cum eo ad dānū. s. patiendo in mundo isto sicut ipse passus est innocēter in alia vita fideliter respondebit de lucro suo, faciendo eos partici-

pes glorię suæ. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis:* vndè benè seruat quod promisit Ioa 17. *Volo vt vbi sum ego, & illi sint mecū, vt videant claritatē meā.* Ipse etiā Deus est amicus, quia creator est, qui nihil odit eorū quæ fecit: & ideò securè debet homo in manib. suis ponere, & cōmendare animā suā: quia non solùm custodiet eam illæsam, sed etiā meliorabit & perficiet eam. Et propterea dicebat Psal. 30. *In manus tuas commendo,* &c. vndè Ps. 144 Psal. 30

&c. vndè animā quā redemit de manu diaboli, tā charo prætio. s. sanguinis sui, quandò venerit ad manus suas optimè tractabit & conseruabit. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, &c.* Tertiò ostenditur modus perfectæ patientiæ, vt patiatur homo amicabiliter. i. vt ei à quo patitur, nō reddat malum pro malo vt inimico, sed potius benefaciat ei vt amico. Et ideò sequitur in auctoritate Petri adducta superius *in benefactis*, i. vt benefaciatis his à quibus patimini secundùm illud. Benefacite his qui oderunt vos. Si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Vndè Valerius Maximus ait Speciosius aliquantulum iniuriæ beneficiis vincuntur, quam mutui odij compensatione tollantur.

Sap.3.

Matt. 5.

Rom.12

C TERTIO in themate assumpto inducimur ad patientiæ præmium: cùm additur, *reportetis repromißionem.* i. vitam repromissam. Et ratio est, quia patiētia nascitur ex charitate 1 Cor.33. *Charitas benigna est:* charitas autē est radix merendi vitā æternā: & ideò repromissio gloriæ vitæ æternæ, facta est specialiter diligentibus & patientibus. Iac.1. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. In quibus quidem verbis facit B. Iacobus tria.

1.Cor.13

Iac.1.

Quia primò cōmendat patientiæ actum, qui est sufferre tentationem: vndè ait, *Beatus vir qui suffert tentationem.*

Secundò patientiæ vsum, *cum probatus fuerit*, scilicet ex multis toleratis.

Tertiò patientiæ fructum: quia *accipiet coronam vitæ.*

Circa primum notandū, quòd ille qui est benè armatus, & ita cautus & fortis, quod pugnando cum aduersariis, in nullo læditur ab ictibus & à percussionib. eorum: talis finaliter assequitur victoriā & gloriā, quia qui plus potest sustinere pugnam, ille finaliter vincit. Sic est in bello patientiæ, quia patiens nō læditur ab aduersariis: & ideò vincit, & ex victoria beatificatur, & glorificatur. Vndè Iac.5. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt: sufferentiam Iob audistis: & finem Domini vidistis.

Secundò in auctoritate adducta describit patientiæ vsum, quia *cum probatus fuerit.* Nota, aliquandò clericus vult habere prębēdam & esse magister in artibus: vndè oportet prius quod examinetur & probetur Ita qui vult habere præbendam paradisi, oportet quod prius probetur in multis tentationib. & quod benè se habeat, & nō redigatur in redargutionē. Nō enim sufficienter probatur clericus in vno argumento, neque miles in vno torneamēto: sed quandò fuit in pluribus guerris, & in pluribus torneamentis, tunc dicitur probatus miles, & efficitur amicus principis. Vndè Iud.8. Per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Vndè bonitas auri probatur in igne: quandò enim applicatur igni, & non consumitur, tunc verū & probatum est aurum. sic quandò tales applicantur ad ignem tribulationis, vel tentationis, & non cōsentiunt peccato, sed veraciter se tenent, sunt probati qua si aurū Pro. 37. Sicut in igne probatur argentū, & aurum in camino: ita corda hominum probat dominus: vndè tanquam aurum in fornace probauit illos. Sap.3. Itèm probatur aurum in tactu lapidis, sic homo probatur per vituperia, si enim est verum aurum ibi scitur. Sic si homo est dulcis & patiens, sed multi habent morbum, noli me tangere. Gen.2. Accede huc ad me vt tangam te & probem. Itē probatur

Iudit.8

Prou.17

Gen.27

batur aurum pōdere, sic homo in vero amore quando habet amorem suum benè situm. s. in cælestib. tunc habet verum pondus: quia amor est ponendus in spiritualibus secundùm Aug. Domine probasti me & cognouisti me.&c. Psal.138 q.d. vos benè scitis, vbi posui cor meum. De tali ergò potest dici, quòd benè sit probatus, & tales sunt apti ad bellū Domini. Quod benè figuratur vbi legitur quod Iudi. 7. populus Israel, i. Dei, habebat prælium contra Madian & Amalech, i. contra dæmones. Madian interpretatur conditio aut iniquitas. Amalech interpretatur populus lambens, i. diabolus, qui lingit seu lambit nostram damnationem. Et dixit Dominus ad Gedeon, qui interpretatur tentatio iniquitatis. Duc eos ad aquas, & ibi probabo illos. Qui manu & lingua lambuerint aquas sicut solent canes lambere, separabis eos: qui autem curuatis genibus biberint flexo poplite, in altera parte erunt. Pauci lambuerunt aquas, & illi qui lambuerunt non curuauerunt genua sua, iuerunt ad bellum, & liberauerunt Israel. Istæ aquæ sunt mundanæ delectationes: illi lambunt manu & lingua, qui licèt tententur non incuruantur ad peccatū: sed illi bibunt flexo poplite, qui se dāt toto affectu & ingurgitant se: & ideò alij sunt probati & apti ad bellum. Tertiò describit patientiæ fructum tripliciter. Primò, ex dignitate, quia accipiet coronam vitæ, i. vitam interminabilē & æternam: quia corona ratione circularis figuræ quæ principio caret & fine designat æternitatē, sed ratione officij dignitatē. s. gloriæ & honoris. Gloria & honore co- Psal.8. ronasti eum, &c. Secundò ex firmitate, quia *repromisit Deus*, infirmiter promisit. Heb.10. *Fidelis est Deus, qui repromisit*, i. non deficiet in promisso. Tertio ex congruitate, quia *diligentibus se*. Congruū Eccl.32. enim est quod amici exaltentur & gloriam accipiant à Deo. Secundùm datum suum præbet illā diligentibus se, s. vitam æternam. Ad quam nos perducat Deus Iesus Christus Dei filius, &c.

De non flendo super iustos.

SERMO VI.

NOlite flere super me: sed super vosipsos flete. Lucæ 23. Lucæ 23.

Dicitur quod syrena, quādò videt tēpus clarum & serenum, tristatur & luget: sed quādo habet tempus turbulentum & nubilosum, tunc lætatur & cātat. Sic accidit viuētibus, & specialiter peccatoribus, deflentibus in morte iusti viri & sancti, quia tunc vir iustus habet tempus clarum & serenum, qū mortuus est, quia iam exiuit de miserijs & tenebris huius vitę, & trāsiuit ad tranquillitatem & claritatem alterius vitæ. Sed tēpus turbulētum & nubilosum habēt illi, qui remanent in vita ista, vbi est obscuritas ignorantię, turbulentia multarum tribulationum, & tentationū, & tenebrositas peccatorum: & ideò ille posset dicere iustus mortuus, his qui deflent mortē suā, & præcipuè peccatoribus, & remanentib. in vita ista, sicut dicit. in verbis propositis, quod dixit Dominus noster mulieribus de Hierusalem, quæ post eum plorantes ibant, quādò ipse ibat ad mortē crucis. *Nolite*, inquit, *flere super me*, &c.

In quibus quidē verbis, si assumantur vt dicta ex persona iusti A viri defuncti, vel iustę mulieris, ad cōsanguineos, vel consanguineas lugētes, cōtinēt principaliter tria

Quia primò prohibet ab eis tristitiam: cum dicit, *nolite flere*.

Secundò innuit suam gloriā cum subdit, *super me*.

Tertiò ostendit remanentium

miseriā

miseriam: in eo quod addit, *sed super vosipsos*&c.

Circa primum notandum est, quod de morte viri iusti non est flendum, neq; ratione animę ne que ratione corporis. Nō ratione animę suę quia mors est viro iusto carceris ruptio, peregrinationis terminus, miserię finis laborū requies, & ianuę cælestis apertio. Ex quibus patet, quod de morte iusti ratione animę suę nō est dolendum seu flendum, sed gaudēdum & exultādum: propterea dn̄s dicebat Ioan.14. discipulis, loquēs de morte sua. *Si diligeretis me, gauderetis vtiq, quia vado ad patrem.* Ioan.14.
Itèm nō est flendum ratione corporis, licèt moriatur & dissoluatur: sicut si aliqua domus dirueretur ad modicū tēpus, vt posteà de nouo melior & pulchrior reædificetur. 2.Cor. 5. Scim.n. quoniā si terrestris domus nostra huius habitationis, i corpus dissoluatur: quod ædificationem ex Deo habemus domū nō manufactam, s.sed æternā in cęlis. Phil.3. *Saluatorum expectamus dominum nostrum Iesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, &c. & ideò de tali mortuo cōpetit dici, quod dicitur. Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum. In quib. quidē verbis excluditur duplex ratio, quare posset videri quod flendum sit de morte iusti viri, s. vel ratione dāni prorii, s. ipsius lugentis: vel ex cōpassione ipsius defuncti, sic ergò duo facit.
2.Cor. 5
Phil. 3.
Iere. 22.

Quia primò ostendit, quod nō debent homines flere de morte viri iusti, ratione damni proprii, & quātum ad hoc dicit, *nolite flere mortuum.*

Secūdò, quia nec ratione ipsius defuncti: & ideò subditur, *neque lugeatis eum.*

Circa primum notandum est, quòd posset aliqui dicere quādiu ille viuebat, & nobis & aliis erat plurimum vtilis: sed modo postquā mortuus est, nihil amplius cō feret nobis, & ideò dānū nostrū deflemus. Sed cōtra hoc, debēt cō siderare sanctissimā vitā suam ex qua spem habere debent de optima morte sua: quia sicut dicit B. Aug. Mala mors putanda nō est quā bona vita pręcessit: & ex hoc vlterius credere, quod ipse etiā sit in gloria ęterna, vel salē quod citò erit, si est in eo aliquid purgandū. illi aūt qui sunt in gloria, plus nobis prodesse possunt, quàm potuissēt quādò erāt in mūdo, quia magis cōiuncti sunt Deo, & plus possunt apud eum, & perfectiorē charitatem habent ad nos, quam haberent in mundo: quia charitas nūquā excidit. Et ideò sperare debemus eos nobis vtiliores futuros. Et sic nō habemus, etiam respectu nostri, materiam dolendi vel flendi: sed potius gaudendi. Vndè Apost. dicebat. *Nolumus vos ignorare de dormientibus*, &c. Vndè legitur de B. Dominico, quod cum fratres flerent in morte eius, consolatus est eos dicens. Nō vos perturbet dilectissimi filij, huiusmodi corporalis à vobis separatio: quia vtilior vobis ero post mortē meam, quam fuerim dum vixi vobiscum: vndè fuit vt granum frumenti, de quo dicitur quod si mortuum fuerit, multum fructum affert. Vndè, si de tali aliquis incidat fletus ex compassione sensualis naturæ, non tamen debet esse ex rationis consideratione. Qui flent, tanquam non flētes sint. quis.n. defleat de morte eius, qui tāquā leo intrepidus morte vicit: diabolum superauit, & ad Christi gloriā trāsiuit? Apo. 5. *Ne fleueris, ecce vicit leo.* Secundò ostenditur in auctoritate adducta quod nō debet aliquis lugere de iusto mortuo, ratione ipsius defūcti: cū subditur, *neq; lugeatis super eum.* Cuius
1.The.4
Ioan.12.
1.Cor.7.

Cuius ratio est, quia iustus mortuus est in gloria.i.in paradiso, & ideo de eo gaudendū est, non flēdum,& præcipuè amicis, quia amor mutuus & lętitiā. & tristitiā cōmunem facere debet inter amicos,s.vt eueniat eis gaudere cū gaudentib.& flere cum flentibus: vndè cum iusto ex morte sua cōuertatur luctus in gaudiū, secun-
Iere. 31. dùm illud Ier.31. *Conuertā luctum eorum in gaudiū*, nō debet charis & amicis suis conuerti gaudiū illius in luctum, vndè sicut ipse est extra luctum & dolorē ita deberent di-
Apoc.21 cere chari sui illud Apoc.21. Et mors vltra nō erit, neque luctus neque clamor: sed nec vllus dolor erit vltra, quæ primo abierūt.

B SECVNDO in verbis propositis iustus defunctus innuit suam gloriā,cum dicit,*super me*.Nam sicut damnatus, post mortē recipit super se magnam iram Dei in gehenna,secundū illud Ps.87. *Super*
Psal. 85. *me confirmatus est furor tuus:& omnes fluc. tu. indu. super me*. Ita ille qui saluatur recipit super se magnam misericordiam Dei in gloria, secundum illud. *Misericordia tua Domine magna est su.me.& eru.ani. meā ex inferno inferiori*. In quibus quidem verbis iustus mortuus confitetur duplex beneficiū Dei.

Primum est, quia supra condignum assumptus est ad gloriam: & quantum ad hoc dicit, *misericordia tua magna est super me*.

Secundum, quia euadit ignis æterni gehenna,& quantum ad hoc dicit,*& eru.animam meam*,&c.

Circa primum notandum quod beati gaudent de magna misericordia Dei,quam receperūt tripliciter.Primò, quia per ipsam euaserūt periculū peccati,quia,s.certi sunt quod peccare non possunt nec mortaliter nec venialiter. In hoc.n.mundo iusti hanc misericordiam nō habent, nec vnquam aliquis habuit, nisi B. Virgo, quæ confirmata fuit,sicut sancti in cælo, s.quantum ad non peccandum aliquo modo. Et si vultis videre quāta sit ista misericordia,cōsiderate quid est peccatum,& quid est offendere Deū, quamuis peccator non offendat Deum, sed seipsum, quia Deus offendi nō pōt. Sed in hoc est offensa quantū ad malam voluntatē, quia peccatores quantum ex parte eorū, offendunt eū frangendo Dei præcepta: & ideò cum ipse sit bonum infinitum,est offensa infinita:& sic est maximū malū,quia perdit per culpam bonum infinitum: sed si perderetur totus mundus modicum est: quia mūdus est bonum finitum:in isto autē periculo sunt iusti, licèt custodiantur à Deo,per liberum arbitrium.Et si tu quæras,numquid illi qui sunt in Vita beata habent liberum arbitrium: & si habent quare peccare nō pūt? Dicendum est ad hoc,quod habent liberū arbitriū: sed tū peccare nō possunt. Et quidē in vulgari habemus defectum loquendi, quia vocamus impotētiam illud, quod est maxima potētia:sicut etiam qñ dicim. quòd Deus nō potest peccare, videtur sonare impotētiam,& tamē nō est verū:quia Deus potētissimus est, sed certe hoc sonat maximam potentiam,quia posse peccare nō est potētia sed defectus: quia potētia cōsistit in opere boni nō mali:vndè saluati habent liberū arbitrium, quia possunt velle hoc vel illud,sēper tamen bonū, facere.n.malum,non est ex aliquo arbitrio,sed ex aliqua necessitate & defectu, qui trahit liberum arbitrium ad malum in hoc mundo: quia creaturæ trahunt, nisi simus tanti in custodiēdo liberum arbitrium.sicut trahit nos pecunia, & alia consimilia Sed in alia vita nō trahuntur à creaturis istis, quia cōtinuè vident eorū defectus, & sic remanēt in libero arbitrio solum

lum benè faciendi: quia non potest recipere impressionem alicuius peccati. Et istud non posse, est magna virtus, & magna potentia, sicut in corporibus cœlestibus nō posse corrūpi vel alterari vnū multū gaudēt vidētes se extra periculū peccandi, quod est auersio ab incōmutabili bono, & cōuersio ad malū. Secūdo gaudēt sancti de magna misericordia dei, quia per ipsam euaserunt iudiciū dei quod est maximū beneficiū. Videmus enim, quod exemptio à iudicio, à mūdanis valdè diligitur, sicut patet in monasterijs, & ciuitatibus, & castris, & tamē à foro Papę nullus eximitur: sed si alicui daretur tale priuilegiū esset maximū priuilegium. Ergò quantò est excellētius donū, quod aliquis sit exēptus à iudicijs dei, sicut sunt saluati, certè nō posset ęstimari. Et si arguatur in contrariū, quod dicit B. Paul. Rom 14. *quod omnes stabimus ante tribunal Christi.* Dicendū

Rom. 14

quòd verū est, quòd iusti veniēt, s. nō ad iudiciū recipiēdū, sed aderunt dei iudicio, ad rectū dei iudiciū ostendendū cōtra peccatores. Et hoc erit quia ipsi iudicium fecerūt de seipsis: sicut Apost. dicit 1. Co 11. *Quia si nosmetipsos diiudicaremus, nō vtique iudicaremur à domino.* Et in hoc ostēditur magna misericordia dei, quia s. nobis ipsis iudiciū de peccatis cōmittit. Certè nullus iudex huius sæculi hoc facit sicut diceret latroni quia deberet suspēdi, tibi cōmitto iudiciū. O quāta esset lætitia cordis sui! o quā libēter correptionē cōmitteret, s. iudex talis hoc nulli cōmittit. & tamen deus hoc facit, & nō solū hoc, veruntamen sentētiā datā ex lege cōmittit, vndè infernū ad quē deputatus erat peccator ex lege diuina, relinquit iudicio suo, vt euadat sententiā, si vult, & ideò hoc maximè imputabitur ei ad pœnam. Vndè quia saluati iudiciū de seipsis fecerūt in hoc mūdo, exempti omnino sunt à iudicio cōdēnationis Dei. Tertiò quia gaudēt beati de magna misericordia dei, quia euaserūt periculū mūdi, & omnē molestiā ei⁹. In mūdo enim isto sūt multæ molestiæ & tribulationes, de quibus quilibet sentit, & Papa, & Cardinales, & quilibet princeps: vt timores veneni, & mortis, & infinitorū periculorū, Et iusti etiā habēt in hoc mundo saltē tribulationes mētales. Sed ab omnibus his malis sunt liberi ipsi beati, quia nullā tribulationē vel aduersitatem habere pœnitet & de hoc sunt securissimi. Cōsiderate quāti emeretur à Dñis mūdanis, si haberēt tantū vnā securitatē, puta veneni, vel infirmitatis vel hostis: & si possent habere ab omnib⁹ periculis, fere omnia darent vt hoc emere possent. Ergò quanto studio deberet procurari vita æterna; vbi sunt omnes consolationes sine tribulatione, in pace mentis æterna. Propter omnia ergò prædicta dicitur. Dñe *in cœlo misericordia tua*: & tālē misericor. petebat Dauid dicens. *Veniat super me misericordia tua Domine.* Secūdum beneficium, quod confitetur iustus saluatus, est quia euasit ignis æterni gehennam, & ideò subditur in auctoritate adducta superius, *eruisti animā meam ex inferno inferiori*, quia est infernus damnatorum: à cuius supplicijs sic eruti sunt beati, quod etiam certitudinem habent nunquam illuc eundi: & istud est maxima gratia, quia qui dicit infernum inferiorē, in quo sunt damnati, dicit generale malum, quia est ibi continuum & incurabile malū; nā pericula huius mūdi sūt vt telæ aranearū, quæ cōtra ventum citò fragūtur. Si esses in mari cum omnibus possessionibus tuis & filijs, & amicis, multum timeres cum ibi oriretur tempestas, de amissione prædictorū. Sed ni-

1. Co. 11

hil est respectu timoris, quem debet habere de inferno, vbi perdis totum mundum, qui debebat esse tuus: quilibet enim saluatus habet totum mundum, & de toto gaudet: quod certè non habent Reges mundi vel Imperatores, licèt aliquid habeant. Quis enim posset habere omnes pisces, omnes aues, omnes thesauros abscōditos? certe nullus. Vñ mundani & peccatores ista non habent, nec pro eis fecit ea Deus: sed saluati totum habent, & de toto gaudēt, videntes prouidētiam dei, & ordinationē eius in illo. Et ita per infernum perdit homo damnatus totum mundum, quem habuisset si saluatus fuisset: sed quod peius est, perdit etiam visionē dei. Item est malū inferni incurabile, quia null' potest euadere, nec aliquod remedium dari potest, quia in inferno nulla est redēptio: sed cōtra pœnas huius mūdi, aliqua remedia inueniuntur, vñ summa miseria est istam pœnā euasisse. Est & illud malum continuū: quia quocunque vadat peccator, infernus sequetur eum in omni tēpore, & omni loco, & ideò est maximum periculū, cum in eo omnia bona perdantur: & istud malum est propriū peccatorū, s. iustorū periculum & ne cadant in mortale peccatum. Sed debēt cōsiderare peccatores, si omnia haberēt in loco periculoso, quia citò eleuarent si possent: ergò multò magis cū omnia habeāt in periculo maximo, s. animā & corpus, & omnia, citò deberēt à tanto periculo surgere. Vndè quia sancti iuuerunt seipsos surgēdo, vel custodiendo se à peccato: ideò deus iuuit eos, ad eruēdū animas suas de inferno, & ideò dicebat Ps. *Nisi, quia dominus adiu. me. pau. habi. in infer. anima m a.*

TERTIO in themate assumpto tāgitur remanentiū miseria, in eo quod dicitur, *super vosipsos flete:* quia s. remanetis in continuo bello, in magno dubio, & in graui periculo. Sed miseri peccatores qui hoc nō attēdunt, volunt hic gaudere, vbi tantum esset flendum: & ideò post istā vitā habebunt fletū æternū. Sed iusti qui sunt hic flētes, peruenient ad gaudiū, vndè dominus ait discipulis Io. 16. *Plorabitis & flebitis vos, mūdus autē gaudebit, vos autē cōtristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudiū.* Io. 16.
Ratio autē huius est quia motus est de opposito in oppositū, & nunquid opposita sūt simul in eodē: vnde nunquid potest aliquid fieri sub vno opposito, nisi fuerit sub alio prius: fletus & risus opposita sunt, ideò illi qui volūt in hac vita lætitiā & risum, habebunt in alia tristitiā & luctū. Arbores enim quæ nimis citò virescūt & florēt, non faciunt fructum tēpore suo. Sic illi qui gaudēt in mundo isto & quærunt mundi cōsolationes, virescunt & florent antè tēpus determinatū: quia hic non est tēpus gaudij, sed mœroris, pœnitētiæ & luctus, & ideò in alia vita nō cōsequentur fructum gaudiorū vitę æternæ. Sed iusti qui hic sunt in luctu & tristitia, in alia habebunt risum, & exultationē, & lætitiam. Gen. 29.
In cuius figurā Gen. 29. Iac. primo accepit Liā quæ erat lippa oculis, & postea Rachel quę erat venusta facie: ad denotādū, quod post vitā flebilem & laboriosam, veniet ad gaudiosam, vndè dicitur Lucæ Luc. 6.
6. *Beati qui nunc fletis: quia ridebitis,* sci. risu ęterni gaudij. Ad quod Deus nos perducat &c.

De consolatione tristantium de morte.

SERMO VII.

TRistitia vestra vertetur in gaudium. Ioan. 16. Ioan. 16.

Experimento probatū est, quod res amaræ quibusdā ingenijs pos-

sunt cõuerti in dulces. De hoc habentur exempla in scriptura diuina f. Exod. 15. vbi legitur quod filij Israël venerũt in Marath, nec poterant bibere aquas de Marath, eo quod essent amaræ. Et Moyses clamauit ad Dñm, qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinẽ versę sunt. Itẽ 4. Reg vnus de pueris Helisęi collegit colloquintidas amaras, & conscidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset, & infuderunt socijs, vt comederent. Et cũ gustassent clamauerũt. *Mors in olla vir Dei.* Et cũ attulissent farinã misit in ollam, & non fuit quicquid amaritudinis in olla. Sic etiã fieri potest, vt amaritudines & tristitiæ quas patimur in vita ista, siue de mortibus charorũ nostrorũ conuertantur in dulcedinẽ, & gaudium & consolationẽ. Et hoc profecto continget nobis, si conformantes voluntatẽ nostram voluntati diuinæ studeamus, in omnibus patiẽtiã habere. Vnde dominus hoc permisit etiam discipulis suis, de tristitia & amaritudine quam habere debebant de morte & passione ipsius, dicens proposita verba. *Tristitia vestra, &c.* In quibus quidem verbis describuntur tria.

Exod. 15

4. Reg.

Primum est luctus miseriæ: cum dicitur *tristitia vestra.*

Secundum est virtus patientię: cum subditur *vertetur*: nam per patientiam malum pœnæ vertetur in bonum gloriæ.

Tertium est fructus lætitię: quia *in gaudium.*

Circa primũ attẽdẽdũ, quod in statu præsentis miseriæ frequẽtes accidũt hominibus ea, quæ inferunt eis tristitiã & luctũ. Sed tristitiæ quæ accidunt hominibus possunt esse malæ & bonæ. Mala enim potest esse tristitia, & vitiosa dupliciter. Vno modo, in quantum est de aliquo indebito & inconueniẽti, puta quo aliquis tristetur de bono, sicut è cõtrario esset vitiosum gaudiũ quod aliquis gauderet de malo. Et si tu quęras, quomodo potest aliquis vel dolere de bono, vel gaudere de malo? Dico ꝙ ratio est: quia aliquandò contingit ꝙ est aliquid malum, ꝙ est apparẽter bonũ, vñ de tali posset homo gaudere, non in quantũ est malũ, sed in quãtũ apparẽs bonum. Et tale est gaudium mundanorũ qui lætãtur cũ male fecerũt, & exultãt in rebus pessimis: puta qñ possũt se vindicare quocũque modo de eo quẽ oderunt. Hoc enim videtur eis bonũ, & honorificũ, & tamẽ est verè malũ: quia repugnat iustitiæ diuinę, & humanę est. Vndè quando Dauid inuenit Saul in spelunca purgantẽ vẽtrẽ, viris quidẽ qui erãt cũ eo apparebat bonũ ꝙ ipse occideret eũ & expediret se de eo, qui persequebatur eũ, & quærebat mortẽ eius & ꝙ vindicaret se; sed Dauid ostẽdit ꝙ hoc nõ erat bonũ, sed verè malũ, ꝙ ipse mitteret manum in Christũ dñi. Et noluit hoc facere, sed reseruauit vindictã suã Deo. 1. Reg. 24. Similiter est aliquid ꝙ verè est bonum, & tamen habet aliquã apparẽtiã mali, sicut Paulo videbatur malũ suũ, quod pateretur stimulum carnis, & ideo petiuit à Deo ter, vt ipsum à se remoueret: sed dominus nõ exaudiuit eum, quia verè erat bonum suum 2. Cor. 12. Et secundùm hoc posset aliquis tristari de tali bono, nõ in quantũ est bonũ, sed in quãtũ apparet sibi malũ: & tamẽ ista esset mala tristitia Et talis est tristitia mundi, quia tristatur de bono aliorum, quia videtur sibi quod sit diminutiuũ boni sui: vñ lætatur de malo alterius, & dolet de bono, quod est contra charitatẽ, quę è contrario gaudet de bono proximi, & dolet de malo. Similiter talis est tristitia accidiosi, quia apparent sibi mala & tędiosa ea quæ sunt verè bona & verè amabilia:

1. Re. 24

2. Co. 12

amabilia: ficut bona fpiritualia, quæ funt nobile nutrimentũ animæ, ficut habenti guftũ infectum aliquo humore cholerico, ei dulcia videntur amara, & ideò non vult fumere. Et fic accidiofos refugit fpiritualia quæ debet facere fecundùm Deũ. Alio modo triftitia poteft effe mala, quia eft immoderata,& fic eft mala & vitiofa:ficut fi homo immoderatè triftetur de damno fuo, puta de morte cuiufcumque, vel de quacunque alia iactura: quia paffio triftitiæ debet effe ratione moderata. Vndè Apoftolus 2.Co.2. non vult quod pœnitens maiori triftitia abforbeatur, etiã de peccato:& fi non de malo culpæ, multo minus de malo pœnæ licet fuperfluè triftari. Et fi tu queras: nunquid poteft aliquis nimis triftari de peccato. Dico quod fi nos vocemus triftitiam interiorem difplcentiam, quam habet homo in animo fuo de peccato, fic non poteft aliquis de peccato fuperflue triftari: quia peccatum non poteft nimis difplicere. Sed fi vocemus triftitiam, prout eft paffio quæ facit trãfmutationem etiam in corpore, & facit etiam interdũ flere, & affligere fe,fic debet effe moderata. Et fi fit fuperflua, eft vitiofa & illicita: quia eft nociua corpori & animæ, & ideò de tali

Ecc'.38 triftitia dicitur Eccl.38 ca. *Ne dederis in triftitia cor tuum: fcilicet repelle eam à te.* Talis eft triftitia quæ vitiofa eft, quæ dicitur trifti-

2Cor.7 tia fæculi: de qua Apoftolus dicit 2.Cor.7. *quod fæculi triftitia mortẽ operatur.* Sed fi fit de moderata triftitia,& fit de malo vero & debito;tunc eft triftitia virtuofa, & dicitur triftitia fecundũ Deum: ficut eft triftitia de peccato, vel de malo proximi & talis triftitia eft fecundum Deum, & ideò eft caufa falutis. Vndè dicitur 2. Cor.

2Cor.7 7. *Quæ fecundùm Deum eft triftitia pœnitentiã in falutẽ ftabilẽ operatur.* In quibus quidem verbis facit Apoftolus tria.

Quia primò ponit motiuum gratiofum cum dicit: *quæ fecũdum Deum eft triftitia*, id eft, fecundũ Dei beneplacitum.

Secundò, ponit effectũ virtuofum,*quæ pœnitentiam operatur.*

Tertiò ponit finẽ fructuofum: *quia in falutem ftabilem.*

Circa primum attendendum, quòd triftitia fecundum Deum eft multiplex. Et prima quidem eft triftitia contritionis, quæ eft de malo proprio .i. de proprio peccato,in quantũ homo per hoc offẽdit Deũ, & ideò talis triftitia eft de malo culpæ:vndè fi fit cum humilitate, recognofcẽdo magnitudinẽ mali & peccati fui, ex hoc fe humiliãdo,& lugẽdo,&ieiunãdo, timẽdo iuftiã Dei, & dolẽdo de gloria Dei quã contempfit,tũc talis triftitia eft Deo multùm ac- Bar.2.
cepta. Vndè Baruch 2. *Anima quæ triftis eft fuper magnitudine mali,& incedit curua,& infirma,& oculi deficiẽtes,& anima fitiẽs, dat tibi gloriã & iuftitiã Domino.* Alia eft triftitia paffionis.f. mali pœnæ propriæ quã homo patitur, & fi patitur iniuftè, & patientiã habeat propter Deũ in pœna fua, tũc talis triftitia eft ad meritũ,& eft gra-
ta Deo. Vndè 1 Petri 2. *Hæc eft gratia.fi propter Deũ fuftinet quis triftitias,patiens iniuftè.* Sic Chriftus 1.Petr.
triftis fuit dicens Matt. 26. *Triftis eft anima mea vfque ad mortẽ.* Alia Matt.
eft triftitia cõpaffionis.f.de malo proximi f.culpæ vel pœnæ,& hæc prouenit ex charitate proximi,& ideò Deo grata. Iob 30. *Flebam quondam fuper eo qui afflictus erat, & cõpatiebatur anima mea pauperi.* Iob 30.
Sic dicebat Paulus de perditione Iudæorũ,dicens Rom 9. *Triftitia eft mihi magna, & dolor continuus cordi meo. Optabam enim ego ipfe,anathema effe à Chrifto pro fratribus* Rom.9.

meis,

meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ. Alia est tristitia correctionis, quia corrigens alium non cum facie ridēte debet corrigere, sed cū facie quasi turbulenta & tristi. habēdo etiam tristitiā compassionis in corde de culpa fratris sui Eccl.7. *Per tristitiam vultus corripitur animus delinquentis.* Omnis ergò talis tristitia, quæ est secundùm Deum, nō nocet saltem animæ, imò valet ad animæ salutem 2.Cor.7. *Contristati estis secundùm Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* Secundò in auctoritate adducta ponitur effectus virtuosus: cum dicitur, *quia pœnitentiam operatur.* i. remissionem peccati, & adeptionem regni, quæ virtute pœnitentię acquiruntur. Nota quod si condemnatio alicuius esset scripta in libro communis vel regis propter peccatum suum: ita quod si caperetur, cum forbannitis, suspenderetur, vel decapitaretur si posset teneri: multum gauderet talis si posset deleri de scriptura libri, & esse securus in domo sua. Sic certè peccator & sua damnatio est in scriptis libris Dei cū forbannitis à curia paradisi, & est iudicatus ad mortē, quia stipēdia peccati mors. Sed si vult pœnitere & cōuerti ad Deū per verā pœnitētiā, delebitur de scripto regis. i. Dei, & erit securus de morte ęterna, sine qua nō euaderet eā. Vndè dicitur Lucæ 13 *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Act.3. pœnitemini, & conuertìmini vt deleantur peccata vestra. Nota, nō est aliqua mulier ita clauda vel monocula, quin si aliquis crederet habere vnum tale regnū, quale est regnū Franciæ, quod non libēter duceretur in vxorem à magno & potentissimo viro. Sed maius est adhuc pœnitētiæ lucrum, per quā qui acceperit eā sibi, habebit ex ea incōparabiliter maius, & melius regnum quā sit regnū Frāciæ vel totius mūdi, quia habebit regnum cœlorum. Mat.3. *Pœnitentiā agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et hinc est quod magnū gaudium fit in cœlo de peccatore pœnitente, secundùm illud Luc. 15. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitētiam agente, &c.* Secundò in auctoritate adducta ponitur finis fructuosus, quia *in salutem stabilem.* Salus corporis non est salus stabilis, sed salus animæ, quam scilicet assequimur per opera pœnitentiæ, per quā scilicet Christus saluator intrat domum animæ nostræ. Hoc figuratum est in Zachæo, qui erat princeps publicanorū qui sicut habetur Luc. 19. ascendēs in arborem sicomorum, id est ficum fatuā, per quam signatur crux, quia verbū crucis stultitia est pereuntibus: & tamē per ascensum sicomori quæ est ascensus pœnitentiæ, quæ operatur in virtute crucis, meruit Christum in domo sua recipere, & salutem animæ suæ habere dicēdo. *Ecce dimidium bonorum meorū Domine do pauperibus.* Et nota, quod dicit *dimidium*, quia non dabat pauca, & dicit *bonorum*, quia non dabat deteriora, & dicit *meorum*, quia non dabat aliena. Item *pauperibus*: quia non dabat diuitibus, vt retribuerent ei, & ideò sequitur. *Hodiè salus domui huic facta est:* & hæc salus animæ fit stabilis per gratiam perseuerantiæ quæ datur pœnitenti. Heb.13. *Optimū est gratia stabilire cor.* Eccl 26. *Pedes firmi super planta stabilis mulieris:* id est pœnitentiæ.

[Margin: Eccl.7. — 2.Cor.7 — Luc.13. — Matth.3 — Luc.15. — Heb.13. — Eccl.26]

B SECVNDO in themate assumpto tangitur virtus patientię: cum dicitur: *vertetur.* Nam sicut virtute pœnitentiæ malum culpæ vertitur pœnitenti in bonum gratię Iob 17. *Noctē verterūt in diē*, s. pœnitentes, noctē culpæ in diē gratiæ. Et in eodem 28. *Lapis.* i. cor lapideum

[Margin: Iob 17.]

lapideū & durū peccatoris, *calore solutus*, i. feruore pœnitentiæ *in æs*, i. in soliditatem gratię *vertitur*. Ita quoque malū pœnæ conuertitur patienti in bonū gloriæ. Figura huius habetur Gen. 50. c. in Ioseph, qui ait fratribus suis. *Vos cogitastis de me mala, sed Deus vertit illud in bonum.* In quibus quidem verbis tanguntur tria.

Gen. 50

Et primū est persequentis crudelitas: cùm dicitur, *vos cogitastis de me mala.*

Secundum est permittentis dei benignitas: cùm subditur, *sed Deus vertit illud.*

Tertium est patientis vtilitas: quia *in bonum.*

Circa primum attendendū est, quòd quandò aliquis lædit alium casualiter, & impræcogitate, non imputatur ad crudelitatē. Et ideò Deut. 19. mādauit Deus, vt essent aliquæ ciuitates refugij, ad quas tales qui casualiter, i. improuisè, & non ex aliquo præcedenti odio proximum percussissent, & occidissent, possent confugere, & ibi sine pœna ad tempus manere securi. Sed illi qui sciēter, & ex odio hoc fecissent, nō saluabantur cū fugerēt ad tales ciuitates, imò occidebantur: & ideò tunc est crudelitas, qn̄ quis excogitatè, & pro uise malū infert proximo, & tales maiori pœna sunt digni: vnde tales in iudicio confundentur à Deo. Et ideò dicit Psalm. 34. *Confundantur cogitantes mihi mala.* Et maius peccatum est, quandò aliquis cogitat nocere sub specie pacis, sicut faciunt proditores. Neemiæ 6. *Miserunt ad me dicētes. Veni & percutiamus fœdus pariter in vinculis in campo vno. Ipsi autem cogitabant, vt facerent mihi malum.*

Psa. 34.

Neem. 6

Secundò in auctoritate adducta ponitur Dei benginitas, qui permittit iustis inferri mala, vt vertātur eis in bona. Vndè sequitur. *Deus autem vertit illud.* Vbi nota differentiā inter Deū & diabolū. Quia diabolus conatur vertere bonū in malū, vndè postquā pœnitens surrexit à peccato, & per gratiā Dei factus est bonus: diabolus impugnat eū acrius, vt præcipitet eū in peccatū, & faciat eum deteriorē quā prius. Hoc figuratū est 4. Reg. 23. vbi legitur, quod Pharao Nechao qui signat diabolū, cōstituit Heliachim, s. regē; vertitq; nomē eius Ioachim. Heliachim enim interpretatur resurrectio dn̄i & signat pœnitentē, qui gratia Dei resurrexit à morte peccati, quem diabolus vertit in Ioachim, qui interpretatur pręcipitatio, quando pręcipitat eum in recidiuum peccati, & fiunt posteriora hominis illius peiora prioribus. Sed Deus è contrario conuertit mala in bona: malum, s. persecutionis in bonum consolationis. Vndè non adimplet dominus malam voluntatem persequentis, sed remunerat constantiā patientis. Cuius figura habetur Deut. 23 vbi dicitur, *Noluit Dominus Deus tuus audire Balaam: vertitq; maledictionem eius in benedictionem tuā, eò quod diligeret te.* Aliquando etiā Deus mala, quæ homines impij moliūtur facere cōtra iustos, cōuertit in eos. Figura huius habetur 2. Para. 20. vbi legitur, quod cū Iosaphat rex, & viri Iuda cępissēt laudes canere, vertit Dominus insidias eorū in semetipsos, s. Amō & Moab, & montis Seyr, qui egressi fuerant vt pugnarent cōtra Iudā, & percussi sunt, in semetipsos versi, mutuis cōcidere vulneribus. Deut. 23

Tertiò in auctoritate inducta ponitur patientis vtilitas, cū dicitur *in bonum*, s. ipsius patientis. Et ratio est, quia patientia ex charitate procedit. Charitas autem similis est calori solari, quia sicut virtute caloris solaris cōuertitur humor aquæ in vinū, s. in vite: ita virtute charitatis, cōuertitur ma-

lum in bonum, scilicet in homine: quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, vt dicitur Rom.8. vbi dicit glossa Augusti. Vsque adeò prorsus omnia, quod etiam peccata, dum ex eis humiliores resurgunt & doctiores. Vndè siue sint humiliati ex casu culpæ, siue ex passione pœnæ, dicant illud Psal.118. *Bonum mihi Domine quia humiliasti me.* Psal.118.

TERTIO in themate assumpto ponitur fructus lætitiæ cū dicitur *in gaudium æternum*, quod sancti habebunt in Deo. Et istud gaudiū excedit omnia gaudia triplici ratione. Primò quidē, quia est gaudium originale, ab eo enim quod est essentialiter tale, omnia alia sumunt originem: sicut lux quæ est in sole, est principum omnium aliorum luminum, & calor ignis est principium aliorū calidorum, s. elemētatorum. Vndè cū diuinū gaudiū sit essentiale, quia est ipse Deus, oportet quod omnia alia gaudia originentur ab ipso. Sed illi qui sunt in cœlo, percipiunt istud gaudiū immediatè ab ipso. Et ideò abundantissimum gaudium, quia hauriunt à fonte. Sed qui gaudent in istis creaturis, suscipiūt quasi à paruissimis riuulis: & ideò modicum vel quasi nihil est, respectu illius gaudij. Et in hoc errant stulti peccatores, quia tantum gaudent de istis creaturis, quod contemnunt & perdunt illud diuinum & summum gaudium: & propter minimos riuulos aquæ turbidæ, & modicæ, quę non satiant, nolunt ire ad fontē, vbi est omnis gaudij plenitudo: & ibi est nobilissimum gaudiū, & semper virtus nobiliori modo est in sua causa, quam in effectibus. Est etiam indeficiēs & continuū gaudium, non sicut gaudiū mundi, quia citò deficit sicut aqua piscinæ, interrūpitur enim tristitijs: sed sicut solis lux est continua, & indeficiens, & aqua à fonte, & à vena fluens nō deficit, & cōtinuè fluit, sic & istud gaudium. Propter quod dicebat Abachuc 3. *Ego autem in Domino gaudebo.* Et Ioan.16 *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Abac.3. Ioan.16. Secundò istud gaudium excedit omnia gaudia, quia est gaudiū finale. Finis autem habet rationē optimi, quia est illud propter quod omnia desiderantur & quęruntur, & ideò ipso habito, non quæruntur nec appetuntur ea quæ sunt ad finem, sicut ille qui adeptus est sanitatem, non curat plus de medicis. Vndè cum illud sit finale gaudium, & summum gaudium, & alia cum non sint finalia, nihil sunt respectu illius. Vndè si quis poneret finem in istis gaudijs, quæ haberi possunt in creaturis, mortaliter peccaret: imò nō est curandum de istis gaudijs, cū nihil sint respectu illi⁹. Sed quod peccatores plus curant de istis gaudijs, & parum de illo, est stultitia ipsorum, & deceptio peccati. Nam si aliquis esset in domo cum candela accensa, & teneret fenestras clausas adueniente die, ita quod lumen solis non ingrederetur, nec perpenderet de claritate diei: tunc ille talis curaret plus de lumine candelæ, quam de lumine solis, & timeret ne extingueretur ei: sed ille qui esset in lumine solis, nihil curaret de lumine cādelæ. Sic peccator qui est clausus in carcere peccati tenebroso, habet modicū lumen gaudij præsentis, & videtur sibi quod hoc sit maius lumen, id est, maius gaudium quod possit haberi, & ideò tamē de isto curat, vt habeat & ipsum nō perdat. Sed iusti, qui iam aliquid percipiunt de lumine solis, id est, de illo ęterno gaudio, saltem in lumine fidei contēnunt lumen candelarum, id est, gaudia creaturarum, & non dolent de amissione earum: & multò magis his,

his, qui sunt in plena charitate, sicut beatis qui sunt in illo finali gaudio, omnia illa gaudia nihil videntur. Et ideò sancti etiam in hoc mundo implent illud Apostoli 1. Cor. 7. *Qui gaudent tanquã non gaudentes sint*, quia illa gaudia nihil reputant, & quia adepto fine excluditur omne contrarium, sicut adepta sanitate excluditur omnis infirmitas; ideò adepto illo finali gaudio, excluditur omnis tristitia & luctus, secundùm illud Esa. 35. *Gaudium & lætitiam obtinebunt: & fugiet dolor & gemitus.* Tertiò quoque illud gaudiũ excedit omnia gaudia, quia est incomparabile, quia scilicet omnia gaudia mundi non possunt illi comparari. Et ratio est quia gaudia mundi aliquandò sunt falsa, quia verum gaudium non est nisi de bono. Et ideò cum quis gaudet de malo, est, quia illud malũ videtur sibi bonum, & sic decipitur, & est falsum gaudium. Eccl. 2. *Gaudio dixi quid frustra deciperis*, sed gaudium illud est tantùm de verò, & existenti bono. Item quia gaudia mũdi sunt mixta scil. cum multis tristitijs & anxietatibus. Vndè Prou. 14. *Extrema gaudij luctus occupat*. Sed illud est gaudiũ purissimum, nihil habens vnquam tædij, vel amaritudinis admixtum. Sap. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium commixtum illius: sed lætitiã & gaudium.* Itẽ quia gaudia mũdi sunt ita parua, & de tam paruis rebus, quod non replent nec satiant appetitum, sed illud est ita abundans, quod replet & satiat sine fastidio appetitũ. Io. 15. *Gaudium meum in vobis sit: & gaudiũ vestrum impleatur.* Item quia gaudia mundi temporalia sunt, istud autẽ est æternũ Vndè Esa. 35. *Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt.* Ad quod gaudium nos perducat ipse Deus sanctorum gaudium, qui trinus & vnus, viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

1. Cor. 7. — Esa. 35. — Eccl. 2. — Prou. — Sap. 8. — Io. 15. — Esa.

FINIS.

Hos Sermones Funebres P. Ioannis à S. Geminiano, olim diuersis temporibus legitimè impressos, vtiliter denuo excudendos censui. Duaci 18. *Octob.* 1608.

Bartholomæus Petrus S. Th. Doct. & in Vniu. Duac. professor.

